37
32 F
4

2.R
9765

Digitized by Google

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE.

TOMI SECVNDI PARS PRIOR.


THESAVRVS
ANTIQVITATVM
ET
HISTORIARVM
ITALIAE,
MARI LIGVSTICO ET ALPIBVS VICINAE
TOMI SECVNDI PARS PRIOR.
LVGD. BATAV.
APVD PETRVM VAN DER AA. MDCCIV.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE;

quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

LIGVRVM ET INSVBRVM,

Seu

GENVENSIVM ET MEDIOLANENSIVM,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Collectus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae tabulae Geographicae, aliaeque, ut & Indices ad singulos Tomos locupletissimi.

TOMI SECVNDI PARS PRIOR.

Scriptores hujus Tomi proximo folio reperientur.

LVGDVNI BATAVORVM,
Excudit PETRVS VANDER AA, Bibliop.
MDCCIV.

SERIES SCRIPTORVM,

Qui in ſecundo Tomo Theſauri Antiquitatum Italiae inveniuntur.

PARS PRIOR.

Andreae Alciati, J. C. Celeberrimi, *Rerum Patriae, ſeu Hiſtoriae Mediolanenſis, Libri* IV. ex MS. Bibliothecae Ambroſianae. Pag. 1

Triſtani Calchi, Mediolanenſis Hiſtoriographi, *Hiſtoriae Patriae Libri* XX. *cum Notis* Joannis Guilielmi Calaveroni. 81

— — — — — — *Reſidua, hoc eſt, Hiſtoriae Patriae liber* XXI. *&* XXII. *aliaque Opuſcula de Nuptiis Principum Mediolanenſium, è Bibliotheca Patricii Nobiliſſimi* Lucii Hadriani Cottae *eruta, ſtudio & opera* Joannis Petri Puricelli, *qui ſuum etiam illis Indicem Familiarum & Epitomas adjecit.* 441

Joſephi Ripamontii Canonici Scalenſis, & Chroniſtae Vrbis Mediolani, *Hiſtoriae Patriae Libri* XXIII. *Ab Anno ſalutis* CIↃ CCC XII. *qui* Triſtano Calcho *Patriae Hiſtoriae finis, deſumitur novi Operis initium & tempora inſecuta memorantur. Sed repetuntur prius extrema ſuperioris Hiſtoriae, fuſiuſque & altius explicantur ea, quae* Calchus *ipſe in parte ultima Annalium ſuorum perſtrinxit tantummodo, ſive omittenda putavit: atque temporis proxime anteacti facies datur in conſpectum. In* III. *partes digeſtus.* 537

PARS POSTERIOR.

Joſephi Ripamontii *Hiſtoriae Patriae continuatio, comprehenſa octo Libris, in quibus res, quas geſſit Philippus II. tam Mediolani, cum in ejus ditionem redigeretur, quam alibi, exponuntur.* 1089

Galeatii Capellae *de Bello Mediolanenſi, ſeu de rebus in Italia geſtis pro reſtitutione Franciſci Sforiae II. Mediolanenſium Ducis, ab anno* MDXXI. *uſque ad* MDXXX. *Libri* VIII. 1149

ANDREAE ALCIATI,

J. C. CELEBERRIMI,

RERVM PATRIAE,

SEV

HISTORIAE MEDIOLANENSIS,

LIBRI IV.

EX MS. BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE.

Ad perilluſtrem & admodum rever. Patrem

D. MATTHAEVM VALERIVM,

Cartuſiæ Ticinenſis Procuratorem.

PERILLVSTRI AC ADMODVM REVER.

P A T R I,

D. MATTHAEO VALERIO,

CARTVSIAE PAPIENSIS PROCVRATORI DIGNISSIMO,

JO. BAPTISTA BIDELLIVS

S. D.

PRODIT in lucem magni Andreæ Alciati, quem Juriſconſultorum haud dubie peritiſſimum, & Juriſperitorum diſertiſſimum novit fama, Rerum Patriæ Hiſtoria tam diu à multis expetita. Auctor ipſe jam inde à principio ætatis gravia ſimul & amæna ſtudia tractavit, interioreſque litteras cum Jure Civili conjunxit. Inter tot igitur præſtantiſſimi ingenii ſui monumenta, quibus exoptatæ immortalitati iter ſibi pateſecit, hiſtoricum etiam hoc Opus, quo res Mediolanenſium à primordio Urbis memorare aggreſſus ad Valentiniani Cæſaris tempora perduxit, quod utinam (ni ſorte in medio curſu oppreſſerit eum vitæ finis) pluribus libris complexus eſſet, non enim reliquam Titi Livii *Hiſtoriam*, vel Taciti *Annales*, ſeu *Germanica* Cæcilii Plinii *Commentaria* deſideranda nobis eſſent. Nos iſta, qualiacunque ſint, nunc primum in lucem emittimus, occultata diu apud paucos, dum codicem habere privatim, quam evulgari typis malunt, Inſubrum originem, Gentis vetuſtatem, præclara ejuſdem facinora, Reipublicæ Mediolanenſis formam & politiam, viroſque inſignes, qui tam in Imperio Romano, quam in Eccleſia Dei ex eadem patria floruerunt, publico malo, nobis invidentes. Cæterum in adornanda Operis editione, patronoſque exquirendo, tu ſtatim occurriſti, ô Sacræ Cartuſiæ decus & bonarum artium præſidium, Matthæe Valeri, cui neminem unum anteferre poſſe videremur: cui enim potius dicarentur patriæ Annales ab Alciato incredibili prudentia rerumque maximarum uſu prædito, doctrinarum & artium omnium eruditione excellenti, tanta cum Valeriæ familiæ commendatione conſcripti, quam tibi, qui politiori litteratura, indefeſſo litterarum ſtudio, morum ſuavitate, vitæque innocentia ſingulari inter patriæ ornamenta eſſes? & qui Valeriam gentem in hanc uſque diem Mediolani propagatam arctiſſima cognatione contingis? Accedit Hiſtoriæ patriæ exactiſſima cognitio, & ſingularis illa tua in me benevolentia, cui ut aliqua grati animi ſignificatione reſpondere poſſim, hæc nomini tuo inſcribere eſt viſum. Atque quicquid hoc, vel muneris vel gratiæ eſſet, in eo gratiam & præſidium ex tuo nomine & mihi ipſi paratum eſſe, tum volumus, tum etiam ſperamus. Vale.

Imprimatur, Fr. Vinc. Aquenſ. Provic. S. Officii Med.
Fr. Al. Bariola Auguſtinianus Conſultor S. Officii pro Illuſtriſſ. D. Card. Archiepiſc.
Vidit Saccus pro Excellentiſſ. Senatu.

AN-

ANDREAE ALCIATI,

J. C. CELEBERRIMI,

RERVM PATRIAE,

SEV

HISTORIAE MEDIOLANENSIS,

LIBER I.

EPITOME LIBRI I.

Etruſci ante Urbem conditam quam late in Italia dominati: trans Apenninum coloniam mittunt: trans Padum Inſubrium adificant: à Sicambris dominis deturbantur: Ducibus Medo & Olano colonias Transpadanas armis repetunt: à Bellovefo acie victis Inſubrium amittunt. Mediolani varia nomenclatura. Brixia, Verona, Ticini, Laudi, & Novaria quinam conditores. Senonum in Italiam adventus. Bellovefus Mediolanum mœnibus cingit. Inſubrum fines an Novariam attingant: quinam Dii ab Inſubribus culti: Pythagoræ ſectatores; eorundem mores & cultus. Roma à Gallis capta. Venetis Gallorum quietem turbant. Senones à Romanis deleti. Inſubrum & Bojorum ad Gallos Tranſalpinos legatio. Veneti & Cenomani Romanorum amicitiam Gallica cognationi præferunt. Apparatus Romanorum contra Gallos quam maximus: varia fortuna cum iiſdem decertant. Victoria adverſus eoſdem. Romani in Inſubres arma movent; Ananes & Cenomani cum Romanis adverſus Inſubres. Claſtidium & Acerra obſeſſa. Singulare certamen Viridemari Regis Inſubrum cum Marcello. Conſulis de eodem victoria. Mediolanum à Romanis captum. Inſubres cum Taurinis decertant; à Romanis deficiunt; cum Annibale fœdus pereuntiunt. Placentia & Cremona Rom. coloniæ. Victoria Gallorum de Romanis. Bojs eoſdem eadunt. Gallorum cohortes ad Trebiam fortiter pugnant. Ducarius Inſuber Flaminium ad Traſimenum obtruncat. Inſubrum pedites ad Cannas Annibali victoriam peperere: cum Aſdrubale & Amilcare palam, cum Magone clam in Romanos conſpirant. Placentia a Gallis ferro & igne abſumpta: Cremona ab iiſdem obſeſſa: magna ſtrage Amilcare cæſo à Romanis vincuntur. Rabius cum exercitu ab Inſubribus interneccione deletus. Iterum & tertio a Rom. vincuntur. Cæcilius Statius Inſuber floret. Rhæti Comum devaſtant; a Romanis inſtauratur: ejuſdem origo. Sulla Dictator cur Inſubribus infenſus.

ITALIAM, antequam Urbs Roma conderetur, & ſeſe armorum virtute extolleret, initio tenuere Etruſci, quorum opes terra, marique, longe & late floruerunt. Oſtendit hoc ab eis condita Hadria, unde ſuperum pelagus ſumpſit nomen; tum plures numero Coloniæ trans Apenninum miſſæ, quæ excepto Venetorum angulo ad Alpes uſque pertinuerunt. Eorum vetuſtiſſimus Rex fuiſſe perhibetur Janus, quem Saturni ex Latini generis puella Entoriæ filium aliqui ex Græcis tradunt: quidam alienigenam, & à Pelaſgis profectum opinantur. Sed hi videntur nobis admodum fabuloſa proſecuti. A Chaldæis ejus originem trahunt alii, fuiſſeque Noe celebratiſſimi in Sacra Hiſtoria herois nepotem Janum exiſtimant: cujus ſententiæ Joſippus aſſertor eſt. At Beroſus, graviſſimæ auctoritatis vir, Noe ipſum eundem, & Janum eſſe ſcribit, ductus præſertim nominis argumento, quod *Vitiſaterem* ſignificat; cujus rei inventionem Chaldæo ipſi mortales debere in confeſſo eſt. Fuit huic Regi ex Tubale, ut idem auctor eſt, filio, ſive, ut Joſippus mavult, nepote pronepos Subres, qui majorum veſtigia ſeeutus cum magna Tuſcorum manu trans Padum profectus, quo in loco nunc Mediolanum eſt, oppidum condidit, quod & ſuo nomine, atque oraculi fidem ſecutus, vocavit Inſubrium. Siquidem non modicæ exiſtimationis auctor quidam ſcriptum poſteris reliquit, conſiiltam à Subre Themin, an Subrium pagum à ſe ſtructum appellaret, negaſſe id ex re futurum. Quocirca Subrem, alioquin nominis ſui paulo ſtudioſiorem, negativæ particulæ additamento Inſubrium nuncupari voluiſſe. Hac in re haudquaquam ipſe meam interpoſuerim fidem, in negotio præſertim tam veteri, & in tanta ſcriptorum penuria: ut etiam non parum illos admirer, qui quæcumque de Subre dicuntur, omnia ad aniles fabellas relegant; cum tamen hæc ſit in Annalibus noſtris conſtans ſententia, & ab his, quæ alii prodiderunt, nihil diſſideat.

Data eſt ſemper hæc antiquitati venia, ut primordia Urbium, quo auguſtiora ſint, in Deos etiam aperto figmento referant. Cur non licuerit in re, quam veriſimillimam neget nemo, idem facere, ipſi viderint; etſi, quid unuſquiſque credat, curare non tam noſtra interſit, quam fida oratione ea in medium proferre, quæ ab aliis tradita nos vera opinamur. Fabulantur plerique in his regionibus fuiſſe Herculem, conditamque ab eo Urbem Ægyptio vocabulo Ariam dictam, quæ à Liguribus inſtaurata ſumpſerit demum Novariæ nomen. Indigna Catone ſententia, tametſi ejus auctoritate in vulgus edita fuerit.

Sane, quod ad nos attinet, Colonias à Tuſcis quandoque trans Padum miſſas in Inſubri (ut credere par eſt) agro Romanæ Hiſtoriæ auctor T. Livius atteſtatur. Pacatiſſime in novo oppido dominatus eſt Subres, atque ibi vitem plantare, agrum colere, fructus ſerere, pacis inſtrumenta, primus docuit. Et quoniam coaleſcens indies populus ſubagreſtis atque atrox erat, feros animos religione humaniores reddere conatus eſt. Tum Jani in Deos relatum numen, ejuſque cultus gentibus honori eſſe cœpit; percuſſaque dein moneta, quæ biſrontem, una ex parte ſtatuam, ex alia navim, corollamve haberet; nam, & navigationis, & coronarum in-

ventorem Janum crediderunt, & Dracon Corcyrenſis teſtatus eſt.

In demortui Subris locum ſucceſſiſſe traditur ejus filius Marcomedes, cujus in patria Hiſtoria ſolum exſtat nomen, geſta ſubticentur, quod nihil arbitror ſub eo dignum memoria evcoerit. Morientis Marcomedis fati par eſt conditio. Filius huic Inſuber Julius fuit, celebratum poſteris quoque nomen. Hoc Regc pro patria primum Inſubres arma induere; nam ab extrema Venetiæ ora, quæ Noricis contermina, demum Aquilejenſe nomen ſumpſit, progreſſus Rex Peucetius Julio indixit bellum; cumque plures annos pugnatum eſſet, & belli incommoda utrumque afficerent Regem, hac conventione tandem tranſacta his eſt, ut mutato invicem Regno, Carnos Julius regeret, Inſubres Peucetius moderaretur. Quis autem Rex hic fuerit, atque unde originem traxerit, non ab re dubitaverit aliquis. Aquilejenſem agruos primi exterorum tenuere Græci, qui Jaſone duce Argo navi in Colchos profecti Vellus aureum rapuere; ab his Colonia eſt Pola. Argivos igitur progenitores habuerit Peucetius, ao vero Julius Alpibus ſuperatis ex Germania io Italiam venerit, non ſat ex auctoribus conſtat. Peucerium alii appellant; ut eum fuiſſe ſuſpicer, qui Lycaonis filius Oenotrii frater ex Arcadia in Italiam venit, cujus rei & Dionyſius, & Plinius Secundus meminere. Dominatus hic eſt non Inſubriæ tantum, ſed Sabinis, Calabriæque, unde & ea Regio Græcis Peucetia quandoque eſt dicta. Noſtri auctores ex hoc Inſubriæ nomen inditum ſcribunt; quod tamen nequaquam diuturnum fuit. Nam eo defuncto ab Aſia navibus advectus Meſapus uoiverſam Peucetii ditionem armis occupavit, nomenque acquiſitis bello regionibus ſuum impoſuit. Mos hic antiquis Regibus fuit, æternitatem ſibi hoc modo credentibus paratam iri. Meſapum hunc adverſus Trojanos in acie pro Turno ſtetiſſe Poeta Virgilius ſcripſit, & Neptuno patre genitum oſt auctor. Plinius quoque Calabriam, Peucetii nomine abrogato, Meſapiam ab eo nuncupatam tradit. Idem & de Inſubria legitur in Mediolanenſium Annalibus.

Cum in humanis agere deſiiſſet Meſapus, Sicambri, Germanica natio, per Vindelicos, Rhætoſque Italiam ingreſſi, ferro & igne omnem agrum ad Inſubrem uſque pagum vaſtaverunt; cujus tam inſignis calamitatis oppidum ipſum iccirco fuit immune, quod ejus deditiooe à Sycambris in ſocietatem cives ſunt admiſſi: nec perennis ea fuit animorum cum hoſte conjunctio, quod non ita multo poſt trans Alpes Sycambri retro, unde vcoerant, domum redierunt. Reſpiravere aliquandiu ab externis armis Inſubres, & jam ſe in libertatem aſſeruiſſe poteraot videri, cum Tuſci coloniam ſuam armis repetituri, Olano Duce exercitum comparaverunt, & trajecto Eridano arctiſſima obſidione eam cingentes, tandem potiti ſunt munitionibus, propugnaculiſque, cum magna populi parte exciſa.

Auxit eorum rem deinde Medus, & ipſe ex Etruſcis (uti arbitror) Principibus, licet alii Inſubrem malint, ci regendæ præpoſitus, à quorum nomine Inſubria ipſa Mediolanum vocari cœpit. Cujus ſententiæ & in *Originibus* Catonem (ſi modo fideles ſunt vulgati codices) exſtitiſſe video, tametſi ex antiquis auctoribus alii, ut Cl. Claudianus, & Solius Apollinaris, & Dacius Antiſtes à Sue media parte lanea nomen traxiſſe opinati ſint. Alii, ut Sacrorum in ipſa urbe Ambroſius Præſul, quod in medio amnium Ticini atque Abduæ ſita ſit, Mediolanium dictam ſcripſerunt. Quæ opinio vel iccireo receptior eſſe debet, quod tam Græci, quam Latini veteres, ut ex aotiquioribus ſpectaculis cernere licet, id nomen protulere; etſi ipſe malim hac in re conſuetudini obſequi, quam obſequi, quam obſoletam pluribus ſæculis Antiquariorum diligentiam imitari; cum hæc inter ipſos quoque auctores non multum conſtent; nam, & à Catone diverſa videtur ſenſiſſe Livius, diſſidentiaque illi mortalibus poſteris prodidiſſe, qui ante Belloveſi in Italiam adventum Inſubrium pagum nomen tenuiſſe ſcribit, & à Gallis in Urbis formam redactum vocari tum demum cœpiſſe Mediolanum. Plinius ad Inſubres Gallos, à quibus conditum ſit, Inſubrii appellationem refert.

Videbuntur forſan hæc lectori non admodum diligeoti ſimul pugnare, quæ tamen recte percepta, ſi ſummum jus abſit, optime ſibi conſtant. Nam cum per Tarquinii tempora Ambigatus Celtarum, quæ Galliæ pars eſt tertia, Rex duos ſororis filios, Belloveſum, Singoveſumque haberet, lectiſſimos armis juvenes, aliquo extra Galliam oovas quæſitum ſedes mittere decrevit, qood ejus regnum tanta frugum & hominum abundantia polleret, ut coaleſcens multitudo vix videretur poſſe regi. Singoveſo Hercioo Saltus obvenere; Diis carior Belloveſus Italiam ſortitus eſt. Hic Bituriges, Arvernos, Senonas, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos; fortiſſimos maximoſque peditum equitumque exercitus, ſecum trahens, ne quis advenienti obviam ire poſſet, in Tricaſtinos venit, tum moram illi ſecere Alpes, vel iccirco inexpugnabiles, quod ante eum nullus præter Herculem, ſi Græcorum fabulis adhibenda eſt fides, eas ſuperaverat. Ibi cum tanquam indagine clauſi monnbus Galli arcerentur, novum illis omen auxit animos. Audierant novas ſedes perſcrutantes navibus à Phocide Maſſilienſes victos ab Saluciis oppugoari; quamobrem advenis advenæ, veluti æquum erat, auxilio fuerunt, ut eorum ope communiti Maſſilienſes, quem primum occupaverant, in terram egreſſi, loco civitatem conſtruxerint. Ipſi per Taurinos, Juliæque Alpis Salrus tranſgreſſi maximis laboribus tandem Italiam attigerunt; cumque illis congreſſi eſſent Tuſci, quorum ditioni, ut demonſtravimus, tunc parebant Inſubres, à Belloveſo acie devicti, debellatique ſunt. Qua victoria ille auctus cum Inſubrium vicum Heduo, unde ipſe plures Gallos exciverat, cognominem intelligeret, omen ſecutus, civitatem, ut Livius eſt auctor, condidit Mediolanum. Sic qui pagus fuerat, in Urbis dignationem tranſlatus eſt; neque enim Belloveſum totius propagatæ gentis juſtum titulum habere oſtendit Amaſenus Strabo, qui ante Gallorum adventum, Inſubrem non gentis infrequentia, paucitateve, ſed eo ſolum quod vicatim habitaretur, pagum fuiſſe tradit.

Patefecit is Belloveſi tranſitus barbaris nationibus Alpes; nam deinde eo annitente quamplurimæ Germanorum, Gallorumque copiæ in Italia novas ſibi ſedes paravere, ut ingens Germanorum manus, quæ Elithovio Duce eodem itinere per Taurinos ad eam veoit Italiæ partem, in qua nunc Brixia & Verona urbes ſunt; poſt eos ſecuti Saluvii, qui prope Lævos Ligures juxta Ticinum amnem conſederunt; ab his conditas Focellas ſcribit Plinius, ſicut à Lævis, Mariciſque Liguribus Ticinum Urbem. Venere eodem itinere Boji; tum Vocontiorum pagus Vertacomacores; ab his Novaria, ab illis Laus Pompeja originem trahit. Nec his tantum aperta Alpium clauſtra patuere. Nam & Peninum Boji, Ligureſque tranſgreſſi, Pado ratibus trajecto, non Etruſcis ſolum, ſed etiam Umbris infeſti, agro eos pepulerunt. Recentiſſima fuit Senonum manus, quæ ducentos prope annos poſt Belloveſum in Italiam Duce Brenno (ut aliqui auctores ſunt) venit. Sed de his pluribus agere non eſt præſentis inſtituti.

Cæterum qua potiſſimum parte tam ingentes Gallorum copiæ trajecerint, non injuria potuit aliquis quan-

quantumvis diligens dubitare, cum præſertim non ſat conſtare Sabellicus in *Carnorum Hiſtoria* oſtenderit, an hi ſint Taurini Saltus, qui in imminentibus Aquilejæ Alpibus, quas Julias Tacitus quoque appellat, difficillimo ſiti ſunt in loco: nam ea regione Taurinſcos, qui dein Norici ſuot dicti, Plinius collocat. Eos autem à Taurinis non differre demonſtrat Cato. Nam ſi, ut vulgatiſſima opinio eſt, Alpibus Grajis exercitum traduxit Bellovefus, quid eſt, quod ſequenti tempore Annibal in his tantum elaboravit, ut maximo hominum animalium que diſpendio ægre quincto decimo die ab bis emerſerit. Callem certe tutiſſimum eſſe oportuit, per quem tot hominum millia prius tranſcendiſſent. Verum quo minus veritatis apud me habeant hæc argumenta, illud io primis facit, quod in Circumpadanis Campis eos primum conſediſſe conſtat, cum ab Aquileja Padus quam longiſſime diſſideat; tum haudquaquam vero ſimile eſt, Bellovefum, ubi in Tricaſtinos venerit, circumſpectaodo altitudinem montium, itineris tantum ſuiſſe emenſum, ut per hæc Alpiom juga maluerit penetrare; quin credibile eſt magis itineris longitudine pertæſum per quoſvis difficillimos aditus tranſmittere potius valuiſſe. Nec momenti quicquam habent Aonibalis in eo tranſitu ærumnæ, qui non Grajis Alpibus, ſed Pænis trajecerit, ubi vicino, non tamen dubie differente, loco; quod ſi eodem quandoque itinere progreſſus eſt, deceptum certe à ducibus alienigenam Imperatorem majoribus ex anguſtiis evaſiſſe, quam iotet Gallos Gallum crediderim. Igitur Bellovefus, ubi in Inſubres appulit, mentemque ad Urbem condendam applicuiſſet, ſeptem eligit viros, qui Deorum oracula ſciſcitarentur, qua præſertim regione fundamenta jaceret; tum, quod Dhs placeret, illi imponi nomen. Reſponſum tradunt plerique ſenteotia non abſimili, *Nomina principumque Urbs ſua lanea fignet*. Explorata Deorum voluntate, cum ſus inventa eſſet medio tergore induta lanam, eo, quo primum viſa eſt, loco Civitas fundari cœpta ab ipſo omine nomen ſortita eſt. Scripſerunt hoc ex noſtris auctoribus quamplurimi, & opinione totius populi recepta res fuit, ut in medio foro, ſub ipſis Palatii formicibus marmore conſpicua ſuecula lanato dorſo etiamoum viſenda vetuſtatis ſignum adeſſet.

Munivere itaque urbem validiſſimis monitionibus Galli, ut exterioris muri, qui eam cingebat, latitudo pedum vicenum quinum fuiſſe credatur; tum tercentæ & decem turres intra mœnia in ambitu ſtructæ & ſpecioſum & inexpugnabile opus reddebant. Sex portæ à Diis, quos religioſe colebant, appellationem accepere: hi fuerunt Jupiter, Juno, Saturnus, Apollo, Mercurius, atque Mars; ex quibus in præſentiarum ſola Jovis porta tenuit nomen; amiſere ſuum cæteræ. Sic renovata Urbis facie omnia in tuto erant, unoque prælio devicti Tuſci nunquam poſtea extulere caput.

Limites Imperii Belloveſi traduntur Ticinus atque Abdua fluvii, tum unde bi dimittuntur lacus duo, Larius, & Verbanus, Ticinum hic, Abduam ille procreat; etſi alioquin diligentiſſimi auctores Polybius & Strabo Abduam Verbano, Ptolomæus Lario Padum ejici ſcripſerint, errore nimirum evidentiſſimo; contineri his finibus Inſubres uoiverſos eruditiſſimorum omnium conſenſus eſt. In quam tamen ſententiam nequaquam accedere creditur Ptolomæus, dum in illis Novariam collocat; & Polybius, qui Acerras, urbem inter Padum & Alpes, Inſubribus videtur adjudicare.

Mores gentis, inſtitutaque eo tempore qualia fuerint, nec poſt tot anoos quidem in obſcuro ſuot. Exſtitiſſe ſemper elegantiæ leporiſque ſtudioſos nemo ambigit. Mercurium veteri Gallorum more A coluere, quod eloquentiæ lucriſque præſideat is Deus; tum Hercules, Martem, Vulcanumque, ſed omnium maxime Minervam, in cujus ſplendidiſſimo templo ſigna belli aurea, quæ immobilia vocitabantur, ſervabant, ut ſolom eo tempore inde amoveri fas ducerent, cum ingens periculoſumque bellum ingrueret. Sagulis in pugna aureis utebaotur; illis enſes paulo graviores, obtuſique; ſcuta omnino debilia, ut qui, dum hoſtem ulciſcerentur, ſeſe parum defenderent. Thoraces etiam aureis clavis exornare; torques, armillas, viriolas, annulos ex ſolido auro geſtare; Deorum ſimulacra eodem tegere ſoliti. Albi membra, & in univerſum proceri, atque optime compacto corpore, calamiſtro capillos inflectere, coſque arte reddere craſſiores, ut, quo equinis jubis accedebant, eo pulchriores exiſtimarent. Nobiliores genas radebant; cætera barbæ promiſſiæ. Cibum capeſcere ſedentes, ſolo luporum canumque pellibus ſtrato, adſtabant illis cum præguſtatores tum pincernæ, miniſtriquc ætate juniores; & qui ex aſſidentibus majorem virtutis exiſtimationem haberet, is & melioribus epulis honorabatur. Hoſpites ad convivia libenter admiſſos, tum demum, qui forent, aut qua cauſa in Urbem ſuam venerant, rogare, cum cœnam ſumpſiſſent. Hoſtium capita, ſi quos nobiliores propria manu cæciderant, aromatibus coodita ſervabant, teſtimonium ſuæ virtutis; reſtituerequc vel depenſo tanti ponderis auro opprobrii loco ducebant. Fictilia illis in uſu variegata floribus; ſcuta producta ad magnitudinem hominis, cælata plerumque varia animantium effigie; tum galeæ cornibus, vel aviculis, vel hujuſcemodi beſtiolis inſignes. Manus cum hoſte conſerturi, Pæana canebant. Erat & apud hos locus egregiæ eruditioni; faveruntque ſemper Poetis; habebaturque & Philoſophis gratia, à quibus ioſtructi eadem, quæ Pythagoras, de aoimurum immortalitate ſenticbant; qua opinione ducti in bello audaciores, tanquam non morituri aliquo tempore, præliabantur. Permanſere bi mores quamplurimos annos, donce in poteſtatem arbitriumque Populi Romani perducti mutavere pleraque.

Succeſſiſſe Belloveſo ejus filius Singoveſus exiſtimatur, à patrui fortaſſe nomioe, qui Hercinios Saltus tenuit, ita dictus. Ioſtituit bic latronibus atque ſicariis, qui inſeſtum omnem agrum reddebant, purgare patriam. Quamobrem cognitione habita, deprehenſos exilio mulctavit; qui Inſubrium fioibus pulſi in Alpibus Grajis cooſederuot, & coodita urbe appellati ſunt Caturiges; ioteriitque tandem eorum urbs aote Plinii tempora. Crediderim Auguſti Cæſaris armis fuiſſe deletos, nam cum hæ Alpes viatoribus propter accolarum latrocinia eſſent ioacceſſæ, Auguſtus Salaſſos, eas inſidentes, aggreſſus, captos apud Eporrhediam ſub corona vendidit. Supra Salaſſos autem Caturiges habitabant, eadem notati labe.

Vixit in Imperii adminiſtratione Singoveſus annos LV. Bruniſendoque moriens tradidit regnum. Vir bic bellicoſiſſimus fuit, obivitque maxima prælia; nam cum Suevi per Rhætos in Italiam properareot, in jugis Alpium eos ferro aggreſſus duriſſimo certamine fudit, fugavitque. Fuiſſe bunc Breonum, qui ab Inſubri devictus ſit aliqui auctores ſuot: quo facto irritatum eum cum ccc. millibus militum rediſſe, & deinde Bruoiſendum cepiſſe, urbe expugnata, tradunt, cum jam annos LXXV. regnaſſet. His ex ingenio ſuo quiſquo demat, vel addat fidem; ipſi mibi, cum res non admodum conſtet, quicquam affirmare eſt neſas; illud pro certo exprimere poſſim Gallos Senones, qoorum Dux fuit Brennus, longe prius juxta Adriaticum mare ſedes occupaviſſe, quam deleto ad Alliam Romano exercitu urbem Romam, præter

Capitolium ceperint; quo in errore ex noſtris quoſdam verſari video; nam nec Suevorum, ut illi exiſtimant, Rex fuit Brennus, ſed Senonum, quum Britannicæ hiſtoriæ ſcriptores quidam eum Britannum fuiſſe atteſtentur; tanta eſt auctorum quandoque exercitas, ut etiam ſacrilegum hominem, quia bellaciſſimus fuit, tanquam honori patriæ futurum, non ſine ſumma vanitate genti, quorum geſta produnt, veluti eivem, vindicent. Nec minus deceptum Appianum Sophiſten crediderim in Commentario, qui *Illyricum* inſcribitur, dum Cymbrorum Regem Brennum exiſtimat; tanta in minima re auctorum eſt inconſtantia. Quo noſtris ſcriptoribus accedam, impellit me, quod hi capto Rege Mediolanum ſolo æquatum à Brenno enarrant; tum pœnitentia facti eum ductum urbem reſtituiſſe, quam mutato nomine appellaverit Albam, licet apud poſteros non obtinuerit; nam & Trogus, & Ambroſius in hiſtoria à Brenno conditum Mediolanum opinantur; quæ res mihi minime veriſimilis viſa fuit, ut Inſubri agro abſtinuiſſe omnino Brennum credam, tum quod communia erant Ciſalpinorum Gallorum omnia conſilia, tum etiam quod ex antiquis auctoribus nullus huic addicit ſententiæ; nam potuit de his Gallis intellexiſſe Trogus, qui ſub Belloveſo Mediolanum condiderint, quorum aucta re poſt ducentos & hoc amplius annos, una cum Senonibus, Duce Brenno Roma ſit capta; quam opinionem & ſequi Pauſanias Græcus auctor videtur. Tradit hic in *Atticis rebus*, eorum Ducem Gallorum fuiſſe Brennum, qui circa Padum habitarit. Qua in re etiam T. Livius anceps rem proponit, nihil explorati ſe habere confitetur.

Omnino erant in Italia per id temporis innumeræ Gallorum copiæ; nam præter Inſubres inter Padum & Alpes habitabant Laji; poſt quos Lebitii occupaverant ſedes, & non longe à fluvii ripa Cænomani; tum inter Apenninum rurſus & Padum Ananes; poſt Boji; inde Eganes; poſtremo Adriatici maris incolæ Senones, fueruntque hi inter omnes Gallos urbis captæ argumento maximæ auctoritatis. Videtur tamen, ut dixi, dubitare T. Livius, Senonum-ne ſola fuerit illa victoria, an Inſubribus, Bojis, cæteriſque Ciſalpinis Gallis adjuti egregium captæ Romæ titulum adepti ſint. Floruere omnino ea tempeſtate Gallorum in Italia res, perſeveraſſentque ea fortuna diutius, niſi ſeſe inteſtinis bellis confeciſſent.

Initium diſcordiarum à Venetis venit. Hi ex Oceano Gallico in Italiam delati, Venetiæ nomen dederunt, & licet à Paphlagonibus ortos alii ſcribant; tamen cultus & mores Gallicæ originis eſſe oſtendit. Hi finitimis Senonibus intulere bellum; quapropter illi derelicta Roma ad tutandos fines ſuos redierunt. Tranſalpini quoque Inſubrum, cæterorumque Gallorum in Italia ſuſpectas vires habentes, iterum atque iterum eos inſeſſavere; ſic à mutuis injuriis per aliquot annos non ceſſatum. Interim eum irati cum Senonibus Romani, quod prope Arctium in certamine Lucius Conſul ab his eſſet occiſus; quod violato gentium jure, qui captivos redemptum venerant legati, forent occiſi, novo delectu habito bellum contra eos agere inſtituunt; quo bello cum conſeruiſſent manus, fate victor Romanus miles Senonas ad internecionem delevit. Quapropter factum eſt, ut M. Lepido, C. Flaminio Conſ. legem ad Populum alter Conſul Cajus tulerit, *Juberentne Quirites, ut ea Gallia Regio, quam Picenum vocant, unde ejecti fuerant Senones, Rom. militibus aſſignaretur.* Quam cum ſciviſſet populus, Boji, Inſubreſque ob id graviſſime ſunt indignati, quod exiſtimarent non jam de gloria principatuque, ſed de manubiis, præda, & vita certare. Ergo communi conſilio legatos trans Alpes mittunt. Congolitanum atque Ancroeſten Regulos ſpe prædæ, atque ingentibus promiſſis, ſollicitant; itemque alias ejuſdem Provinciæ gentes, & Geſſatas in primis, qui circa Rhodanum habitant, atque ex re, quod mercenarii ſint milites, nomen habent; hortantur, quam maximis poſſunt precibus, ut coacto exercitu contra Romanos arma ſumant; ſi id fecerint, maximum lucrum, quod inde ſint acquiſituri, proponunt; cunctantibus quanta incommoda eventura ſint, docent; In eam Populum Rom. amplitudinem creſcere, ut etiam ipſis formidoloſus non ab re eſſe poſſit; Odiſſe Romanos in univerſum Gallicas nationes, nihilque antiquius ducere, quam in ſervitutem abſtractos liberis, bonis, atque agro deturbare; Si in Italiam contra illos deſcendere in animum induxerint, communibus auſpiciis ſe arma moturos; neque vero quicquam eſſe, quod magis timere hoſtes poſſint, quam Ciſalpinos Gallos; A ſuis majoribus captam felicitiſſimo eventu Romam, quam menſes ſeptem cum tenuiſſent, rebuſque, quarum Urbs refertiſſima erat, forent potiti, ſponte reſtituto Romanis imperio digreſſos in patria tecta rediiſſe. Hæc jactando, atque identidem coram regibus populiſque ingeminando, Inſubrum, Bojorumque legati ita Tranſalpinos animaverant, ut maximo deſiderio tenerentur gerendi cum Latino militę belli; nam neque major exercitus, neque armis inſtructior, neque ex fortioribus militibus in Italiam unquam à Gallis veniſſe creditur.

Qui motus ubi Romam perlati ſunt, tantus cives terror invaſit, ut conſeſtim novos pugnatores armaverint, novas legiones inſtruxerint, commeatus, omniumque rerum inſtrumenta bellica non aliter paraverint, quam ſi jam adeſſe Galli nunciarentur, cum tamen nondum propriis ſedibus exceſſiſſent. Profuit admodum Carthaginenſibus ad res Hiſpanas hic tumultus; nam Romam dum, quemadmodum cervicibus ſuis imminentes Gallos repellant, conſilia quotidie incunt, rebus Hiſpanis neglectis, totis animis ad bellum Gallicum ſe præparantes, Haſdrubali, quo cum multos annos pugnatum erat, pacem dederunt, acceperuntque. Miſſæ item legationes ad Venetos & Cænomanos, ut Romanorum amicitiam Gallorum ſocietati præferrent. Quæ res, ut Romanis ex animo ſucceſſit, ita non modicas difficultates Inſubribus attulit, quod magnam exercitus partem domi ad defendendos fines relinquere coacti ſunt, ne, dum ipſi abeſſent, in eos Cænomanus miles graſſaretur. Igitur Galli, coacto juxta Rhodanum exercitu, ſuperatis Alpibus in Circumpadanos Campos deſcenderunt. His ſe protinus jungunt Inſubres & Boji. Peditum numerus traditur fuiſſe quinquaginta millia, tum equitum & bigarum duo millia. His Etruriam verſus moverunt caſtra. Romani, ubi certioribus nuntiis exploratum habuere, tranſmiſiſſe ab Alpibus Gallos, alterum Conſulem L. Æmilium cum legionibus auxilioque Arminum miſerunt, ut illic ſeſe hoſti opponeret tranſitum prohibiturus. Quod vero alter Conſul C. Attilius ſui Conſulatus initio in Sardiniam cum claſſe curſum tenuerat, ejus loco in Etruriam unus Prætorum ire eſt juſſus, qui Gallos incendiis rapiniſque arceret, &, ſi videretur, prælio rem committeret.

Interim vix dictu credibile, quantus Urbem ineeſſerat pavor; ea fuerat virtutis Gallicæ expectatio, ut jampridem Romani nihil eorum nomine formidabilius ducerent; augebat metum vetuſta eladis ad Alliam acceptæ memoria, ut tanquam Romanis penatibus fatalem gentem pertimeſcerent. Quocirca, tametſi ingens hominum conflatus eſſet exercitus, feſtinare tum Romani copias alias parare, juventutem armis inſtruere, delectuſque novos

in

in dies habere; moniti præterea Larini nominis ſocii, ut idem facerent, & quotiens opus eſſet, abſque mora in certamen promptos, paratoſque ſe præſtarent; Municipiorum, Coloniarumque & Urbium in Italia magiſtratibus imperatum, ut omnium militum, quos delegiſſent, numerum in commentariis ad Senatum referrent; ad hæc maximam adhibuerant curam frumenti, & commeatus omnium generum; tum armorum officinæ excuſſæ, ut quibuſcunque tela ſuppeterent; & quo magis metuebant Romani, eo diligentius omnia belli inſtrumenta paraverant; nunquam major in urbe apparatus belli, nec ſane in reliqua Italia quicquam tum ſegnius inſtructum, cum exiſtimarent omnes, non de rebus, aut gloria, ſed pro vita, liberiſque cum Gallis dimicari. Quamobrem nemo unus fuit, qui non auctoritati Senatus, & Populi Romani majeſtati libenter paruerit. Quantæ tunc civitates, & quot hominum millia eſſent, etſi auctores inter ſe diſſentiant, crebrius tamen Polybii ſententia probatur: eum ipſe integerrima fide ſcriptorem ſum ſecutus.

Primum igitur Conſulibus quatuor urbanæ legiones attributæ erant; peditum viginti millia, equites mille ducentos hæ continebant; his additæ ſociorum auxiliares turmæ, peditum millia triginta, equitum duo. Hinc in Sicilia, & circa Tarentum præſidii cauſa conſtitutæ duæ legiones; pedites quater mille, equites ducentos ſingulæ habebant. Inſuper Romanorum, Campanorumque multitudo traditur circiter ducenta quinquaginta millia peditum, equitum viginti quatuor millia. Nec ſubſidiorum omiſſa eſt cura. Fuere in Urbe, ſi quid novi accidiſſet, juſſa Senatus expectantes hominum copiæ, viginti millia peditum Romanorum, equites mille quingenti, ſociorum triginta millia peditum, equitum millia quinque. Ab Etruria & Sabinis miſſa peditum ſeptuaginta millia, equitum quatuor. His præerat urbanus Prætor, quem ſupra retulimus ſtatim, ubi Gallos in Italiam veniſſe intellexit, Etruriam verſus moviſſe. Hos ſecuti Umbri & Apennini accolæ Sarſenates in expeditionem vicena hominum millia duxerunt; tum juncti Cænomanis Veneti, Romanis legatis perſuaſi, totidem armarunt viros, quos in Apennino juſſerunt conſiſtere, ut, cum facultas daretur, in Bojorum agros irruptionem facerent. Parata hæc à Romanis erant adverſus tumultum Gallicum. Tum relatæ ad Senatum in tabulis Latinorum copiæ octuaginta ferme millia, equitum quinque; Samnitum ſeptuaginta millia, equitum ſeptem millia; Meſſapiorum & Japygum ſexdecim millia, peditum quinquaginta millia; Lucanorum peditum triginta millia, equites vero ad ſummum ter mille. Marſi præterea, Ferentani, Mauricini, & Veſtini peditum armaverunt circiter viginti, equitum quatuor millia. Quæ coacta gens ex omni Italia, præter Inſubres & Bojos, peditum reddebat ſepties centena & eo amplius millia, equitum vero ſeptuaginta millia; etſi Livius ex pedinim numero pene dimidiam portionem demat, & in equitibus ab hac ſumma diſſentiat plurimum. Contra Fabius Pictor, qui eo bello interfuit, & Paulus Oroſius octingenta armatorum millia fuiſſe tradunt: cui opinioni nec multum Plinius in *Naturali Hiſtoria* diſcrepat.

Galli, ſuperato, ut diximus, Apennino, jam in Etruriam venerant, & apud Cluſium, quæ non amplius dierum trium itinere ab Urbe Roma diſtat, caſtra fuerant metati, cum certiores facti ſunt Romanorum, Etruſcorumque copias, quibus Prætorem præfuiſſe retulimus, convenisse simul, ac decreviſſe ſequi. Quo accepto nuntio Galli verſus eos moverunt ſigna: eratque in conſpectu jam utrorque exercitus, cum pugna ſuperſedentes, occidenteſole, utrique muniverunt caſtra. Nox erat, tenebriſque omnia tegebantur, cum Galli per caſtra de more elatis ignibus equites admonent, ut prima luce, eum omnia turiora hoſtibus promittat dies, ſe ſequantur: ipſi Feſulas verſus clam iter facere incipiunt, eo id acturi conſilio, ut ſequenti die & ſuos equites in agmen recipiant, & incautius ſequentes Romanos circumducant. Nec eos ſua fefellit opinio; nam Romani ſummo mane hoſtium equitatum non ſine tumultu abire conſpicati, id eos metu & in trepidatione agere exiſtimantes, acceleratis paſſibus, incompoſito agmine ſequebantur. Id animadvertens Gallus, qui ex pacto hac atque illhac concurſabat, conſtitit, initoque certamine victus Romanus, & Tuſcus miles turpe fuga terga dedere. Erant enim Gallis animi ferocia longe impares. Amiſere victi occiſorum eo prælio hominum millia ſex; alii in proximum tumulum, ſitu & loci natura munitiſſimum, ſe recepere, quos è veſtigio proſecuti victores obſidione cingere decreverunt: obſtant procedentis noctis anguſtiæ, atque eo die exantlatus labor; quibus rebus confecti id operis tunc aggredi non decreverunt; ſed relictis equitum turmis interim cuſtodiendos mandarunt, ut poſtridie, ſi deditionem non facerent, tumulum omnibus viribus aggrederentur; ipſi tum ad curanda corpora profecti, unico prælio factidivites, tantum prædæ, tantum hominum lucrati, ut vix cuiquam ſit credibile.

Cæterum expugnandi tumuli conſilium handquaquam proceſſit. Nam L. Æmilius Conſul, quem Ariminum miſſum ſcripſimus, ubi per Etruriam Gallos iter facere intellexiſſet, ut verſus Urbem Romam propere contenderent, ſuis ſuppetias laturus, in Etruriam feſtinaverat; tum mature ſuperato Apennino, non longe ab hoſtibus caſtra metatus eſt. Cognovere hoc Romani, qui in tumulo ab Gallico equitatu obſidebantur; ex nocturnis enim ignibus illis facile fuit Conſulis adventum conjectari; quamobrem ſpe ſubſidii adjuti, animoque alaciores, ex ſuis militibus quoſdam inermes per proximam ſylvam mittunt, qui eum, quemadmodum res geſta ſit, inſtruant, & quam primum opem ferat, rogent. Edoctus omnia Conſul, cunctandum nequaquam exiſtimans, equeſtres copias tumulum verſus ducit, & Tribunis militum imperat, ut legiones prima luce caſtris educere feſtinent, ſi neceſſe fuerit, vel prælio certare non ambigant. Nec latuit Gallos adventus Conſulis, id & ipſi ex nocturnis ignibus conjicientes. Tum advocato omnium conſilio quid agendum eſſet, deliberare cœperunt. Hic variæ, ut in magna multitudine ſolet, dicuntur ſententiæ: Communi demum conſenſu in Aneroeſtis ſententiam eſt itum. Judicavit is, haud recte ſentire, qui tunc armis decertendum cenſerent, quippe qui jam certo acquiſitam prædam in belli dubium deferrent; quare ſe auctore conſultjus facturos, ſi in patriam revertentes, quod luerati fuerant, ſecum demum reportarent; tum relictis ibi ſarcinis, ſi placeret, iterum Romanis indici bellum poſſe; ſic & expeditius pugnaturos, & manubiarum ſecuros, multum rurſus victores lucri acquirere, victos minimum detrimenti paſſuros.

Galli igitur Aneroeſtis conſilium executuri, ante lucem motis ſignis, per inferi maris littus cum maxima præda patriam repetebant. Sequebatur eos Conſul, ſi aliqua rei bene gerendæ occaſio daretur, eam non dimiſſurus: alioquin ex compoſito cum tanta multitudine timebat congredi. Per idem tempus accidit, ut alter Conſul C. Attilius, quem cum exercitu in Sardiniam profectum prædiximus, advectus Piſas contrario, quam Galli, itinere rediret Romam. Non longe aberant à Tuſciæ Civitate Telamonæ Galli, cum quidam ex illis improviſo in eos incidentes, qui Attilii exercitum præ-

præcedebant, capti, non multum abeſſe Gallos, & alterum Conſulem pone ſequi, confeſtim Attilio expoſuerunt. Quibus cognitis ille lætus, quod inter duos potentiſſimos exercitus hoſtes objeciſſe fortuna videbatur, admiratus primum rei novitatem in eos ducere conſtituit. Admonitis itaque militum Tribunis, quid eos agere velit, oſtendit: quouſque ſinat opportunitas, legiones adverſus hoſtes procedere jubet; ipſe idoneum rei gerendæ collem prope viam conſpicatus, cum expedita equitum manu occupare parat. Fecerant & id ipſum Galli, ſed præventos ſe à Conſule cum ex captivis intellexiſſent, exiſtimaverunt primo id ab equitibus factum, quos L. Æmilius noctu præmiſiſſet: demum re diligentius explorata, neceſſario eſſe ferro decernendum viderunt.

Inſtructa itaque acie Geſſatas atque Inſubres contra Æmilium, qui à tergo ſequebatur, conſtituerunt; à fronte adverſus Attilium collocati Taurini, & Padi accolæ Boji, carros & impedimenta extra aciem repoſuerunt; præda omnis in proximum tumulum delata, & complurium equitum cuſtodiæ dimiſſa. Egregia arte ordines inſtruxiſſe Polybius tradit; nam bifrons acies, & aſpectu hoſtibus terribilis eſt, & ad pugnam valde efficax, omni ſpe fugæ prærepta. Accedit his, quod invicem utrumque caput ſe protegit, eſtque alteri alterum auxilio. Principio in colle, quem Attilius occupaverat, eſt certatum, quo in loco cum ſumma virtute utrinque pugnaretur, tandem ab equitibus Gallorum fortiſſime ſe gerens interceptus Attilius occidit, caputque ejus ad Reges delatum; primum ſe prælio cœpto colle in objecerat, ut, ſi ſuperati forent hoſtes, gloria confecti negotii penes ſe ſolum eſſet, qui ante collegam cœpiſſet pugnam. Morte alterius Conſulis haud perterriti Romanorum equites non ſolum occupatum à ſe tumulum defenderont, ſed etiam viriliter occurrentes Gallicum equitatum fuderunt. Addebat his animos ſpes potiundæ victoriæ, quod urgentibus Gallos fatis Romano exercitu circumcluſi videbantur. Terrore plena omnia. Claſſicorum ſonitus, Gallorumque in immenſum vociferatio, & clamor, nemini non formidabilis erat.

Initium victoriæ Romanis dedere ipſi Geſſatæ; nam cum Boji & Inſubres auratis quoque armis conſpicui eſſent, Geſſatæ animi magnitudine, qui ingentes ſpiritus in re militari concipiebant, hujuſmodi ornamentis abjectis ante omnes nudi capeſcebant pugnam, hoc ſe modo prædicantes magis expeditos ad bellum fore; quæ jactantia & ipſis, & omni exercitui perniciem tulit. Nam cum nudi eſſent, ſcutoque tegerentur Gallico, ipſis admodum brevi grandia eorum corpora ſagittariorum ictibus maxime patebant, quos vel ideirco adverſus Geſſatas collocaverant Romani, quod eis ſuperandis aptiſſimum hoc pugnatorum genus erat. Angebantur eo acrius Geſſatæ, quod ex longinquo ſagitta vulnerati neque hoſtem ulciſci poſſent. Quare gliſcente ira, plerumque aciem percurrentes turbare, ſuis terrori eſſe, rabie omni omiſſa diſciplina agitari. Cæſis ad hunc modum Geſſatis, Inſubres, Boji, Taurini excepere prælium, cœptumque tandem comminus pilis & gladiis agi.

Hic atrociſſimum certamen fuit, & ut animi viribus conſtantior Gallus, Inſuber, cæterique erant, ita uſu armorum Romano militi cedebant. Gallis enſes graviores ſunt, & cuſpide obtuſi; ſcuta debilia; quæ omnia commodius Romano ceſſerant, qui & clypeis validioribus utebantur, & gladio breviori quidem, ſed acuto & expeditiori. Suſtinuit tamen impetum Gallus, donec è colle equites magno impetu deſcenderunt. Tunc omnino turbati omnes paſſim cæde equites citatiſſimis equis terga dare; pedites eo ipſo, quo conſtiterant, loco, deſperatis rebus occumbere. Tanta fuit animorum virtus, ſeu pertinacia magis, ut ne attenta quidem fuga ceciderint omnes. Periiſſe eo prælio, Polybius & Oroſius auctores ſunt, hominum XL. millia. Congolitanus Rex cum captivorum decem millibus in poteſtatem hoſtium vivus pervenit. Aneroeſtes cum quibuſdam paucis comitantibus auſugiſſet, omnes vitæ tædio non diu poſt in ſemet vertere manus.

Hic vero illud omittere incurioſi admodum eſſet, Fabium Pictorem, quem Oroſius auctorem habet, non apud Telamonem, ut Polybius, ſed apud Aretium prælio dimicatum ſcribere, & cum Attilius eſſet occiſus, qui pugnæ intererant, octuaginta tribus millibus cæſis turpiter fugiſſe; qua fiducia elati Galli, cum haud ita multo poſt manus iterum conſeruiſſent, à Romanis ea clade ſuſos, ut quadraginta millia hominum deſiderata ſint. L. Florus cum Brittomaro Duce ab Æmilio victos Inſubres ſcribit, diſcinctoſque in Capitolio, ut eorum interverteret votum, qui non prius balthea ſoluturos juraverant, quam Capitolium adſcendiſſent; nam his geſtis rebus L. Æmilius ſpolia hoſtium miſit Romam, &, ut Polybius teſtatur, depopulatis locorum agris, ditato omnis prædæ genere exercitu, reverſus, armis & torquibus (ornamenta ſunt, quæ patrio more circa collum geſtare Inſubres conſuevere) Capitolium ornavit. Decretus illi triumphus, captivique ante currum cum præda ducti.

Sequenti anno Conſules creati ſunt T. Manlius Torquatus, Q. Fulvius Flaccus. Venerat in ſpem Senatus ex omni Italia deturbandi quicquid erat Gallici nominis: quare utrumque Conſulem primo adverſus Bojos mittunt; eos celeriter in jus & ditionem ſuam redegerunt. Scribit Strabo ſuperatos à Romanis Bojos agro expulſos fuiſſe, & ex Italia digreſſos cum Tauriſcis juxta Hiſtri fluminis ripam regionem occupaſſe. Id non hoc bello factum, ſed prius paulo credere libet. Sane nec perpetua fuit ea Gallis ſedes; tranſiiſſe in Noricum recentiores tradunt, à quibus provincia Bojariæ etiam hodie tenet nomen.

Duxere dein Conſules in reliquos Gallorum Inſubres. Polybius multitudine imbrium, peſtilentiaque deterritos deſiiſſe à bello, Romamque reduiſſe confirmat. Pugnantia his ſcribit Oroſius, Inſubrum XXIII. millia tunc occiſa, capta quinque millia. Major apud me illius eſt auctoritas, niſi à Fabio Pictore hoc ſumpſiſſe Oroſium crederem. Fuere autem hi Imperatores, qui primi Romana arma trans Padum protulerunt.

Poſt hos Conſules facti P. Furius, & C. Flaminius. Hi rurſus in Galliam profecti, Anares, qui prope Apenninum habitabant, in ſocietatem recepere. Verſus deinde in Inſubrum agros furor belli. Conſtiterat Flaminius prope Adduæ & Padi confluentes. Hic, dum amnem tranſmittit, dum caſtra munire vult, ingentia ab Inſubribus, qui eum prohibituri maxima multitudine convenerant, incommoda accepit; nec jam periculis pares erant Romani. Quamobrem ab eo diſcedentes loco in Cænomanorum agrum profecti ſunt. Eorum urbs erat forum Diugutorum, quam noſtris temporibus oppidum Cremam vocari eruditiſſimi quique ſentiunt. Illic conſtitiſſe veriſimile eſt. Adjuti Cænomanorum, quos in ſocietatem aſciverant; armis, ſuperiora, quæ ad Alpes ſpectant, loca tenuere; demum in Inſubrum agros deſcenderunt, ferro & igne omnia vaſtaturi.

Præfuiſſe Inſubribus Ariſtonicum Ducem Florus tradit. Hic conſilio cum proceribus communicato, quod videret omnino decreviſſe Romanos patriis ſedibus eos deturbare, fortunam belli experiri decrevit. Igitur ſublatis ex Minervæ templo, quam præcipuam colebant, ſignis, apparatiſque cæteris

cæteris belli inſtrumentis, Mediolano diſcedentes adverſus hoſtes intrepide ſunt proſecti; hinc prope illos metati caſtra, hominum ferme quinquaginta millia erant; plena populo etiam tunc, nedum ætate noſtra, Urbe Romani, qui ſe numero inferiores planc noſſent, Cænomanorum auxilia implorabant. Suſpecta erat illorum fides, nec ejuſdem nominis viris (Galli enim omnes) videbatur multum credi debere. Sic non parum conſilii ancipites extricavere ſeſe tandem. Junctus ponte ſtabat Addua. Cænomanos omnes tranſire ad ulteriorem fluvii ripam jubent; tum reſcindunt pontem. Viſum id factu optimum, quod & facultatem Cænomanis ſe Inſubribus in ipſo prælii diſcrimine jungendi ſurripuerunt; tum etiam quod omni abſciſſa ſpe fugæ Romanus miles neceſſario acerrime pugnam aggredi cogebatur. Mox inſtrui cœptæ acies; qua in re Flaminius Conſul artis ſe bellicæ inexpertum rudemque oſtendit. Elegerat ille locum nequaquam Romanis armis idoneum, deliqueratque in eo, quod in re militari primum perito Imperatori eſſe debuit. Tam prope enim fluminis ripam erexerat aciem, ut referendi pedem, quod Romanorum proprium eſt, facultas omnino nulla relinqueretur; ut, ſi vel tantillum retrocedere milites eſſet opus, Adduæ fluvio præcipites mergerentur. Superiores tamen eo prælio fuerunt Romani, Tribunorum prudentia & aſtu. Animadverterant hi anterioribus bellis Gallorum gentem primo impetu ſupra humanas vires eſſe, mox paulatim labaſcere, & nivium modo longiore motu quaſi Sole laxari; enſes præterea habere non agiles, qui unica plaga fortiſſimi ad crebros ictus erant inutiles. Acceptas itaque à Triariis longiores haſtas anteſignanis tradidere. Sic incepta pugna Inſubres lanceis percuſſi, bis incidendis primum illum animi ardorem effudere, tum cominus vadentes Romani phalange ſtructa cædere hoſtem paulo ſecurius cœperunt. Nam cum Inſubrum, ut longiores & graves, ita nequaquam acuti gladii eſſent, non niſi ex loci intercapedine cæſim ſcrire hoſtem poterant. Contra vero Romanus miles edoctus à Tribunis, quam maxime poterat illi proximus enſe aptior, punctim Inſubrem cluſo ejus ictu aggrediebatur. Magna tunc ſtrages facta; trucidata eſſe Inſubrum octo millia, capta decem & ſeptem Oroſius eſt auctor; numerum ſupprimunt Polybius, Floruſque. Omnino magnam cladem accepere Galli; nam indomita armorum ferocia gens haud aliter à Rom. Senatu ſupplex per legatos quæſiſſet pacem. Voviſſe eos, antequam pugnæ incubuiſſent, Marti ſuo de hoſtium præda torquem ſcribunt quidam; quam ob cauſam Flaminius Jovi de ipſorum torquibus, quos bello fuerat adeptus, trophæum erexit. Nobilior fuit ea victoria Conſulis, quod contemptis auſpiciis, quibus pugnare prohibebatur, ſuperior tamen evaſit; qua fiducia aperte potuit cognoſci vanam eſſe auſpiciorum fidem. Feciſſe idem adverſus Parthos pugnantem Lucullum veteres ſcriptores tradunt, qui nefaſto die ex his, quos atros vocant, initurus prælium, ſubmonentibus id amicis, *Ego*, inquit, *ex atro felicſſimum Romanis reddam:* cujus dictis fidem fecere minima manu ſuſæ innumerabiles hoſtium catervæ; ut religioſas mortalium ſuperſtitiones uterque Imperator non obſervandas experimento ſuo docuerit.

Peperit tamen id famæ Flaminii maximam invidiam; nam redcunti, & multa referenti ſpolia, populus contempſit ire obviam; non multumque abfuit, quin triumphi decora non aſſequeretur. Juſta videbatur ſubeſſe cauſa præſertim religioni deditiſſimæ genti. Nam cum Augures vitio creatos eſſe Conſules dicerent, Senatus eos è veſtigio ab expeditione revocandos eſſe cenſuit. Flaminius poſt ſuperatos hoſtes reſignare diſtulit litteras, ut victore exercitu rediens faceſſeret juſſa. Tulit id ægre Populus, tanquam per ſuperbiam factum, coactumque deponere Imperium vix privatim triumphare eſt paſſus. Potuit ea Populi Rom ſeveritas temerarium Flaminii animum flectere, ſed cum dare pœnas cogebant ultores Dei. Siquidem triennio ferme poſt contra auſpicia, mores ſecutus ſuos, Annibali congreſſus, clade exercitus, & ſua, inſignem Thraſimenum lacum fecit; ac tum quoque conceſſere fata, ut Inſubris Equitis manu peremptus, à ſe interfectorum umbris litaret.

Igitur dum tot cladibus affecti Inſubres pacem à Senatu petunt, M. Claudius Marcellus, C. Cornelius Conſules dicti ſunt. Sollicitavere ſtatim plebem, ut quo minus pax conficeretur, prono ad eam Senatu ipſi intercederent. Obtinuiſſe meliorem cauſam, ictumque fœdus Plutarchus ſcribit, ſed culpa Inſubrum ruptum, aſcitis in ſocietatem Geſſatarum triginta millibus. Ipſe Polybii ſententiæ accedo, qui priuſquam quicquam à Senatu Galli impetrarent, ſeſtimaſſe cum exercitu utrumque Conſulem tradit, debellaſſeque interim petentes pacem hoſtes. Cognito itaque Inſubres Marcelli adventu, quod ipſi tot prœliis laſſi eſſent, Geſſatarum triginta millia conduxere, atque his libertatem ſuam tueri decreverunt. Diſſentit & hic Plutarchus, triginta millia Inſubrum in armis fuiſſe ratus, majoremque Geſſatarum exercitum, quem non Inſubrum mercenarii, ſed ſponte ſua traduxiſſent. Et id quidem Britomaro Duce. At hunc Livius, & Florus non illis, ſed Inſubribus Principem attribuunt, ut in hoc quoque Veterum fidem non ab re aliquis requirat. Firmavere Geſſatæ præſidio Acerras Urbem, quam inter Padum & Alpes fuiſſe ſuperius quoque diximus. Eam uterque Conſul obſidione cingere decrevit, procedebatque in dies arctior, quod nihil ſubſidii ferre Inſubres poterant, mediis locis à Romano excluſi. Quamobrem partem copiarum (decem millia fuiſſe tradit Plutarchus) ad obſidendum ſociorum Pop. Romani oppidum Claſſidium mittunt, exiſtimantes, ut illis ſuppetias irent, ab Acerris ſoluturos obſidionem Romanos. Id dum cognoviſſet Marcellus, relicto ad Acerras Collega, cum equitatu, expeditiorumque militum parte, obſeſſis ferre opem contendit. Conſeſtim hoc audientes Geſſatæ, Duce Britomaro, in aciem prodeunt; Conſulem manifeſta ſe clade oppreſſuros opinantur, quod paucos ſecum pedites haberet, equeſtrique prælio certandum foret, quo pugnæ genere cunctos ſe mortales ſuperare arbitrabantur. Marcello nec ſuorum corpora emrare, nec ullum quieti tempus permittere celerrimo hoſtis adventu licuit. Inceptum igitur certamen; primo congreſſu pauxillum ſuperiores fuere Galli, donec eorum equinbus à Romano equitatu pariter circumventis inclinare ad Romanos victoria cœpit; mox ſuſi fugatique hoſtes plurimi, victorum metu Padum ingreſſi vorticibus ſunt abſorpti; captivi tamen & complures fuere. Eo ignominioſior clades, quod multi à paucis ſuperati eſſent. Qua in re plurimum Marcelli virtus enituit, quod qui multitudine hoſtium ſuperari ſe videret, ita aciem inſtruxit, ut dexterum ſui exercitus cornu ſiniſtro Geſſatarum alæ jungeret; reliquam autem exercitus partem à dextro hoſtium cornu longe removens, quaſi veru directam oſtendit; ita cum eorum lævam à tergo, & à lateribus cæderet, quod præſtantiſſimos quoſque in dextero ſuo cornu collocaverat, in fugam ſunt verſi hoſtes; nam ſuis laborantibus nec à dextra ala, nec à media acie ſuccurrere prohibebat Romana acies, ſeſe

longo intervallo porrigens. Nec minus manu quam ingenio victoriam ſibi peperit Conſul; cum clamore & pollicitationibus in ipſo pugnæ cardine ſuos adhortaretur, fremitu belli equo perterrito ejus impetu ceſſim retro ferebatur. Quapropter veritus ne tali prodigio tepeſcerent militum animi, attractis conſeſtim habenis in hoſtes equum convertit, & ut conſilio, non caſu, id eveniſſe crederetur, ſupplex adoravit Solem, (Romanotum utique mos eſt, antequam manum conſerant, ſalutare Deos, tametſi orientem eum colere peculiarius eſt in Syria militantibus) inter conſertiſſimos hoſtes mox progreſſus opima ſpolia vovit Feretrio Jovi. Properabat ad votum fortuna belli; nam viſus illi Viridomarus, & Regia plane ſtatura, & armis auro atque argento fulguris inſtar rutilantibus, oſtendit ſe eſſe Ducem. Ea iraque arma fore arbitratus, quibus vota ſolveret, virum adoriri maturat. Non detrectavit Dux ſingulare certamen; ſed prior Marcellus haſta illi perfoſſo thorace ſimul equi viribus innixus reſupinum deturbat, rurſuſque bis vulnere repetito examinem reddit. Morte regis facti hoſtium cunei dedere terga; tum ephippio deſiliens Conſul, apprehenſis Viridomari exuviis, cœlum ſuſpexit; atque, *O magna*, inquit, *qui Imperatorem geſta videt & probat, Feretrie Jupiter, En tertius ego Romanorum Dux atque Imperator Ducem ſimul ac Regem propria occidi manu. Tu cape, qua tibi opima ſpolia dedi, & vicliſſim latis ſucceſſibus res adverſus hoſtes noſtras proſequere.* Sic effatus belli reliquias perſequi ſtatuit.

At Galli, qui apud Acerras remanſerant, ſimul atque ſuorum ſtragem Claſtidii acceptam audiverc, celeri fuga Mediolanum contendunt. Præcipua hæc etiam tunc Inſubrum, ut Polybius ſcribit, erat urbs, pro qua, ut pro ampliſſima metropoli æquum fuit, Galli ſtrenue pugnabant. Perſecutus fugientes eſt alter Conſul Cornelius, qui infeliciter dimicans obſidione circumveniri ſe permiſerat, ut Plutarchus auctor eſt. Veriora tradunt alii. Cum non longe à Mediolano exercitum ductaſſet, nemine obviam prodeunte, agrum omnem depopulatum regredi cœpiſſe. Tum Galli abeuntem perſecuti extremum agmen laceſſere, pleroſque Romanorum trucidare, alios in fugam vertere: quæ conſpicatus Conſul, converſis legionibus, omnes ad capeſcendum forti animo prælium cohortatus eſt. Parucre mandatis Romani audaciſſime contra Gallos pugnantes vicere; nam tot nuper affectus detrimentis Gallus non repugnavit diu, ſed revocato gradu in proximos montca (eos opinor, qui Leuco oppido imminent) victi auſugere. Hos aliquandiu fugientes inſectatus Conſul, Mediolanum demum profectus, Urbem in Populi Rom. poteſtatem redegit. Sic deſperatis rebus ſuis, & cæteri fidei Romanorum ſe & fortunas ſuas credidere. Eorum exemplum imitatæ & vicinæ gentes idem fecere; & ita huic bello impoſitus finis, domitaque Geſſatarum arrogantia, qui ſe victores fore rati, Romana arma Vulcano, ut L. Florus ſcribit, promiſerant. Receptæ urbis Mediolani titulum Cornelio tribuit Polybius, Marcello Plutarchus & Oroſius, qui ab eo cæſa hoſtium triginta millia refert. Diſcrepant & alio modo maximi duo hiſtoriæ ſcriptores. Plutarchus enim Inſubres in armis fuiſſe comparato exercitu poſteris tradidit; antiquior ille, & iccirco majoris fidei, ſolos Geſſatas geſſiſſe bellum, eorumque corpora ſolum cæſa ſcripſit; cui & accedere Oroſius videtur. Utcumque ſit haud quaquam magni refert, cum illud conſtet, tum primum Inſubres ſubactos cæſiſſe Romania. Etſi minimum de Mediolanenſium jure minuit illa victoria; manſit libertatis nomen, nec externos Magiſtratus, aliquave onera agnoſcebant. Creavere Reges more ſuo, & finitimis nemine conſulto indicere bellum fas erat; domiti ut amicitiam Romanam agnoſcerent, nondum, ut parerent, ſuis legibus, ſuo jure utentes.

Quievere interim anno; mox in Taurinos movere bellum, variaque victoria protrahebatur tempus, cum legati Annibalis itineri ſeſe in Italiam accingere decernentis, ut ſimul fœdera percuterent, venere. Norat Annibal ſuperioribus prælis Inſubrum infenſos erga Romanam gentem animos. Quamobrem in maximam ſpem venerat eorum nanciſcendi amicitiam. Convenere itaque clam Romanos hujuſmodi fœdere, ut Annibal Inſubribus, Inſuber Annibali contra Romanos auxilio eſſet; bona uterque fide ageret; ſi Inſubtum aliquis ab Afro injuria ſe affectum quereretur, ejus rei judicium penes Carthaginenſium magiſtratus, aut Imperatores, qui in Hiſpania cum imperio erant, agitaretur. Quod ſi contra Carthaginenſis ab Inſubri injuſti aliquid fuiſſet paſſus, Inſubrum mulieres diſceptatrices eſſe debere. Cur injuriarum cognitionem Inſubres fœminis conceſſerint, quod mirum forraſſe alicui videri poterit, Polyænus Macedo & Plutarchus oſtendunt. Namque Galli, priuſquam Bellovefo Duce ſuperatis Alpibus novas in Italia ſedes quæſiſſent, ſeditionibus domeſticis conſuque ſunt agitati, ut civilia bella ſuſcitarent; cumque ferro accincti alter in alterius perniciem conſtitiſſet, eſſentque diſcordiarum finem quæſituri, inter utrumque exercitum mulieres progreſſæ, precibus, lachrymis, gemitu adeo flexere virorum animos, ut depoſitis jurgiis, atque omni odio, unuſquiſque ad penates ſuos reverteretur. Hinc apud eos orta conſuetudo, ſi quid de bello aut de pace tractandum eſſet, mulieres ipſæ dijudicarent, tum quæcumque cum ſociis controverſia naſcatur, ex fœminarum ſententia componi eam juſtum judicant.

Hac itaque conventione cum Inſubribus Annibal amicitiam contraxit; quam vel inprimis conciliavit aurum per legatos illis datum dono. Cognoverat enim maximi momenti hanc ſocietatem fore, quod regionem Inſubres poſſiderent fertiliſſimam, & hominum multitudine refertam, ut ſive in eorum agro cum Romanis dimicandum eſſet, ſive novi comparandi exercitus, hujuſce acceſſionis ergo juvare facillimum foret. Sperabat præterea faventibus Inſubribus per anguſtos Alpium Saltus integrum & nullo diminutum prælio exercitum traducere. Capta itaque auro gens, haud difficulter in ejus ſententiam acceſſit. Certiores facti de Annibalis in Italiam conatu Romani, quod de Gallorum fide dubitarent, omni ſtudio ad perficiendas, quas circa Padum duxerant, Colonias incumbebant. Placentia hæ fuerant & Cremona; vici prius Gallis habitati & ignobiles, conditæ & auctæ tum demum propugnaculi loco adverſus trans Padum agentes Gallos; & ſi qua alia vis per Alpes irrueret. Conſules declarati T. Sempronius & P. Cornelius Scipio: ædificata jam erant mœnia, ſtructæque privatorum domus; quamobrem Oppidanis, ut intra triginta dierum ſpatio adeſſent, mandatum; ſingulis Colonis hominum ſex millia decreta; ægerrime hoc tulere adempti præſertim agri cauſa Inſubres & Boji. Quamobrem arreptis derepente armis obſidum, quos ſuperiori bello dederant, ſecuri tumultu omnia implentes, in eum ipſum agrum hoſtiliter venerunt. Terruit eorum adventus non multitudinem tantum, ſed & Romanorum Triumviros, qui ad agrum aſſignandum venerant, ut Placentiæ mœnibus adhuc non ſat recenti opere coactis diffiſi, Mutinam confugerint. Hos perſecuti Galli obſidione Urbem cinxerunt. Verum

rum gens nequaquam expugnandis muris apta, neceſſariis præſertim ad hæc inſtrumentis deſectis, dolo captandum hoſtem judicavere. Simulatum itaque de pace agi: tum captis, qui evocati ob id ipſum erant, Romanorum legatis, non aliter dimiſſuros ſe eos dixerunt, quam ſi ſui obſides, quos priori anno Romanis dederant, forent redditi. Scribunt alii non violato jure gentium captos legatos, ſed metantes agros Triumviros ab hoſtibus interceptos fuiſſe. Prioris ſententiæ auctores Gallos damnant, tanquam fidei & juris, quod à natura hominibus inſit, proditores. Eorum patrocinium meum non eſt. Exemplum certe in aliis probabile fuit; cum negavit Themiſtocles ab Athenis redituros Lacedæmoniorum legatos, ni & ipſe ab ipſis ad Athenienſes foret remiſſus. Quod igitur tanquam egregie factum à Græco celebrant auctores, quomodo citra calumniam in Gallo milite notari poſſit, certe non video.

Cum hæc L. Manlio, qui tunc cum imperio vicinis in locis agebat, nunciata eſſent, accenſus ira Imperator obſeſſis ferre auxilium propere parat. Cognovere id Galli; quocirca poſitis inſidiis, venientem temere ex ſylvis, quæ circa viam incultæ & arduæ erant, erumpentes aggrediuntur. Ibi magna Romanorum, donec ægre in apertos campos evaſit Conſul, ſtrages facta; deinde munita ab eis caſtra Gallis aggredi ſpes defuit. Cum ſequenti die de integro Manlius cepiſſet iter, & adhuc clauſis locis duceret agmen, iterum eos aggreſſi Boji, magna omnium trepidatione, octingentos cæciderunt; ſigna fex ademere; reliqui præcipiti, ut Polybius ait, fuga Tanctum vicum Pado propinquum contenderunt. Hoc tumultu Romam perlato, veriti Patres, ne diuturna obſidione Romani periclitarentur, C. Attilium Prætorem cum legione una, & quinque ſociorum millibus, obſeſſis auxilium ferre jubent. Conſuli, ut in eorum, qui ceciderant, locum delectum habeat, mandant. Interim Manlius Cænomanorum armis adjutus adverſus creſcentem indies multitudinem, quanto fortius poterat, ſeſe tutabatur. Quare ejus debellandi ſpe amiſſa diſceſſere Galli, junxitque ſe Conſuli Attilius Prætor, cum nihil memoratu dignum hoſtium diſceſſu liber feciſſet.

Dum hæc aguntur, Inſubres & Boji regulos ſuos trans Alpes ad Annibalem Rhodano jam trajecto ſpe pleniùm mittunt. Ipſe advocata concione per interpretem, ut milites ad trajiciendum hortentur, rogat. Fecit hoc libens Gallus, ſe, cæteroſque Ciſalpinæ Galliæ incolas auxilio futuros pollicetur; omnino ad iter per Alpes ſe accingant; fore illud tutum, nec neceſſaria aliqua re egens; tum non admodum difficile; tantam eſſe locorum, per quos profecturi ſunt, opulentiam, ut ea vel maximis ærumnis poſſit unuſquiſque comparare; præterea eos ſocios ipſis fore, quorum virtus Populo Romano ſuperioribus annis fuerit formidoloſa. His, aut certe ſimilibus aliis compluribus dictis reguli abiere. Fuerunt & ex horum Comitatu, qui in caſtris remanerent. Hos ad exploranda loca, Barbarorumque, qui in Alpibus habitant, apparatus, ſceum Annibal retinuit.

Poſt hæc cum exercitu profectus egregiam Inſubribus adverſus Taurinos operam navavit. Moverant Taurini Inſubribus bellum, gerebantque acriter. Annibal, quod videret Taurinos ſibi infenſos eſſe, Inſubrum partes fovit, validiſſimaque eorum Urbe per triduum expugnata adverſæ ſibi factionis homines plurimos interfecit. Ex hoc tantus alios Barbaros terror invaſit, ut victi omnes ſe ſponte ei dederint; idem palam facturi etiam Inſubres, uti initio ſtatuerant, ni defectionis operientes tempus Romani Conſulis adventus oppreſſiſſet. Iccirco queti nihil novabant; quin nonnulli ſe Romanis addiderant ſocios. Quamobrem haud cunctandum ratus Annibal, præclarum aliquod facinus aggredi decrevit, ut cæteros ad Carthaginenſium partes amplectendas audentiores faceret. Armis itaque cum Romano Conſule decernere quamprimum deliberavit. Prope Ticinum congreſſus Cornelio Conſuli eum fudit. Pugnavere eo prælio fortiter Galli Inſubres, quos auxiliares equites Scipio in fronte collocaverat, & una cum reliquo equitatu vulneratum Conſulem in medium agminis accipientes reduxerunt in caſtra. Ejus ſervati Ligur ſervus certiorem fama gloriam tenet. Victori prima pugna Annibali ſe pars Inſubrum jungere feſtinavit; tum qui in caſtris Romanis erant Galli, populorum defectione audita, ſtatuto inter ſe tempore apud Placentiam, quo ſe loco contulerat eum exercitu Conſul, intempeſta nocte transfugerunt; duo millia peditum erant, ducenti equites. Hi cum omnes ſomno intentos animadvertiſſent, in tentoriis prius armati, ubi conſtituta hora advenit, exivere, obvioſque Romanos, tum ipſos vigiles trucidant. Illos Annibal benigne ſuſceptos, ingentia munera pollicitus, ad ſuos dimittit, ut, ſi quid adhuc repugnarent, ad Carthaginenſium ſocietatem vel hortarentur, vel impellerent. Scipio eam defectionem omnes Gallos ſecuturos ratus, etſi gravis etiam vulnere, veritus, ne illi quoque novi hoſtes accederent, noctis inſequentis quarta vigilia ad Trebiam fluvium, quod is colles equitatui impeditores haberet, movit caſtra. Secutus eſt & Annibal. Hic cum eos Gallos, qui inter Trebiam & Padum habitant, fide ambiguos, ſuam & Romanorum gratiam aucupari cognoviſſet, iratus quod ſe Gallorum accitu in Italiam ad eos liberandos veniſſe diceret, alios Gallos & Numidas equites miſit, qui parum illud agri depopularentur, ac diriperent. Egentes ope qui premebantur, Galli Romanos Conſules implorant. Fuit illis præſto cum equitatu alter C. Sempronius, qui raptorem Inſubrem nactus, de diviſione prædæ ſimul certantem, ingenti cum terrore & cæde affecit; adjutus ſuorum conſilio inſtare iterum Gallis, Conſuliſque copias retro compellere, donec & illæ auctæ inſultantem coegerunt recipere ſe in tutum. Fecerat hæc pugna feroci alioquin Sempronio animos, parabatque acie decertare. Id cum ex ejus natura futurum crederet Annibal, tum Gallorum exploratores manifeſtiſſimum feecerunt. Speculabantur in utriuſque caſtris ſecurius, quod & ex eis aliqui Romanis militabant, pugnatumque iterum eſt ad Trebiam. In exercitu Carthaginenſium decem millia Inſubrum, Bojorumque erant. Hi pedites omnes. Hi in media acie collocati, licet maximum victoriæ momentum, aliquam eladem accepere.

Tertia fuit apud Thraſimennum pugna; conflictati prius cum nivibus frigoreque in Apennini tranſitu fuerant Galli, periitque eorum maxima pars; cæteros duxit Mago; nihilominus interfecti propria manu Conſulis gloriam Ducarius Inſuber eques tulit. Hic C. Flaminium pugnantem conſpicatus, popularibus ſuis teſtatus cum fuiſſe, qui Inſubrum legiones exciderat, agros & urbes erat depopulatus, *Hanc ego*, inquit, *victimam manibus peremptorum fœde civium dabo*; ſubditiſque confeſtim equo calcaribus per confertiſſimos hoſtes ferro aperit viam, armigerumque, qui irruenti ſe obtulerat, tranſfodit, dein ipſum Conſulem lancea trajectum dejicit equo; ſpolia detrahere parantem arcuiſſe Triarios objectis ſcutis Livius eſt auctor. Addit Plutarchus non prius inclinatam Romanorum aciem, quam à Ducario occiſus ſit Conſul. Nunquam ſatis laudatus vir; mallem diverſas ſecutum partes.

Nec ſane minus fortiter ſe in Cannenſi pugna geſſerunt Galli. Equites ab Annibale in lævo cornu fuere poſiti, maxima parte Inſubres, qui pedites militabant, cum Tranſalpinis Gallis & Hiſpanis inter mediam Afrorum aciem collocati, primi peperere victoriam. Nam Romanæ aciei denſitate oppreſſi, diſſolutis cuneis referre pedem cœperunt. Romani audacius inſecuti facile perruperunt ad Afrorum ſubſidia; at Galli diſpoſitis rurſus in ſinum militibus, in Lunæ modum nitendo inſtauravere agmen; ſic à tergo elauſi, hinc Afris, hinc Hiſpano, Galloque milite preſſi memorabilem illam cladem accepere; perierunt tamen eo prælio Gallorum quatuor millia. His affectos ſtragibus verſus fortunæ impetus ex hoc tempore juvare cœpit, magis Hiſpano & Afro, quam Inſubri, quamvis eaſdem ſequenti partes, infeſta.

Tranſierat Aſdrubal Alpes, veſtigia fratris imitatus, novumque exercitum Inſubri quoque pedite auxerat; perveneratque jam in Senenſem agrum; ibi cum Romanis confertæ manus; fuſus cum maxima clade Pœnus eſt, cæſo etiam Duce. Inſuber modico detrimento affectus, quod bona para non interfuit prælio; qui adierant, objectu collis ſe protexerunt; poſtera die abeuntes ſimul cum Ligurum gente perſequi deſtitit Conſul, & findentibus, ne eos cladis immunes diſcedere pateretur, quod uno agmine fugientes, ſine ſignis, ſine imperio & ordine, una militum ala potuiſſent deleri: *Superſint*, inquit, *hoſtium cladis, virtutiſque noſtræ nuntii.*

Poſt paulo à Balearium minore Inſula, ubi in hybernis fuerat eum exercitu, in Ligures venit Mago, captaque adventu improviſo urbe Genua, exercitum, quam adduxerat, majorem habere cœpit, confluentibus undique in ejus auxilium Gallis. Tunc acceriti etiam Inſubres, quorum cum maxima multitudo convenſſet, benigne allocutus, ſe miſſum ad eos in libertatem vindicandos à Romanorum injuriis dixit; proinde æquum eſſe eorum ſe ſubſidiis juvari: multa hominum millia ipſis armanda, ſi Romanorum armis reſiſtere velint. Inſubres ad hæc ſummam eſſe voluntatem ſuam dicebant, ſed duorum Conſulum exercitibus prohiberi, quorum alterum in finibus ſuis haberent, alterum in Etruria, non longe à conſpectu ſuo, non audere ſe palam quicquam ſuppetiarum Pœno ferre, ne irritatis Romania vaſtitate agrorum luant pœnas; poſſe idem commodius per Ligures fieri, qui longius abſint; ſi fecreto quicquam poſſent, & commeatu, & cæteris rebus non defuturos. Sic à Magone dimiſſi. Interim ille clam ſtipendiis ſuis quamplurimos allexit, nihilque omnino, quod paulo occultius fieri poſſet, fruſtra ab Inſubribus expetebat.

Palam tot affecti malis quievere, donec pulſo Italia Annibale, confectoque Punico bello, arma iterum ſumpſere. Conſilii auctor fuit Amilcar Pœnus, qui de Aſdrobalis, vel, ut alii exiſtimavere, Magonis exercitu in his locis ſubſiterat. Junxerunt ſeſe illis Boji, & Ligures, & Cænomani, Placentiamque coactis viribus expugnatam diripuerunt, ferro & flamma ita omnia fœdavere, ut vix hominum duo millia morti, vel captivitati ſuperfuerint. Profecti dein Cremonam eadem clade eam affecturi, ni vicinæ coloniæ detrimento territi cives diſpoſitis per mœnia armatis ad obſidionem tolerandam ſe præparaſſent. Furius Purpureo, qui tunc Provinciæ præerat, eum tunc Arimini eſſet, ad Senatum ſcripſit, nobiliſſimarum Coloniarum, quæ nec Punicis armis ceſſiſſent, alteram captam, alteram obſidione cingi; ſe auxilium non tuliſſe, quod hoſtes plus quadraginta millibus erant, & animis capta una Urbe pleni; ipſe vero vix quinque ſociorum millia duceret; noluiſſe in manifeſtam perniciem eos periculis objectari. Litteris in Senatu recitatis, magna admiratio Patres cepit, eo tempore nihil minus quam Gallicos tumultus fore exiſtimantes.

Decreverunt igitur, C. Aurelius Conſul Arimini exercitum convocaret; ſi ipſe per Remp. minus poſſet, Furio Prætori domandi Gallos provinciam demandaret. Miſſi Carthaginem legati, qui de Aſdrubalis motu quererentur, & ot ab illis revocatus faemoris incepti pœnas daret, poſtularent magis, quam peterent. Convenerant jam milites apud Ariminum. Tum Furius Prætor magnis itineribus Cremonam verſus properavit: habebat ſecum duos legatos C. Lectorium & P. Titinium. Tam repentinus fuit ejus adventus, ut hoſtes per agros palantes nactus potuerit rem bene gerere; abſtinuit tamen prælio, ut laſſitudini militum conſuleret. Galli ſuos clamore ex agris revocaverunt, reduxeruntque in caſtra. Sequenti die pugnaturi in aciem prodeunt; nec moram fecit Prætor. Dextera ala, quæ ex ſociorum exercitu erat, in prima acie ſtetit; huic præfuit ipſe; Legionibus, quæ in ſubſidiis poſitæ erant, M. Cæcilius, Equitibus L. Valerius Flaccus, præfecti. Vix inſtruendi ſpacium fuit. Irrumpebant Galli, omni conatu dexteram alam oppreſſuri; ubi id minus procedere vident, utrumque cornu circumvenire, quod multitudine ſuperarent, properabant. Animadvertit & id Prætor: quare deductis primæ alæ utrinque in auxilium legionibus dilatavit aciem; ſimul legatis imperat, ut Romano & ſociorum equitatu cornua hoſtium infeſtcot; ſic ab equitibus cornua, medii à legione pulſi, factus etiam in caſtra, quo fugientes concurrebant, impetus, minus ſex millia hoſtium inde evaſerunt; cæſa captaque ſupra quinque & triginta millia; ſigna militaria ſeptuagiuta, cum carpentis amplius ducentis, quæ omni genere prædæ erant plena. Eo bello interfectus belli auctor Amilcar, & tres Gallorum reguli. His Romam nunciatis, per tres dies ſupplicatio habita eſt. Decretus dein Furio, Fulvium Oroſius appellat, triumphus: repugnavere tamen factione Conſulis plerique Senatores, quod non ſuo nomine, ſed Conſulis, geſſiſſet bellum. Tuliſſe in ærarium tradunt tercentum viginti millia æris, argenti centum ſeptuaginta millia pondo. Captivi & hoſtium ſpolia penes Conſulem fuere. Sic pro debellatis habiti Galli & Ligures.

Reſtituere amiſſum cæteris decus Inſubres; nam cum ſequentibus Conſulibus eorum fines eſſet ingreſſus temere C. Bæbius Pamphilus, prope cum toto exercitu eſt circumventus. Periere Romanorum ſupra ſex millia & ſexcenti milites; qua clade accitus ab Urbe L. Lentulus Conſul, increpito acerrimis jurgiis Prætore, reliquias exercitus accepit. Re tamen nulla memorabili geſta reverſus & ipſe eſt Romam.

Creati non multo poſt Conſules Cn. Cornelius Cethegus, & Q. Minutius Rufus: ambo in Galliam profecti, Minutius à Liguribus orſus eſt bellum, & victor illis leges dedit, terminoſque, quod de finibus inter illos lis eſſet, conſtituit. Duraot adhuc ære inciſæ formulæ, quas ætate noſtra in Procobera valle ioveutas Genuenſes in foro publico, vetuſtatis monumentum, collocaverunt. Cethegus per Bojorum agros prædabundus acceſſit tranſgreſſo Pado. Junxerant ſe Inſubribus & Cænomanis. Mox audita ſuorum agrorum calamitate, rediturі poſtulavere, ut ſecum Inſubres irent. Negavere illi ſe ſua deſerturos. Ita diviſis copiis Inſubres cum Cænomanis prope Mincium amnem caſtra metati ſunt. Ab his infra quinque millia paſſuum conſedit Conſul, legationibuſque etiam Cænomanorum animos tentare cœpit, & quod citra ſenio-

ſeniorum auctoritatem eos in armis eſſe comperiebat, proceſſit proditio; atque ita eſt conventum, ut in prælii impetu in acie quieſcerent, & ſi qua occaſio eſſet, Inſubres perſequerentur. Hanc rem non admodum exploratam Inſubres habebant; dubitavere tamen eorum fidem labaſcere. Quamobrem ſtructa acie nullum illis cornu credere auſi in ſubſidiis collocarunt, ne fluxa eorum fide totis agminibus periclitarentur. Cethegus non armis tantum, ſed etiam votis pugnavit, ædem Junoni Soſpitæ pollicitus, ſi eo die de hoſtibus victoriam conſequeretur. Non tulere Romanorum impetum Inſubres, à ſociis proditi, à quibus, ut ex quorumdam ſententia refert Livius, facto poſt terga concurſu, in aucipitem tumultum conjecti ſunt: deſiderata ſunt eo prælio Inſubrum quadraginta millia; è quibus captivi millia quinque, occubuerunt alii. Captus Pœnorum Imperator Hamilcar, diverſus omnino à ſuperiore, quamvis & hic concitator fuerit belli. Signa militaria amiſere centum triginta, tum plura carpenta, quam ullo alias tempore. Oppida, quæ exemplum defectionis à Mediolano ſumpſerant, ſe victori tradidere.

Non fractus adhuc ſe animo Inſubris miles. Sequenti anno L. Furio, & Cl. Marcello Coſſ. rurſus itum in arma, verum eam paſſi ſunt una cum Bojis ſtragem, ut juſto triumpho Marcellus de eis palmam tulerit. Pugnavere iterum P. Scipione Africano, T. Sempronio Longo Coſſ. Provinciæ L. Valerius Proconſulari poteſtate præerat. Tranſierant Padum Dorulaco Duce Boji, junxerantque Inſubribus ad arma concitis ſuas copias. Circa Mediolanum commiſſo prælio vicit Romanus, decem hoſtium millibus cæſis. Poſtrema hæc eſt, qua Inſubres cum Romanis certaverint, pugna.

Repreſſis hoc anno à T. Sempronio, mox haud multo poſt occiſione debellatis pene à Q. Mutio Proconſ. Bojis, convaluitque tandem permanſura pax, tanto prius ſanguine ſuſo vix inventa. Maximæ fuit curæ Romanis ſemper hujuſmodi hoſte motum bellum; norant animos captæ ſemel urbis perſuaſione tumeſcentes; norant divitias gentis: tum belli inferendi difficultatem nullam, quod & armis & viris abundarent, acrius vel ex ipſa propinquitate pugnaturi. Quamobrem quotiens eorum terror ingrueret, ortos tumultus dicebant, quod timore videlicet multo Romani agitarentur; eam formidinem apparatu nedum ipſo, ſed & legibus ſacriſque oſtendebant. Immunes militiæ oneribus Sacerdotes lege juſſi, niſi Gallicum bellum nunciretur. Sacrificiis cum Græco more humaniſſimis uterentur, eo terrore acti, ita conſulentibus Decemviris, Gallum virum, & Gallam fœminam, cum mulicre ſimul Græca, ut Oroſius ſcribit, vivos in foro Boario defoderunt. Quæſivere etiam eorum auctores, ſi qua adverſus Inſubres cæteroſque Ciſalpinos Gallos feliciter geſſiſſent, figmentis quoque augere, è converſo hoſtium geſta deprimere. Fecit hoc inprimis vetuſtiſſimus annalium ſcriptor Valerius Antias, ſecutique eum alii, quos quandoque Polybius, nunc Livius, modo Oroſius notant. Quin & illud inprimis eſt argumento, quod capta à Gallis Roma, Livius quoque, alioquin gravis auctor, pulſos auro, quod receperant, amiſſo, Camilli ductu, ſcribit. Contra Polybius, ſponte rediiſſe, fictamque de Camillo fabulam oſtendit. Idem & in *Tiberio* Tranquillus; ut Romano quoque teſtimonio Romanorum commenta confutensur; etſi à Roma vinci Mediolanum nequaquam ipſe turpe duxerim, eligentibus Diis in ea urbe Imperium. Illud mihi non extorquebunt, poſt Urbem Romam non Italiæ ſolum primam Civitatem eam eſſe Auſonii Poetæ ſententia, ſed etiam & hominum copia & agri ubertate totius Occidentis nulli ſe, ut Procopius ait, ceſſuram.

Exprobrant alii huic ætati, cujus geſta ſcripſimus, barbariem, quod à Gallis originem Inſubres ducant, inſectatique ſunt eos hoc cavillo Livius, & Plutarchus, alique ex Græcis quidam. Quam quidem notam eo tempore veram non negaverim, cum & Romanum ſermonem Plautus, qui tunc vixit, *barbarum* vocet, & hac injuria inſimulatus Romanus in Ætolorum Concilio Legatus L. Purpureo, veluti veritatem agnoſcens apud Livium, nihil ad eam reſpondeat. Quod ſi à generis propagatoribus barbaræ gentes dici debuerunt, cur eodem jure cum Romanis uſi idem auctores non ſunt? Habuere certe in manibus Homerum; habuere Veteres alios Trojana agmina tercenties, ne ſemel dicam, *barbara* appellantes, à quibus tamen originem ſe trahere Romani gloriantur. Sed hæc forteaſſe nimis multa.

Superioribus ſane prœliis, quibus cum Romano milite Inſubres conflixerunt, Cæcilium Statium Poetam comœdia celebrem à Romanorum aliquo captum, ut mihi perſuadeam, conjecturia agor. Fuiſſe cum Mediolanenſem, & vixiſſe Romæ Euſebii interpres Hieronymus ſcribit; Servum exſtitiſſe nomina ſunt argumento, quod Statius apud Veteres ſervilis condicionis indicium erat; Cæcilius patroni, à quo emiſſus manu fuerit, eſſe potuit nomen; Primas in Comœdia partes, Volcatii Sedigeti judicio, huic tribuere; Gellium vulgo norunt omnes; Detraxit ſermonis nitorem Cicero *ad Atticum* quadam *epiſtola*, ejus alioquin ſtudioſus, ut Poetæ doctiſſimi carmina & orationibus & philoſophicis diſputationibus, ceu floſculos, plerumque inſereret; Addit illi gravitatem graviſſimus ipſe litterarum cenſor Flaccus. Fuit in Ennii contubernio, & poſt mortem ejus anno ab humanis cedens in Janiculo eſt ſepultus. Amicum maxime P. Terentium habuit, illius fabularum cenſor, ſervsnnbus tum eos mores antiquis, priuſquam aliquid ederent, qualecumque, peritiſſimi cujuſque judicio ſummittere: noſtra tempora, ut ab ingenio, ita & hac humanitate abhorrent. Fabulas ſupra triginta enumerari à veteribus Grammaticis obſervavere quidam, quarum celeberrimæ *Synephebi*, & *Andria*; hujus titulum Terentius, illius M. Plautus ſunt imitati. In pretio quoque *Nauclerus*, *Syracuſa*, *Pauſimacus*, *Hypobolimæus*, *Epiclerus*, *Crateus*, *Plotus*, *Aſotus*, *Epheſius*, tum & aliæ, quarum nomina etiamſi referam, facturus operæ pretium mihi minime videor.

Cum in Inſubribus omnia jam quieta eſſent, Romaniſque armis domiti longo uſu parere didiciſſent, nova clades invaſit Comum. Ab Alpibus imminentes Rhæti furore bellico eam urbem diripuerunt; Provincia hæc Proconſulari imperio tunc adminiſtrabatur, mittebantque Proconſulem Romani, ut omni Ciſalpinæ Galliæ redderet jura. Is, ut arbitror, tunc erat Cn. pater Pompejus Strabo; nam & Proconſulem fuiſſe, & ex Gallia ductaſſe copias Appianus auctor eſt. Is ergo vaſtatum incurſione barbarica municipium inſtaurare aggreſſus eſt, novos colonos in urbem deduxit. Exemplum ſecutus C. Scipio tria inſuper hominum millia adjecit; verum complures poſt annos rogatione Vatiniana C. Cæſar longe auctiorem elarioremque reddidit quinque inquilinorum millibus, quos inter nobilitate inſignes quinquenti Græci fuere, in nova colonia deſcriptis. Novocomenſes ipſi tum vocati cives, voce ex re addita. Amaſenus Strabo Comum à principio quoque Coloniam fuiſſe Romanorum videtur ſentire. At qui Catonis nomine vulgatus eſt, quantum video, non omnino malus auctor, incertam illi originem eſſe ſcribit, ſicuti Oropiis Colonis. Eas tamen ex littorali Atticæ urbe Oropo, quam & Amphiarai antiquiſſimi vatis mora, & Athenienſium Bœotiorumque de ejus agro frequens

rixa celebrem faciunt, veniſſe mihi ipſi veriſimile A
eſt, ut Comum Græcorum Coloniam eo auctore
quis credere poſſit. Ipſi certe Novocomenſes anti-
quis monumentis non Coloniam, ſed municipium
ſe colere teſtati ſunt, originemque eorum ab Oro-
biis eſſe Plinius ex Catonis auctoritate refert.
Veniſſe à Græcis Cornelius Alexander nominis ar-
gumento ductus exiſtimavit, quod vitam videlicet
in montibus degerent, ut, quæ Catonis paſſim cir-
cumfertur, menda non carere lectionem rear, per-
tinere ad Orobios nihil Attica Urbe.

Præfuit Ciſalpinæ Galliæ dein M. Brutus. Hic
diviſis per factiones Marii Syllæque urbibus, Pa-
pyrio Carboni junctus Mario favit, jamque exer- B
citum ex Inſubribus comparaverat, qui hoſti for-
midabilis eſſe poſſet. Contra eum miſſus à Sylla
partium ſtudio Cn. Pompejus; ardore juventæ Dux
hic impiger & Ducis & plerumque militis munia
obibat. In conflictu obviam Gallico equitatu ir-
ruente, ferro ipſe Præfectum Equitum, eumdem-
que robuſtiſſimum hominem, aggreſſus, gravi
haſta vulneratum interfecit. Qua nece territi cæte-
ri equites, in fugam verſis equis ita peditatum ex-
templo quoque traxerunt, ut reſtitui acies non po-
tuerit. Occiſus eſt eo prælio Proconſul ipſe Bruti,
qui Cæſarem interfecit, parens. Carbonis exerci-
tum Placentiæ ſe continentem Lucullus obſeſſa C
Urbe compulit ad deditionem. Sylla Pompeji vi-
ctoriis lætus, obviam ſibi procedentem Imperato-
rem ſalutavit, non ſine maxima omnium admira-
tione, quod juveni illud nomen fuiſſet impertitus,
pro quo cum Scipionibus & Mariis certaverat. Ex
eo tamen infeſtus Inſubribus, quod C. Norbani
& L. Scipionis diverſæ factionis Conſulum præſti-
tis militibus exercitum quoque auxeriat. Nam eo
tempore non Inſubres tantum, ſed Itali omnes Ro-
manorum armis ſubditi, non oneribus pecuniariis,
neque vectigalibus admodum gravati, milites præ-
ſertim, & arma conferre tenebantur; permaoſere-
que ioſtituta illa in Auguſti uſque Cæſaris tempus;
donec enim Italus miles armis ſeſe exercuit, non
montibus, non pelago Romanæ vires ſe continue-
re; nulla regio tam inacceſſa fuit, quæ, ſi victo-
riæ pretium haberet, Italam virtutem non ſit ex-
perta. Primus divus Auguſtus periculis objectare
Latinum timens, mercenarium externum militem
habere cœpit; dein Hadrianos Imperator inſuper-
abilibus montium jugis, tum fluminibus, foſſiſ-
que vel natura, vel arte fabricatis, Romanum or-
bem ab hoſtium incurſionibus defendere orſus, mi-
lite majori parte alienigena belli uſum ab Italis re-
movit; quo factum, ut indies vertente in deterius
ſeſe rerum mole, Barbaris oppreſſi imperare deſie-
rint, non ſine Latioi nominis maxima clade &
ignominia. Sed ad hiſtoriæ ſeriem revertamur.

ANDREAE ALCIATI,

J. C. CELEBERRIMI,

RERVM PATRIAE,

SEV

HISTORIAE MEDIOLANENSIS,

LIBER II.

EPITOME
Liber II.

Inſubribus Civitas Romana data. Lambrani unde. Moguntia Lambranorum oppidum. Legiones in Inſubribus a C. Cæſare Gallia Ciſalpina Proconſ. & a Gn. Pompejo conſcripta. Seditio militum apud Placentiam per Cæſarem repreſſa. M. Brutus juſſu Cæſaris Gallia Ciſalpina præſt. D. Brutus & Antonius poſt mortem Cæſaris de eadem provincia decertant. L. Piſo & Aſinius Pollio Inſubria moderatores. C. Albutius Silo Rhetor, P. Virgilius Maro Poeta, & Auguſtus Imp. Mediolani degunt. Proconſules & Præſides quinam, & eorum auctoritas. Mediolanenſis Reip. forma. Decurionum ſollicitudo, & varia munera. Valeria & Novellia familia Mediolani maxime celebres. Tiberius Chriſti numini favit. Barnabas ſub Claudio cum Cajo & Anatolone Mediolanum venit. Chriſti hoſtia ibi primum ab eodem immolata. Miſſa unde dicatur? Anatolon Barnaba ſuccedit. Nero Chriſtianos perſequitur. Nazarius & Celſus an ſub eodem Mediolani paſſi; an etiam Prothaſius & Oribaſius, incertum. L. Virginii Ruſi Mediolanenſis geſta. Anatolon Cajus ſubſtituitur, ejuſdem paſſio. Mediolanum, Novaria, Vercellæ & Eporedia Vitellio ſe tradunt. Ottonis & Vitellii varii in bello eventus. Theatrum Placentiæ combuſtum. Ottonis mors. Cremona a Veſpaſianis militibus direpta. Ædes ſacra a Philippo & aliis Mediolanenſibus ſub Caſtritiano Epiſcopo adificata. Trajanus Mediolanum venit, ibidem palatium adificat. Virginii Mediolanenſis obitus: ejuſdem Opus de Rhetorica à Quintiliano valde commendatum. Cæcilii Plinii monumentum Mediolani. Bona artes ea tempeſtate in hac eadem urbe florebant. Plinius ſenior an Novocomenſis?

SVBACTA omni Italia Romani, atque tranſmarinarum quoque Provinciarum acceſſione propagatis finibus, cum non virtuti ſolum ſuæ, ſed ſociorum quoque armis adjuti id deberent, eos in Imperii ſocietatem vocaverunt. Sic Italis jus Romanæ Civitatis datum. Fraudati hujuſcemodi honore Inſubres ægre hoc laturi videbantur. Quamobrem Senatuſconſ. & ipſis cum omni Tranſpadana Gallia idem non

non multo poſt conceſſum eſt, ut & illorum communis patria Roma eſſe cœperit. Civitati donatos Strabo, cæterique auctores pro manifeſtiſſimo habent. Aſconius Prædianus Pompeji Strabonis lege id conceſſum tradit; quod ut verum ſit, non idem certe Tranſpadanis omnibus juris impertitos fuiſſe Romanos arbitror, ſed Julii Cæſaris ætate, priuſquam Dictaturam invaderet, tum demum æquali jure in Civitatem omnes adſcitos. Illud in comperto eſt, Quæſtorem Cæſarem res novas moliri conantem, Tranſpadanos, Lambrique accolas, qui per idem tempus de petenda Civitate agitabant, ſuſcitaſſe, ut eorum armis adjutus Romæ tumultum abſquem injiceret. Lamber in Mediolanenſi agro fluvius ab lacu, quem Plinius *Eupelum* appellat, oritur, non ſane magnam aquarum molem trahens, niſi pluviis liqueſcentibus nivibus, quod frequentiſſime accidit, augeatur. Moguntiam inſigne Mediolanenſium oppidum alluit, cujus accolas à Tranquillo *Lambranes* appellatos exiſtimaverim. Hos inprimis à Cæſare ad res novas ſollicitatos, ut credam, plurima ſuadent. Coloniam hanc fuiſſe prius ſorum populi nomine appellatam quidam exiſtimant, quæ deinde cum plurimi Romani Cives, qui Mogunciaci in Germania militabant, honeſta miſſione in ea ſortiti eſſent ſedes, Moguntia dici cœpit. Ex antiquis marmorum Inſcriptionibus utrumque peritiſſimorum judicio comprobatur; quod in præſentem quoque diem ara exſtet in majori oppidi illius delubro, quæ vetuſtiſſimis litteris ſuille in eo loco forum populi atteſtatur; tum prope Lambrum non minus artifici manu ſcriptum C. Sertorii Tertullinni monumentum exſtat, qui Civium Romanorum Mogunciaci curator fuerit.

Cæterum Cæſaris conſilium Cn. Piſonis morte, qui Hiſpanias ſimili exemplo concitaturus erat, deſtitutum eſt; non ideo tamen minus Lambranis jus Civitatis indultum. Quamobrem & ipſi capeſcendi in Urbe Roma magiſtratus facultatem habebant, atque una cum cæteris Tribubus ſuffragiorum jure, qui placuiſſent, ad honores evehendi illis facultas data, ut nihil ab Romanis diſtarent; quod omnes Itali tunc Romani, ut Strabo ſcriptum poſteris reliquit, ſunt dicti.

Faverunt autem admodum Cæſari Inſubres, contraque ille ad Principatum evectus gratum ſe, & munera illis præſtitit. Proconſul ipſæ Galliæ Ciſalpinæ præfectus, Tranſalpina quoque ſimul addita, legionibus novis in Inſubribus deſcriptis, cum alio exercitu in Britanniam uſque ſigna protulit. Geſta præclariſſimi Imperatoris, omnibus nota, alieujus præconio non egent. Conſcripſit hic ex Inſubribus, cæteriſque Tranſpadanis cohortes quinque, & unam legionem, quorum ſtrenua & fideli opera ſemper uſus, cum in prælio occubuiſſent, maximum dolorem barba capilloque ſubmiſſis ſuit teſtatus; & quamvis ſemper ad cutem uſque tonderi ſolitus, non prius nutrire pilum deſtitit, quam eorum indignam necem vindicaſſet. Horum militum legati fuere Q. Titurius Sabinus & L. Aurunculejus Cotta, quos cum in hybernis inter Eburones conſtituiſſet Cæſar, Ambiorigis conſilio proditis Præfectis in itinere deprehenſos Belgæ interfecerunt. Nam cum adhibita hoſti fide Q. Titurius ab hybernis diſcederet, diſpoſitis opportuno loco inſidiis, aggreſſus eos Ambiorix ingenti clade affecit. Ibi cum à prima luce ad octavam horam pugnaſſent, nihil, quod ipſis indignum eſſet, perpetrantes, multaque hoſtibus vulnera intuliſſent, cecidere cum Ducibus; qui ſuperfuerant, in caſtra præcipiti fuga delati, deſperatis rebus ad unum omnes ſe confoderunt.

Quapropter ſequenti anno novas rurſus ex Ciſalpina Gallia copias, quas Conſulis ſacramento ad ſigna Cn. Pompejus rogaverat, trans Alpes duxit, ut amiſſum proxima clade detrimentum refarciret; eas poſtea initio civilis belli præſtitis ſingulis militibus donativi nomine ducentis quinquaginta drachmis, Pompejo Cæſar reſtituit. Collocaverat eo tempore in hybernis Placentiæ magnam exercitus partem. Hi milites facta ſeditione, quod ſe diutius bello diſtineri dicerent, à Prætoribus Seviriſque Imperatorem poſtulabant; identidem acclamantes quinque minis, quas, cum Brunduſii eſſent, viritim diſtributurum Cæſar promiſerat, ſe defraudari. Hujus rei nuncio commotus Cæſar, cum Maſſiliæ eſſet, intermiſſo nec die neque noctu itinere, ad eos pervenit; quos pro ſuggeſtu allocutus: *Quid hoc, ioquit, eſſe dicam, Commilitones, ut, cum maxima veſtra opera opus eſt, tum petiſſimum mihi inſurgatis, & qua Imperatoris munia ſunt, ea vos ipſi vobis uſurpatis? Bellum indies proferri acre fertis, neque ejus moxia, quam nobis fugientes hoſtes efficiunt, rtum ducitis. An aqua avaritiam veſtram animo feram? qui, cum me Duce locupletiſſimi in Gallia fitis ſatis, adhuc veſtrarum pollicitationum rationem exigitis. Vos animos cunctanti ad civile bellum mihi ſponte ſimul convenientes qui feciſtis, nunc in medio deſeritis rerum curſu, & tanquam elatum tollitis. Hæc-ne diſciplina militaris veſtra eſt? ut legatis & Prætoribus adverſemini? Ut quorum mandatis non parere majores noſtri capitale duxerunt, ab his contra fas Imperatorem poſtuletis. Teſtis mea clementia & liberalitatis ſit rerum à me ſuperioribus pralus geſtarum memoria. Petreji legem deinceps imitabor. Quamobrem novam legionem, qua ſeditionis cauſam inprimis præſtitit, eam decimaturus, ad ſupplicium depoſco.* Hæc cum dixiſſet Cæſar, gemitus queritatuſque ab univerſa legione facti. Prætores autem ad ejus genua procidentes ſuppliciter veniam petere, periculo milites eximere precibus conabantur. Cæſar Tribunorum verbis victus, repreſſa paulatim ira, omnium crimen paucorum ſupplicio ultus, ex centum & viginti ſeditionis auctoribus duodecim tantum percuſſit; quos inter cum unus delicti inſons delatus eſſet, Tribunum, qui cum nominaverat, pari affecit pœna. Quibus confectis rebus, de inimicis ſumpturus pœnas, ad inceptum civile bellum properavit.

Nec enim modicis injuriis, dum in Gallia eſſet, affectus fuerat; quarum illa ad præſentem hiſtoriam attinet, quod Marcellus Conſul in Novocomenſi Decurione peſſimo exemplo fecit; nam Civitatis Romanæ jura, quæ deductis Coloniis Cæſar Novocomenſibus conceſſerat, cum in ejus contemptum eripere Marcellus vellet, hac de cauſa exiſtentem flagris publice juſſit cædi, illa illi inſignia adjeciſſe præfatus, ut Civem Romanum ſe non eſſe cognoſceret; tum diſcedenti imperatum, ut vibices Cæſari oſtenderet, quo facto magis irritaretur. Juſtis igitur de cauſis cum Cæſar bellum contra Marcellum, Scipionem, Pompejum, ejuſque factionis cæteros moviſſet, devictiſque hoſtibus orbem terrarum in ſuam ditionem redegiſſet, Inſubriæ quoque rationem habuit. Datusin ea Proconſul M. Brutus, cujus pater, cum eandem adminiſtrationem teneret, à Cn. Pompejo occiſum ſupra diximus. Fuit hic vir integerrimus, ac Philoſophiæ ſtudiis deditus, atque ea juſtitia moderationeque petentibus jura reddidit, ut Statuam in foro publico Mediolani ſit meritus. Cæterum conſpiratione facta cum Caſſio, patriæ amore ductus, cum Cæſarem interfeciſſet, in ejus locum Decius Brutus, & ipſe Conjuratorum unus, Senatuſconſ. ſucceſſit.

Tulit hoc ægre M. Antonius, cum quod inique ferebat percuſſoribus Cæſaris Urbium, Provinciarumque adminiſtrationes decerni; tum etiam quod in potentiſſima Italiæ parte infeſtum tyranni hominem ſuis cœptis repugnaturum augurabatur; quam-

quamobrem eum omnino è Cisalpina Gallia deturbare festinabat, nihilque intentatum omittebat, ut hominem ejiceret, & eam sibi Provinciam vindicaret. Instituit itaque, cum Consul tunc esset, eam à Senatu petere. Sed Patres id, quod erat, rati morem illi gerere negaverunt. Existimabant enim Cisalpinam Galliam, ut Cicero ajebat, Italiæ arcem contra Senatum parari, ejusque Provinciæ viribus auctum Antonium, & oppressis libertatis amatoribus tyrannidem invasurum. His ergo insidiis obviam ituri, Decimum Brutum admonent, ut Antonii verbis nullam fidem præstet, nec Provincia aliquo modo, nisi ex Senatus sententia, decedat. Antonius, ubi Patres Conscriptos sibi repugnantes videt, ex vetere lege Plebiscito eam consequi aggressus, corruptis pecunia per ambitum Tribubus populi suffragia obtinuit. Quamobrem deportato ex Macedonia trium legionum exercitu, aliis quoque militibus asciris adversus Decimum vim parat. Contra ille Provinciam opportunam militaribusque viris refertam nactus, & Senatorum verbis pecuniam, novasque copias privatim pollicentibus persuasus, resistere hosti parat. Verum Senatores Antonii adventu territi cum promissa non exsolverent, jam armis impar Decimus Mutinam obsidioni ferendæ se præparabat. Antonius statuto, quo ille discederet, die, & in Macedoniam tenderet, adversus populi legem Brutum facientem obsidere cœpit.

Interim dum extrema quæque obsessi patiuntur, Senatorum, sed Ciceronis præsertim, factione absens oppugnatus Antonius, hostis Populi Romani judicatus est; & contra eum missi Hirtius, & Pansa, Octaviusque Cæsar, qui duobus prælis hostem victum ab obsidione discedere coegerunt; fugientem & in Gallias properantem persecutus est Decimus, & in Statiellensibus castra habuit. Cumque Pollentiam, quæ in itinere erat, occupare Antonius vellet, per exploratores factus hujus consilii certior Decimus, præmissis quinque cohortibus in sua fide eam continuit. Sed paulo post prodito Senatu Octavius Antonio concors factus Remp. evertit. Decimus Brutus & amici fide, & sua vitæ cupiditate memorabilem mortem fecit, à Furio, ut Valerius Maximus scribit, interfectus. Non insnfit diu ea Octavii cum M. Antonio pax; sed, ut inter regni æmulos solet, apud Actium promontorium armis certatum. Victor eo prælio Augustus, ad summam rerum Imperator evectus est.

Insubres hoc tempore moderatus traditur L. Piso Caji Gentilis, quem à divo Julio repetundarum judicio oppugnatum, propter cujusdam Transpadani supplicium injustum, Sallustius auctor est. Residens hic Mediolani (quod in Metropoli habitare Proconsulem Constitutiones jubent) jurisdictionis munera exercebat. Fuit tum io precio eloquentia insignis Rhetor C. Albutius Silo Novariensis. Hic apud Proconsulem cujusdam, qui homicidii reus agebatur, cum patrocinium suscepisset, clientemque suum, ut criminis suspicionem removeret, nimiis laudibus, quæ fidem non caperent, extolleret, perseverare à Lictoribus prohibitus ita exarduit, ut deplorato Italiæ statu, quasi in Provinciæ formam redigeretur, M. Brutum, cujus statua in conspectu erat, tanquam legum & libertatis auctorem atque vindicem invocaverit. Quæ audacia irritato Proconsule parum abfuit, quin pœnas daret. Timore igitur compulsus Silo renunciavit foro, & jam senior ob vomicæ vitium Novarium reversus, convocata plebe, causisque, propter quas inedia mori destinasset, concionantis more redditis, abstinuit cibo.

Sub Augusto quoque Transpadanæ Galliæ præfuisse Asinium Pollionem ex auctoribus nequaquam incompertum est, etsi dubitatione aliud non careat, Asinius Pisoni, an ex contrario Piso successor Asinio fuerit destinatus. Hunc inprimis amicitia sibi conjunctissimum Virgilius Maro habuit, sive ea necessitudine ex Augusti commendatione orta, sive (quod magis credere libet) dum Pollio in Insubribus Proconsulari imperio jura reddidit, prius cœpta. Nam Mediolani Poetam Virgilium studiis dedisse operam veteres quoque Grammatici tradunt. Cum per idem tempus bellum Dalmaticum exortum esset, contra hostes iturus Octavius eum exercitu prius Mediolanum venit, eamque consuetudinem semper est secutus, ut imminentibus cum Germanis aliquibus bellu, etsi per legatos ea administraret, hanc tamen ad Civitatem à Roma usque progrederetur.

Ei defuncto, & mox inter divos relato, successit in Imperio Tiberius Cæsar; cujus tempore apud Insubres quis Proconsul fuerit iccireo non constare arbitror, quis neminem in Gallia Cisalpina hoc officio ab Augusto citra sanctum pariter existimo. Cœpere tum ejus populi solis municipalibus Magistratibus regi; ostendit hoc Appianus Sophista, qui Augustum Cisalpinæ omni Galliæ libertatis jura tribuisse testatur.

Cæterum quinam sint Proconsules, & quomodo municipii jurisdictiones exercerentur, declarare non à præsenti instituto abhorret, tum quod hujusmodi digressio utilitate non carebit; tum etiam quod qualis ea rempestate Civitatis nostræ status foret, quod historiæ hujus proprium est, inde facillimum cognitu fuerit. Cum armis Romani aliquas gentes subegerant, sive prius regnum, sive Reip. alicui subditæ nationes essent, eorum regione in Provinciæ formam redacta, quandoque Præsides, qui & Legati Cæsaris dicuntur, quandoque Proconsules ad eas regendas mittebant. Proconsul & auctoritate & dignitatis gradu Præsidibus nobilior. Principio cum adhuc Respublica Romanis salva esset, qui priore anno Consul fuerat, prorogatu imperio Provinciis fortiebatur, isque justus Proconsul erat. Honorem primum gessisse P. Philo creditur. Occupata per Cæsares ditione, etiam qui Consulatu non fuisset functus, Proconsulatum gerebat; cœpitque ea administratio non ab hominibus, sed à Provinciis adipisci nomen. Sic quicumque in Proconsularem Provinciam Imperii exercitum suscipiebat, Proconsul, etsi nunquam Consularis, dicebatur. Post Imperatorem summa illorum in ea, quam gerebant, Provincia erat potestas; Animadvertenti in facinorosos homines potestatem habebant; Jus gladii, nisi ex certa causa, alteri demandare illis nefas; In cognitionibus à Legatis, quos primum optaverant, adjuvabantur; His pecuniariæ causæ plerumque Proconsulis loco delegatæ, tres, ut plurimum, eligebantur. Paulo insigniorem virum, qui Decurio fuisset, inconsulto Principe, etiam Proconsuli, publico judicio condemnare legibus vetitum. Apparitores ordinaria formula cccc. in Comitatu habebant. Si major numerus occesarius illi fuisset, extra ordinem augebatur. A Proconsulis sententia in levioribus causis nulla provocatio; Graviores ex appellatione Præfectus Prætorio dijudicabat; Inferiores in eo quoque Præfides, quod illis legatos habere neutiquam concessum; familia etiam minus frequente, etsi in cæteris non admodum dissimiles. Si in horum imperio aliquæ existitissent Coloniæ, Magistratus illis dabant, qui Defensores Civitatum postea dicti sunt. Eorum in illis causis cognoscendis præcipua opera, quæ intra tercentorum aurcorum quantitatem constitissent. Si quæ excedebant, Proconsulis, Præsidisve notio erat. Admittebantur & Coloniæ suffragiis in Urbe Roma; etsi clariora municipum jura, qui non alieno jure obnoxii una cum reliquis Romanorum Tribubus ad honores candidatos designa-

ſignabant, à muneribus capeſcendis ſumpto nomine. Queis Principis beneficio agnoſcere libertatem conceſſum erat, hi ſuos Magiſtratus habebant; Auguſtales, quos & Duumviros puto, tum Quartumvivos, Sextumque viros in albo cæteros præcedunt Auguſtales, quod jus gladii ipſi haberent; nam & faſcibus (quæ ſummi Imperii inſignia ſunt) uti eos poſſe, Imperatoris Conſtitutionibus cautum eſt. Et ſicut nemo in Decurionum ordinem inconſultis illis admitti poterat, ita nec Auguſtales niſi ab ipſis Decurionibus creabantur, conditione utriſque pari. Sextumviri juriſdictionis, mixtique Imperii, lites abſolvebant, primique de his pronunciabant. Eorum acta ex provocatione Quartumviris reſcindere jus erat; unde Quartumviri appellationum dicti. Ex his Magiſtratibus Decem electi vectigales fundos procurabant, & in annos certam ſummam præſtare Reip. tenebantur. Si ſertili meſſis vinique proventu plus exigebant, ſui id erat peculii: ſi minus collegiſſent, ipſis etiam, non publico, decreſcebat. Græca voce Modeſtinus hos *Decaprotos* appellat, Cicero in *Orat. pro Roſcio*, & quandoque Julius Maternus, Latina uti malunt, *Decemprimos*que nuncupant. Erant & Sitocomæ, quos annonæ curatores dicere poſſumus; frumento, hordeo, oleo, ſalgamiſque, ne deeſſent, & vinum juſto pretio darentur, hi præerant. Celebris & Ædilium dignitas; injuſta pondera diluere, iniquas menſuras frangere, artificum dolis obviam ire, mulctam contumacibus indicere, illis ex officii jure permiſſum. Honore hoc functum in municipio Arpinati filium ſuum Cicero atteſtatur. Penes hos, ſi deliquiſſent, Sellularios, hujuſmodique vulgi faecem flagris cædendi facultas reſidebat. Nec mediocris honeſtiſſimo ordini erat Sacrorum cura. Sacerdotii namque munus inter municipalia onera numerabatur. Præfectus horum Pontifex Max. qua dignitate Calviſius Januarius in antiquorum memoriis apud Inſubres celebratur. Huic veneratione proximus Pater patratus, cujus auctoritas in fœderibus præſertim neceſſaria. Getiæ hunc honorem C. Attilius Puſonianus, munificentia liberalitateque in primis erga patriam inſignis. Spelæum hic vi ignis abſumptum comparata area à Republica Mediolanenſi pecunia ſua in priſtinum nitorem reſtituit: ærarium quoque, ut Romani Saturno, ita Mediolanenſes Herculi crediderunt. In veteſtis marmorum Inſcriptionibus complures hujus muneris participes nominantur. Sunt & Defenſores, quos Græci *Syndicos* vocant: hi, ſi qua de publicis oriretur, patriæ cauſam à Decurionibus juſſi tutabantur. Aliorum alia munera. Cuſtodiendorum aquæductuum cura; Equi Circenſes; Spectacula; Viarum munitiones; areæ frumentariæ; Thermarum calefactiones; Annonæ diviſio; Tributorum exactio; militum hoſpitia; curſus publicus; Cenſuales libri, & id genus ſimilia ad Decurionum ſollicitudinem omnia pertinebant. Legationeſque ad Urbem Romam ſummi honoris erant, præſertim his, qui gratuito hoc munere functi eſſent. Qua largitione memorabilis eſt C. Valerius Petronianus, non minus doctrinarum orbe clarus, quod nondum 33. annum attingens, Medicinæ, Philoſophiæ, Juriſque prudentiæ ſtudiis inclytus eſſet, quam quod quinquies gratuitam legationem ſuſceperat; quibus rebus inſignis *Endromus* appellatione Græca cognominatus, quod multas artes brevi tempore percurriſſet. Excuſabantur à Decurionatus onere, qui LXX. annis majores eſſent. Explodi vero illos æquum cenſebant, qui centum ſextertia in bonis non haberent. Si admiſſi, cum idonei eſſent, facultatibus dilaberentur; illis decerni alimenta ad omnem ordinem ſpectabat. Quamobrem ſemper id obſervatum, ut nonniſi potiores in muneris conſortium vocarentur.

Hæc erat eo tempore regiminis forma, ut nullos ab Urbe Roma Magiſtratus ſuſciperent, ipſi, quos judicarent dignos, eligerent: honoris Romanorum participes, onerum vero exſortes, niſi quod meritam reverentiam Imperatoribus debebant, & ex provocatione eorum Magiſtratus adire tenebantur. Et hæc quidem publica adminiſtratio nobilibus ſolis exercita. Plebs ipſa in tres diviſa partes, Fabrum, Centonariorum, Dendrophororumque Collegia induxerat; hi ex Decurionibus aliquem deligebant in patronum, ſtatuiſque & elogiis æternare memoriam ejus ſatagebant. Centonarii a Centonibus, tenuiſſimiſque velis dicti. Dendrophororum obſcurior eſt ſignificatio. Vox ipſa ab arboribus videtur tracta, ut ſacris initiatos fortaſſe ſignent, quod Dis ſacræ ſint (ut Plinius ſcribit) arbores; quæ inſignia Sacerdotibus non convenire nemo dixerit. Sed hæc hactenus.

Floruit Tiberii tempore egregii operis nobiliſſimæque hiſtoriæ auctor M. Valerius Max. Principis amicitiam tituli ambitu profeſſus. Romanum eum quidam vulgatioribus commentariis teſtantur: ex Antiquis nemo eſt, qui ejus vitæ, nedum patriæ, mentionem faciat. Mediolanenſem fuiſſe in tanta auctorum inopia, ut credam, ejus tumulus candidiſſimo marmore effoſſus ante Simpliciani ædem me adducit. Monumentum pro indice eſt, cum uxore Apronia M. Valerium Max. Sacerdotem, Aſtronomum, cæterorumque ſtudiorum peritum electo conditorio una jacere; quo hæredes ne inſerantur, nominatim præcipit. Abſurdum itaque eſt eum, qui & uxorem, & hæredes, & tumulum Mediolani habeat, alibi, quam Mediolani genitum credere; cum nihil tamen errent, qui Romanum vel incolatu, vel communi omnibus Italis jure, appellant. Nam & Plinius Romanum ſe dicit, qui tamen procul dubio vel Veronenſis, vel certe ex Novocomo Inſuber fuit. Valeriorum plane gentem, ex qua originem Valerius Max. traxit, celebrem exſtitiſſe Inſcriptiones ſunt argumento; in quibus hæc omnium frequentiſſima ſemper occurrit. Clarius fortaſſe teſtimonium Valerii Leonis, quem Cæſaris Julii hoſpitem Plutarchus eſt auctor, dum per errorem pro oleo ſibi unguentum appoſitum, ne ruſticitatis, aut negligentiæ eum arguere videretur, Cæſarem largius appetiſſe tradit. Litterarum virtutiſque artibus celeberrimus ille Novellius Torquatus honoribus Tiberii favore ad Conſulatum uſque geſtis, & ipſe ſat clarus; alioquin mortalium omnium bibaciſſimus; tribus congiis vini uno impetu epotis, ſpectante miraculi gratia Imperatore; damnandus certe, & ignominiæ futurus patriæ, niſi eadem terra & boni & mali venenum eſſet parens. Sub hoc Principe regni ejus XVIII. anno inſigniter Martio menſe ſol defecit, Chriſti humani generis Redemptoris Conſervatoriſque mortem indigniſſimam aſpicere veritus. Ab eo verum Dei cultum nuncii illius edocti orbem terrarum ad rectam fidem reducere cœperunt. Qui hoc nomine profitebantur, primo fratres appellati, demum ab omnium auctore Deo Chriſtiani ſunt dicti. Adjuvit invalescentem religionem Tiberius, ad quem cum renunciatum eſſet, ex Syria Palæſtinaque novum Chriſti numen cælitibus acceſſiſſe, cum ſuffragii ſui prærogativa ad Senatum retuliſſe, *Cenſerent-ne Patres accipiendum ejus cultum*. Senatus, quia ipſe non probaverat, reſpuit, comminatus pœnam religioni novæ ſeſe aggregantibus. Cæſar permanſit in ſententia, & ſe vindictam de eis ſumpturum veſtpollicitus, qui quoquomodo Chriſtianum accuſarent, deferrentque.

Sic impune, ita volente Deo, per Urbes Divinum nomen promulgatum; mortuoque Tiberio, Claudii Imperatoris anno VI. Mediolanum Barnabas venit. Cypro Inſula hic oriundus; Hieroſolymam cum diu habitaſſet, Chriſtum viventem præceptorem ſuum ſecutus, Joſeph Levites dicebatur. Aderant illi, quos cæleſti ſcientia inſtruebat, collegæ duo, Anatelon Græcus, & Cajus Romæ natus. His adjutus palam Chriſti nomen gentibus prædicare cœpit; tum ex plebe primum quidam ejus dictis fidem adhibere; quidam re nova attoniti vera non dicere arbitrabantur. Delata res primum ad gentilis ſacri Pontificem Julianum. Hic diſputatione Barnabam aggreſſus, miraculorum præſertim vi ſuperatus, ceſſit. Libere ex eo Barnabæ conciones, multuſque in ſententiam ſuam tractis, non mediocria fundamenta religionis jecit. His diſceſſurus Anatelonem præfecit. Mandatum illud in primis, ut veluti oves paſtor, ſic Chriſtianos homines diligenti ſollicitudine curaret; vera fidei præcepta illis repræſentaret, quibus ipſe à præceptore ſuo inſtitutus fuerat, eadem aliis documenta traderet. Quibus, priuſquam itineri ſe accingeret, dictis, hoſtiæ quoque ſacrificium, quod paſſim Miſſam vocant, celebravit. Fons eſt limpidiſſimus æquis extra Urbis Portam, qua Ticinum recta itur prope Euſtorgii fanum. Hic majorum noſtrorum conſtans eſt opinio, primum Chriſto hoſtiam immolaſſe Barnabam: quod ſacri genus deinde Miſſæ appellationem tenuit.

De vocis origine alii aliter ſentiunt. Nobis non abſimile videtur ab antiquioribus ſumptum eſſe nomen; nam in vana illa Deorum ſuperſtitione, peracta re divina, retro ad populum converſus Sacerdos, duo hæc verba inclamabat, *Populis miſſio*; quibus ſe poteſtatem abeundi volentibus concedere demonſtrabat. Apulejus hujuſce rei mentionem facit. Eundem Sacerdotes noſtros ritum ſervaſſe, imitatoſque crediderim, cum libato ſub ſacri finem libo, verſus Sacerdos, *Ite*, inquit, *miſſa eſt*. Ab hac conſuetudine deductum Miſſæ nomen. Argumento eſt etiam Cypriani auctoritas, qui miſſa, miſſioneque indifferenter videtur uti.

Igitur verbis Antiſtes Anatelon Barnabæ veſtigiis innitens, & ipſe Chriſti ſectæ non mediocri augmento fuit. Ethnicos tamen, quod ab eis diverſa profiteretur, veritus, extra Civitatis mœnia habitabat; vixitque uſque ad octavum Neronis annum. Octavo Kal. Octobris ſtatis cæremoniis inter cæleſtes relatus, quod eo die occidiſſet. Corpus ejus clam ſepulchro conditum, ne inſaniente tunc potiſſimum in Chriſtianos Nerone, nec mortuo quidem parceretur. Primus hic acerbiſſimo edicto veros Dei cultores perſecutus exigebat de contemptoribus graves pœnas; pereuntibus additæ ſunt contumeliæ, ut ferarum pellibus contecti, canibus eſca, dilaniarentur; pars cruce, alii flamma interirent; ſic exquiſitiſſimis torturis hos quidem punire, exemplo cæteros deterrere conabatur.

In Tranſpadanam Galliam Anolinum quendam Præfectum miſerat, qui Chriſtiani nominis quæſitor foret. Eo tempore Nazarium, & Celſum, tum Prothaſium, Oribaſiumque ſummo ſupplicio affectos Sacri Scriptores, quotquot in præſentem diem mihi videre contigit, auctores ſunt. Quod procul dubio à veritate longiſſime abeſt. Arguit hoc libellus, quem ſe ante Prothaſii caput inveniſſe D. Ambroſius teſtatur. Occiſos ab Aſtaſio Comite, dum adverſus Marcomanos arma compararet, Prothaſium, Oribaſiumque is indicat. At Marcomani Germaniæ populi, ut Cornelius Tacitus ſcribit, ad ſuam uſque memoriam Romanis amici fuere, quorum armis raro Barbari, ſæpius pecunia juvabantur, eamque inde ipſi gratiam referebant, ut vim & potentiam ex auctoritate Romana tribuerent.

Primus Rom. Imperator cum filio Commodo, M. Antoninus Pius excitatis in ſocietatem aliis Barbaris præferoces armis compeſcuit; ut eo tempore periiſſe celeberrimos religionis noſtræ aſſertores conjectare liceat; deceptis iccirco recentioribus, quod Commodus Neronis moribus non impar, eo quoque titulo ſuas ſtatuas inſcripſit. Nam qua percuſſi ſint tempeſtate, neque apud Veteres conſtaſſe Nolæ Antiſtes Paulinus oſtendit, qui in *Ambroſii Vita*, quo ecciderit tempore Nazarius ſe neſcire teſtatus eſt. Eum autem Prothaſii ætate vixiſſe nemo eſt, qui dubitare jure poſſit. Accedit his, quod Aſtaſius Comes ſub Nerone eſſe non potuit, eo dignitatis nomine tum incognito. Sed quamvis horum morte reus non fuerit Nero, alios tamen trucidare juſſiſſe omnino certum eſt; creviſſentque in infinitum ejus ſcelera, ni juſta morte defunctus Sergio Galbæ Imperio locum feciſſet.

Præſagiverant id Aruſpices, nunciato Romæ, quod repertum in Placentinis prodigium. Is erat vitulus, cui in crure caput adſtabat, prope viam ortus. Interpretatio hæc rerum humanarum aliud parari caput, debile, quod in crure natum, famigerabile, quod juxta viam inventum eſſet. Contra Neronem movit primus arma Galliæ Præfectus Julius Vindex, communicaveratque cum Galba conſilium, quo eum audentiorem faceret, pollicitus ſe centum virorum millia poſſe adverſus Neronis Imperium comparare. Præerat Germanicis Legionibus L. Virginius Ruſus, qui audito Vindicis motu contra eum ſtatim profectus eſt, confertaque cum hoſtibus manu, occiſis viginti Gallorum millibus, cum Vindex deſperatis rebus ſibi ipſi mortem conſciviſſet, victor maximo Galbæ terrori fuit; nam Legionarii milites, cæterique Germani victoria Ducis elati eum Imperatorem ſalutaverunt; qua fama adductus Galba, ut ſe quoque in regni communionem admitteret, litteris rogare non deſiſtebat. Cæterum Virginius non ſolum ſibi, quamvis vi adhibita oblatum Imperium conſtanter renuebat, ſed & non paſſurum ſe alium regnare pollicebatur, quam qui à Senatu, Populoque Rom. electus foret. Inſignis moderationis exemplum, quod alii ſummis periculis affectant, ipſe ſortiſſimis exercitibus ſeptus maximo periculo maluit refutare. Electo igitur à Senatu Galba, convocatis militibus ægre perſuaſit, ut S. P. Q. Rom. judicio acquieſcerent, quibuſdam Tribunis ita repugnantibus, ut eductis è vagina gladiis, præſentaneam necem illi minitarentur, ni confeſtim Imperium ipſe ſuſciperet. Profectus itaque obviam Galbæ, neque admodum comiter acceptus, neque in honore repulſus eſt; amabat viri virtutes, priſci moris obſervator Galba. Contra T. Junius Virginii æmulus, & novo Imperatori amicorum ſummus, nequaquam pro meritis eum condigne accipi ſinebat. Juſſus itaque exercitum dimittere, ut tanquam Principis neceſſarius in illius Comitatu remaneret. Tulere id iniquo animo Germanicæ Legiones, & Virginium non remitti, ſed potius reum eſſe, tanquam ſuum crimen, agnoſcebant; fuitque hæc potiſſimum cauſa, ut Galbæ dein rebelles Vitellium Imperatorem facerent.

At omnino cum humano genere procul dubio melius actum fuiſſet, ſi non tantum juſti tenax Virginius oblatum Romani orbis regimen accepiſſet; nam neque Othonis, Vitelliique libidines, neque Domitiani ſceleriſſima facinora tam acriter mortales affluxiſſent; optavit potius Im-

pe-

perio dignus cenſeri, quam Imperator eſſe; majori certe gloria, quam commodo, nec minori patriæ honeſtamento, quam ſi, quod magnitudine animi ſprevit, accepiſſet. Fuiſſe Mediolanenſem ex C. Cæcilii epiſtola tradunt doctiores, indicioque eſt antiquis marmoribus celebris in hac Urbe familia. Clarus municipali honore inprimis Sextumvir L. Virginius Attilianus; tum Virginius Meſſor, & Virginius Quintianus, conſpicuo in Nazarii æde tumulo æterni omnes. Inter fœminas Virginia Artemia in Dionyſii ſervat adhuc nomen; vulgoque ootior Aurelia Virginia in Celſi area, nuper ejus invento corpore etiam poſt tot annos integro; quod tamen ob aeris vim demum eſt reſolutum, purpurea veſte ſolo tactu defluente; ut tot argumentis nemini dubium eſſe debeat Virginii Rufi patriam Mediolanum. Equeſtri familia eſſe ortum Corn. Tacitus auctor eſt, patre ejus nullis Romæ honoribus non geſtis inclyto.

Floruit ea tempeſtate, quantum ex veteri quodam epigrammate ſuſpicor, Petronius Jocundus Sextumvir, libertæ ſuæ Petroniæ mooificentia memorabilis. Legavit hæc Bardomagi vici poſſeſſoribus in hermam tuendam, & roſa quotannis ornandam, ſextertia quadringenta; antiquæ religioni dedita mulier, ſi Hermam pro Mercurio accipiamus. Præfuit tunc Anatelonis ſucceſſor Cajus, qui pro more Chriſtiano cum plures puro, qui ad Euſtorgii labitur, fonte lotos ſaniora conſilia ſequi docuiſſet, veritus Neronis edictum, ſævaſque Anolini ejus Præfecti exeeutiones, ab Urbe profugerat. Secuta Principis nece, reverſus indices meliora conabatur, donec ab Decurionum ordine juſſus flagellis cædi per Ædituos, tanquam impietatis in Deos reus, mactatus eſt. Exeraverat ad ambitioſum decretum Magiſtratus, quod in ſuam ſententiam quoſdam etiam Decuriones Cajus traxiſſet. Periiſſe pridie Cal. Januarii Ambroſius auctor eſt, quotanniſque eo die Inſubres ejus memoriam celebrant. Paulo ſimpliciores, qui tum vanæ Deorum ſuperſtitioni adhærebant, hominis mortem ægre quoqoe tulerunt; nam cum ſuis precibus evidenti miraculo morboſos quoſdam à mala valetudine liberaſſet, Apollinis Delphici vatem exiſtimabant; quapropter Ædituos, tanquam ſceleſtos, odio proſequebantur.

Prophanis ſacris per hæc tempora præfidebat Q. Ingernuus Maximianus, non Pontifex tantum, ſed etiam publicus ſcriba, atque curator ærarii, pluribus officiis iciren decorarus, quoniam hæc præſertim uni ſoli concedere æquum exiſtimsbant, quod in ſacro ærarium eſſet, pecuniæque plebis ſequeſter Sacerdos eſſe ex lege jubebarur; quod onus commodiſſime publico ſcribæ injungi poteſt. Honorabiliores omnino tunc Pontifices, Deorumque Flamines Chriſtiano erant, quod in univerſum tota Civitas poſt centum quoque ex eo annos Gentilium ſacris utebatur; rariſſimi veris de divino cultu narratiombus aures adhibebant; quin ſi à priſca Deorum religione aliqui diſceſſiſſent, tanquam vecordia capti à cæteris commercio vitabantur. His honores, Magiſtratus, publicaque commoda decerni lege prohibitum erat, perſuaſumque habebant, non unum Deum, ſed vana quæpiam abſurdaque ſimulacra à Chriſti aſſeclis coli. Permanſit ea famæ labes ad M. Antonini Philoſophi Imperatoris uſque tempus; qui reſcripto commendata religione, adverſas Chriſtiano nomini ſanctiones antiquavit, abrogavitque.

Igitur ad Imperium provectus Galba, Germanicarum Legionum defectione territus, L. Piſonem, quod ſenectutem ſuam deridiculo eſſe conſpiceret, in filium, D. Auguſti exemplo, adoptavit. Uterque demum ab Othone circumventi ejus factione militum gladiis Romæ confoſſi ſuot; cædiſque auctor M. Salvius Otho Imperator nuncupatus eſt. Permanſere tamen in ſententia Germani, & Fabio Valcote, atque A. Cæcinna Legatis impellentibus in Vitellii nomen Sacramento adacti ſunt. Valeos primus in Galbam animos militum, cum Virginium Imperatorem acclamarent, traxerat: quod ob beneficium cum haud condignam ab eo gratiam ſe recepiſſe exiſtimaret, hoſtilia moliri cœpit. Cum itaque Germanæ exemplum ſecutæ haud difficulter in Vitellii partes Galliæ conceſſiſſent, Cæcinnaque jam in Helvetiis tranſitum Alpium parans conſtituiſſet, Vitellii auſpicius Novaria, Mediolanum, Eporrhedia, Vercellæque ſe tradiderunt; cunctantes populos in Othonis odium concitavit Syllana ala. Hi à Nerone, dum in Africa agerent, Proconſulque illis eſſet Vitellius, ſuo veteri Duci adhæſerunt; tum adventantium Legionum robur, exercituſque Germanici famam alioquin celeberrimam attollentes, ea quoque mmeipia in novi Imperatoris favorem compulerunt. Pergrarum hoc Cæcinnæ fuit, quod non parum Vitellii fortunam adjuvare viderentur firmiſſimæ Urbes, ejus fidem Othone ejecto ſecutæ. At quonism latiſſima Italiæ para unms alæ præſidio defendi non poterat, Galliorum, Luſitanorum, Britannicorumque cum Germanicis vexillis cohortes, ut ſe Syllanis jungerent, per Grajas Alpes in Inſubriam præmiſit; ipſe paullulum moratus, an adverſus fidos Othoni Noricos procederet; tandem cum plus laudis ſibi comparari, ubicumque in Italia certaſſet, Noricoſque in cætera victoriæ præmia ceſſuros cognoſceret, Pœnino itinere armis nivibuſque laxum militem traduxit. Interim præmiſſæ cohortes, Syllanaque ala, cum apud Cremonam Pannoniorum cohortem, præſidium urbi ab Othone impoſitum eſſe intelligeret, facto certamine victores eam cepere, & haud multo poſt inter Ticinum, Placentiamque claſſici mille, centumque equites intercepti. Sic qoicquid agri, orbiumque inter Padum, & Alpes (*florentiſſimum*, ot Tacitus ait, *Italiæ latus*) Vitellio parebat; non quidem, quod eum Othoni prætuliſſeot, ſed quod longa pace fracti occupantibus faciles etism pejori commutatiooe ſe præbebant. Tam felici ſucceſſu elsri Vitelliani, non flumine, aut ripis arceri poterant. Itaque Transrhenani Batavique evalidis ad trajiciendas fluviorum aquas viribus Placentiam verſus transgreſſi quoſdam exploratores ceperunt. Tulit id ægerrime, qui in Urbe continebatur, Othonianus miles, arreptiſque repente armis, adveniſſe univerſum Cæcinnæ exercitum rati, publico Marte conflicturi extra Civitatis portas contendunt. Erant cohortes tres Prætoriæ, & mille vexillarii, quibus præerat Spurinna. Is, quum optime noſſet falſam eſſe, quam de Cæcinnæ adventu opioiónem milites conceperant, nequsquam eos diſcedere patiebatur: quonism, ſi forte accidiſſet cum exercitu adeſſe Cæcinnam, ram paucas copias tanto exercitui objicere, inconſulti Ducis exiſtimaret. Vicit tamen indomiti militis furor, qui repugnanti tela quoque intentare auſus fuerat, eoque quorundam licentia proceſſit, ut ad Spurinnam milites profecti viaticum peterint, quo ipſum proditionis accuſarent, eundi ad Cæſarem. Igitur poſteaquam fruſtra ſe Spurinna videt contra voluntatem cohortium niti, temeritatis alienæ fit comes, ſe hoc velle ſimulans, ut mitcſcente ſeditione plus auctoritatis conſilius ineſſet. Pervenerant jam ad Padum; tum appetente nocte caſtra vallari ex more cœptum: fregit is labor urbani militi, Scenicis quam belli artibus magis experto, animos, dolebantque, quod

peritiſſimo Imperatori opulentiſſimam Coloniam belli ſedem eligenti non paruiſſent. Quamobrem eos facti pœnitentes Placentiam Spurinna reduxit, interpolatiſque mœnibus, & erectis turrium propugnaculis ad ferendam obſidionem ſe parabat.

At Cæcinna cum Legionibus, ubi in Inſubres venit, trajecto Pado, Placentiam oppugnare aggreditur, nihilque ad terrendos Oppidanorum animos omiſit, quod norat à felicibus orſis cæteram belli fortunam penſari. Semel & iterum tentata oppugnatio fruſtra eeſſit; prima die cibo & potu graves incauti ſubjere muros, multiſque vulneribus acceptis irriſi ac vani redierunt. Conflagravit tunc pulcherrimum Amphitheatri opus, accenſo à Vitellianis, dum jaculaotur in obſeſſos, igne, vèl ab obſeſſis potius, dum in hoſtes regerunt. Municipes ipſi prono ad ſuſpicionem ingenio, à vicinis colonis fraude ob invidiam injectum erediderunt, quod nulla capacior in Italia moles eſſet. Rurſus oppugnationem aggreſſus Cæcinna cum ſummo irriti cœpti pudore repulſus eſt. Inſequebantur Prætorios Vitellii milites armatoa hiſtriones, ſaltatoreſque Scenicos appellabant, qui nullis militiæ artibus clari, ſolum imbecillis ſenis caput (Galbam innuentes) inter geſtorum ſuorum decora poſſent referre. Queis opprobriis turbati Prætoriani, qui vana ſpe hoſtes deceptos oſtenderent, fortiſſime dimicabant, ignaviamque & molliciem convicu pudore in virtutem verterant.

Sic urbis expugnandæ ſpe dejectus Cæcinna Cremonam verſus, ne tempus fruſtra tereret, ire feſtinat. Et jam in conſpectu erat locus, quem duodecimo à Cremona diſtantem milliario Caſtoris vocant. Congreſſus ibi cum Othonianis Ducibus Suetonio, Paullino, & Mario Celſo, non modicam cladem accepit, actumque de ejus uoiverſo exercitu fuiſſet, ni Paullinus celeriter receptui dediſſet ſignum. Venerat Ticinum cum copiis Fabius Valens, cum de adverſa Cæcinnæ pugna ad eum nuncii acceſſerunt; qua de re alias quoque ſeditioſi ejus milites conſeſtim Valenti mortem minitabantur. Hujuſce cladis cum cauſam eſſe, qui Cæcinnam cum exercitu noluerit aſſequi; ſed expoliandis per Gallias urbibus intentus, lento paſſu incedens, hoſtium gladus Collegæ jugulum, quantum in ſe fuit, objecerit. Quare non expectato Duce milites anteire, ſigna urgere ſigniferos, concito gradu, ut ſe Cæcinnæ jungerent, properare cœperunt. Sic ad Bebriacum ventum, fatalem duabus Romanis cladibus Cremonæ vicum. Tum loogioris moræ impatiente Othone, ſummis viribus utrinque pugnatum; victorque Vitellianus miles, ita tamen, ut recuperandi copias Othonianis quoque ſpes ſupereſſet. Maluit Otho mori, quam novis cladibus Romani Imperii nervos afficere, juſſiſque comitibus, ut ſibi quiſque diſcedens conſuleret, ſeſe præparabat ad neeem. Nón poterant id ferre æquo animo militea, quos ſibi fidiſſimos, mortemque pro Imperatoris ſui ſalute noo detrectantes habebat. Quamobrem abeuntibus exitium minitabantur, & id tentantem Virginium Ruſum perſecuti, clauſa ſe domo cootinentem obſidebant. Quod ubi Otho comperit, increpitis ſeditionis auctoribus, Conſularem virum exemit; magno honore Virginium proſequebatur Otho, deſtinato illi Conſulatu, quem Imperator factus gerebat. Eo mortuo ad Virginium iterum verſi milites ſtrictis gladiis nunc, ut Imperium ipſe aſſumeret, poſtulare; nunc ſaltem, ut legatiooe apud Cæcinnam & Valentem ſungeretur, orant. Sed horum impetum per averſam domus portam digrediens Virginius fruſtratus eſt; abſurdum enim exiſtimabat eorum imperium, cum victores ſpreverat, qui victi eſſent, ſuſcipere; rurſum legatus ad eos ire, quos ſibi infenſos cognoverat, inſipientis eſſe ducebat.

Legarorum ſuorum victoria lætus Vitellius, præſertimque Othonis morte, in Italiam properavit. Cui obviam profectus Virginius alacriter atque magnifice exceptus eſt, ut communi quoque menſa ſecum uteretur. Vexatus iterum ſeditione militari vix Vitellio acriter militibus renitente evaſit. Diſcubucrat Ticini Imperator, epuliſque vicino municipio ortum Virginium adhibuerat, cum ejus ſervus concurſanti novo terrore agmini obvius, ut Vitellii percuſſor inſimulatur; jamque ruebat Virginii ſupplicium expoſcens miles, cum Vitellius, licet ad omnes ſuſpiciones pavidus, nihil de innocentia ejus dubitans, militem cohibuit, ſui quondam Ducis exitium flagitantem. Admiratio & fama viri ingens æmulos Duces exciteverat, oderantque eum milites, ut faſtiditi.

At Vitellius Cremonam deinde contendit, Gladiatorum ſpectaculum, quod Cæcinna illic edebat, viſurus; profectuſque demum Romam non minus eam afflixit, ſecum deductis legionibus, quam cætera Italiæ municipia, Inſubreſque inprimis. Vagabantur barbari milites per Civitatem, ut urbanæ plebi paulo procaetiori excandeſcentes, multis eam incommodis affiebant; nec ſolo hoſpitiorum damno angebantur Cives, ſed & rebus quandoque per vim, quandoque clam ſurreptis, cum armato militi ſine manifeſta pernicie reſiſti non poſſet.

Verum haud quaquam diuturnum Vitellio imperium fuit, in Aſia Deorum hominumque conſenſu ad orbis gubernacula alio electo. Is erat Flavius Veſpaſianus, rebus antea geſtis clarus. Initium rerum novarum Mucianus Syriæ, & Tiberius Alexander Ægypti Præfecti fecerunt; Cal. Julius Alexander milites ſuos in Veſpaſiani nomen Sacramentum accipere juſſit, iſque dies in poſterum celebratus eſt. Novem legiones Veſpaſianum à Vitellio diſſidentem defenſuræ erant, hiſque bellum geri placebat. Præoccupavit Antonius Primus acerrimus belli concitator longam tot legionum expectationem, minorique manu militum ſe cum Vitellianis debellaturum teſtatus, Aquilejam primum, mox Patavium, Veronamque cepit, dein ad inſignem ſtrage Romana Bebriacum venit, indeque eum quatuor millibus equitum Bebriaco ad octavum adventantes Vitellianos aggreſſus, eos fudit, fugavitque, egregiumque optimi Ducis de ſe ſpecimen dedit. Sequenti die cum ſex Vitellianis Legionibus apud eundem vicum congreſſus, memorabili edita ſtrage, pene bellum confecit. Ducta paulo poſt Cremonam Legionum Signa, oppugnarique primum Caſtra militum Vitellii cœpere. Cum acriter ab obſeſſis pugnaretur, C. Voluſius tertiæ Legionis miles perfracta porta primus irrupit, & deturbatis, qui reſiſtebant, ingenti voce conclamavit, capta Caſtra.

Sic & tum victor Antonius felici eventu omnia tranſigebat. Reliqua adhuc erat Cremona, viris armiſque potens, & Vitellio, urgente fato, nimis fida. Obſidere eam cœpit, adductiſque neceſſariis ad expugnationem inſtrumentis, Antonius primo inferri ignem amœniſſimis extra urbem ædificiis jubet; ſed nec eo quidem damno ad mutandam fidem trahebantur. Quare mœnia portaſque Urbis aggreſſus, defendentibus principio Vitellianis, mox per ſocordiam dilapſis, urbe potitur. Quadraginta armatorum millia irrupere. Nulli ſexui parcitum eſt, nulli ætati, niſi quos forma conſpicuos pulchritudo raptori conciliaſſet. Cum his diſcerptæ manibus rapientium puellæ, ipſos quoque milites in mutua vulnera trahebant; tum direptis opibus omnia flammis concremata ſunt.

Solum

Solum Mephitis templum ante mœnia ſtetit; dubium, numine, an loco defenſum. In tanta ejus temporis miſeria illud laudandum, vicinas urbes Inſubriæ, Venetiæque, ne Cremonenſis populi ſubtracta à militibus bona compararent, conſpiraſſe, irritamque ſic raptoribus feciſſe prædam. Digna longa pace municipia, eoque tum majori laude, quo noſtris temporibus damnanda tam memorabilis exempli oblivione.

Multis itaque cladibus deterritus Vitellius, ſocors factus, & attonitu ſimilis, tandem Romæ interfectus, Veſpaſiano Imperium reliquit. Egregiam in his bellis navavit operam XIII. Legio Gemina, cujus Legatus Vedius Aquila etiam Coro. Tacito celebratur. Conſtituiſſe eam in agro Mediolanenſi ſive in tranſitu, ſive ſtativis Caſtris crediderim. Miramundi, quod oppidum ſeptimo decimo ab Urbe diſtat, L. Magii Vari tumulus eſt, antiquo & inſigni Eulogio, quo prædictæ Legionis militem cum fuiſſe teſtatum manet. Id mihi hujuſce opinionis argumentum eſt.

Peremptо igitur Vitellio, L. Flavius Veſpaſianus ſucceſſit, Imperio vir dignus, quamvis nobilitate generis non admodum inſignis. Nullis imaginibus ad ſummum evectus gradum, parum ad virtutem ſtemmata conferre oſtendit. Patrem ejus T. Flavium Petronium Tranſpadanum fuiſſe ex aliquorum opinione Tranquillus refert. Mediolanenſis ſacri haud ita multo poſt Antiſtes fuit Caſtriciaous, vitæ ſanctitate, morumque elegantia unicum Urbis ſpecimen; cumque non exemplo ſolum, ſed & aſſiduis concionibus populum à veteri Deorum ſuperſtitione in dies retrahere conaretur, veritus Domitiani, qui Veſpaſiani filius tunc regnabat, in Chriſtianos legem, ſecedere parumper à tumultu decrevit. Decurio quidam ante eum fuerat, Philippus nomine, duobus filius Fauſto, Portioque, indole nequaquam degenere, felix. Ipſe Caji tempeſtate mortuus domum ſuam Præſuli Chriſtiano legaverat. Ea, quod paulum in ſeceſſu extra Civitatem eſſet, Caſtriciano habitabatur. Verum quieſcente tandem pauxillum Domitiani furore, quia nullum Chriſto ſacrarium adhuc conſtitutum erat, eas ædes primus veri Dei delubrum dedicavit. Noſtris temporibus Franciſci appellationem tenet.

Imitati laudabilem patris munificentiam Fauſtus, & Portius, ſuadente Caſtriciano, ipſi quoque Deo Opt. Max. templa condidere, quæ dein ſanctiſſimorum virorum tumulis referta, etiamnum ſolemnibus diebus religioſe ſalutantur, & ab auctoribus acceptum apud peritos ſervant adhuc nomen. In antiquis Inſcriptionibus alium quoque Fauſtum dignitate celebrem cernere eſt, qui Sextumvir, & ab omnibus Decurionibus Auguſtalis factus, ſibi, & Viriæ Maximæ uxori, libertiſque ſuis inſignem marmore tumulum ſtruxerit. Vixit Caſtricianus ad Hadriani uſque Imperium, priuſquam, quam morerctur, accitis, quos ſuæ religionis ſectatores habebat, multiſque precibus, ut in fide permanerent, admonitis, ſenex conceſſit fato.

Defuncto Domitiano, Remp. accepit Nerva, factuſque Imperator Conſulatum una cum Virginio Ruſo geſſit. Optimus vir non ſolum Collegam Virginium, plures Imperatorem ſalutatum, veritus non eſt, ſed & ſua & illius integritate confiſus, honoribus cumulare hominem, beneficiiſque provocare non dubitavit. In municipali ordine apud Mediolanenſes præcipuæ auctoritatis tuoc extitere Vitellii duo, Veranius, & Conſtans, Sextumviri, & ejuſdem conditionis M. Attilius Priſcus. Huic æternum C. Cæcilii commendatiooe eſt nomen. Nam cum ipſe de Attilii Creſcentis cauſa, uti reor, pronunciaturus eſſet, quod officii neceſſitas exigebat, commendavit illi per Epiſtolam Cæcilius Creſcentem, ſibi amicum, amæniſſimique ingenii virum, ut Priſcus, ſive Judex, ſeu fortaſſe patronus, nihil ſibi ad ejus tutandam rem reliqui faceret. Fuit enim & ipſe Attilius Creſcens Mediolanenſis, & ut tumulus in Ambroſii Cœnobio nuper effoſſus indicat, ex Tabulario Palatii vir perfectiſſimus (gradus hic dignitatis ea tempeſtate fuit) erat, peritque admodum juvenis, triginta non tranſgreſſus annos. Plinius vicino patriæ ſuæ municipio, nec plus quam dici unius itinere diſtante, ortum ſcribit; procul dubio Mediolanum innuens, etſi Novariam alii intelligant, quorum errorem veteris tumuli inſcriptio arguit.

Fuere apud Chriſtianos ſub Nerva Cæſare quieta omnia, quod is legem tulit, ne ob eam religionem aliquis ſupplicio afficeretur, ſi non alicujus facinoris alia lege prohibiti idem oſtenderetur reus. Illius ſucceſſor, adoptivuſque filius Nerva Trajanus, paulo immitior. Principio omnes Chriſtianos puniri eſt paſſus, Paulinumque ex ſui Præfectis unum, pertinaciæ hujus ſcrutatorem, Mediolanum miſit. Verum à C. Cæcilio Plinio, qui Conſulari poteſtate Præſes Provinciæ Ponti erat, nihil contra Romanas Leges Chriſti cultores facere; ſolum vana aliorum Deorum numina exiſtimantes, admonitus mutavit ſententiam Cæſar; accuſationem permiſit; ſed extraordinarium inquiſitionis remedium, quo per Præfectos agitabantur, ſuſtulit, iniquo evidenter reſcripto, licet priore paulo mitiore. Cum quandoque Mediolanum veniſſet, mira magnificentia Palatium conſtruxiſſe auctores noſtri prodiderunt; eamque opinionem ſecutus eſt elegantiſſimus Scriptor Merula, nihilo diligentior, ut video, hac in re aliis. Conjectura præſertim hac moventur, quod hodie exſtet D. Georgii fanum, quod in Palatio nuncupatur, exſtitiſſeque aliquando illic Trajani Palatinas ædes ex eo exiſtimant, argumento certe futili. Fuit eo in loco Lucbini Vicecomitis palatium, conſpiciunturque adhuc fundamenta, muriqne aliqua para; ab hoc ſumpſiſſe cognomen delubrum illud potius crediderim. Nam quod hodie palatium quoque media in Urbe vulgo dicitur, recenti opere nihil antiquum habet; in ejus parietibus ſolæ veteres duæ menſæ exſtant, non ad ſpectaculum, ſed ut hiantia ſupplerent ab artifice inepto expoſitæ. Quarum altera C. Attilii Secundi, & Valeriæ Crocinæ uxoris inſcriptum nomen tenet. Altera longe antiquior dilabaſcentibus jam notis, Q. Alfani Triumviri, à quo forte noſtra familia, monumentum ſervat. Ex hoc palatio nihil cernere quod ad Trajanum poſſit referri; quod ſi de re cum aliis ſentiam, de loco certe eſt, eritque mihi, donec certioribus ſignis id exploravero, controverſia. Verum hæc utrumque ſint, optime certe de Mediolanenſi Republica meritum Imperatorem, honor illi exhibitus teſtimonio eſſe poteſt. Nam inter divos relato conſtituti Flamines, dignum cæleſti ſede gentium credulitati perſuadebant. Pervetuſtum eſt in Divi Petri æde Bergomi marmor, quo immortalitati commendatus legitur C. Cornelius Minicianus, cum militum Præfecturis, Tribunatibuſque præinſignis, tum duobus Sacerdotiis looge nobilior. Quod Mediolani Divi Trajani apud Bergomum Divi Claudii Flamen eſſet. Defunctus hoc Principe Virginius, maximumque Civibus ſui deſiderium moriens reliquit. Habebat in Mediolaoenſi agro Villam Albienſem, Cæcilii Pliuii poſſeſſionibus vicioam. Ibi ſolitus habitare, ſenectutis ſuæ nidulum appellabat, quod ea ſeceſſione à publicis negotiis procul ſævam Domitiani tyrannidem, bonis omnibus infeſtam, evaſerat. Aſſumpto ad Imperium Nerva Romam reverſus tertio Conſulatu cum Imperatore functus

est. Cum vero quartum Consul Trajani suffragio designatus esset, acturus gratias in Senatu, constitit, fallenteque vestigio fracta coxa, cum ob senectutis vitium male ossa coissent, ea valetudine pressus, plenus annis, plenus honoribus periit. Laudatus more majorum à Cornelio Tacito tum Consule, ut hoc gloriæ etiam accesserit, quod eloquentissimum mortuus habuerit suarum laudum præconem. Publico elatus funere, in patriam dein, quod jusserat, ita translatus, ut in sua villa sepulturæ mandaretur. Tradit Dion, & Cæcilius, hæredi inprimis præcepisse eum, ut sepulchro hojusmodi inscriberetur carmen;

Hic situs est Rufus; pulso qui Vindice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Quod cum hæres in decennium usque distulisset, conqueritur Cæcilius tanti viri jussa à negligentissimo hærede non capesci, quod is, cujus fama toto orbe terrarum celeberrima vagaretur, ignotus tumulo ad eam usque diem latuisset. Benemeritus erat de Cæcilio Virginius, fueratque ei à patre datus testamento Tutor: quapropter crediti suæ fidei adolescentis dignitatem maxima sollicitudine semper auxit; sibi ipsi eum Næniam composuisse facile adducor ut credam, quod & litterarum studiis apprime eruditum ostendunt, quos senex scripsit *de Rhetoricis* libros, Fabii quoque Quinctiliani judicio multum commendatur; ea tunc majorum nostrorum fuit diligentia, ut rei militaris scientiam litterarum cognitioni jungerent. Hæ in ætate, ut in aliis plerisque, inferiori, non ejusdem esse existimantur. Celebravere ejus viventis gesta M Cluvius Rufus, longeque elegantius Plinius Secundus Senior, qui in *Historiarum* libris de Virginii rebus scripsit. Felix ipse admodum, qui sua de se posteritas quid sentiret, vivens cognoscere potuit. Nos infelicissimi, quibus tam præclara domi militiæque facta cum Commentariis interierunt, ut mihi ex Plutarcho, Dione, Tacito, Cæcilioque aridissimis plane rivulis ea sparsim dicta colligere necessarium exstiterit, quæ ex ampliſſimo auctore Plinio fuerant decerpenda.

In precio hac ætate Cæcilius quoque Plinius Novocomensis fuit; eruditissimi floridique *Epistolarum* Operis auctor, nec minus multis sibi à Trajano concessis honoribus nobilis. Libet referre latissime cujusdam marmoreæ mensæ inscriptionem, tum quod in ea suorum ipse Magistratuum quidam quasi nomenclator est, tum etiam quod in Mediolanenses præcipuam ejus largitionem ostendit. Hæc est hujusmodi:

C. PLINIVS LVCII FILIVS, OLIM VETERI FAMILIA, CAECILIVS, AVGVR, LEGATVS, PROCONSVL, PRAESES PROVINCIAE PONTI, CONSVLARI POTESTATE IN EAM PROVINCIAM, ET IMPERATORE CAESARE NERVA, TRAJANO AVGVSTO GERMANICO; CVRATOR ALVEI TIBERIS, ET RIPARVM, ET PRAEFECTVS AERARII SATVRNI, PRAEFECTVS AERARII MILITVM, QVAESTOR IMPERATORIS, SEVIR EQVITVM, TRIBVNVS MILITVM LEGIONIS VI. GALLICANAE, DECEMVIR LITIBVS JVDICANDIS; THERMAS ADJECTIS IN ORNATVM SESTERTIIS TERCENTIS, ET EO AMPLIVS IN TVTELA, SESTERTIIS DVCENTIS TESTAMENTO FIERI JVSSIT; ET LIBERTORVM SVORVM NOMINIBVS SESTERTIORVM DECIES MILLIES NONINGENTORVM SEXAGINTA SEX DEDIT; CENTVM QVINQVAGINTA SEX REI INCREMENTVM POSTEA AD EPVLVM PLEBIS VRBANAE VOLVIT PERTINERE; HIS DEDIT IN ALIMENTA PVERORVM, ET PVELLARVM PLEBIS VRBANAE SESTERTIA CENTVM; IN TVTELAM BIBLIOTHECAE SESTERTIA CENTVM.

Hic est splendidissimi municipii titulus nostra diligentia restitutus in lucem. Nam Veteres illi nostri, cum litteræ, bonæque artes barbaris armis cessissent, rudes penitus, quid ea mensa contineret, quod ingentis magnitudinis eam videbant, in quatuor secuere partes, compositamque in Divi Georgii ædicula, quæ in Ambrosiano delubro est, pro cenotaphio reposuerunt, ita in commissuris scalpello exesis nons, ut quandoque integer ordo desideretur. Verum nos ex quibusdam vestigiis conjectati (nisi fallimur) Veterum incuriam nostra sollicitudine redemimus, quodque in ea præscriptis litteris annotatum erat, maluimus hic integre referre, quod suspicabamur fore, ut plerique, quamquam docti, minus eam intelligerent. Bibliothecæ autem curam fuisse Cæcilio vel ob hoc testimonium in promptu est, quod litterarum studia quammaxime tum Mediolani florerent, præceptoresque de publico conducti etiam vicinorum municipum liberos instruebant; quam commoditatem civibus suis non fuisse Plinius ipse quadam epistola testatur. Cæterum & alius ejusdem tumulus in Orientalis Portæ fornicibus conspici potest, quo sibi, & Cæcilio patri, uxorique suæ Calpurniæ memoriam vivus posuit. Saxum ipsum vetustate tam corrosum est, ut quædam in eo verba vix possint cognosci. Non me latet præterea auctorum consuetudinem esse, ut inscripta marmorum monumentis eulogia continuo præsertim ductu referantur. Sed quoniam & hoc quandoque à Plinio Seniore, ut in Trophæo Augusti de Alpinis gentibus, factum est, & rerum ejus ætatis penuria vel faxeis testimoniis ableganda est, æquum videtur esse à benigno facilique lectore mihi veniam concedi, nec tamen eam fidem hisce Inscriptionibus adhibendam esse duxerim, ut, quod aliqui faciunt contra omnium auctoritatem, hoc argumento ducti quicquam innovemus. Scripsit Tranquillus, Eusebiusque Seniorem Plinium patria Novocomensem fuisse; negare hoc ausi sunt recentiores quidam, eo maxime loco opinioni suæ confirmati, quod Veronæ Secundorum familia fuerit, unicumque marmore inscriptum illic exstet epigramma, Plinii mentionem referens. Sed hi, velim, mihi dicant, num & hac ratione Cæcilius Mediolanensis esset; quod ut affirmare vani hominis, ita credere insanientis prorsus est; atqui nec in antiquis Veronensium memoriis familiæ Secundum, sed ordinis nomen esse Doctores credunt; quo fit, ut in totius Insubriæ, Venetiæque vetustis tumulis vox hæc sæpissime occurrat. At, inquient, sese Catullo Plinius ipse conterraneum dicit. Quod argumentum etsi aliis alii confuteot modis, mihi certe haudquaquam multum ad rem facere videtur. Eos esse conterraneos, qui ejusdem territorii sint, vulgo cognitum est;

est; at hoc nomine eos appellari Juris Civilis auctor Pomponius *de Verb. Signific.* tradit, qui sub iisdem fascibus eodem Magistratu gubernantur; non quidem à terra deducta, ut quidam opinantur, voce, sed à terrendo, quod ejus loci Magistratus intra eos fines terrendi, id est, summovendi jus habeat. Cum igitur omnis Cisalpina Gallia uni Proconsuli subesset, universi ejus populi recte conterranei, ejusdemve territorii dicentur. His accedit, quod antiqui Codices Comensi Italiæ Seniorem Plinium civem asserunt, ut parum omnino jure faciant, qui levissimis rationibus Eusebium, Tranquillumque (Dii boni, quos auctores!) incuriæ damnent, qui totius Europæ notarios contra Veronenses conspirasse in *Naturalis Historiæ* titulo affirmant, qui diversa ab Cæcilio patria avunculum Plinium re minime verisimili tradunt; cum præsertim Comi complurima adhuc exstent hujus gentis decora, non sororis filii tantum, sed & Plinii alterius, qui medicina insignis fuerit, tum Calpurnii Fabati, aliorumque, quorum mentio ipso Plinio quandoque habita.

ANDREAE ALCIATI,

J. C. CELEBERRIMI,

RERVM PATRIAE,

SEV

HISTORIAE MEDIOLANENSIS,

LIBER III.

EPITOME LIBRI III.

Hadrianus Mediolanum divertit. Salvii duo Juliani J. C. Mediolanenses. M. Antoninus post pluviam à Christianis exercitui impetratam eisdem favet. Prothasius & Orsbasius Valeria ex Vitale filii, Nazarius & Celsus, & Valeria Mediolani martyrio coronantur. Silvanus ab Insubribus cultus. Kalimeri successor Castutianus à Telesphoro Pont. Rom. consecratur. Bacchanalia unde deducta? Julianus Imperator ex Didia familia Mediolanensi. Salvii Juliani decreta ad Edictum Severus rescidit. Geta ejus filius Mediolani ortus. Philippus primus Imperator Christianus. Auctor vidit senem vegetis sensibus annos centum sexdecim habentem. Monas Kalimero suffectus, qui post multa secula Eriberto Archiepiscopo corpus suum indicat. Decius Christianos cruciatibus vexat. Pellis in Insubribus. Post Monam sacris præficitur Mirocles: ejus precibus pestis evanuit. Aureolus Imperium invadit. Gallienus Mediolani occiditur. Aureoli occisi propo Mediolanum sepulcrum. Germani in Lucana valle deleti. Mirocletis successor Prothasius. Aurelianus Marcomanos ab excidio Mediolani submovet: ejusdem gentis origo; de iisdem Aureliani victoria. Sophia cum tribus puellis martyrio mactata. Littera Senatus Romani ad Mediolanenses de recuperato eligendo Imperatoris jure. Carus & Sebastianus qua ratione dicuntur Mediolanenses? Carinus triclinia vetis Mediolanensibus instruxit. Prothasius Epiphanium Ticini Episcopum consecrat. Post Prothasium succedit Maternus. Maximianus Imperator an Mediolanensis? cum Diocletiano Mediolani commoratur: Thermas extruit: Imperii habenas deponit. Maurilius Alexander Bergomi, Victor Mediolani, Nabor & Felix apud Laudem Pompejam ob Christi fidem securi percussi. Sabina matrona postrema duo corpora Mediolanum advexit. Mos coronandi Imperatores Mediolani an à Maximiano incœperit? Sebastianus Martyr epidemiæ propulsator a populis cultus. Cæsares quinam in Imperio dicuntur? Enstorgius Gallo-Græcus corpora Trium Magorum Mediolanum ex Constantinopoli defert. Antistes efficitur. Tumulo Crispi Faustæ Imperatricis fraude necati infertur. Circus Mediolanus an à Galdino destructus? Decurionum Mediolanensium variæ Inscriptiones.

POST optimi Principis Trajani mortem, annitente Plotina ejus uxore Ælius Hadrianus Romani orbis frœna suscepit. Ex Urbe Roma quandoque is Mediolanum divertisse traditur, dum superatis Alpibus frigoris & laboris juxta patiens in Germaniam contenderet, atque ut militaris disciplinæ scientissimus erat, ita etiam pacis munera in judiciis civilibus diligenter obivit. Institutum ab eo est, ut quatuor Consularibus Viris omnis Italia regeretur, & suis unusquisque populis pro Tribunali redderet jura. Sic Cæsari Legato Insubres parere cœperunt, cum Divi Augusti beneficio Magistratus solum municipales prius agnoscerent. Constituit & in oppidis quibusdam Reip. Curatores, è quibus P. Clodium Suram Comensibus dedit, ut ex veteris tumuli inscriptione in Faustini delubro Brixiæ ostenditur. In consilio ejus judicanti adstitit Salvius Julianus Didii, qui postea Imperium auctionatus est, avus, patria, ut ex Spartiano, Eutropioque constat, huic Mediolanum; fuitque tum inter Jurisconsultos princeps, etsi quædam ejus responsa, ad quorum præscriptum etiamnum vivimus, exstent; longe tamen, quam quæ ad nostras manus pervenerint, plura conscripsit, ut *Digestorum* nonaginta libros; *de Ambiguitatibus* unum; *Ad Minutium* sex; *Ad Ursejum* quatuor; tum etiam edicta Prætorum, qui varie jus dicere solebant, in unum collegit, interpretatusque est; ut non annuæ, quod prius, sed perpetuæ leges essent. Quæ res ambitiosis Judicibus jura subinde pro libidine mutantibus gratiam sustulit. Has ob egregias virtutes cum

eum amicum & virum clariſſimum appellarunt Divi fratres, & ſublimiſſimum teſtem, ſummæque auctoritatis hominem fuiſſe, quadam Conſtitutione Juſtinianus Cæſar atteſtatur; alioquin & prudentiæ ſuæ non modica præmia conſecutus, qui ſemel atque iterum Conſulatu, tum Præfectura Urbis functus ſit. De patria ejus etſi nemo eſt, qui dubitet; tamen & familiam ipſam Mediolanenſem exſtitiſſe antiqui operis monumenta indicant. Contigua eſt Sebaſtiani ſano in hac Urbe lapidea arca, quæ Solliæ Salviæ adſcriptum nomen tenet. Sunt & non abſimiles aliæ complures memoriæ, quas utique hic referre ſupervacancum exiſtimo.

Vixit & ejuſdem nominis & profeſſionis alius; paulo tamen junior, quem incruditiores quidam pro ſuperiore accipiunt, cum procul dubio Salvii duo exſtiterint, quorum Juris Civilis uterque peritiſſimus fuit. Superiori ſane ætate in Ægypto ſtatua quædam Græco epigrammate inſignis reperta eſt, quam in Juliani Juriſconſulti honorem fabreſactam veriſimillimum eſſe nemo non dixerit, bujuſmodi carminis ſenſu:

Julianum Beroe leges mirata docentem,
Romaque Dis poſſunt omnia dixit agi.

Sortitus eorum horum fortaſſe alter Ægypti Præfecturam eſt; & quoniam optime ſe in Reip. adminiſtratione geſſerit, virtutis integritatiſque ſuæ pretium, Statuam publico conſenſu eſt meritus. Nam Divi Auguſti lege Ægyptus in Provinciæ formam redacta ab Imperatoribus Romanis Præfectos accipiebat, quos à legis auctore *Auguſtales* appellare Antiqui ſolent. Legimus & Salvium Divo Pio, qui Adriani ſucceſſor fuit, in precio ob legum prudentiam habitum; ut & hic dubium ſit, ſenior-ne, an ſecundus ille Julianus fuerit, Antonino tantopere gratus.

Cæterum per id tempus quamplurimos hujus nominis percelebres crediderim, cum in templi maximi veſtibulo Brixiæ antiquiſſimum Vibiæ Salviæ monumentum legi poſſit, quo pientiſſima fœmina ſibi & filiis ſuis Paculo, Salvioque Julianis tumulum ad perpetuam memoriam ſtruxit. Maxima quoque apud poſteros gloria dignus Myſtes quidam Julianus, qui de ritibus ſacrorum ſcripſit, & tam egregiæ in divinis operibus eruditionis fuit, ut ſiti pereuntibus Rom. legionibus à Deo Opt. Max. pluvias impetraverit, quibus epotis præſentaneam mortem evaderet miles. Chriſtianæ hunc religionis virum, & ſub Marco Philoſopho floruiſſe opinari libet; quoniam apud alios rerum ſcriptores Marcum legere memini, eum una cum filio Marcomanis inferret bellum, eamque ad inopiam perveniſſet exercitus, ut aquæ penuria periclitarentur omnes, militis Chriſtiani precibus exoratum largiſſimos imbres Deum effudiſſe. Quapropter optimus Imperator nedum in hanc religionem inquiri, ejuſque profeſſores edicto vetuit accuſari, ſed & in adipiſcendis honoribus ejuſdem conditionis cum exteris eſſe juſſit; eum tamen prius eos atrocibus pœnis foret perſecutus. Nam ſuboleſcente hujuſce belli mole adverſus hoſtes primum miſit Aſtaſium (quod dignitatis nomen erat) Comitem. Hic cum Mediolani conſtitiſſet, profani cultus impellente turba, Prothaſium, Oribaſiumque Valeriæ ex Vitali gemellos partus Deis gentilibus, ut ſacra facerent, compellere adnixus eſt. Quod cum mira animi conſtantia uterque renuiſſet, plumbatis Oribaſius, capite Prothaſius cæſi inter Chriſtianorum divos relati æternum ſervant nomen. Eorum cadavera elam Philippus quidam, tum dives & opulens, intra domus ſuæ tecta ſepulchro mandavit, libellumque hujus rei indicem tumulo impoſuit, quem ſe legiſſe Ambroſius auctor eſt. Aſtaſium tunc Comitem ab Auguſtis miſſum is tradit, ut non id ſub Nerone factum, (quam vulgatam opinionem ſupra falſam convicimus) ſed Marco, Lucioque divis fratribus in Imperium aſſumptis credere neceſſarium ſit, cum tum primum duo Auguſti regnaverint, Marcomanoſque agitaverint bello. Quæ ſententia ſi vera ſit, Philippum quoque illum eodem tempore vixiſſe credendum eſt; tametſi crebriorem ſecutus in hoc aliorum opinionem, Neronis tempore eum exſtitiſſe prodiderim, niſi ab illo diverſus hic ex nepotibus fortaſſe; quod veteri lege gentiles ſimul cognomines traduntur.

Cæterum eadem tempeſtate Nazarius quoque & Celſus ultimo ſupplicio affecti ſunt, eadem delati noxa, quod Deorum ſacra contemnerent. Teſtis indigniſſimæ eorum necis eſt extra Urbis Portam, cujus Ludoviceæ nomen in præſentia dicitur, locus, qui à veteribus *Trium mororum* appellationem tenuit, nunc Celſi delubro facer omni populo venerabilis eſt. Antiqui nominis cauſam tres mori arbores quidam opinantur, quod patrum noſtrorum memoria etiam ibi frondeſcerent. Ipſe tres Maurorum imagines lapideas potius exiſtimaverim; nam adhuc in Portæ ipſius fornicibus vicino loco tranſlatæ illic viſuntur. Arbores enim hoc ætatis vivere naturæ leges non ſinunt. Quod ſi miraculum id pro divino teſtimonio eſt, cur perpetuum, ut per ora hominum æternum vigeret, non permanſit? Dii quidem, etſi omnia poſſint, malunt tamen majore in negotio poteſtati ſuæ indulgere. Et hæc de Nazario dicta ſint ſatis.

At Prothaſii mater Valeria, cum defuncto Ravennæ marito Mediolanum rediret, Sylvano agreſtibuſque Diis ſacra facientes quoſdam offendit, à quibus, quoniam ſe Chriſtum ſequi faſſa erat, tam acriter verberata eſt, ut ægre triduo ſupervixerit. In maxima enim veneratione ab Inſubribus Sylvanus habebatur, ut in Divi Donati pago, qui ad quartum ab urbe diſtat, adhuc exſtet Stylobates, quem voto ſolutus libero munere M. Magius Hermes Sylvano dedicavit. Sed & tum veri ſalutis publicæ auctoris Chriſti numen indies augeſcebat, procurante præſertim populi redemptionem Kalimero. Succeſſor hic Caſtriciano certantibus omninm ſtodiis deſtinatus erat, atque patria Romanus, degenerante tum in Græca nomina Urbe, fuiſſe traditur. Mirum dictu, quemadmodum hic ad Antiſtitis dignitatem deſignatus fuerit. Sed tamen plurimi auctores conſentiunt, cum Romæ vivis aquis à Fauſtino & Jovita pro Chriſtiano more abluceretur, auditam de Cælo vocem ad Romanum Pontificem Teleſphorum deduci hominem jubentis; tum & illud mandatum, ut Mediolanenſium Præſul ordinaretur. Quo demum officio cum per quinquaginta tres annos eſſet maximo cum honore functus, pridie Cal. Sextiles ad cæleſtes fortunatorum cœtus migravit, memoriaque ejus bujuſmodi die noſtris quoque temporibus celebris habetur.

Marco Imperatori, quam ad ſuperos viam recte vivendo affectaverat, capeſcenti ſucceſſit filius M. Commodus impuriſſimus vir, quo nemo adverſus atque averſus impudentior habitus eſt. Salvii Juliani, qui eo tempore exercitibus præerat, filium ob ætatis florem fruſtra tentatum eo odio perſecutus, ut patri etiam ejus cauſa inſidias quotidie moliretur. Interim & in illum non paucæ conſpirationes factæ; ab inſignis audaciæ latrone Materno quoque appetitus fuit. Is in Gallia miles, qui deſertis caſtris perditorum hominum maxima manu comparata incurſionibus variis Gallias Hiſpaniaſque vaſtaverat; eumque maleficia hæc non impune ſe laturum cognoſceret, magnum aliquid invadere decrevit. Quare communicato cum ſociis conſilio, ſeorſum alii ab aliis in Italiam compendiariis quibuſdam itineribus feſtinaverunt, ut improviſum Imperatorem nacti in eum graſſarentur. Id igitur

inſi-

inſidiarum tempus ſunt cõmenti. Veris initio pompam magnæ Deorum Matri Romani celebrabant; quo die quicquid magnificum ſeu arte, ſeu materia erat, in publicum exhibebatur, ut ante Statuam Deæ perferretur. Homines ipſi ludicris incumbebant, perſonaſque, ut cuique libitum fuerat, induti per Urbem vagabantur, Magiſtratuumque figuras etiam aſſumebant, vix à veris quicquam differentes. Exiſtimavit igitur Maternus idoneum hoc tempus, quo protectoris indutus perſonam Commodum interficeret. Verum ante præſtitutam ſacinori diem à ſociis proditus capite pœnas luit. Sane hujuſce fecti imaginaria quædam obſervatio in hanc diem per Inſubriam omnem viget, cum appetente Vere ante quadraginta ex Chriſti lege dictos jejuniis dies, juvenes diverſis perſonis tecti incedunt, luſibuſque & jocis operam dantes, non tam ad Cybeles quam ad Sacra Veneris ea licentia abutuntur, ſive ante januas cum matronis, quod tecti ſunt, inverecundius loqui, ſive cum bis choreas, ſaltationeſque agere malint. Sed & hæ choreæ, ut veriſimillimum eſt, à magnæ Matris ſactis originem traxerunt.

Cæſo igitur Materno, licet Commodus ad omnem ſuſpicionem pronus eſſet, tamen haud multo poſt Martia ejus Concubina, & Q. Ælio Læto Præfecto Prætorio id machinantibus, veneno primum, mox cunctante anima gladio attentatus eſt, atque in eius locum ſubrogatus P. Helvius Pertinax in Apennini Villa, quæ Martis dicitur, natus. Fuit hic Didio Juliano in Conſulatu Collega, & in adminiſtratione Aſticæ ſucceſſor. Quamobrem cum Julianus filiam per ſponſalia affini ſuo junxiſſet, & hac de re certiorem Pertinacem feciſſet, dixiſſe cum ad generum quidam traduut, ut Juliano debitam reverentiam exhiberet, quod & ſuus Collega & ſucceſſor eſſet. Verum hæc ſanctiſſimi ſenis verba pro Imperii omine accepta ſunt. Nam Prætorianorum militum ſcelere, inſcio tanti facinoris, ut Spartianus & Herodianus ſcribunt, Juliano Pertinax exſus eſt, delectuſque militum conſenſu ipſe, cum id prius Pertinacis ſocer Sulpicianus ambiſſet. Dion Mediolanenſem Julianum fuiſſe tradit, & in patriam, cum ob ingentes pecunias novis ſemper rebus ſtuderet, à Commodo relegatum. Herodianus erapulæ deditum, vitæque parum continentis hominem exſtitiſſe. Contra Ælius Spartianus Rom. ſcriptor, atque adeo gravioris auctoritatis, nihil minus, quam his vitiis cum laboraſſe prodidit; quinimo in Imperatoria Majeſtate humillimum, in conviviis humaniſſimum, ad libertatem moderatiſſimum, in jure dicendo benigniſſimum ſuiſſe auctor eſt. Hæc Græcorum fides, qui, dum hiſtoriam ſcribunt, nihil eſt, quod mentiri non auſint. Didiam plane gentem Mediolanenſibus vindicat M. Didius Marcellus in Nazarii veſtibulo inſcripto tumulo conſpicuus; etſialia quoque hujus familiæ decora in Urbe ſint, quæ antiquarius curioſiſque id genus viris dicenda relinquimus. Educatus eſt Julianus apud Marci Imperatoris matrem Lucilliam; hinc ejus ſuffragio inter viginti viros electus, deinde Quæſtor ante legitimam ætatem deſignatus eſt; nec Marcus illi defuit; ſiquidem eo adjuvante Ædilis factus, & Prætor, Legatuſque demum in Germania fuit legionis XXII. Primigeniæ, cui diu ſumma cum moderatione præfuit, reſque memoria dignas, ſubactis, qui fluvium Albim accolunt, Chaucis, geſſit. Quapropter Imperatoris judicio ob merita ad Conſulatus dignitatem ſublatus eſt. Debellati etiam Catti; dein illius armis Dalmatia primum, & poſtea cum illi obtigiſſet inferior Germania, defenſæ ſunt, & de finitimis hoſtibus vindicatæ. Fuit & Provinciæ Bithyniæ Præſes, quam non eo nominis incremento adminiſtravit, quo poſt paulo Africam, cum Proconſul in ea datus foret. Uxorem habuit Malliam Scantillam; ſed & filia illi Didia clara; utramque Senatus Auguſtam dixit. Adverſus cum res novas primus molitus eſt Antiochiæ Peſcennius Niger, mox in Illyrico P. Septimius Severus Afer, qui cum ſumma celeritate eum exercitu Romam properaſſet, citra pulverem, quod dicitur, Imperator dictus eſt, abrogataque Senatuſconſulto Juliano eſt dignitas, & inde à milite gregario cæſus, nemine cum defendente; nam Prætoriani, qui promiſſorum ſpe cum Imperatorem fecerant, per ignaviam ſummumque dedecus dilapſi miſerum ſenem deſeruerunt.

Diffuſius hæc apud aliòs habentur; nobis ſat fuit paucula dehbaſſe, vel ob hoc ſaltem, ut Civem noſtrum à Græcorum calumnia vindicaremus. Sepultum ejus corpus in Lavicana via eſt, ad quintum milliarium, in avi ſui Salvii Juliani monumento. Hujus viri famæ, quod ex Didii progenitoribus eſſet, Severus quoque infenſus, ejus decreta juſſit aboleri; ſed Auguſtæ legi prævaluit operis utilitas, & nihilominus in judiciis Salvii auctoritas obſervata eſt.

Igitur Severus, anteqnam ad ſummum gradum eveheretur, privsm adhue ſortuna Juliam uxorem duxit, quod Mathematica ratione in genitura habere eam cognoſceret, ut Imperatoris fieret uxor, & parens. Natus ex ea illi filius M. Antonius Geta, quem VI. Cal. Junias Severo & Vitellio Coſſ. Mediolani eam peperiſſe Spartianus auctor eſt; vix dum in lucem edito infante in aula purpureum ovum gallinam effudiſſe nunciatum fuit, quod eum jubente Julia allatum Baſſianus (ex Severi filiis major hic natu) quaſi puerili joco terræ allidiſſet, dixiſſe Juliam ferunt, *Cur maledicte parricida fratrem occidiſti tuum?* Quæ verba Severus audiens, ſuturi mali omen accepit; idem & complures, qui officii cauſa aderant, agnovere. Præſagium & illud eveniſſe traditur; in Antonini cujuſdam ex plebe hominis villa, vellere in fronte coccineo, eadem, qua Geta, hora natus agnus, & domino ab Aruſpicibus reſponſum, *Poſt Severi mortem fore, ut Antoninus regnaret;* quod cum ſibi vir ille portenderet, veritus, ne re palam edita in aliquam prius calamitatem incideret, agnum gladio tranſfodit. Manifeſta nimirum ſigna, ferro adigendum ab Antonino Getam; quæ quidem eventu nequaquam caruere. Nam Severo in Britannia mortuo inter Baſſianum & Getam ejus filios tanta diſcordia orta eſt, commitentibus præſertim eos aulicis, ut nihil fere alter approbaret, quod alteri confeſtim non diſplicuiſſet. Quamobrem prærepta occaſione Baſſianus derepente Prætorium fratris ingreſſus cum interfecit.

Sed & ipſe hujuſcemodi delicta retaliantibus ſatis ab Opelio Macrino cæſus illi Imperio locum fecit. Opelium, ut morte pœnas daret, improbus improbum Alagabalus coegit. Fuit hic impuriſſimus Imperator Cajos, Nerones, Commodos ſceleribus provocans. Cum privatus eſſet, Alexianus vocabatur, ſed cum Dei, quem Phœnices Alagabalum vocant, & noſtri Solem interpretantur, Sacerdos fuiſſet, id ſibi cognomen aſſumpſit, in eamque prorupit inſaniam, ut Deo illi ſuo matrimonio jungere uxorem quæreret. Palladem, myſticum Romanorum numen ab Ænea in Italiam advectum, conſervatumque maxima cura, amovit ſedibus, & tanquam ejus conjugem in Palatinas ædes adportavit; mox præfatus belligeram uxorem Alagabalo non convenire, quaſi facto divortio aliam induxit. Urania ab Afris colitur, quam Phœnices Aſtroarchen, Lunam eſſe dictitantes, appellant. Ejus ſimulacrum Carthaginenſibus, omnique Africæ venerabile à Phœniſſa Didone poſitum vetus fama promulgavit.

Congruere igitur Solis & Lunæ conjugium Imperator exiſtimans, ejus ſtatuam prope Alagabalum conſtitui juſſit; tum edicta non ad Inſubres ſolum, ſed per omnem Italiam miſſa, ut ubique celebres feſtique dies publice & privatim agerentur, Diis ipſis nuptias celebrantibus. Hæc & hujuſcemodi quamplurima cum feciſſet Imperator, tandem una cum Soæmide matre, quam Semiramiram alii vocant, impudiciſſima fœmina, militum Prætorianorum gladiis confoſſus eſt, conſobrinuſque illius Aurelius Septimius Alexander delectus in Auguſtum, cum jam antea Cæſar appellatus eſſet. Alexandro Maximinus non ob fortitudinem, militaremque diſciplinam, cætera barbarus homo, ſucceſſit; quem à Senatu Imperatores dicti Maximus, & Balbinus, Gordianuſque excepere. Gordianum juniorem ſtrenuiſſimum adoleſcentem Philippus Prætorio Præfectus fraude aggreſſus eſt, haeque potiſſimum ratione Auguſtalem ſibi majeſtatem aſſeruit. Primus hic Chriſtianorum profeſſionem ſecutus traditur; ex eo quoque memorabilis, quod hoc Principe milleſimum urbs Roma annum attigit. Quamobrem Circenſia munera cum ſæcularibus ludis magnificentia inæſtimabili celebrata ſunt. Ivere per Inſubriam, Æmiliam, Venetias, cæteraſque Italiæ regiones undique tubicines, qui populos ad eorum ludorum ſpectacula vocabant, quos alias nunquam viſuri eſſent. Repetuntur enim ſæculares ludi centeſimo quoque anno, qui vitæ humanæ terminus eſt: etſi in Verbani pago Malcorabia fabrum ipſe his diebus viderim centum & ſexdecim annos agentem, non integris ſolum ſenſibus, ſed & tam vegetum, ut ferream quadrupedi ſoleam parvo negorio apponeret; cujus rei etiam univerſi illa regio teſtis eſt. Et hæc quidem obiter.

Cæterum his diebus Monas divini in Urbe cultus Kalimeri ſucceſſor, cum tres & quinquaginta annos dignitatis Pontificiæ munera adminiſtraſſet, ad ſuperos curſum tenuit. Defuncto hic Kalimero, cum una, quicquid Chriſtiani nominis Mediolani erat, conveniſſet, ambigerentque, quiſnam potiſſimum Præſul deſignandus foret, Deum maximo precati, ex his, qui aderant, unum Monam aſpiciunt, auguſtiore forma, & aureum quoddam præ ſe ſpecimen ore afferentem; tum vox incerto auctore audita, dignum honore Monam; quam exteri profecti idem acclamarunt. Accedebat his, quod & alios fere nobilitate anteibat; quocirca alacrius ingeminabant, obteſtabanturque, ſe exorabilem præſtaret. Contra ille fortius renuere, indignum ſe tanto honore prædicare, nec ferendo oneri ſatis firmum. Sed incaſſum ſanctiſſimus vir nitebatur; integritas ejus, cum paternas indigentibus opes ob pietatem diſpenſavit, omnibus nota, nullum effugium habebat. Ergo, quod neceſſarium fuit, præſtito conſenſu, ſacrorum aſſumpſit curam, diligentiſſimeque geſſit; vicos, caſtra, præfecturas, & per Inſubriam, Liguriamque oppida omnia luſtravit, ut in his aberrantes populos veram religionem doceret, exemplo ſuo hortaretur. Vigebant tunc Valentini & Cerinthi reprobas opiniones ſecuti quamplurimi, quas de hominum pectoribus ſacratiſſimus vir evellere conabatur. Conceſſiſſe fato VIII. Cal. Apr. crebrior auctorum ſententia eſt. Dacius Calend. ipſis Aprilibus mavult. Clam ſepulchro illatus, quod ita veritus profanorum furorem moriens mandaverat, lateretque adhuc ignotus tumulo, ni ſe ipſe Eriberto longo intervallo ſucceſſori (res mira) noctu demonſtraſſet. Ad Vitalis delatus IV. Id. Oct. religioſe colitur. Regnaverat jam quartum annum Philippus, cum obiit Monas. Cæterum & ipſe triennio fere poſt Q. Decii Trajani factione oppreſſus in humanis agere deſiit.

Decius ipſe Populi Romani, Senatuſque amorem meritus, majoribus præconiis celebraretur, ſi modo ſanguine Chriſtianorum non temeraſſet manus, eos atrocibus edictis in Philippi contumeliam undique vexans, & ut exquiſitiſſimis pœnis omnes torquerentur, ubique fere inquiſitiones acerrime vigebant. At Mediolani maxime miſerabilis tormenta agebantur; alios equuleo plecti cerneres; quoſdam torreri flammis; hos flagra, illos pugiones quoque conficiebant. Nihil non tentatum, quod ſæviſſimus carnifex in Principis gratiam potuerit excogitare; ſed breviſſimum hujuſmodi Auguſto Imperium vindices ſuperi conceſſerunt. Vix biennium dominabatur, cum C. Vibii Treboniani Galli proditione, qui illi ſucceſſit, à Scythis victus, facinorum pœnas dedit. Gallum Æmilianus ſuperavit; ipſe demum à militibus, cum Valerianum Senatus elegiſſet, decollatus. Horum principatum inſignis generis humani clades cognitum poſteris fecit. Siquidem non Inſubriam tantum, reliquaſque Italiæ partes infecit peſtilens aer, ſed univerſum terrarum orbem pari contaminavit clade.

Sacrorum curam Mediolani agebat Mirocles. Vir hic in divinis admodum eruditus, vitæque ſanctitate ſpectabilis erat. Ejus precibus non parum morbidæ ejus peſtis ab Urbe profligatum creditur. Valeriano infelici eventu à Perſis capto, Valerianus junior, & Gallienus Imperatores dicti ſunt. Gallienus egregii militis, Ducisque principio nomen meruit, ſed dein ad delicias lapſus, exſurgentibus undique Barbaris, Tyranniſque, Romanum pene orbem, certantibus fortunæ virtutiſque ſtudiis, partum amiſit. Dux erat Illyriciani Limitis Aureolus, in ſuſcipiendis negotiis impiger, obcundiſque admodum ſtrenuus. Hunc reluctantem admotis jugulo gladiis purpuram aſſumere milites coegerunt. Cum ita negligenter ſe Gallienus ageret, ut omnia citra ejus auctoritatem gererentur; ſumpſeratque jam in Aſia Imperium Macrianus una cum filiis orientalis exercitus judicio ad cum promotus gradum, quod ſapientiſſimus, ditiſſimuſque ſui temporis omnium Ducum habebatur, etſi conſilia ejus interverterit fortuna; nam cum Præfecto Aureoli Domitiano manu conſerta ſuſus, ipſe cum uno ex filiis, & quindecim interemptus eſt virorum millibus; quæ ſuperfuerant legiones, triginta pugnatorum millia Aureolo acceſſerunt. Igitur tot auctum ſubſidiis cum fruſtra Gallienus expugnare virum fortem uteretur, conventionibus bellum diremit; ſed tamen parum fida, & utrinque ſuſpecta pax ſecuta eſt. Non longe à Mediolano Aureolus cum exercitu trahebat moram; quamobrem tumultuarii Principis gravem adventum Gallienus indies formidabat. Hujuſce rei conſcius Dalmatarum Dux Cecropius nomine ad eum profectus ſubdola oratione narravit, adventare cum legionibus Aureolum. Credidit hoc Imperator, & convocatis militibus, adlocutioneque firmatis eorum animis, quaſi ad certi prælii ſubeundam fortunam procedebat, cum in itinere juxta Mediolanum incautum Cecropius aggrediur, & trucidat. Factum id Aureoli conſilio quidam rerum ſcriptores opinati ſunt. Nos Marciani, & Heracliani juſſu, qui Claudium elegerant, facinus auſum accepimus, & conſtantior hæc eſt ſententia. Occiſo Gallieno, ut fratris ſortem æmularetur peremptus quoque Valerianus eſt, & Claudii juſtis ſepulchro ejus inſcriptum, *Valerianus Imperator.* Nam ipſe juventutis ſe principem in numiſmatis ſtteſtabatur. Oroſius Gallienum Mediolani inter fœminas laſcivientem occiſum auctor eſt. Sed utrumque res ſe habeat, illud conſtat, poſt ejus mortem Aureolum Imperatoris nomine jam à militibus nuncupatum Mediolani conſediſſe, fuiſſeque

ejus

ejus vita diuturnior, si non illi hostem Claudium à cæteris legionibus Imperatorem salutatum fata objecissent. Occisi Tyranni gloriam Aureliano, qui postea imperavit, alii tribuunt. Sed & in eo quoque dissentiunt auctores, quod invito Claudio pugnatum quidam tradunt, aliqui ab Imperatore Aureliano superatum; at vero cum Claudii Dux esset, ejus jussu armis certatum, cæterorum consessu proditum est. Priorem opinionem adjuvat elegans epigramma, quod Græco sermone Tyranni tumulo adscriptum fuit. Ab urbe XVI. distat oppidum in Fulcheriis insulis Abduæ fluvio vicinum, quod corrupta voce *Pontirolum* vulgus vocat. Ponteos Aureoli fuisse nominis similitudo arguit; ab hujus morte, sepulchroque, inditam pago appellationem auctores quamplurimi scribunt. Addit Trebellios Carminis sensum, ab inepto quodam litteratore sic Latine expressum:

Dona sepulchrorum vitler post multa Tyranni
Prælia, jam felix Claudius Aureolum
Munere prosequitur, mortali & jure superstes,
Vivere quem vellet, si pateretur amor,
Militis egregii vitam qui jure negavit
Omnibus indignus, sed magis Aureolo.
Ille igitur clemens, qui corporis ultima servans,
Et pontem Aureoli dedicat, & tumulum.

Auget, quam diximus, viri dignitatem antiqua alia, marmoreque insignis Inscriptio C. Pupii Tironis, quam sibi, atque uxori Tertullæ, parentique Alitiæ vivus monumentum posuit, ut ab antiquis regionem eam quoque plurimum cultus accepisse conjectura capesci possit, non Aureoli solum, sed & tumulis aliorum perquam illustris. In Tyranni hujus morte repugnant alia etiam ratione Veteres, apud quos non ab hoste superatum, sed à proprüs militibus cæsum legere est. Cui opinioni ut accedam, illud maxime impellit, quod prioris sententiæ auctor Trebellius Pollio adeo aperte in Constantii Cæsaris gratiam Claudio favet, ut ejus mihi fides suspecta sit. Fuit alioquin ille optimus Imperator, & vir ad delendos Barbaros natus. Irruperant in Italiam Alamanni, ducenta armatorum millia, quorum audaciam cum ultum veniret Claudius, in Lucana Sylva ita illos afflixit, ut centum millia ferro cæciderit; contracto quamplurimi ex laboribus bellicis morbo desiderati sunt. Lucana Vallis in Comensi agro, qua ad Rhætos vergunt Alpes, frequentibus colitur populis, ejus nominis oppido, atque lacu ducentis circiter quadraginta stadiis protenso memoratu digna; hic delectos Barbaros credere in promptu est, ni Eutropius prope Benacum prælio certatum scriberet; quamvis & Lucanus lacus hanc appellationem potuit apud Antiquos obtinuisse.

Hoc principe, anno ejus Imperii primo pridie Cal. Decembris Præsul Sacræ Religionis Miroeles, cum annos duos & viginti præfuisset, decessit, & ob egregia viri merita inter Divos relatus, æternæ beatitudini opinione hominum mancipatus est. Successor illi destinatus è vestigio Prothasius, qui mortui desiderium probitate sua non parum leniret. Et hæc quidem Imperatore Claudio evenere; ut vix credibile sit, tot cum egregia in armis facinora gessisse, temporis brevitatem computantibus. Nam vix biennio exacto, cum Aurelianum longo orationis serie laudatum militibus, ut in sui locum deligerent, persuasisset, defunctus est necessarius hic Reipublicæ magis, quam bonus Imperator; superstites Claudio Tyrannos sustulit; Zenobiam in Ægypto, in Gallis Tetricum, propria proditione memorabilem. Sed longe difficilius illud bellum, quo Mediolano imminentes Marcomanos profligavit.

Verum quoniam horum mentio etiam superius facta est, non absurdum fuerit, quinam hi Barbari sint, explicare. Germanicam nationem esse dubio procul constat. Eos in fronte Germaniæ, quatenus Danubio pergitur, Tacitus collocat; hancque sedem virtute partam pulsis inde Bojis auctor est. Addit Strabo Bubiemum Merobudii Marcomani, qui amicus Augusti Cæsaris fuit, regiam frequentius habitatam, quod eo in oppido Cives suos omnes Rex ipse traduxerit. Ex hujus gente manserunt diu reges, sed demum & externos pati cœpere. Romana primum arma experti in Gallis cum Arioviſto Duce una cum aliis Germanis eos divus Julius superavit. Quievere demum Merobudii, sive, ut Tacitus mavult, Marobodui, ejusque coepotum auspicis. Versatus hic in juvenilibus annis Romæ fuerat, Augusti beneficio etiam ad regale fastigium provectus; gratiam reddidit, ut in amicitia Pop. Romani gentem suam detineret; qua auctoritate freti hostimis formidolosi erant. Mansit pax in Marci Imperatoris tempus; hoc Principe rebelles facti, tandem à Rom. exercitu male habiti accepere jugum. Cogitaverat Marcus eorum regionem in Provinciæ formam redigere; sed & hoc, ut aliæ pleræque calamitates, civilibus malis imputandum. Nam Avidii Cassii armis distentus, quod decreverat, perficere prohibitus est. Ferebatur vulgo magicis quibusdam sacris, imprecationibusque eos ita a Marco adactos, ut perpetuam eum his pacem Populo Romano futuram arbitraretur. Quæ cantamina famæ cupidi, quasi hostes deesse possent, secuti Imperatores dissolverunt. Igitur sub Aureliano rursus arma ceperunt, & superatis Alpibus Leopontiis in Italiam transtulere bellum. Contra eos profectus Imperator, dum paulo securius hostem contemnit, nec illis à fronte occurrere quicquam curat, clade non modica affectus est. Quamobrem cautiores, & periculo moniti Romani, quos elabi permiserant, à tergo persequebantur. Qua necessitate ulterius procedentes illi Mediolanensem omnem agrum vastaverunt; sed & cædibus rapinisque non adhibitus modus, captivi quamplures facti. Hanc stragem Dei Opt. Max. ira in profanum Cæsarem sævientis evenisse Christiani arbitrabantur. Nam sanguinarius hic Imperator, veris religionibus inimicissimus, vetera Neronum, Deciorumque exempla revocavit. Dederat Mediolanensis Matrona, cui Sophiæ appellatio, cum tribus puellis inter Christi cultores nomen, venditisque maximis, quæ illi suppetebant, facultatibus (decem servorum millia fuisse traduntur) pretium indigentibus dispensaverat; hanc etiam vi adhibita gentium numina colere reluctantem Aurelani Præfectus peremit. Sub Trajano Imperatore id factum alii scribunt; ut Decius fortasse sit accipiendus, qui hoc quoque sibi cognomen arrogavit. Territus igitur suorum occidione Aurelianus Romæ ad Senatum litteras dedit, ut consultis Sibyllinis libris referrent Patres, quemadmodum victoria ab hostibus exterqueri posset. Factum ergo Senatusconsultum, & sententiam dicente Ulpio Syllano inspecti sunt libri; ex quorum lectione docti Pontifices urbem veteri instituto lustravere; tum cantata carmina, amburbiumque celebratum, & promissa ambarvalia. Quibus rebus ex Aureliani sententia confectis, non dubitavit belli fortunam experiri. Coactis itaque omnibus copiis Placentiam versus, ut publico Marte decerneret, properabat. At Marcomani veriti, ne, si collata acie inferiores evaderent, nullus fugæ locus esset, quin Italicis populis undique circumdati, quam illis intulerant, in fugam stragem acciperent, ad insidias verso consilio, clam in densissimas sylvas delati, adventante

nocte, improviſi erupere, tantamque cladem Italæ legiones ſubjerunt, ut Romanum pene Imperium ſolveretur. Sed tamen demum fuſis hoſtibus, eos Imperator male mulctavit. Viciſſe Aurelianum tribus prælis, Eutropio auctore, proditum eſt. Placentiæ primo; deinde juxta Metaurum flumen ſpud Fortunæ ſanum; tertio in Ticinenſibus Campis. Victoriæ cauſa ad ſuperos refertur; quod in ipſo prælii congreſſu ſpectra quædam, monſtruoſæque facies ſeſe Mareomsnorum oculis effuderint, quibus illi territi fugam eſpeſcentes occiſi ſunt. Commentum id Barbarorum eſſe quis non videt, dum ab hominibus ſuperatos fuiſſe puduit, victoriam Deorum ſtudiis acquiſitam profitentium; etſi Panicos terrores quandoque legerimus, cum non monſtris, ſed nulla ex cauſa orto timore exercitus dilabuntur. Marcomsna Vallis & Monti Juræ & Sequanis proxima, quæ ad Helvetiorum fines pertinet. Hic Barbarorum reliquias conſedisſe credederim, & regioni dediſſe nomen, quod in præſentem quoque diem vulgatiſſimum eſt; alioquin gens ipſa non in Galliis, ſed trans Rhenum habitavit, præfuiſſeque illis Reginam nomine Fritigil legimus, quæ Divi Ambroſii litteris perſuaſa virum ſuum in perpetuis cum Romanis pace detinuit. Verum hæc poſteriori tempore acciderunt.

Igitur Aurelianus, cum non Marcomanos ſolum, ſed & Sarmatas, & Gothos fudiſſet, plurimis victoriis inclytus, miniſtri à libellis manu interfectus eſt. Tum exercitus ad Senatum retulit, ut Imperatorem eligeret. Contra Senatores hujuſce rei judicium militibus concedere; certatumque utrimque moderationis ſtudio. Tandem militum prece, finito ſex menſibus interregno, Tacitus Imperator Auguſtus à Senatu dictus eſt, miſſæque ad nobiliores quaſque orbis Civitates litteræ, quibus Cives admonerentur in antiquum ſtatum rediiſſe Rempublicam, jus eligendi Principis, & Præfecturæ urbanæ appellationem, cæteraque Summi Imperii munia ad ordinem ampliſſimum pertinere: quo ſenſu & Mediolanenſibus litteras redditas Flavius Vopiſcus auctor eſt.

Tacito Florianus frater ſucceſſit, mox interfectus, cum M. Aurelium Valerium Probum milites Imperatorem nominaſſent; quorum judicium ſummo gaudio Senatus approbavit; ſcilicet erat Probus, qui armorum gloria Aurelianum æquaret, modeſtia, morumque civilitate longe illieſſet prior. Cum non diu regnaſſet, ſeditione militari ſpud Sirmium cæſus eſt. Hujus poſteri ſeu Romanorum odio, ſeu invidiam veriti, relicta Urbe, pars juxta Benacum, pars Comenſi in agro prope Larium conſedere.

Sumpſit deinde Imperium M. Aurelius Carus, quem externa bella gerentem feliciter & Populus, & miles maximo amore proſequebantur, cum ſuperatis Perſis Ctefiphontem fatalem Romanis Ducibus limitem perveniſſet, de cælo tactus animam reddidit. Narbonenſem eum fuiſſe Eutropius tradit; alii Illyricum. Vopiſcus Eutropio antiquior, ſe Diarium quoddam legiſſe eſt auctor, quo Mediolanenſem Carum fuiſſe teſtatum manet. Aureliam certe gentem, quam frequens in hac urbe exſtiterit, innumera Veterum ſpectacula oſtendunt. Ad Franciſci Aurelius Euſebius Anreliæ Vitaliæ mstri, tum Julianæ conjugi Sanctiſſimæ tumulum ſtruxit. In Horarum vico Aurelia Placentina. At in Vitalis vetuſtiſſimo delubro Helvius Aurelius Protodomeſticus æternitati ab Aretione liberto commendatur. Quo ex monumento illud non pigebit adſcribere, Aurelium à Secretis Imperatoris primum exſtitiſſe; quod Romani (ut in *Africana Hiſtoria* Procopius tradit) domeſticos appellabant in aula Imperatoria arcanorum Principis conſcios. Eſt & Aurelius Victorinus Municipalis Magiſtratus Quartumvir in Ambroſii fano celebris: ſicuti & ejuſdem nominis in Portiana porticu Jsnuarius Signifer ex numero Dalmatarum Fortenſium. Milites hi erant, quorum in Theodoſii *de Palatinis officiis* commentario frequens mentio habetur. Et hæc quidem à nobis dicta ſint; non quod his veluti firmiſſimis probationibus Mediolanno Carum vindicemus; ſed ut, ſi qui in hanc ſententiam ire mslnerint, aut vera, aut ſaltem ſimilima vero ſe cognoſcant ſequi. Nec quandoque movere debet, quod frequentiore calculo Narbonenſis fuiſſe approbetur; ſiquidem admonendi ſumus, hac tempeſtate Jatiſſimam Gallius juriſdictionem habuiſſe, ut non ſolum quicquid in Germania Romani nominis erat, Proconſulibus illius pareret, ſed etiam Ciſalpinæ Galliæ bona pars. Demonſtrat id *Hiſt.* lib. xv. Ammianus Marcellinus, qui in Lugdunenſi Provincia Alpes Grajas, Pœninas, Tricaſtinas conſtituit, tum Taurinos, Mediolanumque cum aliis non æque nobilibus municipiis. Lugdunenſem autem Narbonenſis Provinciæ partem eſſe idem auctor atteſtatur. Non me præterit Mediolanum Tranſalpinæ quoque Galliæ oppidum: ſed illud intellexiſſe Marcellinus non potuit, cum non Narbonenſi, verum Aquitana in Provincia ſit conſtitutum. Igitur nihil repugnat Carum Mediolanenſem fuiſſe, eumdemque ex Narbonenſi Provincia; nam & ſimilis conditionis Sebaſtianus martyr apud eum traditur, qui Chriſtiani dogmatis Bestotum vitam memoriæ commendavit. Quæ quidem, ſi vera ſint, illud neceſſario fatendum eſt ab Ælii Adriani de Italiæ ſtatu conſtitutionibus diſceſſum, & in Provinciæ formam urbem redactam; quod nomine libertatis eveniſſe Albucius Syllo apud Piſonem ſub divo Auguſto, ut diximus, querebatur.

Cæterum Cari Imperium filii duo excepere; Numerianus, quem in exercitu ſecum habuerat, & Carinus adminiſtrandis Gallis relictus à patre. Mores utrique fratrum diverſi, ut hunc Domitiano, illum Tito æquare poſſis. Numerianus in litterarum ſtudiis egregie verſatus, proſa, verſaque oratione pollebat, totque virtutibus probitatem addiderat. Carinus nullo non vitio imbutus, etiam florem adoleſcentiæ, quem fruendum dederat, Imperator fictus à puſiunculis repetebat: victu juxta atque habitu mollis. Tradit Vopiſcus Mediolanenſibus roſis triclinia atque cubicula inſternere ſolitum, quod hæ forſitan in pretio tum eſſent, etſi in præſentia honore ab aliis non diſcernantur. Non defuit tamen illi vigor acie contra hoſtem Diocletianum decertandi; ſed victus apud Margum occubuit, liberaque ex eo Diocletiani Reſp. in poteſtate relicta eſt.

His temporibus periiſſe Prothsſium, quem Urbis Antiſtitem ſupra diximus, antiquorum ſcriptia proditur, cum per duos & viginti annos ea in dignitate floruiſſet. Tres illis addit Dacius; minuunt alii duos, diſſenſu omnino futili. In Portians æde ſepultus, poſt cineres adhuc honorifice colitur, implorantque ejus opem mortales frequenter votis. Deſignavit hic in Ticinenſis Chriſtianorum Eccleſiæ Præſulem Epiphanium integritate morum, vitæque ſanctitate nunquam pro meritis laudatum; cujus ſolemnibus communis cum Diva Agnete etiamnum eſt facer dies. Primus hic Sacroſanctam poteſtatem olco unctus à Mediolanenſi Pontifice accepit, ſecutique hunc morem ſunt ex ejus ſucceſſoribus quidam; tametſi cum Longobardorum Principis Ariperti Regia ea Civitas eſſet, à Romano Pontifice id ſibi honoris impendi procuraverint; profectuſque Romam hac de cauſa, qui tum Mediolani Sacerdotibus præſidebat, Benedictus nihil profecerit, aſſerentibus videlicet, ſibique vindicantibus omnia Romanis. Verum quic-

quicquid tunc auctoritatis ex ea libertate acceptum diminuit illis quaodoque Alexander III. cum pallio, & cruce, præcipua nimirum Sacri Præſulis inſignia, Ticinenſi Epiſcopo interdixit.

Cum cœleſtibus agente Prothaſio, in ejus locum ſuffectus eſt Maternus, vir moribus inſignis, probitateque Deo Opt. Max. acceptiſſimus, & qui ioſtitutam à majoribus ad ſuperos viam, recte vivendo, utiliaque populis ſuadendo, conſervaret. Ea tum invaleſcentis veræ religionis fundamenta jactabantur, ut nooniſi vita moribuſque conſpicui ad tantæ dignitatis inſulas aſpirarent. Et iccirco triginta tres pene continua ſerie hujuſce Urbis Antiſtites connumerari poſſunt, in cœleſtium Catalogo deſcripti. At ab everſo Urbis Romæ Imperio, quæ ferrea ſæcula vere appellaveris, dignitates, honoreſque Sacri vel Principum favore, vel ambitu conceduntur; quapropter quo quiſque magis aſtu, verſutiaque pollet, eo ampliorem in his obtinet locum, ut unum vix, aut alterum tercentis proximis annis offendas, qui beatitudinis gloria celebretur. Et quis oon credat indignatos hac de cauſa mortalibus cœleſtes, Chriſtianorum ſanguinem belli cladibus exhauriendum permittere, Othomanorumque & hujuſmodi profanorum arma in dies magis & magis auxilio proſequi? Diſcant utinam hi, diſcant tot periculis edocti, quorum intereſt, vereſque illos Pontifices imitentur; nam vera inſtructi fide, candoriſque clypeo tecti, nihil eſt, quod gentium arma timeamus. Pro exemplo nobis ſint Maximi, Conſtantini, Theodoſiique cum Barbaris bella; cum parva manu uterque innumerabiles exercitus ſub Crucis vexillo internecione delevit. Sed vereor, ne expectari id æternum potius poſſit, quam aliquando coram videri. Auri cupiditas, quod per ambitum mox effundatur, peſſum omnia dat, & (niſi dilabaſcentem Remp. Dii ſuſtineant) perpetuo dabit.

Diocletianus Salonis Dalmatiæ ortus, utroque parente ignobili, virtute ſibi orbis regimen acquiſivit. Cum itaque reparando Imperio animum adjeciſſet, quod undique exſurgeotes tyranni pullulabant, Maximianum primo Cæſarem, dein Auguſtum dixit. Mediolanenſem hunc exſtitiſſe ex Caſtello Severi, vel, ut vernacula ſimplicitas appellat, Seprii, in Annalibus noſtris ſere ubique proditur. Nos aliquid certius ex antiquis non habemus; ut mirum ſit, hominem ob res geſtas clariſſimum patria ignotum auctorum negligentia eſſe, cum & tyranni vel breviſſimo tempore ad Imperium aſſumpti hanc iojoriam evaſerint. Cum igitur noſtrorum auctoritati oihil adverſetur, facile & ipſe in eam ſenteotiam iverim, ut Inſubrem credam; nam & bujus cognominis aliquos in urbe, dignitatibus etiam illuſtres, haud difficulter ex antiquorum tumulis quiſque deprehendet. Q. Maximianus Pontifex, ſcriba publicus, & curator Ærarii io Stephani æde adſcriptus eſt. Ad Nazarii vero Maclius Maximianus Veliranus Sexti Ordinis. Sunt & id genus ſimilia quædam. Sed hæc pro teſtimonio ſint ſatis. Enimvero Maximianus armorum gloria ferox, in Galliam profectus latronum duces Amandrum, Ælianumque cum ſcelerata factione mirabili celeritate confecit. Mox in Africam tranſlatus militia miſſos Gentianos milites univerſam Provinciam diripientes compeſcuit, & de eis pœnas ſumpſit; Craſſum quoque Britanniæ tyrannum aggreſſus eſt; ſed cum adverſus eum incaſſum moveret arma, icto fœdere, quod eripere non valebat, conceſſit.

Superatus io Oriente jam erat Diocletiani auſpiciis Perſarum Rex Narſes, & apud Ægyptum Achillens; quamobrem ex omni terrarum orbe receptis ſpoliis victorioſiſſimi Imperatores triumpha-
A verunt. Convenerat jam antea uterque Mediolani, cum ex Galliis Maximianus, ex Ægypto Diocletianus veniſſet; admiſſique in Urbem maximo honore, ut non ſolum Decuriones, quod moris eſt, ſed tota plebs effuſim obviam illis prodiverit. Miſit & Roma proceres ſuos, ſimilitudinem Majeſtatis Beatiſſimæ (ut Mamertinus ait) per ea tempora Mediolanenſium Civitati libenter imperiens, ut ibi Romam eſſe diceres, quo uterque Auguſtus venerat. Verum quamvis fauſtus & felix fuerit Maximiani adventus, Chriſtianis tamen non æque profecit; quippe per præcones edici mandaverat, ut ad veterа Deorum ſacra redirent omnes, & Antiquorum credulitate revocata novam Chriſti fi-
B dem abalienarent; parere negaotibus pœna mors erat; qua affectos civium quinque millia, & eo amplius, quidam ſcribuot. Adduxerat ſecum Thebæam legionem, cujus opera fideli & ſtrenua ſuperioribus præliis erat uſus. Horum Tribunus Mauritius, uti Chriſtiani nominis profeſſor, accuſabatur; indeque exploratum eſt, non ipſum ſolum, ſed & omnem legionem eadem de Diis opinari. Quamobrem Imperator eos primo rogare, ut meliora ſequerentur, & numinibus ſacra facerent, abnegantes, perſeveranteſque ſemel atque iterum decimari juſſit; & eum neque his malis cederent, miniſque, nec precibus avocarentur, ad
C unum una cum Tribuno ſecuri percuſſi ſunt. Qua de cauſa, & qui Bergomi tum erat, Alexander, ejuſdem legionis miles, paulo poſt delatus cæſuſque eſt. Eandem quoque fortunam experti Victor, Nabor, & Fœlix Mauri pugnatores; quorum Victor carceri incluſus cum Triumvirorum conſpiratione, ſex dies, ut inedia conſumaretur, etiam pane & aquis caruiſſet, nihil tamen iccirco affectus eſt; dein ſuſtium ictui ſubjectus, nullo adhuc dolore movebatur; quamobrem ſumpto ſupplicio, capite cæſus, in ſylvaſque beſtiis dilaniandum cadaver expoſitum eſt. Quis crederet? Abſtinuere ſancti hominis contactu fe-
D ræ; & cum ſexto tandem die, ut ſepulchro virum mandaret, Maternus Urbis Antiſtes veniſſet, quæ carnificinam facere debuerant, duas feras oſtendit innoxias, arcenteſque à cæteris malum. At Nabor, Fœlixque Laudem Pompejam, quod tunc ibi Imperator agebat, ducti, extra orbis portam prope ſcelerum fluvium ultimo & ipſi ſupplicio affecti ſunt. Sabina Mediolanenſis Matrona vehiculo Mediolanum delatos ſepelivit. Tradunt certiſſimi auctores Thermas eum cum periſtylis ædificaſſe, quas à ſuo nomine Herculeas appellari voluerit; nam & Auſonius Pocta, Mediolani, inquit,

Eſt regio Herculei celebris ſub honore lavacri,
E *Cuncta aque marmoreis ornata periſtyla figuis.*

Exſtant adhuc ſexdecim columnæ ſtriatæ, cum capitulis Ionicis; reliquiæ nimirum tanti operis. Exiſtimant alii ſenſiſſe de Hercules ſano Auſonium, quod Divo Laureotio ſacrum poſteriores nuncupaverunt; nam ex recentibus quidam auctores ſunt Herculi, quem maxime venerabatur, cum ſtruxiſſe templum, in cujus ombilico aorea ipſius Dei imago erat, throno eburneo inſidens, unde reſponſa excipiebaot Cives. Structuram delubri laudaveris, quod latiſſima teſtudine, profundiſque fornicibus edita, nulla tamen ferrea compage firmiſſima
F ſit. Verum ipſe haudquaquam arbitror Maximiani Cæſaris illud opus eſſe, quod & in feneſtris Cruces, & ædificii ratio noo ſatis perfecta arguunt. Quapropter aut Herculis ædem co in loco oon fuiſſe, aut, ſi fuerit, igne combuſtam crediderim, erectumque deinde Laureotio templum. In eo quoque anceps feror, quod firmioribus mœniis muniiſſe, duplicique muro vallaſſe urbem aliqui juoiores ſcribunt. Mihi ex antiquis hac de re nihil compertum eſt, ut id facile affirmare non auſim. Et illud minus cum ferrei ſæculi dictus parens ſit.

Exiſtimavere quidam hunc primum ferrea corona caput Mediolani redemiſſe; unde emanaverit conſuetudo, ut ille non Auguſtus, non Imperator exiſtimaretur, cujus tempora eo honore caruerint. Nam me nequaquam latet diverſa ſentire diligentiores, qui Henrico, qui Othoni Germano, qui Carolo id tribuant, hotumque unus omnino accipiendus eſt, re non adeo uſque veteri, ut Maximiani temporibus arrogetur. Atqui Germani Imperatores nihil commune cum Romanis habent, ex illis infenſiſſima, veteribuſque Germanis Alamannorum gente editi.

Hæc igitur cum Maximianus Mediolani ageret, Romæ Sebaſtianus, quem ſuperius quoque Mediolanenſem fuiſſe retulimus, Præfectus cohortis primæ Prætoriæ res memoratu dignas geſſit. Erant in vinculis Diocletiani juſſu Marcellinus & Marcus, iccirco cuſtoditi, quod vanam Deorum ſuperſtitionem prædicantes Chriſtianis acceſſiſſent. Hi cum parentis utriuſque precibus diu, & multum, ut ſententia decederent, tentarentur, pauxillumque precationibus fatigati nutarent, veritus, ut fatis conſtantes eſſent, Sebaſtianus protinus ad Nicoſtrati, cujus cuſtodiæ crediti adoleſcentes erant, ædes advolavit, adhortationibuſque, & orationis vi, ne parentum verbis cederent, adegit; mox uxorem Nicoſtrati Zoen amiſſa ex mala valetudine loquela ſuis genibus advolutam (ſanctæ religionis teſtimonium) miraculo ſoſpitem reddidit. Quamobrem non ejus vir tantum, ſed & juvenum pater Tranquillinus Chriſti leges accepere. Præfectus erat Urbi Chromatius, deplorata ſalute æger. Hunc, ſi ſtatuas, fuſileſque Deorum coloſſos confringeret, ſe morbo liberaturum pollicetur. Accipit contra ſponſionem Præfecti filius Tiburtius, ſi id minus factum ſit, Sebaſtianum fornace crematum iri; fruſtra de patris ſalute laborabat. Nam è veſtigio illum divinus vir priſtino membrorum robori reſtituit, &, quod ſalutare eis fuit, numen nec morte quidem atrociſſima affecti contempſere. Hæc cum Præfecto Prætorii explorata eſſent, ſuggeſſit ille Diocletiano, quemadmodum erga veteres Deos impium militem puniendum exiſtimaret. Primum precibus, blanditiſque Imperator egit. Cum nihil proficeret, Threicio more arbori innixum à militibus ſagittis juſſit peti; nec Principis juſſa quiſquam diſtulit, & niſi, cum egiſſe animam crederent, à Prætorianis ceſſatum. At Sebaſtianus intra paucos dies rurſus ingredientem Palatinas Diocletianum redarguere, duriſque verbis reprehendere. Quem iratus Imperator, quem periiſſe omnes arbitrabantur, donec mortem oppeteret, ſuſtibus ſubigi mandavit. Traditur in Longobardæ gentis Annalibus, Cuniperto Rege Ticini Cacodæmonem viſum, qui bono genio, quæ boſtia venabulo percuteret, imperanti, cum ſequens parebat, quotque ictibus incuſſiſſet valvas, tot inde mortales peſtilitate correpti efferebantur. Humanam opem excedebat malum, donec admonente ſanctitate inſigni viro dicata Sebaſtiano eſt ædes, tranſlatæque illuc, quas in Urbe Roma, in cælum tendens, exuvias reliquerat. Sic parata populis ſalus: coliturque hujus præſertim morbi propulſator, eo nomine ubique terrarum celebris. Nec vero quiſquam aut hæc uti minus biſtoriæ congruentia aſpernetur, aut fide indigna exiſtimet. Videmus certe idem ab antiquis, quos tam Græcos, quam Latinos auctores habemus, factitatum. Nam, ut Epidauri Draconis propulſata Romanis peſte paſſim cognitum numen miſſum faciam, Pauſanias gravis ſcriptor Peloponneſiaco bello in Athenienſes graſſante hac luc, tradit ex Delphico oraculo conditum Apollini Athenis templum, quo populis redempta eſt ſalus, fabrefactaque inde ab Leocare hujuſce Dei ſtatua, quem ille *Alexicacon*, quaſi *malorum depulſorem* dicas, appellavit. Idem in *Corinthiacis rebus* auctor eſt, cum Corinthiorum infantes paſſim occumberent, non prius ceſſaſſe iram ſuperum, quam Mermeto & Phereti Medeæ filius annua ſacra conſtituta eſſent. Si igitur profani auctores hoc Diis ſuis tribuere, poſteritatique commendare dignum duxerunt, cur noſtram fidem Chriſtiani exemplo ſimili non obligemus? Igitur cum privatim hæc, hujuſcemodique quamplurima adverſus ſacratiſſimos Dei cultores Diocletianus cum Collega inſtituiſſet, quod ex ipſo excidio plures quodammodo emergere videbantur in univerſum, ne infinitæ gentes oppeterent, legem tulit, ut, ſi qui ejus profeſſionis eſſent, altero lumine privarentur.

Cæterum haud ita multo poſt, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani ſeſe Auguſtali Majeſtate abdicaverunt; & in hujus locum Conſtantius Chlorus, Diocletiano Galerius Maximianus ſunt ſuffecti. At Conſtantius, cui Occidentalis Imperii adminiſtratio obtigerat, modeſtus vir, & omni ambitione procul, Italiam, Africamque Collegæ ceſſit, & in Britanniam profectus, ſummam tranquillitatem quieſcentibus Barbaris nactus, Eboraci demum relicto ex concubina Helena Conſtantino deceſſit. Interim Galerius, qui Italiæ præeſſet, Flavium Valerium Severum Cæſarem declaravit.

Verum quoniam diverſa ſignificatione ab Antiquis vox iſta capiebatur, neſcium eſſe non debet, poſt oppreſſam a Divo Julio Romanæ gentis libertatem, qui ſucceſſere, Cæſares, Auguſtos, Imperatoreſque indiſcrete appellatos. Sed cum poſterior ætas differentiam invenit, ut Cæſares hi tantum dicerentur, qui legitimi Principum filii Auguſtæ Majeſtatis hæredes deſignati eſſent, adminiſtratioque rerum illis interdicta, niſi fortaſſe in aliqua Provincia poteſtatis inſignia Auguſti juſſu haberent. Hinc nulla eis donativi militibus dandi facultas, nulla ſtipendii repræſentandi libertas erat. In Comitatu illos ſolum officiales agnoſcebant, quos retinendi Auguſtus poteſtatem feciſſet. Paulo amplior Imperatoria dignitas, quod qui eo nomine decorabatur, licet Auguſto ſubjectus, infraque eum gradum poſitus, quicquid tamen libuiſſet, munificentiæ gratia donare poterat, nec bis adſtringebatur legibus, ut ab aliis Palatinos, idque genus purpuratos aſſumere cogeretur. Auguſti appellaodi jus ordinu ampliſſimo diu reſervatum eſt. Uſurpavere demum id quoque legiones ſibi; Maximianuſque primum, poſthabita Senatus auctoritate, ab exercitu Auguſtus eſt dictus. Cæſarem nova illa ſignificatione primus Adrianus Ælium Verum nuncupavit; cujus deinde exemplum alii imitati traduntur.

Severus igitur Cæſar cum Italiæ præeſſet, ab urbeque feceſſiſſet, Prætoriani milites Maxentium Maximiani Herculei ſuppoſititium, ut quidam putant, filium Imperatorem fecere, ejuſque vires incredibile dictu tam cito creverunt, ut etiam acie decertare contra hoſtem non ambigeret; verum ille proditione militum Ravennæ, dum ad Galerium properaret, cæſus eſt. Maxentius vero jam omni metu liber, adulteriis ſtupriſque urbem pollnere, Senatorum ſanguine manus fœdare, magicis carminibus nihil non poſtpoſitum habere, donec à Conſtantino victus juxta Milvium pontem oppreſſus eſt; inimicitiarum bellique cauſam prætendunt aliqui Senatorum Urbis Romæ preces, quibus, ut eos à dira tyrannide eximeret, rogantibus, in Italiam tranſitis Alpibus Conſtantinus venerit, & Remp. juſtis ultus ſit armis. Potuit & illa diſcordiarum origo eſſe, quod merito infenſus Conſtantino Maxentius ob paternam necem foret. Nam Herculeus, cum, tanquam à filio ejectus, in Gal-

Gallias ſtigiſſet, Conſtantinique generi regno inſidiaretur, per Fauſtam, quæ virum patri prætulit, deprehenſus, & Maſſiliæ illo jubente occiſus eſt. Tantum abeſt, ut vera ſint, quæ Caſſiodorus haud dubio errore tradit, dum hunc ipſum Tharſi in Cilicia periiſſe in ſacra *Hiſtoria* teſtatur.

Verum quomodocumque res ſe geſſerit, diverſus Conſtantinus à patre moribus; regni amplificandi avidior, quamlibet cauſam bello indicendo, pumpendiſque induciis idoneam ducebat; nam & contra Licinium, qui Orientis Imperio fruebatur, arma movit, quoniam ille Chriſtiano nomini quam maxime adverſabatur, debellatoque poſt multa prælia hoſte, totius orbis habenas ſolus ſuſcepit. Tum per Provincias ubique Præfidibus, Præfectiſque ſucceſſores dati. Mediolanenſibus juri dicundo Euſtorgium Gallogræcum præfecit, ut mandata juriſdictione Æmiliam quoque, & Liguriam omnem gubernaret. Conſtantino perquam gratus erat Euſtorgius, tantumque ejus precibus tribuit Imperator, ut Cives ſolemni etiam quacumque penſitatione immunes fecerit, eodemque annitente trium Magorum corpora, qui infanti Chriſto munera obtulerunt, ut Conſtantinopoli Mediolanum adveherentur, conceſſit. Exſtat adhuc pergrandis eorum tumulus, ſeu cenotaphium magis, unde ablati Reges creduntur, cum Imperator Ænobarbus urbem æquavit ſolo, tranſtulitque eos in Coloniam Agrippinenſem. Ejus Civitatis Præſul incredibili Germanorum concurſu & gratulatione, qui etiam quotannis ad ſepulchrum viſendum, Divoſque adorandos ingenti multitudine confluunt; tradidereque id quamplurimi, qui id temporis res geſtas conſcripſerunt.

At longe diverſa, planeque his diſſidentia M. Paulus, qui res geſtas Scythicas proſecutus eſt, ſcripta poſteris reliquit. Auctor hic eſt in Perſide Urbem Sabbam eſſe, à qua trium dierum itinere diſtat caſtellum, quod Calaſatam indigenæ vocant, perinde ac ſi noſtra lingua, eorum caſtrum dicas, qui Ingibus divinos honores exhibent. Cujus quidem rei talem aſſignant rationem. Fuiſſe quondam ejus regionis tres Principes ad Solymos, ut tum recenti nato Prophetæ, aurum, thus, myrrham afferrent. Quod cum egregie obiviſſent munus, ab eo viciſſim clauſam pixidem recepiſſe, cum his tamen mandatis, ne eam reſignarent. Hæc cum, unde venerant, redeuntes Reges aliquamdiu obſervaſſent, dein vetita conati aperuerunt, repertumque in ea lapidem deſpicatui habitum merſere putei aquis: res mira: de cœlo protinus ejaculati ignes incendere puteum æternis flammis, quas gens illa colit, lucernaſque & lampades alio accendere igne, ſcelus non expiabile exiſtimat. Horum Regum tumuli Sabbæ viſuntur; nimirum tres arcæ auro & lapillis inſignes, vidiſſeque eas tercentis & eo amplius elapſis annis Marcus ipſe atteſtatur; ut quomodo ſibi hæc conſtare poſſint, non facile extricemus. Et hæc quidem Chriſtianæ legis cœleſtium par conditio eſt, dum quælibet Civitas ſibi aliquid arrogare contendit. Innumeræ Divorum reliquiæ, & plerumque eædem ubique gentium reperiuntur, & rumor falſis auctoribus principio vulgatus, ita demum animis nepotum inſidet, ut veriſſimum eſſe, vel jurati, affirment. Ecquæ Chriſtianorum, ne dicam Italiæ, Urbs eſt, quæ ex Salvatoris noſtri Corona ſpinas non habeat? tametſi tot fuiſſe dictu credibile non ſit. Nemo tamen hunc honorem patriæ ſuæ non vindicandum putavit. Accedat his, quod & plures Perſarum more à profanis cultoribus ſepulchro illati, aromatibus conditi, quod poſt tot annos incorrupti, integrique ſint, tanquam cœleſtes, hoc explorati miraculo, vulgi opinione exiſtimantur. Cæterum hæc nobis in commune dicta ſint. Nam quod ad Magos Reges attinet, Mediolani exſtitiſſe apud optimos auctores conſtat, proculque dubio nobis eſt falſa prædicare, & opinari Perſas, leviſſimam alioquin, veræque religioni ſemper infenſam gentem.

Igitur cum Euſtorgius Imperatorio nomine per aliquod tempus jura populis reddidiſſet, Materno defuncto, in ejus locum Sacrorum Urbis Antiſtes creatus eſt; fuitque ea res Conſtantino admodum grata, quod, quem ipſe civili adminiſtratione dignum judicaverat, populus Mediolanenſis ad Sacroſanctæ poteſtatis ordines promoviſſet. Vixit ille ea in dignitate annos ſexdecim, & poſt mortem inter Divos relatus ad xv. Cal. Octobr. celebri memoria ab Inſubribus colitur. Ea enim vitæ ſanctitate pollebat, ut nihil non à Deo Opt. Max. ſuis precibus imploraret. Exſtant adhuc antiqui verſus, ut tum tempora ferebant, & culti, & ſat elegantes. In his inter cætera id quoque ab eo ſumma omnium admiratione geſtum traditur. Interpellaverat ad libidinem Criſpum Cæſarem mariti ex alia muliere filium Conſtantini uxor Fauſta, renuentemque viro detulit, debiti parentibus immemorem honoris ſibi vim eum paraviſſe. Quamobrem præſtita uxori fide credulus Imperator Polæ Hiſtriæ oppido juſſit eum interimi. Sed comperta poſt aliquot annos fraude, pari ſupplicio Fauſtam affecit, peremptoque indigna morte privigno parentavit novercæ manibus. Tum ejus mortis ſolatium ſuperbiſſimum tumulum parari fecit, quo innoxii filii oſſa reponeret; advehebaturque interim Polam urna magnitudine arteque juxta inſignis. Ea cum Mediolanum appuliſſet, ulterius deferre nequaquam potuit, non ſi innumera armentorum paria adjunxiſſent, non ſi tota Urbs oneri inniteretur. Obſtat manifeſtum Dei numen, cedebanteque incaſſum operæ omnes. Quod ubi per nuncios edidicit Conſtantinus, ſatis reluctandum haudquaquam ratus, dono eam Euſtorgio dedit; quam parvo jugo adjunctis bobus, quocumque ſanctiſſimus Pontifex volebat, advexit; & cum animam ſuperis reddidiſſet, in ea conditus ſummo honore, & majori gloria parto tumulo, adhuc fœliciter cubat.

Per hæc tempora quis ordine municipali deſcriptus in albo Decurionum fuerit, non admodum mihi exploratum eſt. In antiquis monumentis eorum quamplurima nomina exſtant, quorum ætates diſcernere neque nobis expeditum eſt, neque ullis præterea alii erit; quod ſumma brevitate compendio notati meram nomenclaturam contineant; non ab re tamen fuerit, nec à noſtra diligentia abhorret, utrumque ſint, ea in medium proferre. Celebris inprimis apud Moguntiam eſt Q. Audaſius Acmazon Sextumvir Auguſtalis, qui Mediolani & Foro Populi Circum dedicavit. Retulimus ſuperiori libro ejus nos eſſe ſententiæ, ut quæ Moguntia vulgo dicitur, quandoque Forum Populi dictam credamus. Illud nunc addendum, quod ex Balbi *Commentariis* Julius Fronto *de Coloniis* tradit. Is auctor eſt Forum Populi Coloniam deductam, oppidumque muro cinctum, in quo iter pedum quinum denum populo debebatur, cum ejus ager militibus Auguſti aſſignatus eſſet. Nam & Imperator Veſpaſianus poſtea lege ſua agrum cenſeri juſſit. Verum ſitne id oppidum, cujus in Inſcriptione mentio eſt, cum in Albano monte Foropopulienſes Plinius collocet, haud affirmare auſim; libera ſit unicuique abſque aliquo præjudicio ſententia in re tam obſcura, & non ſane magni momenti. Circum omnino Mediolani fuiſſe, præter Auſonium Poetam, indicat adhuc Mariæ ad Circum ædes, traduntque aliqui tercentis ſupra annis à Galdino Urbani Sacri Præſule deſtructum; quo potiſſimum nomine injuriis cum inceſſit Merula, tanquam craſſa quadam Minerva preſſius pulcherrima opera, quibus etiam Barbari, & feræ gentes pe-

pepercisſent, aboleverit. Nos in re, cujus ex idoneis ſcriptoribus nemo meminit, ſi liberæ conjectoræ eſt locus, longe prius cecidiſſe opinamur; ut mirum ſit, nullo auctore Merulam tam petulanter in ſacræ Religionis tum Principem, & divinis honoribus nunc cultum Iovebi. Referuntur & Decuriones Geminii tres, Elegans, & Leander Sextumviri, & hoc honore amplius Curator Ærarii L. Geminius Meſſius. Hujus inſignis eſt pietas in Herculem, quod voto ſolutus libero munere Stylobaten illi dedicavit. Sunt & C. Caſſius Thyrſus, M. Fulvius Phillus, Q. Octavius Victor, Tiberiuſque Firmus, Sextumviri, & ipſi omnes dignitate quoque inter alios Princeps Aurelius Valentiuianus Exarchus, omnino ante ea tempora celebris, quam Ravennæ is Magiſtratus Conſtantinopolitani Cæſaris juſſu præſideret; nam antiquiorem hanc dictionem eſſe, etiam ex utriuſque Theodoſii Epiſtolis cognoſcere in promptu eſt. Certe & Athenienſibus jampridem ſine provocatione jus Exarchus dicebat, & non multum abſimilis Dictatoria poteſtas Romæ habebatur; ſunt & qui tradant, poſteaquam Conſtantinos irato nobis Deo, nobilitatem Romanam Byzantinm transſcripſit, Patricium Romanum, eundemque Conſulem Exsrelium appellari cœpiſſe; tametſi de Valentiniani hujus dignitate non tam diſputem, quam, noſtra quæ ſit opinio, ingenue in medium proferam; nam me quidem adjutore, nemo in Merulæ ſententiam iverit, qui horum monumentorum argumento, ſicut Ravennæ, ita quoque Mediolani ſedes collocaſſe Exarchos arbitratus eſt; debile id frivolumque teſtimonium; quonam & nomen proprium eſſe Exarchus potuit.

Sunt etiam ſuperioribus adnomerandi Virilliones duo, Q. Campilius, & L. Valerius Sextumviri; quo Magiſtratu inſignis etiam P. Urſius Paulus habetur, Curator quoque Ærarii deſignatus. Horum muneris eſt de vectigalibus fundis penſionem exigere, à Collatoribus, aut anri publici perſecutoribus pecunias, metallaque percipere; ad aliamque aſſumi dignitatem illis nefas, priuſquam hoc procurationis officio condigne functi eſſent. Legitur & Valerius Tacitus Sextumvir, & Niciasejuſdem gradus, niſi quod Tacitus Auguſtalis, Palatinus quoque libertus traditur; ut mirum ſit, quomodo in municipali ordine adſcriptus fuerit, cum Lege Julia Viſcellia nominatim hoc honore liberti arceantur; cootrariaque legi affectantes extra ordinem damnati infamia quoque notentur; niſi fortaſſe hac exempti pœna Palatini eſſent, quorum omnino auctoritas erat major, ut plerumque Urbium, Provinciarumque procurationibus a Cæſare præficerentur. Laudanda etiam C. Calviſii Secundini Sextumviri juoiotis liberalitas, qui Herculi in Petra ſacra decuriam, itemque aram ſtatuit. Colebatur, uti arbitror, hac nuncupatione Mediolani Hercules, ſive à nomine regionis, ſive aliunde accita voce; nam Herculis Petram in Stabiano Campaniæ Sinu Plinius *lib.* XXXII. prodidit. Æternali quoque famæ L. Tiutii Merulæ memoriam Trebia Philumela conſecravit, qui Sextumvir, Triumvir, Quartumvir celebratur. Præſignis & P. Horatios duplici Quartumviratu, quod appellationibus & juri dicundo præeſſet. Sed & Q. Tutilius Baſſus Sextumvir junior in Marliano pago nomen ſervat. Memorabilis etiam Q. Lucilius Charinus Sagarius Mediolanenſis Sextumvir, cujus nomine inſcripta baſis in Maccratæ agro, ex Sabini fano vetuſtate collapſa, io magoi Juliani Sacrarium eſt traoſlata; ut in peregrino quoque oppido civis noſter Lucilius docta per hominum ora continuo verſetur. Diverſus ab hoc T. Lucilius præter Sextumviratum Auguſtalis, qui in Ticinenſis Portæ ſuburbanis ædibus adhuc cognoſci poteſt.

Verum & operæ precium fortaſſe facturus ſum, ſi integram elaboratiſſimi cujuſdam Stylobatæ Inſcriptionem retulero; hæc eſt hujuſmodi:

AESCVLAPIO, ET HYGIEAE SACRVM. C. OPIVS C. L. LEONAS VI. VIR ET AVG. HONORATVS IN TRIBV CL. PATRVM, ET LIBERVM CLIENTIVM. ET ADCENSVS PATRONIS SANCTISSIMIS COMMVNICIPIBVS SVIS O. O. QVORVM DEDICATIONE SINGVLIS DECVRIONIBVS *X. II. *X. IIIAVGVSTALIBVS, ET COLONIS CAENAM DEOIT.

Fuit hæc liberaliſſimi civis munificentia, quam requaverit, neſcio, an potius ſuperaverit C. Valerius Brocchus, qui ſeſtertiorum denis millibus arbitratu Valeriæ ſororis monumentum ſibi fieri teſtamento juſſit. Eſt & Tenethon P. Tutili Caliphontis VI. vir ſenior patronus controverſiarum XII. Collegiorum, Ærarii curator, & Auguſtalis allectus Mediolani, tum negotiator ſtipis argenteæ; tot dignitatibus non adauctus tantum, ſed pene oppreſſus.

Cæterum & id ætatis familias, quæ frequentiores Mediolani floruerint, recenſere non ab re fuerit, ot quicquid Urbis antiquitatem refert, quominus deſideretur, emergat ad lucem. Nec vero mihi perſuadere non poſſum, felices Veterum animas, ſi quis ſepultis ineſt ſenſus, non admodum lætari, cum toi annorum curriculis obliteratam, & ab omni recordatione excuſſam eorum memoriam dignitati ſuæ reſtituimus. Igitur his exceptis, quæ ex occaſione ſupra retulimus, gentilia antiquorum hæc ſunt nomina: Fabii, Primiivi, Gellii, Novellii, Caninii, Cillones, Vitellii, Piſii, Ruſſii, Attilii, Sattii, Novelliones, Græcini, Statii, Sulpitii, Trutedii, Magii, Meſtri, Sentii, Octavii, Junii, Septimii, Marii, Maſcelliones, Comioii, Virii, Valerii, Albuni, Cælii, Surdinii, Oppii, Morrenates, Aceilii, Gallones, Minicii, Pontii, Lentuli, Vitaliones, Horatii, Hermetes, Quinctiones, Albini, Manlii, Allii, Terentii. Horum Horatii io pago montis Orphani magis celebres; ſicut Morrenates & Fabii apud Brutianum; Terentii penes Beſnatum, Vitaliones in Alciato oppido. Sont & Areluni, Albutii, Caſſiani, Curtii, Cornelii, Craſſi, quorum familias nominis ſimilitudine Arluni, Bucii, Caſſani, & qui à Curte, tum Corneni, Graſſique, æmulantur; etſi nequaquam ipſe eorum ſententiam probem, qui hac ratione ab antiquis origines auſpicantur ſuas; tam frequenter oppreſſa Urbe, cæſiſque à Gothis præſertim civibus; ut vix hominum mortalitatem perſpicienti id poſſibile cenſendum ſit. Nam ſi ob longam temporis intercapedinem in *Verrinis* M. Cicero ſe negat a M. Tullio, qui Conſul foerat, & anois peoe ducentis præceſſerat, prognatum, quanam fiducia poteruot hi tam longa ſerie ſuos dinumerare auctores?

L. FABIO M. F. GAL. CILONI
SEPTIMINO COS. PRAEF. VRB.
LEGG. AVG. PROPR. PANNON.
SVPER. DVCI VEXILL. LEG. PROPR.
PROVINCIARVM MOESIAE SVPER.
PONTI, ET BITHYNIAE
COMITI AVGG. LEGG. AVGG. PROPR.
PROVINCIAE GALATIAE PRAEF.
AERA. MILITARIS PROC.
ITEMQVE LEG. PROV. NARBONENS.
LEG. LEG. XVI. FL. ET SAMOSATE
SODALI HADRIANALI.
PR VRB TRIB. PL. Q. PROV.
CRETAE TRIB. LEG. XI CL.
XVIR STLITIBVS IVDICANDIS
MEDIOLANENSES
PATRONO.

ACONTIO.
L. RANIO OPTATO C. V. COS.
CVRATORI REIPVBL. MEDIOLANENSIVM CVRAT.
REIP. NOLANORVM PROCOS. PROVINCIAE
NARBONENSIS LEGATO AVG. ET IVRIOICO
ASTYRIAE GRAECIAE CVRATORI VIAE
SALARIAE CVRATORI REIP. VRVINATIVM
METAVRENSIVM, LEGATO PROVINCIAE
ASIAE. PRAETORI, TRIBVNO PLEBI ET
QVAESTORI PROVINCIAE SICILIAE, &c.

A N-

ANDREAE ALCIATI,
J. C. CELEBERRIMI,

RERVM PATRIAE,
SEV
HISTORIAE MEDIOLANENSIS,
LIBER IV.

EPITOME LIBRI IV.

Magnentius Mediolani Decentium fratrem Cæſarem facit. Conſtantius magna clade Magnentio devicto Mediolani in hyberna conceſſit. Ad Laurentii ædem ubi Therma palatium incolit. Officiorum palatinorum nomenclatura, explicatio: quinam ex Mediolanenſibus ea geſſerint? eorundem eulogia. Conſtantius in eadem civitate genio & delatoribus indulgens Gallum, quem Cæſarem fecerat, circumvenit, & occidit: ejuſdem vanitas & olatio. Merobaudi monumentum in Brigantes collibus agri Mediolanenſis erutum. Adulatores principibus pernicioſi. Urſicinus apud Conſtantium accuſatus, quod ad Imperium aſpiraret, liberatur. Flavius Julianus, Galli frater, accuſatus quod res novas moliretur, Imperatoris ſæviciam evadit. Idem Imperator multos innocentes obtruncat, noxios liberat. Marinus in convivio liberius de Conſtantio obloquutus plectitur. Brigantii Lemanenſeſque Rhætias infeſtant. Silvano Galliarum Duci a Dynamio pernicies ſtruitur: re patefacta Silvanus liberatur: Accuſator pœnas luit. Silvanus rebus ſuis diffidens Imperatorem ſe facit; obtruncatur. Conſtantius Arrianus favet. Fit Concilium Mediolani trecentorum Epiſcoporum. Auxentius Dionyſio ſufficitur. Liberius Romanus Pontifex, & Dionyſius in exilium mittuntur. Conſtantius Athanaſio Alexandriæ Antiſtiti, Orthodoxæ fidei propugnatori, valde infenſus. Ob ingruentes Galliarum calamitates Flavium Julianum Mediolanum accitum Cæſarem dicit: eidem ſororem Helenam in matrimonium locat. Hilarii Pictavienſis cum Auxentio Mediolani de divinis dogmatibus diſputatio. Ab Arriano Urbe ejicitur. Julianus parem Conſtantio Majeſtatem affectat: immemor acceptæ gratiæ in eundem hoſtilia machinatur. Martinus, qui poſtea Turonenſibus præfuit, ab Auxentio Mediolano ejicitur. Vitis Medica à Martino plantata. Dionyſius priſtina dignitate reſtitutus moritur. Aurelius Archiepiſcopus, ejus corpus Mediolanum vehendum curavit. Valentinianus poſt multa pericula Mediolanum venit.

CONSTANTINUS ſenior ex Fauſta filios tres, quos Imperii hæredes reliquit, diviſo inter eos ita terrarum orbe, ut Conſtantinus Gallias, Hiſpanias, Alpes Cottias, Britanniamque cum Inſulis acciperet: Conſtantio Oriens, & Thracia; Conſtanti quicquid Græci nominis reliquum erat cum Illyrico cederent. Verum inter eos non diuturna pax exſtitit. Adverſus fratres injuſta arma primus Conſtantinus movit, quod ſe in ea diviſione dolo malo ab eis captum diceret. Quamobrem ſuperatis Alpibus Aquileiam uſque ſubactis Italis progreſſus erat, cum in inſidias lapſus, à Conſtantis Ducibus circumventus, occiditur. Conſtanti portio devicti fratris biennio acceſſit. Hinc, ut in ſumma felicitate ſeſe moderari difficillimum eſt, converſo ad delicias animo, moroſior factus, provincialibus primum gravis, mox legionibus, & illiberalis viſus, à Magnentio, miſſis perculſoribus, interceptus eſt. Erat Magnentius Auguſtæ Vindelicorum ordinum Comes unius convivii, quod ajunt, decreto Imperator factus; nam cum à mane ad veſperas more gentis epulum militibus exhibuiſſet, indutum murice, & extra cubiculum egreſſum illi Auguſtum ſalutaverunt. Tum mox coacto exercitu ingenti agmine Italiam petiit, & Mediolani diu immoratus fratrem ſuum Decentium, ut Gallias tueretur, interim Cæſarem fecit, percuſſaque in ejus nomen moneta, cujus inſcriptione Auguſti fortunæ ſimul, & Cæſaris victoriæ dignitatis partæ honorem tribuit. Sergio, Nigrianoque Conſulibus hæc Mediolani acta traduntur. Romæ vero tyrannidem Nepotianus invaſerat, Conſtantini conſanguinitate audax juvenis, & gladiatorum princeps. Sed cum dies duo de triginta regnaſſet, factione Magnentii, qui, licet abſens, plurimum Romæ tum poterat, interfectus eſt.

At Conſtantius, qui in Oriente bellum adverſus Perſas gerebat, audita fratris cæde, ad civilia arma ſe præparavit, & ne per occaſionem Perſæ Romanorum Provincias adorirentur, Gallum conſobrinum ſuum Cæſaris dignitate inſignivit, & Antiochiam Syriæ propugnaculum miſit. Tum Magnentii fraudes, immeritamque Conſtantini necem ultum venit. Erant in armis hominum pene centum millia; vario eventu pluries certatum; noviſſime conſerta manu, cum utrimque quinquaginta quatuor virorum millia cecidiſſent, victus Magnentius in Nurſam Galliæ Caſtrum fugit. Ibi exercitus reliquias allocutione firmaturus, malum omen accepit. Cum Conſtantium dicere vellent, *Conſtanti*, acclamaverunt, *Auguſte tu vincas*; quamobrem territus Lugdunum magnis itineribus contendit, & cum alterum fratrem cum matre cæſum comperiſſet, gladio & ipſe occubuit. Domeſtica exempla ſecutus Cæſar Decentius, laqueo uſus eſt; Conſtantio ſextum, & Gallo iterum Coſſ. Tum non ita multa poſt eum Arelate Tricennalia vota victor Auguſtus maximo Ludorum apparatu edidiſſet, Geruutium Comitem, uti Magnentii fautorem, delatum exilio damnavit; quam ſortem commiſſo eodem delicto accuſati ex Italia & Britannus quamplurimi ſubiere. Valentiam dein delatus cum Alamannorum Regibus * Gondeundo, Vademarioque icto fœdere, ſolemnique ritu peractis omnibus ad hiberna Mediolanum venit; ibi omnis fortunæ, viciſſitudiniſque ſecurus quieti incumbebat.

* Apud Amm. Marcellinum *lib.* XIV. *cap.* X ubi ſcribitur *Gundomadus*, & *Vadomarius*.

E

bebat. Verum qua Urbis regione habitaverit, tihil eſt, quod pro comperto affirmem. De re (quando & Poeta Auſonius Palatinas in hac urbe arces celebret) non ambigitur; locus ipſe controverſiam ſolum facit. Noſtrates Hiſtorici ad Georgii templum Trajani Prætorium fuiſſe contendunt, quod & annoſa ulmus non multum inde diſtans, eo cognomine vulgo prædicetur. Honorii Imperatoris ædes quidam crebrioribus conjecturis ad Hortum, qui nunc Divi Ambroſii ſit, collocant; decantataſque Claudiano Poetæ nuptias non alio loco contractas opinantur. At Herculii Maximiani palatium certioribus (Mamertino præſertim) quin Mediolani exſtiterit, nequaquam ipſe dubitavero; neque abſimile vero eſt, Thermis, quas de ſuo nomine appellavit, fuiſſe junctum: earum ad Laurentii certiſſimæ ruinæ adhuc ſuperſunt. In progenitoris ſui ædibus habitaſſe Conſtantinum mihi credibile admodum videtur.

Sic Imperatoris præſentia nobilitata Civitas Palatinas quoque officiis frequens erat; quorum ordines ut paulo accuratius referam, quod ab aliis res nequaquam prodita eſt, maxime adducor, tum etiam quod his, quæ hoc libro dicturi ſumus, non mediocrem lucem hujuſmodi videntur allatura. Referuntur in primis Comites, quorum alii ſacrarum largitionum, alii rerum privatarum, quidam Conſiſtoriani vocabantur. Ex his, qui largitiones procurabant, non aurum tantum argentumque, aut cætera de provincialibus munera ſollicitare, ſed de Judicum deſidia iniquitateque ad Auguſtum referre tenebantur, ut ſi qui privatim potius ſibi quam publicæ rei conſulerent, haud immerito plecterentur. Privatæ vero rei Comites in cauſis fiſcalibus pronunciabant, harumque litium diſceptatores habebantur. Conſiſtoriani, quod Imperatoris Comitatum ubique ſectarentur, dignitatis honore nec Proconſulibus cedebant. His Magiſtratibus Mediolanenſes quoque quoſdam functos opinari libet. Siquidem ingredientibus Francifci templum à læva in veſtibulo occurrit antiquus tumulus; cujus epigramma, à marmorario non ſatis docte ſculptum, ſic incipit, *Lux patria*, &c.

Mittebantur etiam extra ordinem Comites, qui rei militari præeſſent, itemque qui Provincias gubernandas acciperent. Hi Præſidum inſtar primi ordinis cenſebantur; illi mandatam à Magiſtro militum juriſdictionem exercebant; plerumque etiam propria auctoritate Principis beneficio, quicquid placuerat, aggrediebantur; ductiſque trans maria Legionibus Provincias defendere, cum hoſtibus acie congredi, aut eos obſidione ſubmovere illis jus erat; Ducumque potentia ſublevati ſummam poteſtatem in exercitu habebant, & hoc officio cum egregie functi eſſent, Vicariæ dignitatis poſt depoſitam adminiſtrationem privilegio fruebantur. Hinc originem traxiſſe Vicecomites ipſe crediderim, quorum arma tercentis abhinc annis ita ex Inſubribus propagata ſunt, ut ſuorum temporum nemini aut rerum geſtarum gloria aut diutino ſucceſſu cedant. Nec nos quicquam movet illa non ſat Latina ſubrogationis vox, quomam ea ſub illis Imperatoribus moleverat conſuetudo, ut inter has dictiones differentiam non agnoſcerent; nam & in Juris Civilis collationibus Viceconſules Beliſarium, Baſilidem, Joannem ubique Juſtinianus appellat; qui tamen dubio procul juſti Conſules fuerunt. Uſu enim vocabula innovari, mutarique accepimus. Igitur ab aliquo ortos, qui fortaſſe Comitis titulo Inſubribus ab Imperatore miſſus jura reddiderit, celebris hujus familiæ nomen argumento eſt, etſi alii tradant, quæ ad præſens inſtitutum minime quicquam attinent.

Annumerantur & in Palatinis officiis Domeſtici, qui quoniam à ſecretis Principis erant, & Imperialem Majeſtatem adorandi, & Prætorio Præfectos oſculandi facultatem habebant. Eorum Tribunum aliqui Primicerium appellant; ipſe ex veteri Inſcriptione Protodomeſticum malim. Siquidem ſuperius quoque à nobis Elvii Aurelii Mediolanenſe monumentum relatum eſt, qui hac dignitate honeſtatus fuerit. Sunt & Silentiarii, quos palatii ipſius Decuriones recte dixeris. Hi triginta numero, ubi honeſtam miſſionem acceperint, inter Senatores pari honore agunt; muncrum tamen, cæterarumque functionum exſortes, dignitatis participes ſunt. Privato quoque legis municipalis beneficio decorantur, quod à collationibus immunes, nec hoſpitem ſuſcipere, nec tyronibus equos præſtare, nec alium judicem, quam officiorum magiſtrum agnoſcere coguntur. Protectores etiam parazonio illuſtres Principis ſalutem tuebantur; ſi per quinquennium à Comitatu abfuiſſent, cingulo, uti deſides, illos ſpoliandi fas erat; Conſulari dignitate fruebantur; eorum Tribuno altior gradus. Eſt in Victoris Martii propylæo ſilicea arca, innumeris inſcripta notis, quæ Martiniano cuidam protectori ab hæredibus facta fuerit. Erant etiam Proximi ſacrorum Scriniorum, inter quos negotiorum diverſitate multa differentia. Alii namque ab Epiſtolis erant; quidam à libellis, diplomatibuſque, quos Cornicularios appellant; à memoria, & regeſtri alii. Traduntur & agentes in rebus Ducenarii, Biaveji, Centenariique. In his erant artifices, diſpenſatores, Scripturarii, & id genus neceſſaria Auguſtis officia. His qui præerant, præpoſiti, agentiumque Principes dicebantur; honoratiſſimum munus, nec niſi per gradus adeundum, quod Præfectorum Prætorio ſeminarium quoddam eſſet. His addendi Curioſi; vox frequens, & Julio quoque Firmico nota. Horum officium fuerat, commiſſa à Palatinis delicta referre ad Præfectos, vel ſi qui paulo inferioris fortunæ forent, ut pœnis etiam ipſi atrocibus proſequerentur. In aula frequentes quoque Fullones, Veſtitores, Pictores, Pincernæ, ſimiliſque profeſſionis miniſtri, quos Caſtrenſiarios vocabant. Exſtat in præſentem diem apud Templum maximum marmoreus ſtylobates, quo T. Ponti majoris negotiatoris Lentiarii, & Caſtrenſiarii nomen legitur. Hic, non ſat ſcio, an ad Palatinum munus quicquam pertineat; ſicut & illud apud me dubium eſt, num qui ad Domnini legitur Rutilii Magonis ex Quatuor Annonæ Præfectis tumulus eos Præfectos ſignificet, qui militibus, an potius Palatinis commeatum expediunt. Nam & officium id non utile tantum, ſed etiam neceſſarium erat. Qui annonam ipſam à provincialibus exigebant, opinatores dicti ſunt. In univerſum quatuor dignitatum gradibus officia contineri conſtat. Illuſtres primas habent, quos ſpectabiles ſequuntur; hinc clariſſimi, & inde perfectiſſimi. Attilium Creſcentem ſupra retuliſſe meminimus ex tabulario palatii eo honore celebrem, ut perfectiſſimus diceretur. Et hæc quidem hactenus. Nunc ad inſtitutum ſcribendi genus redeo.

Igitur Conſtantius cæteris apud Inſubres amotis curis, quieti luſibuſque operam dabat. Sola una ſollicitudine angebatur, quanam ratione Gallum, quem Cæſarem feciſſe pœnituerat, ex humanis eximeret. Immanis efferuſque erat Gallus, ad omne patrandum ſcelus audax, naturæ malæ, praveque, cujus alioquin temerarium ingenium conjunx, Auguſtique ſoror, Conſtantia, uti mortalis quædam Megera, accendebat. Hac ſuadente nobilis vir Clematius Alexandriæ ortus, indicta cauſa, occiſus fuerat. Calumniam intendiſſe, non impetrato concubitu, iratam illius ſocrum tradunt. Ad hujus exemplum innoxii plures necati, alii ejecti bonis extorres eo inopiæ redacti erant, ut collaticia ſtipe victitarent. Non latebant Auguſtum ſceleratiſſima horum facinora, feceratque primo cum certiorem his de rebus Præfectus Prætorio Thalaſſius;

laſſus; ſed incitatus maxime aſt Domeſtici & Protectoris ſui Herculam nuncio. Retulit is largitionum Comitem Domitianum, Quæſtoremque Montium, obviam Galli ſævitiæ euntes, militum gladiis ab eo objectos cruciabiliter periiſſe. Quamobrem diſſimulata ira Conſtantius, litteras ad ſororem ſcribit, fictiſque blanditiis, ut ad ſe cum viro properet, hortatur; angi ſe maxime eorum deſiderio, tantamque ſui erga illos amoris vim eſſe, ut abſentiam æquo animo ferre non poſſit. Habere præterea ſe in Republica res novas, quæ nonniſi præſente, conſultantequeCæſare explicari poſſent. Barbarorum incurſionibus vaſtari Gallias, diripi fertiliſſimas regiones; quid potiſſimum remedii afferendum ſit, cum eo ſe velle agere.

Hæc & his ſimilia cum perſcripſiſſet, dubitare primo Conſtantia, & quamvis germani excidio quoque gravem plerumque iram formidare. Contra, ſi juſſis non paruiſſet, graviore & tanquam juſta cauſa commotum multo magis pertimeſcebat. Tandem itineri ſe accinxit; ſed cum in Bithyniam perveniſſet, apud Cænos Gallicanos febre exſtincta eſt. At defuncta uxore Cæſar longe magis cunctari, & niſi Palatinorum perfidiam veritus eſſet, fugam decernere; maxima enim ſpes ſuberat placandi per ſororem Imperatoris; qua ſublata tanquam nihil ſibi reliquum eſſet, extrema moliturus videbatur. Impulit labantem Scutariorum Tribunus Scudilo, dicendi artem ſubagreſtis ingenii ſpecie occultans, & iccirco ad perſuadendum magis efficax, & ut trahentibus ita fatis hominum ingenia hebetantur, ſic Scudilonis pernicioſo conſilio uſus parendum exiſtimavit Auguſti juſſis. Quocirca per diſpoſitos equos curſu publico accelerabat iter, allicientque cum blanditiis Comites, donec prope Polam Hiſtriæ oppidum ventum eſt. Ibi Euſebius cubiculo præpoſitus, & Pentadius Notarius, † Mellobandeſque armatorum Tribunus (quod ita in mandatis ab Auguſto Mediolani acceperant) eum interrogant, quotapud Antiochiam injuſte occiderit, judicioque cauſas ſciſcitantur, dum uxoris juſſa voluntate cauſaret; raptus Agentis in rebus Apodemii ope, ligatis manibus in latronis noxii modum, capite cæſus eſt, relictumque, vultus corporiſque dignitate erepta, cadaver informe, paulo antea urbibus provinciiſque formidatum. Nec Galli, licet impii hominis, cædem inultam percuſſores tulere; nam & ipſi, paria facientibus Diis, non multo poſt infelici morte pericrunt. In Brigantiæ Mediolanenſis agri collibus effoſſum eſt Merobandi monumentum, qui neſcio (quod barbara nomina inverſione aliquarum litterarum ſemper Latinis proferuntur) an is fuerit, quem * Mellobandum Conſularem virum à Maximo tyranno cæſum legere memini, quod pro Valentiniano Juniore diverſas partes ſecutus in acie fuiſſet. At Apodemius eluctante adhuc Cæſaris anima, raptis ejus calceis, citatiſſimis equis, ut nimio cogendi ardore etiam quoſdam exſtingueret, præcurſorius index Mediolanum advolavit, è veſtigioque Regiam ingreſſus, ſpolia occiſi Principis ante Conſtantii pedes projecit, &, ut omnis res opinione celerius tranſacta fuerat, cum docet. Eſt is nuncius ſumma alacritate Auguſto acceptus, quod non difficilis tantum, ſed pene deſperata res tam felici eventu finem ſortiretur. Hinc aggreſſi adulationibus pronas aures purpurati, virtutem fortunamque Imperatoris vocibus extollere, ſupraque omnem humanæ conditionis aleam poſitum prædicare; eas regni ſui vires eſſe, ut nullo caſu labefactari, nedum proſterni poſſent. Oſtendiſſe id diverſis temporibus duos Principes, quorum abjurato in Illyricis imperio Veterannius exauctoratus, in Norico Gallus neci deditus; quo adulationis ſtudio ille allectus, applaudentium verbis fide adhibita, ſemet admirari, & ſe ipſum (quod ajunt) canere cœpit; tum veluti mortales egreſſus metas, immortalem ſe credere, & quoties reſcriptis, diplomatibuſque ſubſcribendum erat, ſeſe æternum fateri. Leguntur paſſim in Civili Jure Conſtitutiones, quibus aliquando æternitatem ſuam adſcribit, aliquando totius orbis dominium falſa aſſeveratione ſibi vindicat. Ea reſcripta Mediolani edidiſſe Conſtantium Marcellinus auctor eſt. Adulatio ſcilicet Principum peſtis, lethali muſſo mentes ebrias reddit, ut nonniſi adveniente miſeria excitentur, veraque tum demum audiant, cum infauſtus aliquis caſus eos circumvenit. Sic ejecti regno quamplurimi leguntur, dum nihil ulterius ſciunt, quam quod ſcire aſſidui auribus adulatores patiuntur. Qua potiſſimum ratione miſerabilem Imperatorum ſortem Diocletianus damnabat.

Igitur iidem purpurati, & horum inprimis Arbetio percuſſus palpo aures innocentium quoque calumniis onerant. Defertur tanquam affectatæ tyrannidis reus Orientis Comes, atque idem animi, induſtriæque prope ſingularis Urſicinus. Ante Galli necem ex Perſarum limitibus accitus Mediolanum venerat. Perſuaſum enim ab Arbetione Imperatori fuit, ſi civilibus armis cum Gallo diſceptaretur, ſore, ut interim Urſicinus militum ſtudiis ſubnixus, præterea fortiſſimus Dux, majora meditaretur. Subolcſcere Imperio adultos ejus filios, non patris tantum gratia, ſed & proprio decore, ſuiſque virtutibus claros. Quibus rebus Imperator commotus ſub bonoris prætextu eum accerſiverat; interimque clandeſtinis conſiliis Arbetio & cæteri tam enixe ejus ſalutem oppugnaverant, ut juſtis defenſionibus oculuſas aures Conſtantius gereret. Moverat ſuſpicionibus etiam leviſſimis addictum hominem, quod per Orientis omnes Provincias longe & late Urſicini famam increbreſcere delatores monuerant, eamque ſibi populorum benevolentiam cum comparaſſe, ut jure meritoque Imperatori formidoloſa tanti Ducis potentia eſſe poſſet. Igitur in Regiam deductus Urſicinus, neutiquam his malis eedere, nihil auctoritate ſua indignum dicere, innocentiamque ſuam evidentiſſimis ſignis exponere. Sola eum macerabat cura, quod ab his, quos minime oportuit, Læſæ Majeſtatis reus ageretur; fortunamque ſecuti ejus veteres amici ad potiores deſciverant. Improbitas Arbetionis omnem excedebat modum, quod fictis illecebris uti ſortiſſimum virum Collegam coram laudatum, clam inſidiis appetebat. Ergo communicato paucis quibuſdam arcanorum Præfectis conſilio pronunciat Imperator, ut procul à militum conſpectu tractus ſequenti nocte Urſicinus indemnatus occideretur. Interim dum deſtinatum facinori tempus exſpectant, mutato animo, ſen popularium invidiam veritus, ſeu melioribus conſiliis fide adhibita, abſolvendum eſſe cenſuit.

Fruſtrati opinione ſua delatores, calumniarum machinas in alios vertunt. Erat Galli Cæſaris frater Fl. Julianus, adoleſcens adhuc, & cujus ætas præter optimam ſpem præſtare quicquam non poſſet, Is à Conſtantio ad Marcelli fundum, qui in Cappadocia eſt, relegatus, Conſtantinopolim venerat; quamobrem duplici crimine accuſatus eſt, quod adverſus Auguſti juſſa Cappadocia, ſive, ut Caſſiodorus mavult, Nicomedia, exceſſiſſet, itemque quod Conſtantinopoli cum fratre Gallo diutius verba feciſſet. Itaque ad Principem Mediolanum deductus, cum dicendi copia ſibi facta eſſet, objecta, ut Ammianus auctor eſt, diluit; quoniam nonniſi petita prius venia quicquam fecerat. Caſſiodorus fuga Mediolano dilapſum tradit, invioſque per ſaltus diverſis locis latuiſſe, donec exorato per Euſebium Imperatoris conjugem viro abolitionem impetravit. Perductus itaque Comum, cum ibi paulſper traxiſſet moram, ſtudiorum cauſa ad Græciam ire permiſſus eſt.

† Legendum, *Mallobaudes*, vel *Melobaudes*.

* *Merobaudes* in dicitur Amm. Marcellino, *lib.* XXX. *cap.* 2. & Zoſimo *lib.* IV. Pacatus vero in *Paneg.* refert, ipſum juſſu Majorani mortem ſibi conſciviſſe.

Decreverat enim Athenis philoſophiæ operam dare, ſeu quod ita vere ſibi placuiſſet, ſeu potius ut per litterarum otiique amoris diſſimulationem minus Imperatori ſuſpectus fieret. Nam & Nicomediæ religionis Chriſtianæ profeſſionem habitu Monachi oſtendebat, ut digna Imperio indoles, affectandique Imperii ardor hujuſmodi veſte Conſtantium laterent.

Itaque falſis delationibus, ut plerique innocentes involvebantur, ſic & reliquidam, etiam tercentas meriti cruces, iiſdem annitentibus aulicis, evadebant. Gorgonio Galli Cæſaris thalami cura commiſſa fuerat. Hic improbe geſtorum cum particeps, concitator, auctor Gallo ſemper exſtitiſſet, tamen reus ante Imperatorem actus, conſarcinatis per regiæ ſpadones mendaciis, periculo ſubtractus eſt. Nec contenti calumniatores hæc Mediolani in ipſa Imperatoris regia feciſſe, alios quoque alibi adoriuntur. Delatæ Aquilejam fuerant militarium ab Oriente catervæ; hi tanquam ferocientis Galli ſatellites, & miniſtri averſabantur. Quamobrem Auguſti juſſu Arbetio, & Præpoſitus cubiculi Euſebius Mediolano diſcedentes ad eos advolaverunt. Ibi nullo diſcrimine boni, malique ſuppliciis affecti, capitalem major pars ſententiam, leviores aliqui pœnas ſubjere. Quibus ex animo confectis rebus, ad Principis Comitatum, tanquam cæſo Parthorum rege, ovantes redierunt.

Memorantur in aula duo præſertim peſſimo ingenio, complicandis calumniarum nexibus infames, Paulus Notarius origine Perſa, cui ex re inditum Catenæ cognomen erat, & Mereurius triclinii magiſter, mox rationalis, vulgo ſomniorum comes appellatus; quod per quietem ſi quiſquam aliquid inſomnii viditſe amico (ut plerumque facere ſolemus) nunciaſſet, protinus inverſum Mercurius Imperatoris nimium patulis auribus inſuſurrabat; ut non ſolum quicquam de Principe obloqui ea tempeſtate periculoſum foret, verum etiam vel ſomnia enarrare capitale videretur crimen; & qui Mediolani erant, tanquam apud Atlanteos nocturnis imaginibus carentes populos nati, non ſomniaſſe ſolum, ſed neque dormiviſſe externis fateri non audebant.

Inter has ſummis ſceleribus attentatas quæſtiones alia exorta eſt clades, inopino malo quamplurimos oppreſſura. Apud Sirmium intra Africani Provinciæ Pannoniæ ſecundæ Prætorium diſcubuerant quidam. Hi ampliſſimis potationibus ebrii facti, tanquam abſque arbitro Inquerentur, præſentium temporum adminiſtrationi detrahere, Imperatoris famam ſugillare, quam primum regno dejectum iri, augurii ita ſuadentibus, prædicare. Aderat bis ſermonibus Gaudentius quidam, qui rem inter pocula agitatam, tanquam feria eſſet, ad Rufinum Præfectum Prætorio Apparitorum principem detulit. Voraciſſimus erat Rufinus, avaritiaque & fraudulenti ingenii artibus famoſus; quamobrem confeſtim ad Conſtantii regiam delatus, eorum nomina injuriaſque expoſuit; quibus tam acriter indignatus Imperator eſt, ut indicta cauſa Africanus, cæterique convivæ ſublimes ad ſupplicium trahi juberentur; Teutomereſque Domeſticus Protector enim Rufino miſſus, quipedicis, manicisque implicitos omnes perduceret; executique graviter Principis præcepta illi vinctos Mediolanum deduxerunt; & cum quæſtionibus ſubditi ſe quædam inter epulas petulanter ob temulentiam locutos ſolum confeſſi eſſent, carceribus ſub aliqua abſolutionis ſpe incluſi ſunt. Solus periiſſe traditur pernicioſi ſermonis auctor Martinus, qui cum Aquilejam perveniſſet, dum neceſſariis itineri parandis intenti eſſent cæteri, præreptа occaſione latebat; ſed inventum Teutomeres, ira, furoreque actus, naturæ alioquin ferventis hominem, enſe impegit.

Dum hæc domi à Conſtantio aguntur, foris increbreſcebat bellum. Infeſtabant Rhætias Brigantes, Lentienſeſque Alamannici pagi, nec qui pro Imperii ſalute in limitibus milites excubabant, tantis malis pares videbantur. Quocirca Conſtantius Mediolanenſi Urbe derelicta, hanc ſibi provinciam capeſcendam exiſtimavit; profectuſque Comum, ſuperatis mox Alpibus, conſilia belli exequebatur. Cum ventum ad manus eſſet, cederentque jam Conſtantii Legiones, Arinthæi, Bapponiſque virtute reparatæ ſunt vires, & extorta de hoſtium manibus victoria, cadaverumque altiſſimæ ſtrues de Barbaris factæ. Sic felicique exitu perfectis prælis, Mediolanum, ut conſueverat, lætus atque ovans Conſtantius redit.

Hic novæ rurſus in innocentium caput excogitatæ fraudes ſortiſſimos viros pene ſubverterunt. Irruperant Gallias Franci, Alamannica nario, cædibuſque & rapinis omnia ſædabantur; Præfectuſque illis regionibus Silvanus, etſi cautiſſimus Dux, coercendæ tamen tantæ licentiæ impar erat. Silvanum obæmulationem odio proſequebatur Arbetio, nihilque apud eum antiquius reſidebat, quam ut ullo pacto è medio illum tolleret; hoc dies, noctesque agere. Sperabat enim futurum, ut ea ſibi Provincia demandaretur. Erat Dynamius equorum, quos per diſpoſitos locos Auguſtus habebat, Præfectus. Hic è Gallia Mediolanum venturus Silvanum adit, & commendaticias ab eo ad amicos Principis litteras pro mutua neceſſitudine petit. Nihil minus dubium Silvano, quam Dynamii fides. Igitur nil ſuſpicans fraudis, epiſtolas hac de re his, quibus viſum fuerat, ſcribit, & illis perferendas præſtat. At Dynamius, ut Arbetioni morem gereret, ſubornatore & ſceleris conſcio Lampadio Præfecto Prætorio, aſcitiſque rei privatæ ex-Comite Euſebio, * & Magiſtro à memoria Ædeſio Collegis, Cornelia vetitum facinus commiſcetur, litteras ſibi datas partim inducit, majori ex parte delet, ita ut priore ex ſententia nihil reliquum permancat; tum ſola incolumi ſubſcriptione relicta omnem contextum interpolat, & longe à veris diſſidentia adſcribit, tanquam obliquis verbis oſtentet Silvanus Imperium ſe affectare, cupereque eorum auxilio hac in re uti. Dirigebantur hæ litteræ ad diver ſos Tribunos Palatinoſque, quorum princeps Albinus Tuſcus erat. Igitur Dynamius ſuadente Arbetione rem ad Auguſtum defert, Conſiſtoriumque ingreſſus falſa illa commenta, ut veriſimilia eſſent, fraudibus atque facta exhibet. Quamobrem hi, quorum nomina epiſtolis deſignata erant, in cuſtodia poſiti interim duriter habebantur. Non tulit hoc rei ſumma iniquitate percitus Gentilium rector † Malarichus; ſed aſcitis, in ſententiamque tractis quibuſdam Collegis, fremens, frendenſque ad Imperatorem tendit; in conſpectum admiſſus, per dolos ac factiones circumveniri innocentes clamitat; ſolum petere, ut ſe ad Silvanum proficiſcendi venia ſibi concedatur; fore enim ut quamprimum Mediolanum una cum eo rediret, oſtenderentque veris probationibus falſo cavillo ſtrenui Ducis ſalutem oppugnari; reditus ſui vadem, obſidemque (ne de fuga cogitare quiquam eum exiſtimaret) Mellobaudem Tribunum dare ſe paratum offert; nec detrectabat munus Mellobaudes; ſed intercedebant huic ſponſioni calumniatores; exploratum enim illis erat, ſi aliquis alius mitteretur, ſuopte ingenio territum Silvanum haudquaquam juſſis obtemperaturum; qua de re ecu contumax & rebellis fidem accuſationi faceret. Hæc omnia è converſo caſura opinabantur, ſi Malarichus impetraſſet. Vicerunt itaque delatores, & Arbetione auctore miſſus eſt Apodemius, quo nemo pejores artes ad Imperatoris Comitatum attulerat; facinoro-

* *Ex-Magiſtro Memoriæ* habet Amm. Marcellinus, *lib* xv. *cap* v.

† Ibid. *Malarichus* legitur in optimis Editionibus.

fis

fis quibuſque culpæ commercio carus, & omnium bonorum perpetuus hoſtis. Is à mandatis, quæ proficiſcenti injuncta fuerant, diſcedens, nec viſo Silvano, nec redditis litteris illi, ſolum ſuperbe admonuit, ut veniret, interimque quieta omnia proturbans, in Silvani caput ſua conſilia vertebat. Dum hæc aguntur, & in exſpectatione Silvani omnes erant, Dynamius nihil ſibi reliqui facere, ut Malaridium in culpæ communionem traheret. Solitis itaque artibus Silvani & Malaridii nomine ad Cremonenſis Fabricæ Tribunum litteras mittit, quibus, ut conſilii particeps, moneretur, propere pararet omnia; ſiquidem jure veteri militaria arma fabricare privati prohibentur; habebantque Imperatores huic operi aſſignatum locum, quo loricæ, ſcuta, gladii, tibialia, humeralia, galeæ, idque armorum genus in uſus publicos videbantur. Artifices ipſi Fabricenſes dicti; eorum Præfecti Tribuni Fabricæ appellantur. Neceſſaria itaque res novas tentantibus hujuſmodi Tribunorum opera videbatur, quod militem armis inſtruere, vetera reparare ipſi poſſent. Igitur probabili arte uſus Dynamius Tribunum elegit, ad quem miſſæ litteræ fingerentur. Verum Tribunus rerum harum prorſus inſcius per eundem nuncium, qui eas attulerat, reſcribit, rogare ſe Malaridium, ut paulo apertius voluntatem ſuam exponeret; obliquas illas narrationes ſe non percipere, quorſum tendant. Quare craſſioris Minervæ viro ea paulo perſpectius explicandaeſſe. Sic dimiſſus tabellarius ad Dynamium redit. Tum ille alacer & confidens rurſus adito Imperatore veteri malo novam Malaridii accuſationem innectit; quæ ubi ad Malaridii aures pervenere, ſuam & Silvani civis ſui ſortem ingemiſceus, adhibitis popularibus quibuſdam Francis, quorum magnam multitudinem in palatio Conſtantius habebat, Imperatorem adit, & Dynamium ulturus calumniatorem appellat, remque tam aperte Conſtantio demonſtrat, ut pro damnatis jam falſi accuſatores haberentur; ſolaque eorum confeſſio extorquenda reſtaret. Mandata juriſdictione officiorum Promagiſter Florentius Judex conſtituitur. Hic cum Silvani litteras conſpicatus eſſet, ex priſtinis apicibus interpolatas, evidentiſſimam fraudem ſubeſſe Imperatorem docet. Quamobrem diſcuſſis tandem fallaciis, accuſatores ex Senatuſconſulto damnati, & abrogata poteſtate Lampadius quæſtioni ſubditus, ſuſpenſus Euſebius, pœnæ quoque de Dynamio ſumptæ, & inſons Albinus abſolutus eſt. Mediolani hæc tum acta traduntur.

At in Galliis Silvanus, cujus exploratum haberet Apodemii apud ſe odium, noſceretque, quam faciles, pronaſque aures delatoribus & inimicis ſuis Conſtantius adhiberet, ad Barbaros, unde illi nrigo (Francus enim erat) transfugere, ne quid indignum pateretur, decreverat; ſed veritus, ne accepta pecunia aut trucidarent, aut proditum ſe Imperatori traderent, huic conſilio ſuperſedit. Igitur cum nil ex præſentibus tutum cerneret, extrema attentanda arbitratus eſt. Quapropter quoſdam Centuriones, Tribunoſque allocutus, maximo militibus promiſſo donativo, Imperatoriam dignitatem aſſumpſit; & quoniam decrat purpura, quam indutos ſalutari Imperatores moris erat, à Draconum Vexillorumque inſignibus ad tempus abſtracta vela coccineæ veſtis vicem præſtitere. Vergebat in occaſum Sol, cum hujus rei nuncius præter omnium ſpem Mediolanum venit. Ad Principem intromiſſus rei geſtæ ſeriem exſequitur. Obſtupuerat inopino caſu Conſtantius, & dolore nimio attonitus vix ſui compos credebatur. Quamobrem de ſecunda vigilia advocato conſilio, purpurati in regiam cocunt, ut, quod huic malo remedium eſſet adhibendum, ſimul conſultarent. Nullus erat, qui in commune quicquam afferret utile, ſeu quod miraculo rei obſtupeſcentes bona mens deſeruiſſet, ſeu (quod verſimile eſt magis) ne ſi minus ex voto reſ ſucceſſiſſent, conſilium quandoque conſultori peſſimum redderetur. Viri itaque mentio ſic tantum perſtringebatur, ut bellicæ rei conſiliis cautiſſimi, & quem virtuti ejus impares fruſtra laceſſiſſent; quærebaturque interim Dux, qui hoſtis conatibus nihilo inferior illi opponeretur. Ergo quam paulo ante obdictus capite, & per filios ſummæ rei affectator accuſatus fuerat, nunc uti impiger, atque idem optimus exercituum ductor, Urſicinus, Silvani audaciam ulturus, decernitur. Mitiſſimis itaque verbis compellatum, cum nimiam credulitatem Conſtantius excuſaſſet, ſucceſſorem tyranno deſtinat. Variis igitur ſententiis dictis, in eam itum eſt, ut priuſquam ſciret Silvanus quicquam de occupata tyrannide ad Conſtantii aures perveniſſe, mitterentur quam celerrime nuncii, qui eum honorificis litteris monerent, ut accepto ſucceſſore Urſicino, intacta poteſtate rediret Mediolanum; ſperabant enim fore, ut à calumniis abſolutum ſe perſpiciens, ſorte contentus ſua, nihil ulterius moliretur. Miſſi confeſtim ſunt Tribunus cum Protectoribus decem, qui cum itineribus magnis, ut omnem rumorem præveuirent, ad celeritatem nihil ſibi reliqui feciſſent, Agrippinam Coloniam acceſſerunt. Sed jam fama (quo nullum velocius malum) eos præceſſerat, omniaque erant ſupra, quam opinabantur, longe magis difficilia. Quare mutato conſilio Tribunus & Protectores periculoſum commeatum ordiuntur. Profecti enim ad Silvanum firmandarum ejus virium cauſa opem ſuppetiaſque illi allaturos mentiuntur; nec erat dubium, ſi novn Imperatori veritas explorata fuiſſet, quin uno elogio morte omnes mulctarentur. Sed deceptus Tribunum in ipſo congreſſu ex more pedibus advolutum non erexit tantum, ſed & regalis convivii honore aliis antepoſuit. Ibi dum diſcumbunt una, ægre ſe tuliſſe Silvanus retulit, quod ipſe & Urſicinus poſt tot exantlatos pro Rep. labores eo redigerentur, ut capitis quoque cauſam agere coacti forent. Fatigabat militem inopia & annonæ caritas; quamobrem palam circumfremebant omnes Alpium Cottiarum, queis ex Italia Agrippinam itur, anguſtias quamprimum perrumpendas; quæ res Tribunum conjuratoſque Protectores non parum perterrebat. Igitur necem illius maturari placuit. Erant in Legione Braccati & Cornuti milites, nomina hæc ab turmæ inſignibus ſortiti. Hos tanquam fluxioris fidei ſollicitandos Tribunus exiſtimavit. Spe itaque pecuniæ ingentis accenſos ita dimiſit, ut Silvanum Principem ſuum ſe trucidaturos reciperent. Igitur albeſcente cœlo ſubitus armatorum globus regiam irrumpit, & cæſis cuſtodibus, audacior factus, ex Chriſtiani ritus ædicula, quo ſemianimis confugerat, extractum interficiunt; dimiſſique è veſtigio Mediolanum curſores, qui Auguſto lætiſſimum nuncium afferrent. Qua ille re cognita, inæſtimabili gaudio plenus, ſolita quoque inſolentia efferebatur, non quidem fortiſſimis Tribuni Protectorumque geſtis rem tribuens, ſed & hoc quoque adſcribens ſuæ felicitati.

Tum ex more delatoribus admiſſis Silvani Domeſticus Proculus admovetur equuleo. Is, etſi debili admodum corpore, ut quantumvis leviſſimis tormentis ceſſurus videretur, ſupra omnium ſpem etiam maxima fortiter ſuſtinuit; nam tantum abſuit, aliquem uti conſcium incuſaret, ut Silvanum quoque excuſare niteretur; nam quinto die, quam Imperator ſalutaretur Silvanus ſtipendium Conſtantii nomine militibus diviſiſſet; ſi, inquit, ad eam Majeſtatem adſpiraſſet, certe tam grave auri pondus interverſurum fuiſſe, vero perquam ſimile eſt. Cæſi dein Aſclepiodorus & Maudio Comites, aliique aliis cauſis; hacque potiſſimum ratione diris quæſtionibus quamplurimi ſubigebantur.

At ſacræ res divinuſque cultus principio optimo ſucceſſu fruebantur. Præerat Sacerdotibus Dionyſius rectæ fidei indefeſſus propugnator; mox omnia turbantibus Arrianis maximum detrimentum Orthodoxi accepere. Alexandriæ Antiſtes Athanaſius quorundam Epiſcoporum, qui Arrio hærebant, conſpiratione abſens per ſummum nefas damnatus fuerat, ſacriſque illi interdixerant in Præſulum Concilio. Quamobrem Arrii invaleſcente factione decrevit Conſtantius rurſus Concilium Sacerdotum Mediolani indici, ut hic utra opinio verior eſſet, diſceptaretur. Convenere itaque ex Orientalibus locis non ſane multi, quoniam eorum plurimos ſenectus, alios itineris longitudo prohibebat. Ex Occidente ſupra tercentos Epiſcopos Mediolanum veniſſe conſtat. Ubi cœptum de re agi, quos Eoæ plagæ miſerant, ſtatim petere, ut decretum, quo Alexandria ſacriſque Athanaſius arcebatur, ab Occidentalibus confirmaretur, ut tot ſententiis ille damnatus, ſi quam de reditu ſpem conceperat, prorſus amitteret. Negare id Dionyſius, & Vercellis Præſul Euſebius, & qui meliora ſequebantur, cæteri. Ex Concilio enim ſe proripientes coram Principe proclamabant, dolis fraudibuſque Orientales agere; nihil aliud eſſe, quod tantopere virum ſanctiſſimum damnent, quam ut veras religionis ſententias evertant, ut abominabile Arrii dogma ubique terrarum divulgent. Igitur ſolutum hoc modo Concilium eſt.

At Imperator, qui jam in Arrii ſententiam iverat, Athanaſioque infenſus erat, ægre admodum tulit, tam vehementer, quas ipſe probavit, partes oppugnari; Dionyſiumque & cæteros in extremas Orientis inſulas exulare jubet; cives centum & quadraginta Herculeis Thermis ſub cuſtodia eſſe imperat. Dionyſio Auxentium, Euſebio Eunucho impellente, ſufficit. Vir hic nequam, diſſimulata vera religione, Arrium ſequebatur, eoque potiſſimum in Principis gratiam ſeſe inſinuaverat.

Cæterum Conſtantius ad Liberium Urbis Romæ Pontificem litteras dedit, rogatque, ut libello, quo Athanaſius damnaretur, ſuum & ipſe nomen inſcribat: auctoritas enim illius maximum pondus habitura videbatur. Detrectavit ſuneſtam rem Liberius, & minime ſe his aſtenſurum reſpondit, qui nec viſum, nec auditum hominem damnare velint. Indignatus Auguſtus Leontio Urbis Præfecto ſcribit, ut ad ſe captum Liberium Mediolanum mitteret. Curavit rem diligenter Præfectus. Et quoniam Pop. Rom. Opt. Pontificis amore flagrabat, ſeditionem aliquam veritus, noctis ſilentio aſportari juſſit, ductuſque Mediolanum novis quoque delictis accuſatum Athanaſium cognoſcit. Augurem, magumque, & aliena à Chriſtianorum lege tractantem dicebant; nam olim cum Alexandriæ Athanaſius eſſet, prætervolantem corniculam garrientemque conſpiciens; *Vox hæc*, inquit, *Latina lingua, erat, ſequentem diem denotat, quam Gentium numinibus fatalem auguror*; cumque aceidiſſet, ut poſtridie Principis edicto à templis (quos vocant) Pagani arcerentur, exiſtimarunt, non divino auxilio, ſed magicis artibus tum pollentem eſſe; hocque præſertim nomine virum detulerant. Igitur coram Conſtantio deductus Liberius, cum precatur, ut promulgata lege, quæ Nicænas Patrum ſententias probaret, ſolemni judiciorum more mox in Athanaſium inquireretur, & qui à Nicæno diſſidere reperti forent, bi darent pœnas; quicquid enim antea actum fuerat, adverſariorum odiis, ſolo impetu, nulla ratione factum. Ad hæc Imperator reſpondet Athanaſii ſcelera ſibi comperta inprimis eſſe, qui Conſtantem fratrem ſuum falſis inſimulationibus ſibi inimicum reddere, ut civili bello concta arderent, conatus fuerat. Nec ſibi tantum mala hæc explorata eſſe, ſed univerſo terrarum orbi, cum Sacerdotum principes Chriſtianæ legis ſacramento cum exauctorarunt. Quamobrem alterum eligeodum, ut aut cæterorum ſententiam ſecutus damnationi ſubſcriberet, aut in Inſulam deportatus Italia cederet; huic optioni terminus tres dies dati. Cum perſeveraret in ſententia Liberius, poſt biduum in Thraciam exul ejectus eſt; & cum pro viatico quingentos aureos Conſtantius, totidemque Auguſta, ad eum miſiſſet, ſpreto munere, *Non amittet*, inquit, *hanc occaſionem Auxentius illi reddite, qui ſemper aurum ſitit*. Et hisquidem hujuſmodi; rebus per otium Mediol. operam Conſtantius dabat.

Verum haud ita multo poſt ejus animum averterunt ingruentis belli curæ. Galliarum calamitatem aſſiduis popularium fletibus edocebatur. Excurrebant enim Barbari, & in agros hominesque graſſabantur, ut in ea Provincia nihil ab eorum incurſionibus ſat tutum eſſet. Agrippinam uſque Coloniam hoſtes venerant, & pertinaci obſidione cingere perſeverabant; neque vero Conſtantius ſatis ſalutis ſuæ conſultum exiſtimabat, ſi ipſe in Gallias profectus bellum illud aggrederetur. Italieis enim delitiis allectus remotiores partes adire periculoſum ducebat. In eam tandem, cum diu deliberaſſet, ivit ſententiam, ut patruelem fratrem Julianum in Imperii ſocietatem ſibi aſciſcendum arbitraretur. Cumque voluntatem ſuam in conſilio expreſſiſſet, idque non alia ſe cauſa facere teſtaretur, quam ut à Gallis Barbaros ſubmoveret, ſolus tot periculis impar; tum adulatores ſolito more ei animum addere; nihil eſſe, quod ejus virtus fortunaque tam vicina ſyderibus ſuperare non poſſit. Re ipſa in Gallo expertum, quam Cæſaris nomen ſibi cavendum foret. His rationibus, ut ſententia decederet, ſuæ quiſque ſaluti conſulens, hortabatur: ſcilicet non immerito ab Juliano timebant, quem ipſi calumniis apud Conſtantium olim oneraſſent. Verum bis ſuaſionibus Imperator nihil movebatur, ſed ſeu quieti propriæ, ſeu in commune Imperio conſulens, irritis diſceptationibus abjectis, omnino Cæſarem declarare Julianum parat. Igitur, ut Mediolanum veniat, ſtatim eum accerſit. Incumbebat litterarum ſtudiis in Attica Julianus, cum ex Minervæ receſſu ab Academia in bellum tractus, pro pallio ſagum ſibi aſſumendum judicavit. Paruit itaque Auguſti mandatis deſignatus Cæſar; quamobrem in ipſa Urbe Tribunali pro ſuggeſtu erecto, hinc atque inde Aquilis, ſignisque circumdatus, convocatis militibus Imperator adſcendit, & Juliani dextera manu apprehenſa hujuſmodi habuit orationem. Adſumus communis cum vobis cauſæ defenſores, & pro ea re verba facimus, fortiſſimi Commilitones, quæ veſtris animis ſubſtinenda, veſtris armis vindicanda eſt. Cum enim vos optimos Reip. pugnatores ſemper habuerim, experta mihi ſuperioribus annis veſtra fides promptiorem me, longeque fidentiorem facit. Igitur uti fabulas acturi poetæ ſpectatorum ſententiæ acquieſcunt, ſic ipſe vos noſtræ cauſæ Judices, quid in præſenti re, breviſſime edocebo. Sublatis è medio Rom. Imperii Tyrannis, qui propria fortuna non contenti, rabie quadam, furoreque acti, aliena tentaverant, videbantur omnia ſatis quieta tandem fore. Sed fefellit exſpectationem noſtram Barbarorum repentinus in Provincias impetus, qui tanquam Tyrannorum manibus Romano ſanguine parentantes Gallias inſultant, & ultra limites delati, nullo metu quacumque graſſantur; quam temeritatem ſi eos inultam ferre perpeſſi fuerimus, illis certe, non nobis, parata de Tyrannis victoria videri poterit; animos eis facit, quod nos neceſſitatibus aliis occupati, longiſſimo terrarum intervallo in tempore ulciſci tantam audaciam non poſſumus. Huic igitur malo latius proſerpenti, noſtri, veſtrique conſulti ſuffragium occurrat, ut ſuperbarum gentium animos frangamus,

gamus, & in antiquos fines reſtituto urbe Romano, non vires, ſed voluntatem, hactenus defuiſſe nobis oſtendamus. Id autem dubio procul fiet, ſi veſtro favore noſtra conſilia adjuvaveritis. Julianum bunc fratrem meum, patruelem meum, noſtis, non bonis tantum moribus, ſed neceſſitudine etiam nobis junctum eſſe, ſpectatæ fidei juvenem, induſtriæque ſingularis omnibus, arbitror, compertum eſt; hunc ad Cæſaris adhibere poteſtatem veſtro omnium conſenſu cupio, & quam maxime deſidero. Dicere ſuper his plurima conantem fremitu, lætiſque clamoribus concio prohibebat, exclamatumque eſt, divinum illud, non hominis eſſe conſilium. At Imperator interim ſtans immobilis, facto à militibus ſilentio, cætera perſecutus eſt. Quoniam igitur vobis quoque annuentibus (quod expreſſus per fremitum favor oſtendit) nova dignitate adoleſcentem ornaturus ſum, lætus ipſe ad honorem capeſcendum exſurgat, cujus mores magis imitandos, quam prædicandos eſſe duxerim, videorque mihi egregiam ejus indolem ex hoc vobis pleniſſime oſtendere, quod non alium magis eligendum exiſtimavi. Ergo, quod felix fauſtumque ſit, Dei cœleſtis præſente nutu, Cæſarea ego cum veſte velabo. Dixit, & mox avita purpura indutum Julianum, linguis animiſque favente exercitu, Cæſarem declaratum his alloquitur. Recepiſti dignum natalibus, dignum origine tua honorem, omnium mihi cariſſime frater; ſiquidem avo Imperatore natus jure meritoque in dignitatis partem aſſumendus eras; quod cum me auctore tibi ſit conceſſum, multo majori magnificentia uſus videor præſtitiſſe, quam ſi uni mihi tota illa Majeſtas adſciſceretur; ipſique poteſtate ſublimiorem me eſſe confiteor, dum conſanguinitatis amoriſque nexu propinquo tibi eam deferendam arbitratus ſum. Adeſto igitur laboranti Reip. Adeſto laboris periculorumque particeps, & barbarica incurſione quaſſatis Provinciis patrocinium tuum exhibe. Galliarum tibi omni beneficio partes ſovendæ ſunt, ut afflictis &, niſi ſuccurratur, pereuntibus tutela, ſaluſque ſis. Cum hoſtibus fortaſſe congredi neceſſarium tibi fuerit; animi tui magnitudo (ſi ea recte mihi explorata eſt) ſcio, id non detrectabit. Tum inter ſigniferos ipſos fixo gradu conſiſte; per te audacia & vigor addatur militi, cum intrepide inter tela verſantem Imperatorem ſuum viderit; in tempore cautiſſimus hortator, præeundo cæteros pugnantes in Martia bella accendens, turbatos præſente animo reparabis; ſulciendæ tibi acies, increpandi deſides erunt; quæ quiſque fortiter, quæ ſœde geſſerit, ſtrenuis ignaviſque certiſſimus teſtis affuturus. Proinde cum rei magnitudo ita exigat, petge virſortis, fortes itidem viros, atque Duci ſuo perſimiles aſſume. Adero tibi viciſſim, ſalutemque meam tua potiorem non ducam; indiſſolubili amoris vinculo una militabimus, una pacatum orbem pari pietate moderabimur, ſi modo maximus omnium pater, mundique auctor Deus, quod continuis precibus implorabimus, aliquando conceſſurus eſt. Quodcumque moliri placuerit, tanquam una mecum præſens aggredere, viciſſimque ipſe, & ante oculos ſemper proponam, ut alter alteri ſuppetias ferat, manuſque (quod dicitur) manum levet. Cum enim ipſe tibi quæcumque acturo non deſuero, neque te nobis in mora quandoque futurum exiſtimare libet. In ſumma conſentientibus omnium votis publice privatimque propera; aſſignatam tibi velut ab ipſa Republica Provinciam pervigili cura indeſeſſoque ſtudio tuearis, & exornes.

Vix hæc finiverat Imperator, cum rupto ſilentio nemo unus reticuit, ſed horrendo fragore militares omnes ſcuta genibus allidentes conclamarunt. (mos hic eſt annuentis, fauſtaque precantis exercitus, ſicut haſtis percuſſi clypei contraria appetentes ſignificant) Vix dictu credibile cuiquam fuerit, quanto gaudio, quanta militum promptitudine res perecta ſit. Cæſarem nemo non maxima admiratione proſequebatur, caligabantque ad muricis fulgorem, quo tegebatur ſago, ſpectantium lumina. Erant & qui ex Juliani ipſius facie qualis Imperator futurus eſſet, præſagirent. Terribiles enim non ſine maxima venuſtate ejus oculi optimam indolem præſeferebant; reperti ſunt quidam exterioribus ſignis, (ut quos vocare Phyſionomi ſolent) qui ejus ſecreta animi conſilia interpretarentur, venturaque prædicerent, & quo omnia apud Julianum auguſtiora eſſent, non ſupra modum vanis vocibus, ut alias ſoliti, milites efferebant; atque ideo ſicut in Senatu Cenſoria gravitate equites deligebantur, ſic cum militari quadam ſeveritate approbatum videri poterat; nam & currum ejus proſequentes licentia quadam joculari ſtigmata in illum detorquebant; quamobrem dum in vehiculum receptus una cum Conſtantio in Regiam properans ea intelligeret, hunc verſum ex Homerico carmine * ſuſurravit:

Τῶν ὄξεα τε βίη τε ἀδέρκτου ὑφαίνει ἴκελοι.

Mediolani geſta hæc eſſe VIII. Id. Novembr. Arbetione & Lolliano Coſſ. Marcellinus auctor eſt, etſi aliter alii ſcribant.

Igitur Conſtantius, ut firmiore quoque vinculo ſibi novum Cæſarem adjungeret, paucis poſt diebus ſororem Helenam illius matrimonio copulavit, celebratiſque ſumma celeritate nuptialibus feſtis in Gallias Julianus decernit iter. Hinc non ſatis frequente comitatu ſuſcepto, Cal. Decembribus Mediolano digreſſus eſt. Diſcedentem deduxit Auguſtus ad uſque locum duabus columnis inſignem, qui (ut Ammianus idem tradit) Lacmelum interjacet & Ticinum. Inde Julianus recta Taurinos contendit, Conſtantius Mediolanum reverſus eſt. Ibi Arrianorum nefariæ opinioni accedens recta ſententes odio proſequebatur. Et quoniam Mediolanenſis populus ab hac ſceleſta factione procul abeſſet, Tribunos quoſdam dimiſit, qui ſumma crudelitate quampluribus contritis, Sacerdotes etiam ab altaribus per vim divellerent. Illi enim ab Sanctorum Patrum ſanctionibus nihil diſſidentes, Auxentium damnabant, & cum cæteris Arrianis adverſus Athanaſium conſentientem ita impugnaverant, ut eorum judicium veriti ſalſi Antiſtites extemplo ad Imperatoris palatium transfugerent. Igitur Auxentii partes ibi defendendas Conſtantius exiſtimans per edictum Mediolanenſes etiam metu pœnæ coercitos admonuit, ut Antiſtitis ſui ſententiam probarent. Erat tunc in Urbe Hilarius Pictavienſis, Dionyſio amicus, & Orthodoxæ fidei propugnator. Is per ſupplices libellos Imperatorem admonet bonorum hoſtem Auxentium veritati repugnare, & à Nicæno Concilio, quod divæ memoriæ pater Conſtantinus Magnus lege promulgata probaverat, abhorrere. Quibus rebus Imperator permotus Quæſtori, Magiſtroque officiorum mandat, ut inter Hilarium, Auxentiumque cognoſcant, & litis diſceptatores ſint. Accitus Auxentius tergiverſari primo, tanquam à Saturnino quodam damnatum Hilarium audiri non oporteret. Verum Judices hac repulſa exceptione Auxentium rogant, ut quæ de re Chriſtiana ſentiret in medium proferat. Ille, ita impellente Hilario, ex ſcripto veritati prima facie nil repugnantia recitat; ſed ſuberant obliquis ſenſibus expreſſæ fraudes, eludebaturque hoc pacto Auxentii fides Regis. Itaque ejus machinationes detegere paratum Hilarium Conſtantius Mediolano excedere jubet. Nihilo tamen minus res cognita eſt. Detexit ille Arriani Præſulis fraudem duobus libris, qui adhuc exſtant, & per doctorum manus verſantur. Factum id ſub Valentiniano Auxentii epiſtola quædam indicat. Sed cum rei geſtæ ſeries ſatis conſtet, de tempore certare

* *Odyſſ.* O. v. 528. apud Amm. Marcellinum *lib.* XV. *cap.* VIII. in hodiernis Edit. legitur aliud carmen ex *Iliad.* Σ. v. 83.

Ἄλλοθι πη ἔφυρσε δαήμονος ἠὲ μαχητοῦ.

pre-

pretium operæ non foerit. Itaque hoc potiſſimum modo res ſacras Conſtantius perturbabat.

Venerat his diebus Mediolanum Magiſter armorum Marcellus; huic, quod obſeſſo apud Senonas Juliano opem non tuliſſet, cingulo interdixit; at ille delationibus confiſus, quod his benignas aures præſtare Imperatorem noverat, ſtatim in Conſiſtorium admiſſus Julianum ut procacem inſimulat, & præſentia aſpernatum ad altiora capeſcenda validiores ſibi pennas aptare. Hæc & alia licentius dicentem Eunuchus Eutherius hac de cauſa a Cæſare miſſus coarguit, auctoritque ſuo ſemper fidum Cæſarem fore atteſtatur. Tantis autem Conſtantii aula delationibus patebat, ut ſi ſuper ſoricis eventu, moſtelæve occurſu quemque aruſpicem aliquis conſuluiſſet, unde minime exiſtimabat, delatus, plerumque capitis pœnas lueret; quin etiam leniendo dolori ſi quod anile incantamentum quidam adhibuiſſet, ultimo ſupplicio affectus traditur. Per idem ferme tempus etiam accidit, ut quendam nomine Danum uxor levis cujuſdam delicti reum accuſaret. Et Rufinus, quem Africaoi delatorem diximus, ſtupro illectæ ſuaſit, ut Læſæ Majeſtatis maritum arceſſeret, tanquam ex Diocletiani ſepulchro velameo purpureum furtuus, rebus novis illud ſervaret. Morem amatori geſſit impudica mulier, cauſamque perduellionis ſub Mavortio Præf. Præt. & Urſulo ſacrarum Largitionum Comite maritum dicere coegit. Sed convicta mendacii Rufinum totius tcehnæ auctorem confitetur; quamobrem talionis lege de utroque ſumptum ſupplicium eſt.

Id cum Imperatori nunciatum eſſet, ægre admodum tulit, quod ſalutis ſuæ, uti exiſtimabat, vindex Rufious tam fœda otorte peremptus foret. Quamobrem miſſis equitibus minaci edicto jubetur Urſulus ad Comitatum redire. Reverſus ille ſpretis, qui ingreſſu eum arcebant, Palatinis, in Conſiſtorium prorupit, & intrepide ſententiam ex Senatuſconſulto Turpiliano in eos juſte latam edocena, oppreſſis adulatorum calumois, ſe & Præfectum maximo diſcrimini ſubtraxit. Superabat enim omnium opinionem eo tempore Palatinorum improbitas; quod rarus admodum dives eſſet, cujus bonis hac ratione non inſidiarentur. Quamobrem, cætera bonus Princeps Conſtantius, infame apud poſteros nomen habuit. Quanto rectius Alexander Severus, qui alioquin mitiſſimus Imperator, erga fumi (quod ajunt) venditores implacabilis erat. Et Licinius, qui hoc hominum geous peſtem aulæ, atque ſicuti ioures à palatis explodendos ceoſuit.

Cæterum haud diu poſt Conſtantius apud Mediolanenſes moram traxit; nam Romam profectus, ut de ſubactis Tyrannis triumpharet, mox Parthico bello irruente in Orientales plagas exercitum ducere coactus eſt. Ibi cum ſat feliciter cœptis arridente fortuna uteretur, externis armis ſuperſedere, ut civiles motus compeſceret, neceſſarium viſum fuit. Acceptæ gratiæ immemor Julianus hoſtilia ſentiebat, & à militibus Imperator, Auguſtuſque ſalutatus parem Conſtantio Majeſtatem affectaverat; quam tamen in itinere inter Ciliciam, Cappadociamque eo mortuo tandem obtinuit.

Interim Mediolani Auxentius diverſæ ſectæ viros graviſſime inſectari contumeliis, & plerumque viarmata ab ſacrorum cultu exigere. Ex Pannonia Urbe Sabaria Martious, qui poſtea Turonenſibus præfuit, ſecreto extra Civitatem loco ſacrarium quoddam, Cœnobiumque ſibi conſtruxerat: quo in receſſu procul à profanis quietiori, perfectioque vitæ totum ſe tradiderat. Hunc Auxentius, quod Hilario Pictavienſi amicum, collegamque cognoſceret, odio proſequebatur. Nec prius illi negotium facere deſtitit, quam (tantum ſcilicet virum nobis invidens) ædibus, urbeque deturbavit. Quamobrem Martinus una cum alio quodam Sacerdote pari calumnia depreſſo diu errans, Romam tandem, ut Hilarium viſeret, profectus eſt. Celebris etiamnum Victoris Martyr templo contigua eſt ædes, quæ Martini nomine ſacra religioſe colitur; eaque populi totius opioio eſt, ſanctum hominem illic diutius verſatum, & jam vitem, quæ ibi poſt altaria germinet, plantaviſſe. Arbor adhuc exſtat vel ipſa vetuſtate venerabilis, quam valetudinariis, morboſiſque hominibus expreſſo liquore ſalutarem vulgo exiſtimant. Cui ſententiæ ut & ipſe accedam, graviſſimi ſcriptoris Gregorii Turonenſis auctoritas facit. Is pari pene exemplo Martinum tradit vitem in Gallia plantaſſe, cujus uvam, cum Arrii dius presbyter eam adjecta aqua ampullæ incluſiſſet tanquam medicamento quodam res vix credibiles geſſiſſe. Nam cum ægerad eum forte veniſſet, buccas puſtulis, oculos caputque inflatione deformatus, infuſo per os ex ampulla liquore, ſoſpitem cum confeſtim reddidit. Puderet omnino hæc vix fidem capientia referre, ni auctoris ipſius dignitas, antiquitaſque ſcribtre dubitantem impelleret. Nonnigentiad noſtra tempora elapſi ſunt anni, cum Gregorius hæc prodidit, & cum Sanctorum Collegio adſcriptus inter cæleſtes colitur. Verum itaque illud, quod etiam Homerus, alioquin diverſæ religionis vates, frequenter ſcripſit; *Hominum quidem poteſtatem intra certos terminos contineri, cæterum Deos omnia poſſe.*

Per idem tempus cum in Armeniam Conſtantios veniſſet, Dionyſium, qui in ea Provincia apud Retejum Urbem deportatus fuerat, in priſtinam dignitatem reſtituit. Tot enim mirabilibus geſtis efferebatur, ut vitæ ſanctitate illis in regionibus nemo notior eſſet; ægros ſanare, divinam iram precibus flectere, imminentia mala repellere, illi quotidianum pene opus erat; quamobrem tam celebris ejus fama vagabatur, ut protinus illum Imperator exilio revocandum duxerit. Verum ille ad infeſtam turbatamque Auxentii furore urbem redire veritus, præſertim jam ſenex & impetu ſuſtinendo impar, maluit in Armenia remanere. Erraverat enim toto orbe, auctaque de ſe omnium opinione, quieti & otio indulgere cooſultius arbitrabatur. Verum non multo poſt cum defunctus animam reddidiſſet, per ſacratiſſimum Præſulem Aurelium Mediolanum tranſlatus eſt, dicatoque ejus nomini fano conditum corpus VIII. Cal. Junias religioſe ſalutatur.

Igitur cum adverſus Julianum in Oriente arma Conſtantius pararet, fato oppreſſus, omni adminiſtratione perduelli ceſſit. Sed & ille dum contra Perſas paulo inexploratius progrederetur, ſagitta ictus occubuit. Milites, qui in exercitu erat, Jovinianum Imperatorem dixerunt, eorumque electioni totus Oriens acquieſcebat. Sed veritus Jovianus, ne res in Occidente turbarentur, litteras ad Lucillianum ſocerum Sirmium ſcribit, ut anticipatas in fide confirmaturus propere Mediolanum contenderet, & quoſdam quorum fides compertior foret, induſtriaque clarior, ſibi comites aſſumeret, quibus tanquam adminiculis, ſi ita ſora tuliſſet, uteretur. Mandatum & illud, ut Malaridium, cujus ſupra meminimus, Magiſtrum militum Provinciæ Galliæ conſtitueret. Quamobrem Lucillianus cum Sanaco, & Valentiniano Tribunis ſtatim Mediolanum venit, Malaridio ſe poteſtatem decernere paratum offert; ſed eo munus illud recuſante, cum Remos petiiſſet, una cum Sanaco interfectus; quam ſortunam etiam Valentinianus ſubjiſſet, niſi apud hoſpitem trepidus repertis latebris inquiſitores fruſtratus foret; reſervabant cum imperioſata, & qui tunc de ſalute periclitabatur, paulo poſt omnium Princeps futurus erat. Nam defuncto Joviano milites Nicææ Valentinianum hunc Auguſtum creaverunt; collegamque ſibi ipſe Fl. Valentem fratrem aſcivit, & haud ita multo poſt filium Gratianum. Valens Conſtantinop. Valentinianus Mediolanum venit.

FINIS.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBRI XX.

CVM NOTIS

JOANNIS GVILIELMI CALAVERONI.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

IN LIBROS XX.

HISTORIAE PATRIAE

PRAEFATIO.

SUB tribus noviſſimis Mediolani Principibus continuum ab epiſtolis & arcanorum magiſterio locum obtinuit familiæ noſtræ decus, & dignitatis meæ auctor Bartholomæus Calchus, vir ſingularis in patriam pietatis, eximii erga bonas artes ſtudii, & prudentis in re litteraria judicii. Hic efferentibus ſeſe ſæculi noſtri ingeniis, animadvertit cæterarum fere Italiæ urbium res geſtas non mediocribus celebrari, illuſtrarique monumentis: remque Romanam Blondo; Florentinam Leonardo Aretino; Liguſticam Stella & Bracello; Mantuanam Platina; Venetam Sabellico; atque alias aliis commendari. Unam communem patriam Mediolanum, quæ & opportunitate loci, & ſoli fertilitate, & hominum frequentia atque ſolertia, Itali orbis fortunam cum ſua conjunctam ſemper habuit, perparce atque imperitiſſime memorari. A quibus condita, aucta, inhabitata, quando vel libera, vel ſub dominis fuerit, ignorari. Pariter Vicecomites, Turrianoſque Heroas, quique alii in eo genere, opibus & potentia enituerunt, veluti inanes umbras, & vana nomina, in obſcuro eſſe. Id quod ægre ferens vir probus diu animo verſavit, quonam modo occurreret indignitati publicæ, efficeretque, ut in rerum geſtarum memoria non cederemus iis, quos ſæpe armis, dignitate ſæpius, vel æquavimus, vel anteceſſimus. Demumque ſtatuit viro opus eſſe egregio, & facundia prædito, qui ad colligenda memoratu digna, & in corpus atque hiſtoriam componenda conduceretur. Vetus ei erat familiaritas cum Georgio Merula Alexandrino, viro Latini ſermonis obſervantiſſimo; qui Venetiis oratorias artes ſumma opinione profitebatur. Hunc unum eſſe cenſuit, qui magnifice geſta æquare dictis, & ornare oratione poſſet: atque interim etiam publica lectione juvenes crudiret. Sed hæc ſine nutu & impenſa Principis effici non poterant. Igitur cogitationem ſuam Ludovico Mariæ Sforziæ, qui tum Remp. adminiſtrabat, & majorum claritatibus oblectabatur, expoſuit, & facile perſuaſit, ut hanc ſibi gloriam pararet, ut primus anteceſſorum memoriæ conſuluiſſe videretur. Nec mora, Mediolanum Merula revocatur, & utroque munere ſuſcepto, in altero quidem abunde exſpectationi reſpondit, quidque Græce & Latine polleret, uberrime declaravit: in altero, deficientibus monumentis, ex quibus narranda exciperet, (latebant enim infinitis abſtruſa latibulis) nec aliis, nec ſibi ipſi ſatisfecit. Teſtis ipſe, & complurimi diſcipulorum ſumus, quam ſæpe deplorantem illum, & miſeriæ temporum, quibus nulli illuſtres ſcriptores contigiſſent, illacrymantem deprehendimus, cum clariſſimarum rerum imaginem quandam videret, ſed quia perſcriptas non reperiebat, explicare non poſſet. Itaque inventionis difficultate retardatus, quamvis duodecim elaboraverit annos, plus tamen, quam quod ab eo publicatum circumfertur, non abſolvit: è medioque raptus, deceſſit. Ejus jactura, cum magnum inter-

intermiſſi operis deſiderium omnibus feciſſet: & intra biennium nemo, qui in id nomen daret, comparuiſſet, idem ætatis noſtræ verus Mecœnas Calchus ad me provinciam deferri curavit, nec exſpectantem ſane, nec opinantem: haud quod ulla ex parte conferendum me Merulæ cenſeret: ſed quia recens revolveram, reformaveramque Ticinenſem Bibliothecam, in qua omne genus monumenta rerum Vicecomitum exſtabant: videbarque facilius, quam quivis alius, ea, quæ à fine Merulæ reſtabant, ſubtexere poſſe. Ego autem ſumpto negotio primum omnium ſtatui rata habenda, quæ ipſe effeciſſet, ſicque filios & nepotes Matthæi Vicecomitis tractare cœpi, ut olim Hirtius, ſeu Oppius, poſterlores libros *Commentariis* Cæſaris addidit, nihil minus futurum, quam quod poſtea evenit, ratus. Nam dum multa deſiderans, multa inquiro, cum amicis, cum prudentibus confero ſermones, & quid ubique ſcripti jaceat, exploro, oblata ſunt non pauca vetuſtiora, & in Merulanicam narrationem cadentia, quæ cum illius ſcriptis conferre placuit; ut quo expreſſa ſtylo forent, condiſcerem, & quantum poſſem, deinceps æmularer. Sed eorum partim parcam admodum, & longe infra hiſtorici modum, partim nullam omnino mentionem admirabundus inveni: idque ſæpius expertus, cum omnino neceſſaria forent, animadverti, ea non arte ſcriptoris, vel ſtudio brevitatis (ut plerumque fit) omiſſa, ſed ignorata penitus, & occulta ei fuiſſe: tantaque copia mox emerſit, ut neceſſarium duxerim omnia ab integro denuo ordiri, novoque volumine totam materiam aggredi, ac titulum ipſum ab unius gentis ad totius regionis ſignificationem transferre. Profecto pauciora quam debuit, & ex profeſſione ejus ſperabatur, præceptor noſter tranſtulit ex Tito Livio, Strabone, Ptolomæo, Plutarcho, Suetonio, Dione, Euſebio, Claudiano, Paulo Diacono. Præterea excerpere aliquid potuiſſet ex M. Tullii Ciceronis *Orationibus*, Aſconio Pediano, Valerio Maximo, Appiano Alexandrino, Cornelio Tacito, Ammiano Marcellino, Julio Frontino, Suida, quos intactos penitus reliquit. Pariter non meminit conſulere Ælium Spartianum, Julium Capitolinum, Eutropium, Flavium Vopiſcum, duos Claudiani *Panegyricos*, cum tertii admonitus foret. Idem fecit de Principibus in Eccleſia viris, Ambroſio in primis noſtro, quem pueriliter, ne dicam ignominioſe, nimis tractavit: tum Auguſtino, Hilario, Hieronymo, Paulino, & Joanne Caſſiodoro, cujus *Chronica*, & duodecim libri *Hiſtoriarum* ex tribus Græcis traductarum, non mediocrem nobis opem attulerunt. Item duo ſpectandæ vetuſtatis Codices, quorum altero indicatur, quibus Conſulibus, ac locis Cæſareæ leges conditæ fuerunt; altero, quoto quoque anno bini Conſules Magiſtratum geſſerunt. Tum Sidonius Apollinaris nuper in lucem editus, & Rheginon Abbas Prumienſis Cœnobii, quod in Treviris eſt, qui proximus ætati Caroli Magni res illius rudi libello traditas, ſed locis, temporibuſque diſtinctas, Latinitate donavit. Præterea ſortiti ſumus diplomata archetypa variis in Cœnobiis Mediolani, Ticini, Laudæ, Cremonæ, Bobii, Genuæ latentia. Et in civilibus diſcordiis, & Sacerdotum noſtrorum ſeditionibus, Arnulphum Mediolanenſem idoneum ſcriptorem; & in bello Comenſi indigenam quendam, qui rebus interfuit. In Frederico primo totidem libros afferimus, quot ante paginas alii oſtenderunt. Auctores mihi ſunt duo Laudenſes Patricii, Otho pater, & Acerbus filius, cognomento Murenæ, qui ex clade patriæ peregre profecti, cum Juris ſcientia pollerent, eum ſub duobus ante Cæſaribus, & mox ſub ipſo Frederico locum tenuerunt, qui Judices Curiæ Imperialis vocitantur. Hi itinerum ſocii, & expeditionum comites, primos quatuordecim annos (nec enim ulterius vixere) referunt. His accedunt Jacobus Auria, & Ca-

pharus Genuenſis, qui Ligurum ſuorum obitis legationibus non pauca ad rem facientia litteris interim mandarunt. Tum *Chronica* Normannorum Regum, qui diutius Sicilia, Apuliaque potiti ſunt, & quidam noſter Mediolanenſis Syre Raul nuncupatus, quæ interim in Urbe fierent, ſubnotavit. Et pax Conſtantiana Blondo intacta, Merulæ vero cura parum diligenter excuſſa, & nonnulla ex Archivio Dertonenſi petita. Nam Epiſtola Cæſaris ipſius ad Othonem Epiſcopum Friſingenſem primi tantum quinquennii acta comprobat. In ejus ſobole, & Frederico altero, adjuti plurimum fuimus ſpatioſo *Annalium Belgicorum* volumine, & *Epiſtolis* Petri Vineæ, qui diutius ejus arcana tractavit; & Rolandini Patavini duodecim libris, quos de vita & moribus ſæviſſimi Tyranni Actiolini Romani ſcripſit; & Rieobaldi Ferrarienſis *Chronicis*, quamvis ab ætatis ſuæ rebus non recedit; & Petri Gazatæ Regienſis, qui ab ſuo avo nonagenario fere ſparſim & tumultuarie notata ad diarium, librique formam redegit. Pariter vitam & cædem noviſſimi martyris Petti Veronenſis didicimus ex edictis publicis, & confeſſione conſpiratorum in vinculis cauſam dicentium, & privatis annotationibus Henrici Scacabarotii, illius æqualis temporibus. Originem Vicecomitum, eorumque cum Turrianis viciſſitudines ſumpſit Merula ex duorum Theologorum Stephanardi Vicomercati, & Calvanei Flammæ *Commentationibus*, quorum alter accepti honoris gratiam Othoni Archiepiſcopo relaturus ejus geſta carmine ornare, quam ſimpliciter (ut ipſe inquit) proſæ committere maluit. Et dum poetice furit, & in pleriſque licentius evehitur, neque à præpoſterationibus temperat, alia vero plus æquo exaggerat, alia ſilentio prætermittit, rem totam in fabulam vertit. Alter cælum & aſtra conſcendere auſus minime erubuit, ſtirpem à Jove, Venereque per Anchiſem & Æneam deducere, & ei ex Aſcanio nepotem ementiri nomine Anglum, qui in regionem noſtram profectus urbem condiderit nomine Angleriam; tum longa ſerie progenitos Sylvios, & Anglos, & Fulcones, & Facios, qui non ſolum Angleriæ & Mediolani dominati ſint, ſed totius Italiæ Reges diutiſſime fuerint; quæ quam cum priſcorum, non dico hiſtoriis, ſed fabulis congruant, etiam pueri noſtri temporis intelligunt. At habuit Merula etiam ſex primos Leonardi Aretini *de Hiſtoria Florentina* libros, & Guilelmum Venturam Haſtenſem, & Boninconrum Morigiam Moguntiacum, quoſdamque alios idonea tradentes: fateor & agnoſco: ſed his ego addo Antonium Recenatem Notarium Mediolanenſem, qui quadraginta annorum res ſuæ memoriæ complexus eſt; & Genuenſium, Parmenſiumque *Annales*, & ſex reliquos *Hiſtoriæ* Aretini libros, & Platinæ *Hiſtoriam Mantuanam* paucisſimis hactenus lectam, & peregrinarum rerum volumina ex Gallia, Pannoniaque allata, & faſtorum noſtræ Civitatis libros, & numiſmatum, ſepulchrorumque infinitas inſcriptiones, quas Herculeo labore conſectati, certiora omnia, & uberiora in rebus, in quibus (ut Cicero ait) prima hiſtoriæ exædificatio eſt, & ordinem temporum deſiderat, deprehendimus. Hiſque freti meritas gratias præceptori Merulæ egimus, qui ſcriptione ſua iter nobis aperuit, & pulcherrimo indice, quid nos ſequeremur, monſtravit: totumque opus ſic ab initio retractavimus, ut non illius labores intervertere, gloriamque mortuo ſubtrahere voluiſſe; ſed ne manca, ne cæca hiſtoria maneret, optaviſſe videamur.

IN-

INDEX
FAMILIARVM, AC CIVIVM
MEDIOLANENSIVM,
Quorum in hac Hiſtoria fit mentio.

A.

Abonii.
Monacus.
Robacaſtellus.

Alberii.
Pannilius.

Aliates.
Malagallia.
Petrus.
Gallinus.
Burgundius.
Petrus.
Ruffinus.
Baſianus.
Conradus.
Hector.
Bonacurſius
Petrus.

Antimianni.
Heribertus Archiepiſcopus Mediolani.

Aliprandi.
Philippus.

Alzates.
Anſelmus.

Aplani.
Gulielmus.

Arſagi.
Arnulphus Mediol. Archiepiſcopus.
Atraldus.

Arzoni.
Beltramus.

B.

Badagii.
Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, poſtea Papa Alexander II.

Balbi.
Gulielmus.
Alcherius.

Bandi.
Manfredus.

Baſabelletæ.
Tancredus.

Baſilicapetri.
Oldradus.
Oldradus.
Carbonus.

Bebulci.
Guido.

Bellabuccæ.
Otho.

Benalii.
Philippus.

Berſiadigii.
Gaſpar.

Beſutii.
Conradus.
Pelicia.
Albertonus.

Biragi.
Albertus.
Gaſpar.

Biſati.
Paganus.

Blanci.
Albertus.

Bombelli.
Arnaldus.

Bonati.
Henricus.
Ardericus.
Aldericus.
Ardericus.

Bonvicini.
Alcherius.
Alcherius.

Boſſii.
Boccaſius.
Albertus.
Albertus.

Bruti.
Paganus.

Buffæ.
Azo.

Bultraphi.
Actius.
Adobaldus.
Adobadus.
Adobadus.
Adobadus.
Adobadus.
Amizo.

Burri.
Heriprandus.
Malaſtrona.
Cigo.
Paganus.
Niger.
Gulielmus.
Ghizo.
Dominicus.
Henricus.
Gulielmus.
Lanfrancus.
Squarcinus.
Gulielmus.
Otholinus.
Landulphus.

Buſnati.
Squarciapartes.
Manfredus Præs. Med.

Buſcæ.
Petrus.

Buſſolæ.
Guercius.

Buſti.
Amizo.

Buſſeri.
Petrus.
Ubertus.

C.

Caçapiſti.
Gerardus.

Cacatoxici.
Arnaldus.

Caciæ.
Albertus.

Caimi.
Joannes.

Caldini.
Milo.

Camerarii.
Hugo.
Albertus.

Canevefii.
Oldrevandinus.
Oldrevandus.

Canes.
Lanfrancus.

Canturii.
Arnaldus.

Capelli.
Arialdus.
Petrus.

Capitanei.
Arnulphus Mediol. Archiepiſcopus.

Capitanei de Curte.
Henricus Archiepiſcopus Mediolani.

Carati.
Petrus.
Albertinus.
Albertus.

Carcani.
Andreas Archiepiſcopus Mediolani.
Landulphus Archiepiſcopus Mediolani.
Landulphus Epiſcopus Comenſis.
Blancus.
Otho.
Albricus.
Martius.
Franciſcus.
Franzinus.

Cardani.
Milo.
Milo Archiepiſcopus Mediolani.

Carniſii.

Caſati.
Rancia.
Comes Cardinalis.
Leo.
Albertus.
Gulielmus.

Caſſinæ.
Ardericus.

Caſtaneanegæ.
Hugo.

Caſtani.

Caſtelletti.
Florius.
Ortelanus.

Caſtillionei.
Gottefredus.
Thealdus Archiepiſcopus Mediolani.
Gufredus Epiſcopus Sabinus, poſtea PP. Cæleſtinus IV.
Albertus.
Conradus.
Guido.
Albertonus.
Puginus.

Celeres.
Gulielmus.

Ciſnuſculi.
Henricus.

Cittadini.

Clerici.
Guiſcardus.

Coleoni.
Amizonus.

Concorretii.
Petrus.
Brunus.

Confanonerii.
Stephanus.
Franciſcus.

Cornalliani.
Cavallionus.

Cottæ.
Ardericus Archiepiſcopus Mediolani.
Landulphus.
Arembaldus.
Atto Archiepiſcopus Mediolans.
Malconventus.
Aſtulphus.
Rainerius.

Craſſi.
Marcus.
Petrus.

Credendarii.
Otho.

De Crema.
Henricus.

Cribelli.
Rogerius.
Arialdus.
Uberius Archiepiſc. Mediol. poſtea PP. Urbanus VIII.
Daneſius.
Creſſonus.
Henricus.
Rogerius.
Creſſonus.
Ludovicus.
Creſſonus.

Cripæ.
Manfredus.

A Cruce.
Lanfrancus.
Ubertus.
Trenta.

INDEX

Cruceii.
Andreolus.
Crucii.
Leonardus.
Cruſtæ.
Hugo.
Cumini.
Obizo.
A Curte.
Lanfrancus.
Curtedini.
Ungarus.
Curtii.
Lancio.
Otho.
Lanterius.
Leo.
Simon.
Cuſani.
Guido.
Cuticæ.
Accurſius.
Beltramus.

D.

Didii.
Julianus Imperator.
Gallus.
Dugnani.
Manfredus.

E.

Ermennlphi.
Caſtellinus.
Malfiecus.
Ceredonus.

F.

Ferræ.
Gulielmus.

G.

Gambari.
Guilielmus.
Nazarius.
Garbagnates.
Gaſpar.
Franciſcus.
Garzolæ.
Bernardigius.
Tertiagus.
Gattaroſſiæ.
Lanfrancus.
Gattoni.
Gotsefredus.
Gerlani.
Philippus.
Ghiſulphi.
Guiſcardus.
Graſſelli.
Guffredotus.

H.

Horti.
Anſelmus.
Ubertus.
Otho.
Horumbelli.
Hoſtuoli.
Guercius.

I.

Incinates.
Uberius.
Inchoardi.
Paganus.
Buſuardus Prator Mediolani.
Jndices.
Heriprandus.
Heriprandus.
Heriprandus.
Conradus.
Paſſaguerra.
Conradus.

L.

Lampugnani.
Joannes.
Pagnerius.
Rogerius.
Alberius.
Philippus Archiepiſcopus Mediolani.
Rogerius.
Guiſelmus.
Landriani.
Ubertus.
Guido.
Henricus.
Guido.
Conradinus.
Telinus.
Guido.
Abiaticus.
Beltramus.
Jacobus.
Lantelmi.
Petrobonus.
Legnani.
Franciſcus.
Lævenates.
Hugo.
Littæ.
Guido.
Luini.
Anſelmus Archiepiſcopus Mediolani.

M.

Madii.
Mainerii.
Joannes.
Jacobus.
Andreas.
Barifaldus.
Caldinus.
Maini.
Antonius.
Maipolæ.
Arnoldus.
Malcalzati.
Maloperæ.
Martinus.
Mandelli.
Tatius.
Anſelmus.
Tatius.
Robacomes.
Albertus.
Tatius.
Otho.
Otho.
Albertus.
Ruffinus.
Otherinus.
Otherinus.
Otho.
Principivallus.
Facius.
Otho Prator Mediol.
Manlii.
Carus Imperator.
Carinus Imperator.
Numerianus Imp.
Theodorus.
Flagrius.
Mantegatii.
Joannes.
Paulus.
Boſchinus.
Marcellini.
Milanus.
Petrotius.
Rogerius.
Pravedus.
Rogerius.
Drudus.
Ardiotus.
Aftiolinus.
Aribertus.
Anteſoſſa.
Ardigotus Prator Med.
Oliverius.
Marinoni.
Artuſius.
Maripolæ.
Arnaldus.
Marliani.
Albertus.
Durantus.
Matregnani.
Obizo.
Medicei.
Ambroſius.
Oldradus.
Lanzerius.
Guido.
Medæ.
Menclotii.
Adelmannus.
Gaſpar.
Gaſpar.
Gaſpar.
Merati.
Petrus.
Mirabiles.
Uberiinus.
Moguntiaci.
Alberius.
Jacobus.
Cabrius.
Henricus.
Gabrius.
Cavalchinus.
Monetarii.
Hildeprandus.
Morigiæ.
Aliprandus.
Muzani.
Henricus.

N.

Naſelli.
Ardericus.
Niguardæ.
Accurſius.

O.

Oldani.
Conradus.
Origoni.
Thomas.
Oſnagi.
Admiratus.
Oſſæ.
Oſſa.
Albertus.
Guliclmus.
Oberius.
Manfredus.
Ozeni.
Carnelevarius.
Oziani.
Ubertus.

P.

Pagani.
Apolus.
Obizo.
Palatii.
Ardericus.
Palatini.
Monacus.
Palearii.
Ambroſius.
Paravicini.
Tignaca.
Paſquales.
Arnulphus.
Peluchi
Jacobus.
Boccaſſius.
Perniſii.
Jacobus.
Petraſanctæ.
Paganus.
Guido.
Gabriel.
Guiſcardus.
Guido.
Riciardus.
Philippus.
Petrogoſſi.
Petrus Cardinalis.
Pirovenci.
Ubertus Archiepiſcopus Mediolani.
Algiſius.
Algiſius Archiepiſcopus Mediolani.
Ubertus Archiep. Med.
Gufredus.
Aftius.
Gufredus.
Aftius.
Jacobus.
Adoardus.
Pontiroli.
Cabrius.
A Porta Romana.
Amicius.
Præaloni.
Paſſaguerra.
Puſterlæ.
Anſelmus Archiepiſc. Mediolani.
Codemalius.
Petracius.
Burgarus.
Guliclmus.
Puſterlæi.
Tricafolia.
Hugo.

Gulielmus.
Gulielmus.
Gulielmus.
Bonifacius.
Gulielmus.
Gulielmus.
Facius.
Jacobus.
Gulielmus.

Pusterulæ.

Gufredus.
Obuzonus.
Manfredus.

Puteobonelli.

Guerrentius.
Manfredus.
Manfredus.
Beriolus.

Q.

De Quinqueviis.

Lanterius.

R.

Rainerii.

Joannes.

Raudenſes.

Anſelmus Archiepiſcopus Mediolani.
Joannes.
Herisprandus.
Romus.

Raules.

Syro.

Reſedini.

Gulielmus.

Rizoli.

Vicecomes.

Rociones.

Benedictus.

Rozoli.

Henricus.

Ruzoli.

Ubertus Archiepiſcop. Mediolan.

S.

Salæ.

Caldinus.
Opicio.

A Santa Maria.

Rogerius.

Scacabarotii.

Bertramus.
Beltramus.
Jacobus.

Scantii.

Septalæ.

Manfredus.
Paſſaguadus.
Paſſaguadus.
Laufrancus.
Albertus.
Henricus Archiepiſcopus Mediolani.
Hugo.
Franciſcus.

Serazoni.

Gulielmus.

Sextii.

Jacobus.
Guidotus.

Solerii.

Amicio.

Soreſinæ.

Manfredus.
Spinus.
Paulus.
Albertus.
Paulus.
Gulielmus.
Mutius.
Theodatus.
Conradus.
Jacobus.
Mutius.
Conradus.
Otborinus.

Stampæ.

Laufrancus.
Baldaſſonus.
Baldaſſonus.

Surigoni.

T.

Tenebiagi.

Joannes.

Tertiaghi.

Ubertus Archiepiſcopus Mediolani.
Jacobus.
Albertus.
Jacobus.

Thepoldi.

Bulgarus.

Triultii.

Bibus.

Trotti.

Manfredus.

Turriani.

Martinus.
Ubertus.
Bonioannes.
Ardericus.
Paganus.
Martinus.
Martinus.
Paganus.
Martinus.
Raymondus Epiſcopus Comenſis.
Philippus.
Napus.
Paganinus.
Franciſcus.
Carnevarius.
Manfredus.
Caſſonus.
Gotsofredus.
Guido.
Muſca.
Herrenus.
Lombardus.
Bartholomæus.
Salvinus.
Avonus.
Imberalis.
Oliverius.
Muſchinus.
Guido.
Martinus.
Napinus.
Angefoſſus.
Andrietettus.
Zenfredus.
Leonetus.
Paganus Epiſcopus Patavinus.
Paganinus Senator Romanus.
Paganus.
Gallonus.
Adoardus.
Rainaldus.
Floramons.
Caſſonus Archiepiſcopus Mediolani.
Zanfredinus.
Franciſcinus.
Simon.
Simoninus.
Zaninus.
Jacobinus.

V.

Valiani.

Traverſius.

Velatenſes.

Guido Archiepiſcopus Mediolani.

Vicecomites.

Otho.
Petrus.
Heripandus.
Ricardus.
Heripandus.
Marchefius.
Guido.
Hugo.
Ardengus.
Gerardus.
Codeguerra.
Otho.
Rogerius.
Petrus.
Rogerius.
Marchefius.
Guido.
Bermuſtinus.
Ardengus.
Leonardus.
Obizo.
Otho Archiepiſc. Med.
Thebaldus.
Matthæus.
Gaſpar.
Guidetinus.
Ubertus.
Petrus.
Matthæus Epiſcopus Novaria.
Galeatius.
Albertonus.
Andreas.
Ubertus.
Henricus.
Ludriſius.
Luthinus.

Vicomercati.

Aleberius.
Pinamontes.
Pinamontes.
Guido.
Algiſius.
Rogerius.
Stephanus.

Villæ.

Monachus.

Gallos antiquitus à candore corporum Galatas nuncupatos; & id ſignificare Virgilium [a] voluiſſe, cum dixit,

—— lactea colla
Auro involuuntur,

quia potuerit dicere candida.

Quo autem tempore ſit condita urbs noſtra, quæri ſolet: quod etſi ſit ambiguum, haud multum tamen aberrabimus. Scribit Livius Belloveſum ad Alpes venientem tantiſper in Tricaſtinis ſuperſediſſe, dum novos advenas Phocenſes Græcia pulſos, & tum in littus Gallicum deſcendentes, armis, opibuſque juvaret adverſus Salluvios, qui eos agro prohibebant. Ita victores Græcos condidiſſe urbem, quam Timeus docet fuiſſe nuncupatam Maſſiliam à verbo Æoliso *μάσσω*, quod *religare*, & *δ'ρυδις*, quod *piſcatorem* ſignificat: quoniam auſpicata voce rector navis projectum funem defixo palo alligari petiit ab homine, qui tunc forte in littore piſces hamo captabat. Ea autem civitas auctore Euſebio in *Chronico*, & item Solino in *Collectaneis*, condita fuit Olympiadis quadrageſimæ quintæ anno tertio, qui primus & vigeſimus regni Tarquinii Priſci quinti Romanorum Regis venit; A.M. 3413. Ante Chriſt. 600. [1] à quo ad natum Chriſtum Deum ſexcenti computantur: quibus additis, quos inde numeramus, fiunt duo mille & centum anni. Diſſentiunt parùmper ab his Julius Hyginus teſte Gellio, & Ammianus Marcellinus, qui Maſſiliam cum oppido Velia agri Lucani conditam tradunt ſub Servio Tullio Tarquinii ſucceſſore. Eodem autem tempore, quo Maſſilia, conditum fuiſſe Mediolanum ex lectione Liviana manifeſtum fit.

[a] Lib. VIII. *Æneid.* 660.

[1] *A quo ad natum Chriſtum*, &c.] Mediolanum à Belloveſo conditum, vel potius ex parvo alius nominis oppido in ampliſſimam hujus nominis urbem reformatum ſub idem tempus, quo advenæ ex Phocæa ad Gallicum littus auſtrale prope Rhodani oſtia appuſi Maſſiliam poſuere, ſatis teſtata res eſt apud Livium *lib.* v. *Dec.* 1. ubi primum Gallorum cis Alpes tranſcenſum commemorat. Auctor eſt enim Belloveſum Phocæenſibus adverſus Salluvios inſcenſu Galliæ eos probibere contendentes ad jutus per Taurienſis Gitus in agrum Inſubrium eaceſſiſſe. Ubi vero ſimillimum eſt, nihil eum habuiſſe antiquius, quam ut in eo felicitſſimo terræ tractu, quem inſederat, regiam ſibi collocaret, tantæ populi multitudini, quam ſecum eduxerat, ſatis laxum tentorium. Itaque Livium, præter Triſtanum, ſequuti ſunt alii paſſim rerum noſtrarum ſcriptores, Andreas Alciatus, Bernardinus Corius, & Auctor æratum mundi ex Trogo Pompejo, & quicumque hiſtorias, quam fabulas, ſcribere maluerunt. At de tempore Maſſiliæ à Phocæenſibus collocatæ haud æque conſtans eſt fama. Sane Euſebius in *Chronico* id factum adſignat Olympiadis XLV. anno tertio, eique conſentit Solinus in *Polyhiſt.* cap. VIII. quos imitati ſunt Triſtanus, & ei par Corius, & Timeus apud Marcianum, cum ait, eam conditam CXX. annis ante pugnam Salaminiam, quæ contigit initio Olymp. LXXV. triginta videlicet Olympiadibus poſt. Si tamen vera narrat Ammianus Marcellinus *lib.* XV. *cap.* 12. neceſſe eſt Maſſiliam multis poſt annis conditam fuiſſe. Scribit enim a Phocæa Aſiaticum populum Arpali Cyri Regis præfecti, inclementiam vitantem Italiam navigio petiiſſe: ejuſque populi partem unam in Lucania Velium, aliam in Gallia Viennenſi Maſſiliam condidiſſe. At Olympiade XLV VIX. ac ne via quidem, natus erat Cyrus, nedum præfectum habebat Arpalum: ut notavit Salianus anno Mundi 3454. num. 2. Similiter quod additur ab Auctore de anno XXI. Tarquinii Priſci Romanorum Regis V. Euſebii Chronologiæ conſentit. Sed ſi verum eſt, quod ait Dionyſius, & approbat Salianus anno Mundi 3439. Tarquinium auſpicatum fuiſſe regnum anno 1. Olympiadis LI. conſequens eſt Tarquinium Olympiadis XLV. anno tertio regni annum XVIII. egiſſe. Denique ab anno 3. Olympiadis quadrageſimæ quintæ connumeram annus natalitius Chriſti Domini juxta Chronologiam Sabini, Gordoni, & aliorum, eſt quingenteſimus nonageſimus ſeptimus; quia juxta illos natus eſt Chriſtus Olympiadis CXCIV. anno 3. Juxta Baronium autem quingenteſimus nonageſimus ſextus. eo quod putet annum nativitatis Chriſti incidiſſe in annum ſecundum ejuſdem Olympiadis. Ex dictis porro facile eſt cognoſcere quoto Mundi anno inchoatum ſit a Gallis Mediolanum. Nam juxta Chronologiam Sabini annus tertius Olympiadis XLV. quem dicimus fuiſſe, juxta communiorem ſententiam, Mediolano natalitium, incidit in annum Mundi 3456. quæ nonus nativitatis Chriſti juxta eandem Chronologiam eſt 4051. ab urbe condita. At juxta Chronol. Gordoni cum annus natalitius Chriſti, atque adeo tertius Olympiadis CXCIV. ſit 4007. conſequens eſt annum tertium Olymp. XLV. eſſe Mundi 3045.

In nominis origine variæ quoque opiniones habentur. Fama fuit etiam priſcis temporibus de fuelanata, quod monſtrum facientibus mœnia Gallis apparuerit: quam ſecutus videtur Claudianus eruditus, ingenioſuſque Poeta, qui in *Nuptiis Honorii* Cæſaris Mediolani utique celebratis, locum more poetico deſignans, facit Venerem relicta Cypro Genuam pervehi, & inde tranſecenſo Apennino deſcendere:

—— —— ad mœnia Gallis
Condita lanigeræ ſuus oſtentantia pellem.

Cui haud dubie ſuccinuit Sidonius Apollinaris, claras urbes commemorans:

Et qua lanigero de ſue nomen habet.

Nam imperite, ſuperſtitioſeque nimis Claudianum vitiant, qui *ovis* legunt. Ejuſdem monſtri imago rudi ſæculo inciſa filice nunc quoque in foro exſtat: indignumque eſt vilis tabernulæ tecto occultari. Utautem hæc poſſint & poetici figmenti, & vani ſculptoris arbitrio laborare: ita quod Strabo in ſanctionibus Aquitaniæ, quod Ptolemæus bis in Gallia, biſque in Germania, nec non in Britannia inſula Mediolanum ſcribunt, haud incongruum fortaſſe erit ab aliqua Tranſalpina urbe nomen ſumptum ſuſpicari; præſertim cum & regionis ipſius appellatio Inſubrum competeret. Noo ignoro nuper tranſmiſſum ab Roma ſub nomine *Originum* M. Catonis, ab Olano & Medo Ducibus formatum nomen, quorum alter fundaverit urbem, alter auxerit: ſed id me quoque infatuare fortaſſe potuiſſet, ſi Fragmenta illa, vel Catonem ipſum, vel cujuſpiam eruditi hominis doctrinam ſaperent; ac non & per ſe nimis frivola, & collatione A. Gellii in primis coarguerentur.

Cæterum Inſubres appellari ab idoneis auctoribus animadvertimus id tamen terræ, quod inter Rhæticas Alpes, & his ſubjectos lacus Verbanum atque Larium clauditur, & quatemis eorum alumni fluvii Ticinus & Abdua in Padum exoncrantur, niſi quod Ptolemæus Novariam etiam inter Inſubres annumerat. Contendunt quidam Mediolanum in Liguribus eſſe poſitum, quod contra Priſcorum obſervationem eſt, qui Liguriam Pado terminant, & cum fluvium non excedere docent. Scripſerant etiam nonnulli Duce Brenno cos in Italiam deſcendiſſe Gallos, à quibus ſit Mediolanum conditum. Sed hos conſutant Livius & Polybius, negantes eos, qui primi in Italiam venerunt, Gallos Cluſium, & ſubinde Romam obſediſſe: ſed eoaſtare ducentis ante annis Gallos Alpes tranſiviſſe, & cum Populis, qui intra Apenninum incolebant, ſæpe Gallicos exercitus ante Brennum pugnaviſſe. Nam eodem Belloveſo regnante, faventeque, alia Tranſalpinorum manus Elitovio Duce eodem Taurinorum ſaltu tranſcendit in Italiam: [2] & Libui, Salluvii, Boji admiſti Ingonibus omnia inter Padum & Alpes occuparunt: & Vercellas, quas *Apollineas* Martialis poeta appellat, Libyci; Vertacomacori Vocontiorum Novariam; Lævi & Mariei Ticinum; Boji Laudem Pompejam; Orobii, montana gens, Comum, Bergomum, Licini Forum; Cænomani Brixiam; Euganei Veronam; alii Vincentiam, & Tridentum condidere: & Licini quidem Forum ex loci, verbique affinitate haud incongrue conjicimus fuiſſe, quod poſteriores Incinum dixere; quod diu celebre oppidum fuiſſe ruinæ docent. Merula libenter à vulgari conſuetudine recedens, Uncinum appellat.

Cauſam Gallis eo modo ſuperfundendi ſeſe Ita-

[2] *Et Libui, Salluvii*, &c.] Totus hic locus, quod attinet ad Subalpinarum gentium nomina in quinque exemplaribus, quæ ad meas manus pervenerunt, emendatiſſime legebatur. Sed cum non eſſet obſcurum diviſionem hanc Subalpinæ regionis pene ad verbum ſumptam eſſe ex Plinio lib. *Naturalis Hiſt.* III. cap XVII. & Livio *lib.* V. facile ex emendatis horum auctorum codicibus caſtigavi.

liæ, hanc primum fuiſſe Livius & Plinius ſcribunt, quod Helico ex Helvetiis Romæ diu ob artem fabrilem moratus, domum deinde remeans, ficum ficcam, uvam, & olei ac vini copiam ſecum tulerit: quarum frugum dulcedine, novaque tum voluptate capta, illectaque gens fuit, quam alioquin inteſtinæ diſcordiæ, ſeditioneſque urgebant. Jam ergo univerſa hac regione capta, ſedibuſque firmata, eam alteram Galliam vocant: & qui mediam interlabitur fluviorum Rex Eridanus, antea Phaetbontis pœna illuſtratus, Gallicum nomen Padum ſortitur ab arbore Picea, quæ plurima circa fontes ejus naſcens, & ædificiis neceſſaria, per eum ad proximas civitates deducitur, Padus Gallice dicebatur: quamquam Strabo & Herodotus negent exſtare uſquam Eridanum, qui vicinus Pado ſit, & mare ad Septentrionem ſubeat.

Bojorum autem opes procedente tempore ita coaluerunt, ut latius effuſo nomine Boicus quoque ager appellatus ſit, in quo Mediolanenſes ſuot, ut Feſtus Pompejus innuit; & circa Apenninum, centum & duodecim Tribus habuerint. Senones vero longius prolatis viribus à ſupero mari Senogalliam, Anconamque condidere: ab infero autem ad Uſentem uſque, qui Terracinam præterlabitur, fines habuere. Exactis vero ducentis prope annis, eodem die, quo Romanorum Dictator Camillus Vejos cepit, Inſubres, Boji, & Senones Melpum oppidum in tractu noſtro opulentia præcipuum deleverunt. Tum Brenno Duce ex Cluſina obſidione profecti, Romam diripuerunt, atque incenderunt. A Camillo fugati juxta Iſaurum Piceni fluvium afflicti, ibique in memoriam penſati auri urbs Piſaurum nuncupata, ut Serino placuit: nam Vibius Sequeſter ab amne præterfluente dictam mavult. Inde octoginta fere interlapſis annis, Arminum, qui Italiæ, Galliæque terminus eſſet, condidere.

Primo Punico bello confecto Romani novos hoſtes habuere Gallos Ciſalpinos, variaque ſorte pugnatum. Valerio Cos. uno conflictu tria Romanorum, altero quatuordecim Gallorum millia cecidere. Conſulatu L. Æmilii Pauli & Attilii Reguli cætera Italia ſine Tranſpadanis, nunciato Gallico tumultu, armavit octoginta millia equitum, peditum vero ſeptem centum; conſternatuſque eſt Senatus Romanus defectione Ciſalpinæ. Cum vero, & ex Ulteriore Gallia ingens adventare exercitus nunciaretur, totius Italiæ vires ad præſidium Imperii contraxit. Commiſſum eſt prælium in Thuſcia, non procul Aretio. Attilius Conſul cecidit: reliquus exercitus turpiter dilapſus. Hic Inſubres, Duce Britomaro, ſeſe jurejurando obſtrinxere, non prius ſoloturos balthea, quam Capitolium conſcendiſſent. Factum & eſt; ſed ſecus, quam putarant; victos enim, captoſque, alter Conſul Æmilius in Capitolio diſcinxit: Arioviſto, ſeu Ariſtonico, Duce (nam in nomine variant Florus & Eutropius) vovere de Romanorum manubiis Marti ſuo torques; ſed intercepit Jupiter votum, & de torquibus eorum aureum trophæum Jovi Flaminius erexit. Lucio Cornelio Lentulo, ſeu, ut Paulus Oroſius habet, Torquato, & Fulvio Flacco Conſulibus, primum Romani exercitus trans Padum ducti ſuere. Pugnatum cum Inſubribus & Liguribus, qui aliquot prælis victi deditionem fecerunt, atque de eis Romæ triumphatum. Iterum Flaminius & Fulvius copias in Inſubres duxere, quibus acie victis, fugatiſque, in eorum agrum incurſionem Flaminius fecit.

Sed his Conſulibus veluti vitio creatis, ac propterea de Provincia revocatis, ſubrogantur Cn. Cornelius Scipio, & M. Claudius Marcellus; & cum de pace ageretur, bellum multitudini Marcellus ſuaſit. Ergo in Acerras, quod in Padi ripa oppidum erat, impetum Galli faciunt, & Vindomarus Rex eorum finitimam oram populatur. Marcellus relicto ad Acerras collega, cum expeditis militibus ad hunc proficiſcitur: invectum circa Capidium, vel, ut apud Polybium legitur, Claſtidium vicum lancea transfigit, ſtratumque ſpoliat. Interim Scipio caſtra ad urbem ipſam Mediolanum promoverat: quæ quidem, ut Strabo ait, vicus fuerat: hoc vero tempore, ut Plutarchus docet, populoſiſſima Civitas erat, & gentis metropolis, & pro qua Galli ſtrenue pugnabant. Quocirca Scipio infeliciter jam rem gerebat, & obſidione elaudebatur; ſed mox adventu victoris collegæ, ac Vindomari cæde vulgata, ſublevatus eſt. Tum ambo Conſules Mediolanum oppugnant, vique captam urbem diripuere; cujus exemplo exterrita reliqua tractus hujus oppida deditionem fecere. Ita Marcellus duplici victoria lætus, magnificum Romæ triumphum egit, ceu de univerſa gente edomita, & tertius à Romulo opima ſpolia ſuſpendit: deductæque fuere in agro de Gallis capto Cremona & Placentia coloniæ, quæ utramque Padi ripam complexæ, ceu totidem arces ferocibus populis oppoſitæ ſtarent: & Placentiam quidem tertiam & quinquageſimam colooiam fuiſſe Aſconius Pedianus commeminit: ſexque millia hominum novi coloni Latini poſiti fuere. Pacem Punicam frangente Annibale, Boji ſollicitaris Inſubribus ad eum profecti ſunt, & correptis armis impetum in novas colonias faciunt: tantumque terroris ac tumultus fuit, ut triumviri Romani, qui eo ad deſignandum agrum venerant, diffiſi mœnibus Placentiæ, Mutinam confugerint: ubi cum obſiderentur, & legati ad colloquium pacis evocati à Gallis retinerentur, L. Manlius Imperator agmen ad Mutinam duxit; & quamvis ſallentibus ſylvis in inſidias bis incurrerit, tamen octingentis militum Gallorum occiſis, exercitum incolumem perduxit Cannetum, qui adhuc ibidem vicus exſtat: hicque opportunitate fluminis, & auxilio Brixianorum, Gallorumque nonnullorum ſe tutatus eſt, donec hoſtes diſceſſere. Hærebat adhuc circa Rhodanum Annibal ambiguus, utrum cœptum in Italiam iter intenderet; an cum eo, qui primus occurriſſet Romanus exercitus, confligeret.

Interim ſupervenere Bojorum, Inſubrumque legationes, & Regulus Matalus; qui ſe duces itinerum, ſociosque periculi offerentes, integris viribus aggrediendam Italiam ſuaſerunt; apertæque tum fuere Alpes, Punico exercitu tranſeunte: quas diu ante invias indomita ingenia, inſociabileſque omni hominum generi animi habuerant. Motum erat per id tempus bellum à Taurinis adverſus Inſubres, incertuſque ſtetit Annibal, cui potiſſimum parti faveret. Ne videlicet offenderet Gallos ſe præſentem ſecuturos. Interim à Placentia in agrum Inſubrium tradueitur Romanus exercitus, Ticinumque pontibus junxere: ubi, quia de urbe nulla ſit mentio, dubitat Blondus, utrum ea adhuc condita fuiſſet. Ego vero pariter miror, Plinium & Ptolomæum nullum verbum facere Cottutæ, ad cujus confinia ſitam urbem Ticinum cum amne ejuſdem nominis ſupra Placentiam triginta ſex milliaria Strabo meminit. Cæterum cum Annibale Scipio conflixit, & victus Placentiam confugit. Victorem autem Annibalem frequentes Gallorum Padi accolarum legationes adeunt, gratulanturque rerum ſucceſſum. Trajecto mox Pado, Claſtidium frumento refectum per proditionem capit; ad Trebiam eundem Scipionem una cum Collega Sempronio debellat. Cannenſi clade perpetrata, Lucius Poſthumius Romanus Conſul deſignatus, viginti quinque armatorum millia in Bojorum agrum inducere tentavit, per Litanam ſylvam, ſed Galli ita arbores ſuccidcrunt, ut immotæ ſtarent, parvo autem momen-

A.M. 3834. ante Chriſt. 288.

A.M. 3836. ante Chriſt. 286.

A. M. 3819. ante Chriſt. 214. mento impulſæ occiderent. Igitur, * ubi agmen intravit, ruina arborum undique facta Romani intercluſi ad unum obteruntur. Conſulis caput inventum, & ex calva ejus auro cincta vas ad ſacrificia Galli conſecere. Ex qua clade tanta conſternatio Romæ fuit, ut clauſis tabernis, velut nocturna ſolitudine, pluſculi dies acti ſint; nec niſi per Senatum dato Ædilibus negotio, ut aperirentur, publicæ mœſtitiæ ſpecies adempta eſt.

A. M. 3847. ante Chriſt. 206. Interea Annibalis frater Aſdrubal ex Hiſpania profectus Placentiam obſedit, ac vi captam diripuit, miſſis à Carthagine ad revocandum Annibalem legatis; Quintilius Varus Prætor, & M. Cornelius Proconſul in agro Inſubrum Gallorum, cum Magone altero Annibalis fratre ſignis collatis conſixere. Ictus Mago in ſæmore, amiſſis quinque millibus hominum, & viginti duobus ſignis militaribus, auſugit, & per Ingaunos Ligures clapſus, dum mare trajicit, exſtinguitur. Pace altera cum Pœnis facta, averſiſque omnium animis in bellum Macedonicum, repente Gallicus tumultus exortus eſt. Inſubres, Boji, Cænomani, excitis Liguſticis populis, Amilcare Pœno Duce, qui in his locis de Aſdrubalis exercitu ſubſtiterat, Placentiam invaſerunt. Qua direpta, atque incenſa, Padum trajiciunt, Cremonam obſident: ſed vicinæ urbis audita clades ſpatium colonis dederat ad claudendas portas, & paranda obſidioni neceſſaria. L. Spurius Purpurio, qui Prætor Ariminı agebat, conſulari exercitu accepto, ad liberandam Cremonam

A. M. 3814. ante Chriſt. 199. contendit. Certatum eſt omnibus copiis. Gallorum quinque & triginta millia deleta ſunt. Dux ipſe Amilcar, & tres nobiles Gallorum principes occubuere. Placentini captivi ad duo millia liberorum capitum colonis redditi. L. Furius ingenti lætitia, triumpho acto Romæ intulit ærario ccc. & xx. millia æris, & argenti ct.xx. millia pondo. Proximo anno C. Bebius Pamphilus prætor temere Gallorum Inſubrum fines ingreſſus, prope cum toto exercitu circumventus eſt, ſupra ſex mille & ſexcentos milites amiſit. Qua ex cauſa L. Lentulus Conſul ab urbe excitus, trepido exercitu accepto, cum probris Prætorem dimiſit: neque tameu ipſe memorabile quidquam egit. Altero dein-

A. M. 3817. de anno, cum in armis Inſubres eſſent, aſſumptis Cænomanis & Liguribus, duo Conſules hanc provinciam ſuſceperunt, Cn. Cornelius Cethegus & Q. Minutius Ruſſus: quorum alter recta via cis Apenninum, alter ad Ligures flexo itinere, ac bello cœpto Litubium, quod nunc *Voltabium* dici Merulæ placet, & Claſtidium, quindecimque alia oppida & hominum viginti millia cepit: inde in agrum Bojorum, qui non multo ante trajecto Pado junxerant ſe Inſubribus, legiones duxit. Boji poſtequam audivere ſuos exuri agros, poſtulârunt, ut univerſi laborantibus opem ferrent: negavere Inſubres ſe ſua tali tempore deſerturos: ita diſſenſione orta copiæ dividuntur. Profectis Bojis ad ſuas res tutandas, Inſubres & Cænomani confedere ſecus Mincii fluminis ripas; & infra eum locum Conſul Cornelius caſtra ſua applicat Flavio: inde mittendo in vicos Cænomanorum, & Brixiam com-

* *Ubi agmen intravit*, &c.] Cladem hanc Romanorum exſcripſit Auctor ex Livio *lib.* III. *Dec.* III. a quo aliquanto ſubtilius narratur. Sed enim prope fidem excedit, Romanos, nullius alioqui peritiſſimos, adeo temere per hoſtium fines duxiſſe, ut nullo viarum, profectionumque diſcrimine, nulla agminum, turmarumque diviſione, nullis præcurrentibus emiſſariis, ſpiſſo agmine, ſilvam nullatenus exploratam intrarent; præſertim adeo vaſtam, ut maximorum exercituum alterius alteri non aſpectum modo, ſed etiam ſuſpicionem omnem adimeret: adeo denſam, ut arborum aliæ alias ſuo ſternerent caſu. Neque admodum ſimile eſt vero, exteros ejus cladis ſcriptores tam inſitatam inſidiarum rationem prætermiſſuros fuiſſe: & tamen Polybius in calce *lib.* III. ſolummodo ſcribit Conſulem nec opinantem in inſidias illapſum cum toto exercito à Gallis eſſe deletum: & Zonaras, in tranſitu ſilvoſi montis inſidiis exceptum, à Bojis cum toto exercitu cæſum periſſe.

A perit non ex publico conſilio juventutem defecti- ni Inſubrum adhæſiſſe: tum accitis principibus omnia molitus, ut Cænomani eos deſererent, obtinuit, ut vel in acie quieſcerent, vel ſi qua occaſio foret, adjuvarent etiam Romanos. Itaque edu-cta acie non ſolum ſeſe præſidio ſociorum ſubtraxere infidi ſocii, ſed repente Inſubrum terga adorti, pugnantibus à fronte Romanis, cauſa rariſſimæ cladis fuere: cæſa enim ſunt hominum quinque & triginta millia, & alter Amilcar Pœnorum Dux, qui belli auctor fuerat, cum ſeptingentis

B captivis in poteſtatem Romanorum venit.

Rebellarunt item Inſubres & Boji à L. Curio & Claudio Marcello ſubacti, deque eis Marcellus triumphavit. Marco Portio Catone Conſule A. M. in Hiſpania bellum gerente, alter Conſul L. Va- 3819. lerius Flaccus cum Bojorum manu juxta Litanam ſylvam conflixit: octo millia Gallorum interfecit, & reliquum æſtatis circa Padum Cremonæ, Placentiæque egit. Idem proximo anno Proconſul circa Mediolanum cum Inſubribus & Bojis, qui Duce Borulaco rebellantes Padum tranſierant, acie depugnavit: decem millia hoſtium cæſa ſunt. T. Sempronius Conſul in agrum Bojorum legiones induxit, quorum tres Reguli fratres, tota gente in

C armis concitata, caſtra apertis locis poſuerant, pugnaverunt æquis viribus, & pari ſpe; ceciderunt tamen Gallorum undecim millia, Romanorum eo numero minus dimidio. Conſul Placentiam, Galli in intima finium ſe recepere. Adverſus Antiochum bello à Romanis ſuſcepto, legati Placentinorum & Cremonenſium in Senatum Romanum introducti expoſuerunt civium ſuorum inopiam: quorum alii belli caſibus & morbo, alii tædio accolarum Gallorum continenter cædibus & incendiis vexati, colonias derelinquerant. Decrevit Senatus ſex millia familiarum in ſupplementum mittenda: nec eo multo poſt Bononia colonia Latina in agro de Bojis capto deducta eſt. Tum Parma, Mutina, Piſaurum inſtauratæ. Per quæ tempora claruit Ennii Poetæ contubernalis Cæcilius comœdiarum ſcriptor celeberrimus: cui primas in eo dicendi genere partes Priſcorum conſenſus detulit. Notum eſt epigramma Volcatii Sedigiti decem Poetas judicantis:

Cæcilio palmam ſtatuo de comico:
Plautus ſecundus facile exſuperat cæteros.

Hunc Euſebius in *Chronicis*, Olympiade centeſima quinquageſima, Inſubrem Gallum, & patria Mediolanenſem fuiſſe perhibet. Gellius addit ſervum fuiſſe, & ſervile nomen Statium habuiſſe; & eo in cognomentum verſo dictum Cæcilium Statium.

E Non me fallit Merulam hos verſus in *Hiſteria* Nigidio Figulo adſcribere; quod tamen in *Epiſtolis* non tenet, & nos Gellii ſcripto inhæremus.

Circa exitum belli Macedonici, Aquileja colo- A. M. nia Latina in agro Gallorum deducta eſt. 1 Conſu- 3826. latu P. Scipionis Africani & T. Sempronii Longi apud Mediolanum decem Gallorum, quinque Romanorum millia cæſa fuere: capto Jugurtha Rege A. M. Numidarum. Q. Cæpio & Mallius male adverſus 3908. Gallos pugnârunt. Quare ita exterriti ſunt Romani, ut cum cætera omnia virtuti ſuæ prona eſſe experirentur, cum Gallis faterentur, non pro gloria

F ſe, aut imperio, ſed pro vita, ſaluteque dimicare. Ac ſubinde victor Numidæ C. Marius abſens Conſul factus eſt, & Gallia Provincia ei decreta. Dein A. M. Cimbri & Teutones, quanta nunquam antea bar- 3912. baries Romanum concuſſerat Imperium, tripartitis copiis Alpes tranſivere, effuſoſque in plans Marius quinto Conſulatu ſuo fudit apud Vercellas, ut

1 *Conſ. Iam Titi Sempr. Longi*, &c.] Hoc de Tito Sempronio, tacito Longi cognomine, pagina præcedente memoratum eſt. Hoc vero tempore nullus Sempronius conſulatum geſſit, nec clades iſta apud alios legitur Gallis illata. Quare conjicio idem bis memoratum fuiſſe; primum loco ſuo, hic autem alieno.

Plutarchus; juxta Eridanum, ut Euſebius; apud Atheſim Veronæ, ut Livius & Florus tradunt: fortaſſe, ut quibus quique faucibus protuperant deprehenſi, ac debellati, locorum nomina apud varios ſcriptores ſortiti ſunt. Ac neſcio, an ex reliquiis eorum ac victoris nomine factus ſit io Novarienſi agro arcus Marianus, & mons Marius, & in Mediolanenſi Marianum oppidum. Edomitos tunc feroces animos, & Romanis Magiſtratibus paruiſſe Gallos argumento eſt, quod inſtante Marſico bello Q. Sertorius Quæſtor Galliæ Circumpadanæ deſignatus delectum militum, & armorum præparationem fecit tanta celeritate & diligentia, ut viri impigerrimi & in rebus agendis maxime efficacis gloriam reportaverit. Flagrantibus mox Marii & Syllæ diſcordiis Conſules amiesm & obſequentem in augendo exercitu Galliam Circumpadanam habuerunt. Deinde Lucullus reliquias Papirii Carbonis circa Placentiam obſedit. Tumque Italicis populis Civitas Romana à Senatu data eſt, & ſublatum ex Italia Boicum, [1] Senonicumque nomen eſt, quos ſimul, & Caturiges Iſubrum exules penitus interiiſſe Strabo & Plinius meminere. Inſubres vero durare, & Mediolanum eximiæ dignitatis urbem eſſe iidem ajunt.

A.M. 3961.

Igitur, & Italiæ nomen ab antiquis terminis ad Alpes ipſas, quacunque ambiunt, promovetur; & Ciſalpini omnes Itali, Romani, & Galli togati appellantur. Ac tunc demum ſolida quies domi ſuit, & adverſus externa floruere Romani, cum Tranſpadani populi in civitatem recepti ſunt: alioquin enim

A.M. 3965.

——— quoties Romam fortuna laceſſit,
Hæc iter eſt belli.

Mortuo Sylla, M. Brutus pater ejus Bruti, qui Cæſarem interfecit, Ciſalpinam omnem cepit, ac M. Lepidi partibus adjunxit. Miſſus eſt adverſus eum à Senatu Cn. Pompejus: qui Provincia recuperata Brutum Mutinæ obſeſſum, ad deditionem, mortemque compulit. Trucidatus Mediolani Senatus ab exercitu fuit. Pompejus ne tumultum moveret, ſi ſolos ejus criminis participes evocaſſet, juſſit ad ſe venire mixtos illis etiam eos, qui extra delictum erant. Ita omnibus ſine ſuſpicione, quod culpæ cauſa vocarentur, comparentibus, memorabili ſtratagemate, ut apud Frontinum eſt, de noxiis ſumpſit ſupplicium.

A.M. 3977.

Ab eodem Pompejo conditam Laudem Pompejam poſt devictos piratas, & purgata prædonibus maria Merula ſcribit: ſed, cum id nullo Priſcorum teſtimonio comprobetur, non video quomodo vir pereruditus, & à Blondo admonitus, receperit: & potior ſuſpicio cadit in Pompejum Strabonem hujus patrem, quem colonias Tranſpadanas duxiſſe conſtat. M. T. Cicero Romanæ pater Eloquentiæ regionis noſtræ ope non caruiſſe ſe adverſus temporibus ſuis quodam in loco confeſſus eſt, & Placentinos in primis de ſe optime eſſe meritos: eoſdem cum tota Italia certaviſſe, cum de illius reditu ageretur, & honoratiſſima decreta erga eum feciſſe, memorat Aſconius Pedianus.

C. Julius Cæſar jam Conſul uxorem duxit Calphurniam L. Piſonis filiam; cujus avum Mediolanenſem præconem fuiſſe Cicero in *Invectiva* objicit, & Aſconius Inſubrem mercatorem conſentit; patrem vero Placentinum, ex quo etiam ſemi-Placentinum Cicero appellat. Ipſe vero Cæſar in *Commentariis* L. Piſonem avum L. Piſonis ſoceri ſui, legatum fuiſſe ſcribit L. Caſſii Conſulis, qui à Tigurinis pago Helvetiorum eſt interfectus. Cæterum eodem ſocero ſuffragante ex omni Provinciarum copia Cæſar Galliam potiſſimum elegit: & primo quidem Ciſalpinam, mox etiam Comatam accepit: per quod tempus conflato ab Helvetiis bello, qui per Sequanorom fines in agrum Heduorum pervenerant, duas legiones in Ciſalpina conſcripſit, & tribus aliis ex Aquileja evocatis ab Ocello, extremo hujus Provinciæ oppido, ſeptimo die pervenit in fines Vocontiorum, & Allobrogum. Cum vero inde cis Alpes rediiſſet, exercitum circa Eridanum reduxit, quo in tractu, ut Vitruvius ſcribit, Larignum caſtellum obſedit ob denegatos commeatus, atque inter oppugnandum miratus turrim oppidanorum ex trabibus conſtructam, ardentibus ſarmentorum faſciculis ſubjectis non potuiſſe magis quam ſaxum in calcem cremari, didicit Larignam materiam, cujus maximæ copiæ in his locis ſunt, ignes non facile concipere, & conceptos non nutrire. Illuſtres interim gentium, & exercituum Duces, & Magiſtratus adiecunt, ut centum & viginti faſces circa eum uno tempore viſi fuerint. Venere item Pompejus & Craſſus, atque inter ſe Remp. partiti conſtituerunt, ut iterum Pompejus & Craſſus conſulatum ioirent; Cæſar in aliud quinquennium Provinciam obtineret.

Interim Mediolanum divertit Cæſar, ubi à Valerio Leone cœna exceptus, ſingulare modeſtiæ ſpecimen edidit. Nam cum aſparagis inditum foret oleum conditum pro viridi, nonnulli ex convivis ruſticitatis arguere hoſpitem cœperunt, inſolitum cibi genus ſubinde aſpernantes: at contra Cæſar illius honori proſpiciendum ratus, affatim comedit, & ſodales redarguens, ruſticos ipſos eſſe dictitabat: quibus ſatis eſſe potuiſſet appoſito obſonio non uti, nedum, ut de hoſpitis ſimplicitate obloquerentur. Hoc loco Merula, dum iterum revolvere ſemel lecta non curat, Parhiſtoriam admiſit: ait enim Cæſarem eo cibo appoſito reſpondiſſe hoſpiti: *Non putaram me tibi tam familiarem:* quod prorſus frigidum, & à viri prudentis ingenio alienum eſt: divique Auguſti id fuiſſe docet Macrobius in *Saturnalibus*, nimia improviſi prandii parcitate expreſſum: ſed & ſimili errore lapſum Ciceronem A. Gellius obſervavit, ac magis miratur non poſtea animadverſum fuiſſe à Tullio Tyrone ejus ſcriptorum emendatore, cum is Ajacem pro Hectore de ſepultura ſollicitum ex Homero traduxiſſet.

Como urbe à Rhætis vaſtata Pompejus Strabo, Magni Pompeji pater, colonos in eam reſtituerat, & jus Latii dederat; id eſt, jus petendi Magiſtratus Romæ, & cætera agendi, ut Latinæ coloniæ habent. Inde C. Scipio tria homioum millia adjecit: poſtmodum C. Julius Cæſar quinque inquilinorum millia induxit, in quibus quingenti illuſtriſſimi fuere Græci, quos civitate donatos in habitatorum numero deſcripſit: ſed non in eodem loco domicilium habuere; in proximo Novum Comum condentes Novocomenſes appellati ſunt omnes. Quo in loco diligentiam in Strabonis Interprete deſiderare haud injuria Merula videtur. Rerum verò Imperio adſpirans Cæſar cum omnia à Senatu obſtinatius fieri contra ſe videret, pepigit cum adverſariis, ut dimiſſa Ulteriore Gallia Citeriorem cum duabus legionibus retineret; tanti faciebat noſtræ gentis vires, & Provinciæ opportunitatem, quam etiam Cicero in *Philippicis* florem Italiæ, firmamentum Imperii, & ornamentum dignitatis appellat, & præfediſſe ſemper huic Imperio, libertatique communi affirmat. Nam & alibi dictum eſt ex ejuſdem emolumento idoneam eſſe materiam triumphorum.

Trajecturus deinde in Africam Cæſar adverſus Catonem & Scipionem, huic Provinciæ præfecit Mar.

[1] *Senonicumque nomen eſt*, &c.] Poſt hæc verba in aliquibus exemplaribus legebantur illa, *Omnes Itali Romani:* quæ ideo expunxi; quia non dubitavi, ex margine in contextum irrepſiſſe: argumento eſt, tum quia ea erat ſententia verborum præcedentium digna, quæ margini adnotaretur. tum quia junctura verborum non conſtat, ſi ea verba in contextu retineantur: tum denique, quia in aliquibus exemplaribus non habentur.

Mar. Brutum, cum ipſum, à quo poſtea fuit interfectus. Cujus cura & adminiſtratione viſi fælices ſunt populi, & fidem erga Cæſarem conſtantius coluerunt: cum cæteræ regiones Præſidum contumeliis & avaritia lacerarentur, diriperenturque; Brutus vero humanitate & juſtitia pollens, requies ſuis & conſolatio erat. Unde cum rediens Cæſar Italiam circuiret, dulciſſimum præbuere ſpectaculum civitates, quibus Brutus præfuerat. Cui (quod in memoriam meritorum tribuebatur) Mediolanenſes æream ſtatuam illi perſimilem medio foro poſuere, ut Suetonius in *Claris Rhetoribus*, & Plutarchus in *comparatione Dionis* meminere. Eandem Togatam Galliam bello civili rexit M. Callidius orator clariſſimus, Cæſarianas partes ſecutus; & interim Placentiæ obiit. Apud eandem Placentiam Cæſar nonam legionem ob factam ſeditionem totam cum ignominia dimiſit.

Mortuo Cæſare Mar. Antonius, ut juvenem Octavium, qui poſtea Octavianus, ut Dion Græcus declarat, & Cæſar Auguſtus fuit, deprimeret, palam illi adverſatus, exercitum in Gallia Tranſ-
A. M. 4011. ante Chriſt. 41. alpina paravit, Decium Brutum Mutinæ obſedit, cæteraque ſucceſſere inter eos bella, & Triumviratus cum Lepido in Inſula Padi, & quæ circa Derthonam, & Statielenſium fines acta *Epiſtolæ* Ciceronis & Bruti, tum Appiani Alexandrini, multorumque aliorum ſcriptis nota ſunt. Quibus cum ingentes pecuniæ cæteris nationibus imperarentur, ſola Gallia, quæ intra Alpes eſt, ex decreto prioris Cæſaris, novo Cæſare poſcente, immunis relicta eſt.

Potitus vero rerum Auguſtus, cum Germanica, aut Pannonica bella gereret, aut per Legatos adminiſtraret, ne longe abeſſet, progredi ab urbe Roma ſolebat Ravennam, vel Aquilejam, vel Mediolanum uſque. Ubi & ſtatuam Bruti paulo ante memoratam conſpiciens, juxta eam ſubſtitit; auſcultantibuſque multis, principes civitatis accerſivit, & ſe eos ſœdifragos deprehendiſſe dixit, qui penes ſe ſinum tenerent hoſtem. Et initio quidem Mediolanenſes inficiabantur, ſeque invicem intuentes, unde id ſorte eveniſſet, percunctabantur. Tunc ad ſtatuam converſus Cæſar, contracto vultu: *Nonne iſte*, inquit, *interdiu hic manet hoſtis?* ad hanc vocem trepidi, & ceu convicti obmutuere. At Cæſar ſubridendo dixit, ſimplicitatem fidei eorum ſe recognoſcere, quod amicis etiam præter fortunam conſtantes viderentur: collaudanſque eos, imperavit, ne ſtatua omnino loco moveretur: exiſtimabat enim officioſi Principis eſſe, reſpicere rationem temporis, quo quid honoris & gratiæ benemerentibus reponitur; non autem, quo poſtea in odium venerit. Ejuſdem memorandum judicium Valerio Maximo viſum eſt de fœmina Mediolanenſi, quæ ſe inferere auſa eſt bonis minime ad ſe ſpectantibus, tanquam ſorer Rubria, quæ falſo crederetur incendio periiſſe. Cui cum neque ex tractu Mediolanenſi ſplendidi teſtes, neque cohortis Auguſti favor deeſſet: tamen veritate comperta, irrita voti dimiſſa eſt.

Eidem divinos honores conſtitutos fuiſſe, etſi multorum ſcriptis intelligatur, tamen id etiam teſtatum manet Comi lapidea tabula ſic inciſa:

T. ANNIO. T. F. QVIR. MAXIMO. POMPONIANO. FLAM. DIVI. AVG. AVGVRI. PRAEF.

Duo ejuſdem Cæſaris privigni Tiberius, qui poſtea imperavit, & Druſus bellum in Germania gerentes, cum hac iter crebro facerent, ſtructi à ſe muri memoriam reliquerunt. Exſtat apud Laudenſes nigri marmoris tabula, prægrandibus litteris ad hunc modum inſcripta:

T. CAES. AVGVS. F. AVGVSTVS. DRVSVS. CAESAR. AVG. F. AVGVSTVS. PORTAM. F. C.

Idem Auguſtus cum eorum juvenum matre Livia Ticini erat, cum victor hoſtium Tiberius, ad
A. M. 4041. ante Chriſt. eos ſalutandos, amplectendoſque venit, & mox nunciatum eſt Druſum fratrem ex fractura cruris inter fluvium Salam & Rhenum graviſſime laborare, ex quo protinus ad eum proficiſcens Tiberius, mutatis ſubinde equis, ducenta paſſuum millia die ac nocte confecit.

Jam Virgilius Poetarum maximus, ex pago Mantuano natus, Cremonæ ad virilem uſque togam educatus, Mediolani litteris operam dedit. Imperante utique Auguſto L. Piſo Proconſul Mediolanum miſſus, jura publice reddidit; coramque eo complures cauſas egit, clarus tunc Rhetor C. Albutius Sylo Novarienſis. Quod Albutii nomen frequens Comi fuiſſe, marmoreæ tabulæ priſcæ elegantiæ teſtantur, in quibus adhuc legitur:

Q. ALBVTIVS. GALENVS. ET. C. ALBVTIVS. BLANDIRO. VI. VIRI.

Sub Tiberio Cæſare Novellus Tricongius Mediolanenſis memoratur; Torquati cognomen Merula neſcio unde addidit. Is è Prætura geſtis honoribus ad Proconſulatum uſque provectus eſt, & rara gloria potitum Plinius ſcribit; tres enim vini congios uno impetu & ſine reſpiratione haurire ſolitum eſſe, indeque & *Tricongii* nomen; & ſpectari eum aliquando miraculi gratia ab Imperatore; quod ita nec ſermone laboret, nec vomitione, aut alia corporis parte levabatur; aut quin matutinas obiret vigilias, non impediebatur. Hujus gentilem non immerito dixerimus alterum Novellum, cognomento æqualem, cujus memoriam antiqui operis tabula in ſuburbano poſita, nunc quoque ſervat. Claudio Principe in Italiam tranſmiſſa Chriſtiana religio iiſdem pene diebus, auctoribuſque Mediolani, quibus & Romæ recepta eſt. Invaluit apud quoſdam opinio Barnabam Pauli Apoſtoli ſocium ejus rei principem fuiſſe: memorantque id ſcriptum à D. Hieronymo in *Epiſtola ad Cromatium & Heliodorum*; item à Dorotheo Dionyſii Areopagitæ diſcipulo in libro, quem is fecerit *de Actibus Apoſtolorum*: alius ex *Epiſtola* Clementis idem conſtare adſtruir: quæ ego teſtimonia, etſi alieno quoque ſtudio uſus peravide conquiſiverim, hactenus tamen non inveni. Unum quidem apud Clementem in itinerario obſervavi, Barnabam Roma in Gallias profectum, Chriſti nomen primum vulgaviſſe, ex quo facile potuit in ampliſſimam tunc urbem Mediolanum divertere.

Cæterum magis convenit, Anathalonem genere Græcum primum in Epiſcopatu à Barnaba ipſo inſtitutum, qui injuncto munere conſtanter perſeverans ad octavum Neronis annum pervenit. Cajumque civem Romanum virtutibus & eloquentia præſtantem ſucceſſorem deſignavit. Caji prædicatione non craſſum modo vulgus, & multitudo imperitior, ſed in nobilitatem penetrante ſermone, Præſides & Magiſtratus in nomen Chriſtianum ceſſerunt. Inter quos duo opibus & genere illuſtres Vitalis & Philippus fuere, quos ſecuti ſunt liberi, tota familia, & complures cives Senatorii, Equeſtriſque ordinis, quos omnes Cajus luſtravit ſacra aqua ex perenni fonte, qui via Ticinenſi non longe à mœnibus ortus, nunc quoque perdurat, manſitque mos poſteris inde lavandi, quos in nomen Chriſtianum recipiebant, quoad recepta intra urbem religione tuto alibi exercere ſacrum munus licuit. Ultimo Neronis anno cum patriæ, tum Petri, Paulique Apoſtolorum viſendorum gratia Romam petere Cajus conſtituit. Et quamvis in itinere necis eorum obvios nuncios habuerit, nihilominus quo
A. C. 69.

intendebat ire perrexit: atque Clemente coovento, à quo rem omnem geſtam didicit, Mediolanum reverſus eſt.

Per idem tempus Nazarius civis Romanus adoleſcens clariſſimus, cujus mater à Petro baptizata fuerat, in Ligures tranſmiſſus, Genuæ primo, dein Placentiæ Chriſti præcepta aperuit. Quod & Mediolani mox fecit, Celſumque ſummæ nobilitatis puerum ad idem pertraxit. Syrus quoque Aquilejenſis genere, & Juventius Hermagoræ miniſtri, qui poſtea à Marco Euangelium accepit, Ticinum venere, novæque tum ibidem religionis fundamenta jecere; atque ex propinquitate locorum frequenter ad communicanda cum cæteris Chriſtianis conſilia Mediolanum ventitabant. Tradunt quidam Neronis juſſu, qui plurimum in Chriſtianos ſæviebat, Nazarium & Celſum fuiſſe pariter trucidatos, ſed Paulinus Nolanus, qui *Vitam Ambroſii* ſcripſit, aperte fatetur incompertum ſibi eſſe tempus cædis Nazarii.

Sublato Nerone, interfectoque Galba ſeptimo Romanorum Imperatore, Othonianum bellum circa Padum efferbuit. Syllanæ alæ milites, qui non procul erant, & Proconſulem Vitellium in Africa habuerant, ejus ſacramento acceſſere, atque ut quo poterant beneficio novum Principem demererentur, firmiſſima, ut Cornelius Tacitus inquit, Tranſpadanæ regionis municipia illi adjunxere, Mediolanum, Novariam, Vercellas, Eporediam, totumque hoc florentiſſimum Italiæ latus, & quantum inter Padum & Alpes camporum, urbiumque eſt, armis Vitellii adjunctum, haud dubium aditum illi ad terrarum Imperium fecit. Nam hac virium acceſſione territus Otho, ac apud Bebriacum, qui Cremonenſium vicus nunc quoque aliquam nominis ſimilitudinem retinet, debellatus, ſe mox Brixelli interfecit, atque ioter oppugnandum Placentiam Amphitheatri opus pulcherrimum, & quo nulla tam capax io Italia moles erat, conflagravit. Vitellius ex Ulteriore Gallia reverſus, Senatus Romani legationem Ticini audivit.

Ingruente mox in Italiam Veſpaſiano, quia terreſtris exercitus per Pannoniam & Dalmatas adventabat, occupatæ ſunt Vitellii nomine Verona, Vicentia, Hoſtilia, Forum Alieni, quam nunc Ferrariam dici eruditis placet. Illic enim junctus ponte Padus brevem & percommodum ad eas urbes tranſitum præbebat. Oppreſſis Vitellianis cohortibus, tum deficiente Cæcina, qui Vicentinus genere fuit, vis belli circa Cremonam incubuit, & victoribus Flavianis nobilis & prædives civitas, & tum mercatus tempore plenior, direpta, combuſtaque fuit, anno, ex quo condita fuerat, decentefimo & octogeſimo ſexto. Ipſius Veſpaſiani proavum Titi, ſcilicet Flavii Petronii patrem non negat Suetonius fuiſſe ex regione Tranſpadana mancipem operarum, quæ quotanois, ut nunc quoque fit, ad culturam agrorum commeare in Etruriam ſolent.

A.C. 71.

Imperanti Tito divinos honores ex aliorum Cæſarum more datos, indicat Epigramma, quod Comi in ſaxo legitur, ad hunc modum:

MINICIVS. L. F. EXORATVS. FLAM.
DIVI. TITI. VESPASIANI. CONSENSV.
DECVRION. TR. MIL.

Durat in Ambroſianæ ædis pariete antiqua tabula perelegantibus litteris ſcripta in hunc modum:

D. S. I. M. P. ACILIVS. PISONIANVS.
PATER. PATRATVS. QVI. HOC. SPELAEVM. VI. IIGNIS. ABSVMTVM. COMPARATA. AREA. A. REP. MEDIOL.
SVA. PECVNIA. RESTITVIT.

Id autem ſub hæc tempora cootigiſſe; cum nomina ipſa vere priſca Romaoa, nam C. quoque Acilius Cæſarianus miles legitur, qui apud Maſſiliam prælio navali injecta io puppim hoſtium dextra, eaque abſciſſa tranſilivit in navem, umbone obvios agens; tum argumento eſt illud *ignis* gemino ii ſcriptum: tradit enim Fabius Quintilianus in *Inſtitutionibus Oratoriis*, ætate ſua in uſu fuiſſe, ut producendam vocalem geminarent, & Ciceroni quoque placuiſſe *ajio*, *majamque*, geminaro ii ſcribere. Præterea Florentiæ nuper florentibus Mediceorum opibus viſa numiſmata ſunt, ſub imagine Galbæ Cæſaris, io quibus, & *feelix* per duplex ee, & *viirtus* per duplex ii leguntur: ibidem *abſumtum*, ſine p ante t, ſcriptum animadvertimus.

Quinto Domitiani Imperatoris anno, qui ſecundus & vigeſimus erat, ex quo Eccleſiæ Mediolanenſi Cajus Epiſcopus præfuerat, ſpiritum poſuit; ſepultuſque in Poliandro Philippi. Ita vocarunt locum in hortis, quos prædives homo uſui religionis dicaverat. Nunc id ſpatium Ambroſiana æde cœnobioque occupatur. Cæterum Domitianus, cum in alios virtute, doctrina, & moribus claros viros ſæviret, Philoſophoſque urbe Roma & tota Italia pelleret, Chriſtianos quoque acerbius exagitavit, nullo non genere tormenti in eos edito. Ita ne in totum convulſis ſectatoribus religio periret, non pauci latitando, diſſimulandoque, carnificum manus declinavere; furoreque Tyranni evitato, ſe in meliora tempora ſervavere. Nam quo occultiores ſorent, nullum ſibi Epiſcopum toto illius Principatu ercavere.

Succeſſit Nerva vir optimus, & qui iniquè à Domitiano acta reſcidit, erepta bona veteribus poſſeſſoribus reſtituit, exules reduxit. Ita Mediolanenſis quoque juventus, quæ Chriſtum colendo latuerat, è tenebris in lucem prodiit, & ſolira concilabula frequentavit. Decrat caput, & qui primarii inter multos nomen aliquod teneret, quem haud difficile invenire ſuit. Inter Caji diſcipulos egregius habebatur Caſtricianus. Huoc eligunt communi conſeſu Clerus & Populus, qui ſtatim domum Philippi hortis imminentem à Cajo ſibi traditam ſacravit, ac primum orandi templum fecit. Nec ita multo poſt aucto Chriſtianorum numero (etenim ingentia in dies miracula edebantur) duas alias ædes illi propinquas conſecrat; atque de duobus Philippi filiis Fauſto & Portio, hanc Fauſtam, quæ poſtea in Sancti Vitalis, illam Portianam, quæ in Sancti Martioi ad corpus nomen tranſivit, appellat.

Trajanum Cæſarem non ſolum frequenter Mediolanum veniſſe Merula abſolute ſcribit, ſed etiam Palatium in ea urbis parte ædificaviſſe, quæ adhuc Palatii nomen tenet. In quo ego lapſum amore laudum civitatis arbitror; cujus gloriæ oimium favebat; quia nec id apud Latinorum quemquam idoneum ſcriptorem, quod viderim, legitur, nec ipſe in *Vita Imperatoris*, quam ex Dione Græco Latinam fecit, meminit: nec ratum habeo, quod Blondus temere magis, quam judicio aliquo dixit, Romanos Imperatores, quoad per occupationes liceret, Mediolani habitaſſe Nervam, Trajanum, Hadrianum, & deinceps alios, de quibus, quid ipſe ſentiam, ſuis locis res ipſa docebit.

Plinium quidem Junioremm Mediolani Vicarium à Trajaoo datum quodam in *Commentario* legeram. Hujus rei mox fidem auxit tabula marmorea, quam quatuor in fruſta diviſam nobile Lothario Regi ſepulchrum facturi quidam Litterarum ignari in formam arcæ compoſuerunt. Ac neſcio an Plinii gloriæ invidentes ad illius memoriam obliterandam intrioſecus litteras obverterunt, ut oiſi immiſſo lumine non legantur. Vacua autem nunc ea arca eſt io æde Ambroſiana, dimidiataque ex fractura ſunt interdum non ſolom verba, ſed ſyllabæ litteræque ad hunc modum:

C. PLI-

C. PLINIVS. L. F. AVGVR
LEGAT. PROCONSVLARI
POTESTATE. IMP. CÆSAR
NERVA. CVRATOR. ALVEI
TI. PRÆF. ÆRARII
SAT. QVÆSTOR. IMP
ADIECTIS. IN
LIVS. IN. TVTELAM. LIBER-
TORVM. SVORVM. HOM
EMENT. POSTEA. AD. EPV-
LVM. S. DEDIT. ALIMENTA
PVERI. N. TVTELAM
BIBLIOTH

O. V. F. CÆCILI. PR
PROVINCIÆ. PON
IN. EAM. PROVINCIAM
E. TRAIANO. AVG. GER-
MÆRIS. ET. RIPARVM
ENI. PRÆF. ÆRARII. MIL
SE. VIR. EQVITVM
TIB. IVDICANS. THERA
ORNATVM. HS. CC. HS. CC
T. F. I.
HS. XVIII. LXVI. DCLXVI
RE
PLEB. VRBAN. VOLVIT
PERTIN. ET. PVLEARVM
PLEB. VRBAN. HS. CÆS
HS. C

Nisi forte propter mentionem Bibliothecæ, & alimentorum pueris designatorum dubitandum quis censeat; utrum potius fuerit Comi, id est, in patria, quam Mediolani posita tabula, & inde per temporum varietates transvecta; siquidem in *Epistolis* sermonem se apud suos municipes habuisse scribit, cum esset dedicaturus Bibliothecam, & munificentiam suam erga patriam declarans, *Non*, inquit, *ludos, aut gladiatores; sed annuos sumptus in alimenta ingenuorum pollicebamur*. Ægre etenim ferebat, præceptores & studia litterarum in patria non haberi; sed mitti Mediolanum adolescentes, educarique procul conspectu parentum, si qui dare operam litteris vellent, atque ut conducerentur magistri, se tertiam partem impensarum daturum ostendit.

Admonet me propinquæ urbis & illustris viri mentio, ut adversus illos, qui extorquere nobis majorem Plinium nituntur, præter auctoritatem Eusebii, in cujus *Chronicis* Novocomensis scribitur, subjiciam Inscriptiones nonnullorum lapidum in Comensi regione existentium, quibus multipliceem fuisse Comi Pliniorum familiam colligitur. Nam & P. PLINII. PLINIANI. ET. M. PLINII fragmenta exstant, & manes C. PLINII. VALERIANI. MEDICI. QVI. VIXIT. ANN. XXII. M. VI. parentes condidere, & C. PLINIVS. PHILOCALVS. C. COESIDII. EVZELI. AMICI. OPTIMI memoriam posteritati conseeravit, & hunc ipsum, de quo modo loquebamur, C. PLINIVM. CAECILIVM. SECVNDVM. CONS. AVG. CVRATOREM. TYBER. cujus *Epistola* elegantissimæ, & *Panegyricus* Trajano dictus, habentur, gessisse colligimus aliqua ex iis officiis, quæ nova excogitasse D. Augustum Suetonius memorat; quo plures partem administrandæ Reip. capesserent; curam scilicet operum publicorum, aquarum, viarum, & alvei Tiberis, quæ honestissima fuisse abunde Julius Frontinus docet. Hic etiam subjiciendum venit epigramma, quod Bergomi exstat incisum marmori ad hunc modum:

C. CORNELII. C. F. VOT. MINICIA-
NO. PRAEF. CON. PRIMARIO. DAMAS.
TRIB. MIL. LEGIONIS. III. AVGVSTI.
PRAEF. FABR. CVRATORI. REIP. O-
TESINORVM. IIII. VIRO. I. D. PON-
TIFICI. FLAMINI. DIVI. CLAVDII. BER-
GOMI. PATRONO. FLAMINI. DIVI.
TRAIANI. MEDIOLANI. PLEBS. VR-
BAN.

Ex quo non solum Claudio, Trajanoque divinos in patria nostra habitos honores colligimus; sed etiam Otesinorum nomine admoniti observavimus diligentius Plinium in octava regione Italiæ, eos inter Padum & Apenninum non longe à Placentia, Parmaque coloniis memorantem; ubi & nunc quoque exiguus vicus *Otesella* dicitur.

Trajano successit Hadrianus, quem quidam tradunt cum Mediolani, Brixiæque ageret, duos Brixianos fratres Faustinum & Jovitam, eum primo pollicitationibus & minis non potuisset à fide avertere, Romam pertraxisse, ac diu excruciatos necari jussisse. Ejus tamen sævitiam evasit Castricianus, qui ultimo Hadriani anno moriens Episcopatus sui unum & quadraginta annos vidit. Decennio ante Kalimerus nobilis Romanus Faustini & Jovitæ prædicationibus institutus, atque Telesphoro Pontifice sacris initiatus, Mediolanum venerat, & à Castriciano receptus inter clericos ædis Faustæ ad eam doctrinam & integritatis opinionem pervenit, ut omnium consensu in defuncti locum subrogaretur. Igitur Mediolanensis Ecclesiæ Antistes Kalimerus in Commodi Imperatoris tempora pervenit: sub quo recipientibus religionem Transpadanis, Martianum discipulum, comitemque suum Derthonensibus misit. Erat enim Derthona insignis civitas, ut Strabo quoque dixit, & mentione digna. Cæterum Kalimerus à cultoribus Apollinis, cujus fanum Mediolani non longe ab ædibus Episcopi distabat, interceptus necatur. Id quia permissu Imperatoris factum creditum est, biennio Episcopalis dignitas vacavit.

Mox cessante metu, habitis in Portiana æde comitiis, nobilis & Consularis vir Monas ex Kalimeri schola sacrorum Antistes creatur, qui beneficio longæ ætatis multa ad incrementum religionis contulit, auctaque est adeo multitudo eam profitentium, ut jam non sufficeret nominatim quemquam, & per cognomina denotare, sed per vicos & regiones urbis in quibus habitarent designari Christiani cives cœperint: quas *Parochias* dixere ab antiquo fortasse verbo *Parocho* appellatione sumpta, qui præbenda publice Magistratibus expediebat, ut apud Horatium, *lib.* 1. *sat.* v.

——— *& Parochi, quæ debent, ligna, salemque.*

Quod etiam verbum ætate nostra vir doctissimus Hermolaus Barbarus, cum Patavii ærarium publico nomine curaret, mutuatus est, & præceptor Merula concessit. Quidam tamen primam Parochiarum mentionem in Maternum transferunt. Vixit autem Monas quam diutissime: nam eum octogenarius esset, undesexagesimum Episcopatus annum attigit.

Interim P. Helvius Pertinax, qui circiter tres menses Romæ imperavit, è finibus nostris oritur, villa Martis in Apennino ut Julius Capitolinus, ut vero Græcus Dion Alba Ligurum, quæ Pompeja cogno-

A. C. 193. cognominatur: Julianus Didius, qui adverſus Pertinacis ſocerum Flavium Sulpitianum licitando Imperium Romæ adeptus, paulo plus duobus menſibus tenuit, Mediolanenſis genere fuit. Scribit idem Dion eum, cum pecunias, quas ingentes habebat, intemperanter expenderet, in patriam Mediolanum fuiſſe à Commodo relegatum: addit Ælius Spartianus etiam avum paternum Inſubrem Mediolanenſem fuiſſe, cujus tempore, cognomineque collato haud importune junxerimus cum aliqua propinquitate Didio Gallo, quem Cornelius Tacitus inter claros inſulæ Britanniæ Præfectos commemorat.

Juliano ſucceſſit Septimius Severus Afer, qui ſe cognominari Pertinacem in honorem Pertinacis à Juliano interfecti voluit. Huic nondum Imperatori Galliam Provinciam adminiſtranti, uxor Julia Syra cis Alpes à viro, propterea quod ventrem ferret, relicta, Mediolani filium Getam peperit.

Haud multo intervallo, abſumptis Antonino Caracalla, Macrino, Heliogabalo illo impudicitiſſimæ vitæ monſtro, tum Alexandro Mammææ, Maximino & Gordiano, ad duos Philippos patrem & filium res devenit, qui primi ex Auguſtis Chriſtiani fuere, edidereque ludos ſæculares magnificentiſſimos, cum iociditſſent in annum milleſimum ab urbe Roma condita: ſed mox Veronæ pater, & Romæ filius interficiuntur, ſexto Imperii ſui anno, qui & ultimus Mnnæ Mediolanenſis Præſulis fuit; cui Miroclis vir ſanctitate clarus, & D. Ambroſii ſcriptis celebratus ſufficitur. Cujus Epiſcopatui duo & viginti anni attribuuntur.

A.U.C. 1000. Chriſti 249.

Per quod tempus Decio Philipporum proditore, & Gallo Haſtiliano, & Voluſiano paucisque aliis Cæſaribus abſumptis, res Chriſtiana validior effecta eſt; atque interim Galienus majoris Valeriani filius, quindecim annos maxima cum infamia vixit; demumque abjecta penitus Reip. cura Mediolanum ſe contulit, ubi à libidinibus non temperans conſpiratione Aureoli, qui exercitus Illyricianos regebat, & Martiani, ac Cecropii Dalmatarum Ducis interficitur; & continuo junior Valerianus frater ejus, ſed alia matre genitus, ibidem occiditur.

Cumque Aureolus ipſe uſurparet Imperium, Flavius Claudius, jam Galieni ſententia Imperator deſignatus, & ad quem Ticini agentem indumenta regia is miſerat, & nunc judicio militum electus, copias adverſus eum duxit, conflictuque habito non longe à Mediolano devicit, atque interemit juxta pontem, cui cognomen Aureoli diu fuit; & fortaſſe circa Abduam fluvium prælium geſtum eſt, ubi non ignobile oppidum Pontirolum vocitatur: nam & Græcum epigramma poſitum illic ferunt, quo maxima Claudii humanitas celebratur, qui parentalia hoſti non negans:

Dona ſepulchrorum Victor poſt multa Tyranni
Prælia, jam felix Claudius Aureolum
Munere proſequitur mortali, & jure ſuperſtes
Vivere quem vellet, ſi pateretur amor.
Militis egregii vitam, qui jure negavit
Omnibus indignis, & magis Aureolo.
Ille tamen clemens, qui corporis ultima ſervans,
Et pontem Aureoli dedicat, & tumulum.

Circa Mediolanum quoque ſepulto Valeriano titulus hujuſmodi additus fuit, CLAVDII. IVSSV. VALERIANVS. IMP. Imperat ergo Claudius, virtute ille, & ſumma probitate inclytus, cui Senatus ob devictos Gothos auream ſtatuam, aureumque clypeum decrevit: hic ducenta millia Alemannorum exitio Italiæ imminentium, circa lacum Benacum in ſylva Lugana delevit: niſi forte propter nomen Luganæ, quod nunc celebre oppidum eſt inter Verbanum & Larium, erraviſſe ſcriptorem in nomine lacus arbitrari velimus, & clariſſimam victoriam propius Mediolanum contigiſſe.

A Ab eodem Claudio adoptatur Valerius Aurelianus, ſub quo Marcomanni ex Hercynia ſylva barbari Italiam invaſerunt, atque Circumpadanam effuſi late regionem populantur, rapinis, cædibus, incendio fœdant: quos dum Aurelianus ipſe in caſtra profectus adoriri à fronte negligit, mavultque à tergo inſequi, ingentem cladem ex errore accepit, erumpentibus enim ex anguſtiis, quibus clauſi credebantur, hoſtibus, omnia circa Mediolanum evaſtata ſunt. Non imprudenter ſtudioſus lector rem effectu maximam ubertus declarari optaverit, ſed deſiderium remittat oportet, cum pluribus verbis traditam non inveniamus.

B Nam & paulo poſt cum copias omnes circa Placentiam Marcomanni contraxiſſent, occurrere eis Aurelianus cum toto exercitu conatus eſt; & cum aperto Marte congredi Barbari non poſſent, in proximas ſylvas delituerunt, atque incumbente veſpere in Italos invecti tantam cladem intulerunt, ut pene Romanum ſolveretur Imperium: conſultique ſunt Romæ libri Sibyllini, quibus, quæ fieri jubebantur, peractis rite ſacrificiis parta victoria eſt, & bellum Marcomannicum finitum in campis Ticinenſibus, ut Eutropius innuere videtur. Domitis Marcomannis cunctos alios, qui innumeri Romanas Provincias atterebant, Barbaros afflixit; unde & apud Flavium Vopiſcum Junius Tiberianus Præfectus urbis dixit totum orbem per cum fuiſſe Romano nomini reſtitutum; & eodem titulo marmorea tabula Placentiæ exſtat:

A. C. 272.

C

RESTITVTI. TOTIVS. ORBIS. SVI. DOMINO. IMP. CAES. L. DOMITIO. AVRELIANO. PIO. FELICI. VICTORIOSO. AVGVSTO. VAL. SABINVS. A. V. RAT. DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQ. EIVS.

Hoc tempore vixiſſe [1] Protbaſium & Gervaſium Martyres Mediolanenſes crediderim: quia cum juſſu Aſtaſii Comitis decollatos fuiſſe omnes conſentiant, nec fide digna habeatur columna, quæ adhuc manet juxta Jovis aream, qua eam cædem factam utique Aſtaſio Comite ſcriptum eſt; ſed anno quinquageſimo ſeptimo ab Chriſti, ut ajunt, Incarnatione, qui in principium Neronis Cæſaris caderet; ſed nec verba ipſa, nec characteres litterarum illis temporibus congruant; (quippe longe poſterius, & à parum peritis ſculpta columna fuit) & alii in alia tempora eorum mentionem transferant: ego quodam loco non abrogandæ fidei obſervavi, cæſos eos fuiſſe juſſu Aſtaſii Comitis ad bellum Marcomannicum proficiſcentis.

D

E

Interea defuncto Miroclæ ſuffragiis Cleri, Populique, Mediolanenſi Eccleſiæ præficitur Maternus, civis honeſtiſſimis parentibus natus, & qui primus à Cæſaribus obtinuit, ut libere quocunque loco

F

1 *Protbaſium & Gervaſium*, &c.] Protbaſium ac Gervaſium cæſos eſſe anno Chriſti 172. M. Aurelio & L. Vero Imperatoribus, & quidem juſſu Aſtaſii Ducis ad bellum Marcomannicum proficiſcentis; quod ex ab Idolorum Sacrificulis denuntiatum erat, victoriam nonniſi illorum morte poſſe conſtare. fatis teſtata res eſt apud ſacros Hiſtoricos, ac Chronologos, Baronium anno Chriſti 171. & *Adon. ad Martyr.* Gordianum eodem anno, Gualterium in *Tabula* ab anno 100. ad 200. à qua ſententia diſcedere non poteſt Auctor, cum & ipſe pro certo habeat, eam cædem patratam eſſe ab Aſtaſio ad bellum Marcomannicum proficiſcente: quæ expedito eodem anno ſuſcepta eſt. Quod igitur tradit, paſſos fuiſſe bello Marcomannico ab Aureliano Imp. geſto, centum ſcilicet integris annis poſt, nec veritati, nec ſuperiori ejus poſitioni recte cohæret. Sed falſus eſt, cum ſimilitudine nominum Aurelii & Aureliani Imperatorum, tum commemoratione belli Marcomannici, quod unicum credidit; cum revera bis à Romanis contra Marcomannos pugnatum ſit: primum M. Aurelio Imp. ab Aſtaſio Duce; deinde poſt annos 100. ab ipſomet Aureliano Imp. Neceſſe eſt autem Protbaſium & Gervaſium eo bello Marcomannico coronatos fuiſſe, quod ab Aſtaſio geſtum eſt, à quo conſtat occiſos primum primo, quod anno Chriſti 171. parabatur.

ver-

versari Christiania, & Dei sui nomen impune prædicare liceret; modo intra certum numerum disciplina staret; cætera multitudo ludis Theatralibus, & civilibus negotiis vacare permitteretur; ne penitus videlicet populi ab antiquarum ceremoniarum cultu ad hanc unam religionem nimia prædicatione traducerentur. Verum nec intra regulam stare, nec ullo Imperio cohiberi potuit hominum ardor, nemine non capto vi penetrantis in omnium corda, animosque divinitatis; adeo ut Consules, cæterique Magistratus, ac carnifices ipsi, qui panlo ante hunc atque illum excruciaverant, Materni oratione converterentur. Cæterum Derthonenses Episcopo carucrant, ex quo Martianus eis à Kalimero datus decesserat, soloque Presbyterorum & Diaconorum officio contenti, propter sæviriam & acerbitatem persecutorum fuerunt: nunc mitiore temporum conditione vocatus trans Padum Materous Derthonam proficiscitur, miroque gaudio privatim, publiceque exceptus, ut magnus Metropolitanusque Pastor in urbem introducitur, ubi & religionis statum reformavit, & Maliodorum Levitam spectatæ integritatis virum Episcopum instituit, hisque peractis Mediolanum revertitur.

Cæso Aureliano Tacitus eximia virtute claros, qui genus ad Cornelium Tacitum historicum referebat, consensu Patrum Cæsar creatur: quam creationem, quod maxima omnium lætitia subsecuta sit, dignam censuit Romanus Senatus, quam Mediolanensi civitati peculiaribus litteris significarct. Post quem Probus Sirmiensis è Pannonia Imperatorum clarissimus, compressis ondique Barbarorum eruptionibus, solida pace quietas, securasque omnes orbis partes habuit. Hujus posteri collatis in provinciam nostram opibus circa Larium, Benacumque lacus sedes & larem constituerunt.

[1] Non multo post imperat Carus Manlius, qui io Persida apud Ctesiphontem urbem fulmine ictus interiit. Et quamquam incertæ originis prodatur, tamen Flavius Vopiscus eum Mediolanensem in quadam Ephemeride legisse se meminit: quod ut minus fide careat alio quoque loco docebimus, clarum Mediolani fuisse Manliam familiam; & hac ratione duo alii Cæsares Numerianus & Carinus Cari filii Mediolanenses erunt. Carino vero luxuriosissime viventi inter cætera objectum ferunt, quod cubicula & triclinia sterneret rosis Mediolanensibus.

His succedere Diocletianus Dalmata, & Maximianus Herculius, qui domitis in Gallia rebellibus, per Julias, Cottiasque Alpes in Italiam transgressi, Mediolani consedere: scribit Mamertinus in *Oratione Genethliaca*, cos in Mediolanensi Palatio primum ab iis adoratos, qui primi ex ordine dignitatis admissi fuerant. Cum vero egressi limine per mediam urbem incederent, ab ingenti populo in publicum proruente salutatos; atque ipsam Romam gentium dominam, ubi adventare Cæsares cognoverit, lumina Senatus sui misisse beatissimæ illi per eos dies Mediolanensium civitati similitudinem majestatis libenter impertiendo, ut ibi esse tunc sedes videretur, quo uterque venerat Imperator.

[1] *Non multo post*, &c.] In exemplaribus, quæ mihi præsto fuerunt, ita legebatur. *Non multo post Proclus homo Lugdunensis urbis ornandus imperat Carus Manlius.* Verumtamen non dubitavi, omissa Procli commemoratione, legendum esse, *Non multo post imperat Carus.* Primum, quia aliter non constabat Historiæ veritas. Proclus enim non imperavit, nec Probo successit, cum ab ipso, quod Imperium affectaret, occisus sit. Deinde, quia junctura verborum corrumpebatur, ut legenti manifestum est. Tum, quia si verba illa retineantur, non dicitur Carus successisse Probo, cui tamen vere successit. Denique, quia non adstruebatur Imperator, quod tamen postea ponitur esse

A lidem à principio clementes adeo in Christianos se præbuere, ut conjuges etiam & liberos cum familia omni transire in eorum nomen & disciplinam paterentur: mox aliorum exemplo admoniti, ut crescenti nimium turbæ modum adhiberent, omnia everterunt. Igitur atrocia per edictum denuncisnt, minas, sævosque terrores ingeminant, si quem deinceps Christi religione teneri compererint: sed nihil timebant devotæ Deo animæ, quoque magis comprimebantur, eo plures emergebant Christi cultores: unde Sacerdotes ipsi, simulque cives & nobiliores matronæ in supplicia rapiebantur, bonisque mulctabantur. Reliqua plebs virgis sustibusque cædi cœpta est: demum jussi parentes liberos
B deferre, & frater fratrem, soror sororem, promissa impunitate: qua voce soluta pietas est, & præ multitudine accusatorum, velut in prædam civitate concessa, passim dilapsi carnifices obvium quemque jugulant, domos diripiunt, rationum libros in triviis coacervatos comburunt, ubique atrocissimæ cædes, ac fœdum & funebre spectaculum.

Nominatim in hunc temporum turbinem incidisse memorantur Cassius, Severus, Secundus Licinius, Alexander, Victor genere Maurus, quorum alii in carcere, alii in Circo, Theatroque, vel
C bestiis objecti, vel securi percussi sunt. Tum ex Palatio Cæsareo Carpophorus, & Xantus, cum Fidele Materni socio Comum petentes, ex itinere abstrahuntur, jugulanturque. Ex his Fidelis elapsus trans Larium lacum non longe ab oppido, quod nunc celebre Clavenna dicitur, in vico Summolocano, cui adhuc nomen manet, obtruncatur. Item Nabor & Felix milites Imperatori notissimi Laudem Pompejam, & Veronam Firmus Bergomensis ditissimus, Mediolano deducti obtruncantur. His adjungitur Sebastianus, qui primæ cohortis Præfectus, maximas opes consecutus fuerat. Hunc Mediolanensem fuisse Divos Ambrosius in
D interpretatione *Beati Immaculati* auctor est. Et quamquam alii Narbonensem scribant, tamen Mediolani educatum, & liberalibus institutum disciplinis concedunt.

Interim ad ornandam urbem variis operibus conversus Maximianus, urbis ambitum ampliat, ac muro circumdat; Palatium duabus turribus sublime facit, quod postea Cœnobio Ambrosiano dinatum fortasse verius, quam Trajani opus, quod nullum constat, regioni urbis nomen dedit. Præterea statuas, signa, columnas passim erigendo simillimam Romæ efficere studuit. Durant adhuc sexdecim columnæ striatæ, quas Merula male numeravit, & opinatur esse vestigium Propylæi,
E seu peristyli ejus templi, quod juxta structum posteriores Laurentio Martyri dicaverunt; sed an ita, ut Merula scribit, ut templum ipsum à Maximiano conditum fuerit, dubium faciunt Ausonii verba Herculcum lavacrum non templum dicentis. Nam si idem est lavacrum, quod balneum, id in alia urbis regione fuisse ostendemus. Templum vero ipsum regali quidem & Cæsarea opulentia structum magnifice est, quippe Romano Pantheo altitudine par, sex & septuaginta brachiorum latitudine eo quatuor amplius. Præteres quadrata rotundæ formæ adjecta quatuor prætaltis turribus arcis in
F morem assurgit: nihil tamen quod hactenus viderim, probat Maximiani potius, quam cujusvis alterius Cæsaris fuisse. Cæterum vigesimo Imperii sui anno pertæsi rerum Cæsares, ut olim Romæ L. Sylla Dictaturam, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani Imperium posuerunt.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER II.

EPITOME.

Conſtantinus Occidentis Imperium, quo ſe Maximianus ſocer abdicaverat, Conſtantius pater moriens exceſſerat, excepit apud Britannos degens. Sed, quod a patre, non vivente re ipſa, ſed moriente per tabulas acceperat, cum vacante Imperio variis Ducibus in ejus ſe fortunæ ſpem erigentibus, ipſiſque Britannia, Galliarumque Ducibus rebellantibus; harum Provinciarum motibus ſedatis, fugientes in Italiam hoſtes inſequitur; Segnſio & Taurino in apparatu belli uno impetu expugnat: Mediolani magno plauſu excipitur: ubi Licinium Conſtantiæ ſororis conjugem, ac Cæſarem facit. Ad Ilyricum contractas ab hoſtibus copias fugat adventu. Verona vi, reliqua Italia deditione capta, ſuo imperat merito: per quæ tempora Mediolanenſi Eccleſia poſt Maternum Euſtorgius Græcus præfuit. Byzantium urbem in invidiam Romæ regie ornatam de ſuo nomine Conſtantinopolim vocat, ſedemque facit Imperii. Vita excedens tres filios Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem in Imperio reliquit: ſed tandem Conſtantius, mortuis fratribus, Magnentioque debellato, Mediolani imperat ſolus. Ubi Arianæ hæreſi ſtudens, Concilio indicto, abutitur potentia in Epiſcoporum judicio corrumpendis, ut in Athanaſium ſubſcribant: ſed eam Euſebius Vercellenſis ſingulari arte peſſumdat: quamobrem ipſe, aliique catholici Epiſcopi exilio multantur; quorum in numero fuit Dionyſius Mediolanenſis Epiſcopus: quo abſente Auxentius Arianus Epiſcopatum invadit: quem mox hæreſis reum facit Hilarius; ſed ipſe damnatur exilio, in quo adverſus Conſtantium ſcribit. Gallus Magni Conſtantini nepos, Julianus frater, tam ſævis moribus, quam pulcher adſpectu, Cæſar dicitur a Conſtantio, Orientis adminiſtratione accepta; ſed quadriennio poſt, quod in ejus odium populi rebellabant, latronis in morem capite plectitur. Julianus frater variis criminibus aſcenſatus abſolvitur, & in Græcia liberalibus diſciplinis dat operam: interim Conſtantius cum Alemannis feliciter pugnat, Mediolanumque reverſitur: quo, Barbaris Gallias, Rhenumque populantibus, revocatus Julianus Cæſar appellatur, & Helena Conſtantii ſorore, una cum Galliarum adminiſtratione, accepta, in Alemannos mittitur. Coloniam Agrippinam ab illis vaſtatam inſtaurat; eoſdemque apud Argentoratum memorabili confligit clade, Rege Chonodomaro capto, & in triumphum Romam ducto. Mediolani Auxentius ſæpe damnatus, Epiſcopatum tamen gerit; Martinum Turonenſem, itemque Maurilium Patricium Mediolanenſem, poſtea Andegavenſem Epiſcopum, & Gaudentium Eporedienſem civem, poſtea Epiſcopum Novarienſem, finibus exigit. Conſtantius Mediolano proficiſcitur in Illyricum contra Sarmatas; mox in Aſiam contra Parthos, ibique diem obit. Succedit Julianus jam Apoſtata; hoc ſolum bonus Imperator, quod brevis: divinationum tam ſtudioſus, quam infenſus Chriſti divinitati, quam in expeditione contra Parthos fulmine illius rugens agnoſcit. Jovianus Imperator ab exercitu acclamatus Lucillianum ſocerum cum exercitu mittit Mediolanum, unde Gallicos contineat motus: ſed brevi Lucillianus militari ſeditione, Jovianus incerto caſu exſtinguitur. Valentinianus ex obſcuro loco ad Imperium vocatus Valentem fratrem collegam adſciſcit: hic Conſtantinopoli ſedet; ille Mediolani, ubi Diocles & Diodorus occiſi ad Innocentes humantur: jubeturque lex de appellatione ſuſcipienda: ratio annonæ curanda reformatur. Alemanni, aliique Barbari debellati in Italiam deducuntur ad agrorum culturam. Ambroſius Mediolanum mittitur Ciſalpinam adminiſtraturus: ubi Auxentio mortuo, vel ejecto, acclamatur Epiſcopus; fruſtraque reſtitans Valentiniano approbante inſtituitur. Romam adit, inde Pannoniam: ubique miraculis claret. Valentinianus Gratiano & Valentiniano filius Occidentis Imp. legat, quos juſtina mater Mediolani educat. Auguſtinus eodem vocatus, dum Rhetoricam docet, Manichæam hæreſim ab Ambroſio dedocetur. Juſtina Ambroſium multimodis vexat: Siricius Papa defendit: ille interim conſtans muſicam ad animorum ſolatium inter ſacra uſurpat, reliquis Occidentalibus imitantibus: Prothaſii, Gervaſiique corpora divinitus indicata refodit, honeſtiuntque loco reponit, miraculis eam pompam illuſtrantibus. Valente Orientis Imperatore vita functo Gothi, Alani, & Langebardi in Graciam, Aſiamque irrumpunt. Maximus ab Helena ſtirpe Occidentis Imperium armis vindicat. Gratianus Theodoſio prius Imperatore creato, Valentique in Oriente ſubrogato, ei occurrens ſuorum & hoſtium proditione occiditur: ad ejus cadaver obtinendum, pacemque conciliandam Ambroſius a Valentiniano legatus, nihil conſequitur. Maximo in Italiam movente Valentinianus Mediolano cedit. Theodoſius, debellato Maximo, Valentinianum Regno reſtituit Mediolani, ubi ab Ambroſio ob Theſſalonicenſem cædem vehementer objurgatus, Templique aditu prohibitus, ſed poſt diuturnam pœnitentiam Sacris reſtitutus, Lege cavet, ut deinceps durius imperata triginta dies in tabulis habeantur, tanquam gladius in vagina reconditus. Symmachus idololatriæ aſſertor Roma Mediolanum adit Valentinianum pro Ara Victoria, & Veſtalibus virginibus reſtituendis: ſed Ambroſio perorante repulſam patitur. Valentinianus ab Arbogaſte & Eugenio Præfectis ſuffocatur; Italia Circumpadana vaſtatur; Ara Victoriæ reſtituitur, cæremoniarum ſumptus ſuppeditantur: Ambroſius Mediolano ſecedit; exſtructum revocat ad vitam; ſed poſtea redux Theodoſio victoriam de iiſdem gratulatur: eidem poſt Honorium Mediolani, Italiæ Principem datum, alterumque Concilium adverſus Arianos celebratum vita functo panegyrim dicit.

His ſuccedit Conſtantinus Magnus duplici jam affinitate junctus: nam & dimiſſa Helena matre Conſtantius pater, novercam ei ſuperinduxerat Theodoram Maximiani privignam; & ipſius Maximiani filiam Fauſtam Conſtantius uxorem duxit, quæ nuptiæ eleganti panegyrico celebrantur. * Deſtituto autem Cæſaribus Imperio, cum varii Duces in ſpem cel-

* *Deſtituto autem Cæſaribus Imperio*, &c.] Quin potius tres hoc anno Conſtantini primo, qui fuit Chriſti 306. Occidentale Impe-

celsioris fortunæ erigerentur, & subinde Tyrannidem usurparent, Constantinus mortuo jam patre Præfecturam Occidentis excipit; & rebellantibus Britanniæ, Galliarumque Ducibus, posteaquam eas Provincias à tumultu vindicavit, fugientes in A.C. 312. Italiam adversarios cum exercitu insequitur. Segusii & Taurini exceptos, ac bello necessaria parantes expugnat; & in militari impetu duæ claræ urbes direptæ. Mediolanum deinde veniens maximis universi populi studiis accipiur. Gratulabundi Principes spectandam pompam exhibuere: cives omnis ætatis, sexusque læti, ornatique se ostentarunt: denique rantus omnium plausus fuit, ut & triumphare Imperator, & non Circumpadana Provincia recepta videretur, sed Roma. Aliquot dies moratus Mediolani Constantinus, spatium præbuit contumacibus populis in medium consulendi. Sed interim ingentes copias circa Brixiam hostes contraxere, & quia equitatu in primis valebant, illius victoriam remoraturos se sperarunt. Sed hi ne primum quidem advenientis Constantini conspectum sustinuere; susi ac fugati Veronam ad majora ibi collecta præsidia se contulere. Situ mœnibusque prævalida tunc urbs erat, & intus Ruricius vir bello experientissimus, & Tyrannorum columen, cives verbis, factisque militaribus in spe, fideque alebat, & ne obsidione clauderetur, sæpe erumpebat: novissime uni prælio rei summa commissa est, & nimia suorum cædeafflictus Ruricius, atque intra mœnia compulsus interficitur. Victor exercitus urbem per vim ingressus, totam diripuit: cujus cladis exemplo exterrita Aquileja, missis statim, qui futuram eam in potestate Imperatoris decerent, veniam meruit; quam secuta Mutina, reliquaque Italia mox est.

Cæterum Mediolani agens Constantinus † Consulatu Arbetiani & Lolliani XIV. Kal. Martias legem condidit, ad concilianda, conservandaque hominum studio percommodam; namque gravem illam & cunctis exosam testandi necessitatem sustulit, qua quondam in extremis tabulis scribere heredem Imperatorem homines cogebantur: jussitque liberam unicuique esse testandi facultatem, &, quem quisque maluerit, heredem nominandi.

A Mediolanum quoque accito Licinio, Constantiam sororem matrimonio junxit, & mox eundem Cæsarem fecit. [1] Mater autem Helena religionis causa Hierosolymam profecta, Cruce & Clavis inventis, quibus Christus Deus confixus fuit, sacrum diadema & frænum filio fabricavit, quibus Divina ope præditis ab universis periculis tutus præstaretur. Quod ideo memini, quia cum murationis Clavorum locupletissimi auctores sint Ambrosius & Ruffinus, sciant lecturi frænum ipsum jamdiu in urbe nostra haberi, præcipuaque religione coli.

Per hæc tempora autem Mediolanenli Ecclesiæ [2] post Maternum præfuere Eustorgius Græcus, & B Auxentius Arianus, paribus fere annorum spatiis, videlicet uterque septemdecim.

Cæterum, quod Julio Cæsari maximam invidiam conflavit, cum fama increbuit, eum migraturum Alexandriam, vel Ilion, translatis simul Imperii opibus, exhaustaque Italia delectibus, & procuratione urbis amicis permissa, id nunc, urgentibus rem Romanam fatis, Constantinus efficeit. Bosphori namque Thracii situ delectatus, eo transferre sedem, & Byzantium urbem augere opibus, Romæque simillimam efficere constituit; atque translatis Italiæ opibus, quinto & vigesimo A. C. Imperii sui anno eo commigravit, urbemque cel- 330. sius instauratam atque amplificatam de suo nomine C Constantinopolim appellavit. Res Italas per procuratores administrare cœpit, qui fons & origo cladis Italiæ, & malorum, quæ postea universo in orbe subsecuta sunt, fuit.

Eo defuncto tres ejusdem fere nominis filii sue- A. C. cessere, Constantinus, Constantius, & Constans: 337. quorum discors Regnum & dominatio fuit, ac intra tredecim annos, primo & tertio varia bellorum fortuna absumptis, res ad unum Constantium devenit.

Interim Magnentius sub Constante ordinum Præfectus Imperium Galliarum arripuit, atque in Italiam transgressus, Decentium fratrem Mediola- D ni Cæsarem dixit: sed mox utrumque Constantius debellat, atque solus Imperio potitur. Ejus A. C. Principatu Ariana hæresis non mediocribus nutrita 350. studus, multum invaluit: de qua, quia creber sermo nobis habendus est, pauca de ejus origine & incrementis repetam.

Quartodecimo majoris Constantini anno, Arius presbyter Alexandrinus nova quadam interpretandi sacras Litteras cupiditate ductus, & plaudentium sibi adstipulatione incensus Scripturarum sensa acutius rimari, & novas significationes excogitare cœpit: & ducente gloriola, eo vanitatis & audaciæ erupit, ut nec doctiores audire, nec perperam à se E prolata vellet emendare: & sectante collaudantium, approbantiumque turba Ecclesiam Christi Jesv, quæ integra hactenus, & sub uno nomine, unaque fide coaluerat, primus discidit: nam tota Ægypto, Syriaque commenta ejus cum circumferrentur, & ei errori Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ Antistes, ac plerique alii sese opponerent, latius vulgata controversia est ex Asia in Græ-

Imperium habuisse Imperatores visum est, ut tradunt Eusebius, Victor, Eutropius, Sozomenus, Socrates, & Cassiodorus. Nam Maximianus Galerius Orientis Imp Kal. Martii Galeriom Valerium Maximinum, & Severum nepotes Cæsarea dixit: utque illi Orientis, sic isti Juliæ (quam ona cum Africa Constantius Chlorus Hispaniarum, Galliarum, Germaniæ, Angliæque, imperio coercerat, illius potestati permiserat) administrationem dedit. Constantius vero Julio exeunte Eboraci in Anglia moriens Constantinum filium Occidentalis Imperii hæredem scripsit: firmique ab exercitu indutus purpura, & acclamatus est Augustus prius, quam patrem extulerit, ut narrant Eusebius, Zosimus, Victor, Gallicanus Orator, Baronius, & Gordonus: quapropter Eusebius disertè scribit, morte Constantii Imperium nequaquam destitutum remansisse: quippe Constantinum paterna purpura indutum patrem tamquam a mortuis ad Imperium regendum denuo revocatum suo ipsius vultu & effigie omnibus repræsentasse: tertius denique Maxentius Maximiani Herculii filius, ut scribit Zosimus, vel geoer, ut ex nummo nuper invento probat Baronius, cum de Constantini Imperio Romæ nuntiatum esset, Prætorianorum militum votis elatus Imperium invasit exeunte Septembri, ut tradunt Zosimus & Victor in *Maximiano*. Sed Auctor ideo fortasse scripsit *desistatum Cæsaribus Imperium* remansisse; quia Constantinus tumetsi mox à patre, tum ab exercitu statim acclamatus fuerit Augustus, Cæsaris tamen nomine contentus, Augustum nonnisi post cuptias Faustæ Herculii filiæ sodalis; ut ex *Panegyrici* colligunt Baronius & Gordonus. Vel potius ita scripsit Auctor, quia erat simavit Constantium Constantini patrem Imperium suo gessisse, sed Præfecturam dumtaxat Occidentis, ideoque a Constantino non hæreditario jure statim acceptum, sed postea armis vindicatum. Argumento est, tum quod sit Constantinum Diocletiano & Maximiano successisse, tum quod non Imperium moriens Pater, sed Præfecturam excepisse.

† *Consulatu Arbetiani & Lolliani*] His nominibus adnotatum Consulatum tempore Constantini nullum invenio: sed Constantii anno 19. seu Christi 355. qui est quadragesimus tertius à primo Constantini in Italiam ingressu. Quare necesse est eam legem, cujus hic est mentio, latam fuisse à Constantio.

1 *Cæsarem fecit*] Eutropius *lib.* X. Zosimus *lib.* II. Scaliger *ad Eusebium*, Baronius, & Gordonus anno Christi 307. scribunt, Licinium à Galerio Maximiano Cæsa em dictum fuisse, & Severo Maximiani Herculii fraude necato suffectum anno 307. atque adeo sex annis ante, quam Mediolanum à Constantino F evocaretur.

2 *Mater autem Helena*, &c.] Quod de Helena, & frano scribitur, contigit multo post Licinii cuptias, ut videre est apud Gordonum & Baronium anno Christi 326.

3 *Post Maternum præfuere Eustorgius*, &c.] Baronius anno Christi 346. circa mediare, certissimum putat, Materno successisse Protharium: huic Dionysium, cujus sit mentio paulo post. Anno vero 355. narrat Auxentium hunc subrogatum fuisse in locum Dionysii in exilium pulsi, quod subscriptionem in Athanasium recusaret: quod ipsum narrat Auctor paulo post.

ciam, & inde ad Italos perlata magis pro animorum habitu & factionum ſtudio, quam judicio, accepta eſt: nam & nova nomina diverſa ſentientium per orbem excitata ſunt Ariani & Catholici. Conatus eſt naſcenti malo occurrere Conſtantinus, & per epiſtolas, & edicta cohibere furentes à contentione inani & improba, nec deſiderata ab ullo ante, nec inſtituta, aut ſatis digna, quæ nunc quoque quæreretur: ac exemplo parvi ignis, quo ſæpe magna incendia excitantur, deterruit. Verum nec preces, nec monita Principis valuere, & obſtinatius ſuam quiſque ſententiam, perſeverantiuſque tutatus eſt: & eo magnitudinis diſcordia exarſit, ut publico conventu diſcutienda fuerit. Nicææ habitum eſt nobiliſſimum Epiſcoporum Concilium, quo tandem damnatum Arii impium dogma fuit: ſed neque ex eo convelli ex animis hominum peſtis potuit, & Mediolani recepta validius contiouavit.

Conſtantius vero ipſe in eandem delapſus, non occulta ope fovebat. Demum mixus Occidentalem
A. C. 355. Clerum in Arianum traducere, Mediolani Concilium indixit. Venere ex Gallia, finitimiſque Provinciis trecenti amplius Epiſcopi; ex Tranſmarinis autem adverſariis admodum pauci: qui ante omnia poſtulantes, exauctorari Athanaſium, haud fefellere collegas, quo fine id quæreretur. Is enim erat tunc columen recte ſentientium: eoque amoto cauſa cadebant. Itaque reclamantibus ejus fautoribus, res magna contentione extracta eſt. Mox tamen ex Arianorum ſententia confecta tabula eſt, cui undetriginta Epiſcopi à Conſtantio contriti ſubſcripſere, in quibus & Dionyſius Mediolanenſis erat. Defertur mox ad Euſebium Vercellenſem, qui pariter ſubſcribat. Vir hic fuit Sardus quidem genere, ſed ingenio & doctrina excellens; tum ætate & gravi judicio venerandus, & cui univerſi plurimum deferrent. * Hic cum tabulæ minime adſtipularetur, & fortaſſe aperte derogaret, neque prudens, neque tutum conſilium fore videretur, memorando ſtratagemate eam ſubvertit: *Præpoſtere*, inquit, *& ſine ullo dignitatis, ætatiſve reſpectu primo loco juniores ſubſcripſere, & præceptorum gradum occuparunt diſcipuli, apertum fatuitatis & impudentiæ publicæ ſignum: abſit, ut noſtris quoque manibus iſta confirmentur: quin ſi noſtro ſuffragio auctoratam conſtitutionem vultis, ſecundo male ſubſcriptam tabulam, & novam date, cui cunctis ex ordine extremam manum imponamus.* Viſum ſapienter conſultum: ac prima illa tabula corrupta ſtatim fuit: dum vero novam ſcribunt, Euſebius, ne quis poſt modum nomen in ea daret, erroris ſingulos admonendo, curavit. Atque ita quidem apud Caſſiodorum, & in *Vita Euſebii* habetur.

Divus quoque Ambroſius huic ſententiæ accedere videtur, qui in *Epiſtola* ad Juniorem Valentinianum ita ſcribit: *Epiſcopi ſinceram primo fidem ſcripſerant: ſed dum volunt quidam de fide intra palatium judicare, id egerunt, ut circumſcriptionibus illa Epiſcoporum judicia mutarentur, qui tamen inflexam ſtatim revocavere ſententiam.*

At vero Hilarius Pictavorum Epiſcopus, qui rei interfuit, ad hunc modum narrat. Is Conſtantium Cæſarem mollire, & ab inſano conſilio revocare ſtudebat: ad eum ſcribens, inquit: Euſebius Vercellenſis Epiſcopus eſt vir omni vita Deo ſerviens: hic poſt Arelatenſem Synodum cum Paulinus Epiſcopus tantis iſtorum ſceleribus contraiſſet, Mediolanum venire præcipitur: collecta jam illic pravorum ſynagoga erat: decem diebus ad Eccleſiam vetitus eſt accedere; ubi libitum eſt, advocatur: adeſt cum Romanis Clericis, & Lucifero Sardienſe: conventus ut in Athanaſium ſubſcriberet, ait, de Sacerdotali prius fide debere conſtare; quia compertum ſibi foret, quoſdam ex iis, qui adeſſent, hæretica labe pollutos. Nicæni Concilii fidem in medio poſuit, ſpondens ſe omnia facturum, quæ illi vellent, ſi pro fidei profeſſione ſcripſiſſent.

Dionyſius Mediolanenſis chartam primus accepit, atque ubi profiteri ſcribendo cœpit, Valens, qui unus ex Arianis erat, calamum & chartam è manibus violenter extorſit, clamans non poſſe aliquid inde confici. Poſt multum clamorem res in conſcientiam plebis deducitur: gravis inde dolor omnibus, qui fidem impugnabant; & populi judicium veriti, è Dominico ad Palatium tranſeunt, ubi ſententia in Euſebium ſcripta, Conſtantius Dionyſium, cæteroſque Italicos Epiſcopos, & Paulinum Trevirenſem, & Luciferum Caralitanum in Aſiam relegavit. Interim Auxentius abſentis Dionyſii locum invaſit, ſub quo intolerabilem tyrannidem, ut Hieronymus ait, tota Italia catholica fides ſuſtinuit. Hilarius autem Mediolani aliquamdiu poſt hæc ſubſtitit, &, cum non deſineret Imperator gravibus edictis perturbare Eccleſiam Mediolanenſem, proceſſit in medium, & Auxentium incuſat, ceu impium, & Chriſti hoſtem indubitatum; qui aliter ſentiret, quam Rex ipſe, aut alii omnes tenerent: quibus permotus Conſtantius, audiendos eos à Quæſtore & Magiſtro Palatii decrevit. Acta res coram Judicibus magna contentione. Convictus Auxentius tandem in Hilarii ſententiam conceſſit, ſcripſitque. Sparſa ejus res fama Regem vehementer commovit, qui diverſa omnia cupiebat: eamque protinus operam dedit, ut non obſcure Deum & homines ab eo pariter eludi Hilarius intelligeret: ac ſimul juſſus Mediolano diſcedere, propterea quod tuto ibi conſiſtere non liceret, in exilium abiit, acerbiſſimamque invectivam in Conſtantium ſcripſit; qui hæc ſcelera, hæc propudia in Eccleſiam foveret, Mediolanenſemque piiſſimam plebem furens vario terrore perturbaret, Tribunos immitteret, qui per omnem crudelitatem in populo ſævientes, ſacerdotes etiam ipſos ab altari pertraherent. Hæc Mediolani per ea tempora circa religionem acta.

Cæterum Conſtantino Magno Conſtantius frater fuit: ex quo & Galla, ſorore Ruffini & Cerealis Conſularium viroruot, nati ſunt Gallus & Julianus. Horum Galluo quintum & vigeſimum ætatis annum agentem Conſtantius patruelis Cæſarem Mediolani creavit, ac rebus Orientis præfecit. Sævus hic natura, & humanitatis expers, nimia in ſubditos aſpernate efferebatur, accedebatque aptum ejus moribus inſtrumentum uxor Conſtantia præſentis Auguſti germana, quæ opum ſimul & ſanguinis avida, veluti Megæra quædam dira omnia & inhumana ſuadebat: quorum cum inaudita undique flagitia, rapinæ, & intolerabiles erudelitates nunciarentur, ac ſubinde populi rebellarent, ejus capite ſatisfaciendum cunctis Conſtantius ſtatuit: & opportuna tunc occaſio imminentis tum ex Germania belli ad omnia ſimulanda accidit. †Gondoundus & Vadamarius fratres, Alemannorum Reges, crebris excurſionibus circa Rhenum factis, confinia terræ Galliæ vaſtabant: profectuſque in præſenti eſt Conſtantius ad eorum motus quacumque ratione compeſcendos. Sed cum præ multitudine hoſtium tranſire Rhenum non poſſet, pactione & fœdere præſentia pericula diſcuſſit: ipſe Mediolanum revertitur. Interim congeminatis litteris revocatus ex Oriente Gallus in Noricum pervenit: ubi detentus, vinctuſque abſtrahitur in Hiſtriam; ac juxta Polam urbem, religatis poſt terga

* *Hic cum tabula minime adſtipularetur*, &c.] Rem geſtam paulo aliter narrat Maximus Taurinenſis *Sermone* in Natali die S. Euſebii habito. Vide etiam Baronium anno 355.

† Apud Amm. Marcellinum *lib.* XIV. *cap.* 2. in accuratis Editionibus legitur *Gundomadus*, & *Vadomarius*.

mani-

manibus, latronis inſtar, capite mulctatur, anno quarto, ex quo ad Imperium promotus fuerat: vir alioquin forma decorus, & dignus, cui melior mens, meliores mores contigiſſent. Comparat eum Ammianus Marcellinus † Domitiano, ſicut & Julianum Tito Veſpaſiani filio. Galli caput Mediolanum non ſine gratulantium adulatione Conſtantio delatum fuit.

Productus inde Julianus variis criminibus inſimulatur, quibus confutatis, tum ſuffragante Euſebia Regina, Comum dimittitur: ubi paucos dies moratus in Græciam abiit, operam liberalibus diſciplinis per otium daturus. Sed Alemannis denuo Rhenum hoſtiliter tranſeuntibus, quamvis iterum ut præſentibus malis occurreret Conſtantius Rhæticas Alpes tranſgreſſus ſit, & acie victos pene ad internecionem deleverit, & lætus victoria ovans Mediolanum ſit reverſus; tamen aſſiduis nunciis, alio ſuper alium, afferentibus novam Barbarorum multitudinem vaſtare denuo omnia, deploratas Gallias, igni & ferro cuncta fœdari: tuncque digredi Italia non tutum ſibi videretur, Conſtantius ad Julianum animum conjecit, cujus ingenio & prudentia parte præſentium curatum levari ſe poſſe ſperaret. Eo igitur ex Achaja evocato Mediolanum, frequenti concione habita, quam Aquilæ, cæteraque ſigna militaria circundata ornabant, præſentium temporum conditiones expoſuit, ſubinde laudatis patruelis Juliani virtutibus, cum ex altiore ſuggeſtu purpura, cæteroque principali amictu induit, & Cæſarem appellat: tum Galliarum adminiſtratione donat. VIII. Id. Novembris hæc acta fuerunt, Arbetione & Lolliano Conſulibus: * quem annum periti temporum trecenteſimum & XXIX. à Paſſione Chriſti Dei computarunt. Sed & fœdus fœderi, & affinitas affinitati adjicitur. Sororem Helenam matrimonio novi Cæſaris Conſtantius jungit. Tum Kal. Decembris paratis omnibus ad expeditionem neceſſariis ab urbe deduxit ad locum uſque duabus tunc columnis inſignem, inter Ticinum fluvium, & Gaomellum oppidum, quod nunc quoque nomen retinens, *Laomellum*, primæ litteræ g in l mutationem patitur: ſic enim apud Ptolemæum & Ammianum Marcellinum † ſcribitur. Inde per Taurinas Alpes Viennam profectus Julianus, magna ubique lætitia, ceu numen quoddam, & ſalutare ſydus excipiebatur.

Sed inter hæc mœſtus nuncius animos perculit: Coloniam Agrippinenſem clariſſimam Rheni urbem penitus exciſam fuiſſe: ſuſtinuiſſe quidem Colonos aliquamdiu obſidionem; ſed mox hoſtes vi ingreſſos totam diripuiſſe, & in ædificia ſævientes, uno omnia incendio conſeremaſſe. Excitus ea re Julianus, eo quam maximis itineribus poteſt, per Heduos, Remos, & Britomagum contendit. Et digreſſis Colonia Alemannis urbem collatis opibus inſtaurari curavit. Interim apud Senones periculum ingens adit: & obſeſſo Marcellus Præfectus Equitum ſuppetias non tulit: quo audito Conſtantius, cum ſacramento ſolutum abire caſtris juſſit, qui ceu gravi injuria affectus, quædam in Julianum molitur, conſiſus Auguſti auribus in omne patentibus crimen. Eo digreſſo mittitur Eutherius Armenus Cubiculi præpoſitus: qui, ſi quæ objicerentur, reſponderet: quod neſcicns Marcellus Mediolanum venit, & in conſiſtorium admiſſus, Julianum, ut virum procacem, & rebus, quas tractaret, minime idoneum, inſimulat: jamque licentius loquebatur, cum inductus Eutherius, vana, falſaque eum dicere coarguit, & convicit.

Apud eoſdem Senones hybernans Julianus, occaſione conſerendi manus cum hoſte oblata, memorabilem illam, & multorum ſcriptis famigeratam cladem intulit, qua apud Argentoratum quinque & triginta millia Barbarorum cæſa fuiſſe produntur: & Rex * Chonodomatus captus Romam in triumphum deductus eſt.

Cæterum antequam Mediolano digrederetur Conſtantius, octavo ſuo, & Juliani ſecundo Conſulatu legem tulit, qua illius bona confiſcantur, qui ex Chriſtiano Judæus effectus ſacrilegis cœtibus aggregari non deſineret. Quæ adhuc inter primarias leges ſcripta habetur. Arminenſis deinde Synodus habita; & Auxentius, quamvis multis Conciliis damnatus, ſacerdotioque interdictus, Eccleſiam tamen retentans, Martinum Turonenſem Epiſcopum varia Mediolani cœnobia inſtituentem, finibus exegit. Item ab eo eruditos Mauritium ſplendidiſſimis parentibus Mediolani ortum, & Gaudentium Eporedienſem, quorum uterque poſtea ad Epiſcopatum pervenit, illic Andegavenſis, hic Novarienſis civitatis.

Interim alia barbaries alterum Imperii latus invadit. Sarmatæ Mœſiam, & eam Pannoniæ partem, quæ in honorem filiæ Diocletiani Cæſaris, Valeria cœperat dici, incurſabant; quibus ut occurreret Conſtantius, in Illyricum ſe contulit; & hinc longe gravius bellum inferentibus Parthis, in Aſiam tranſit. Ubi non ita multo poſt moritur: & ut Juliano tantarum rerum moles incubuit; quem Eccleſiaſtici Scriptores Apoſtatam vocant; propterea quod à recepta ſemel religione Chriſtiana declinaverit, ſeque penitus ad Aruſpices, & divinandi artem profitentes contulerit. Is adverſus Parthos profectus, rebus optimam in ſpem erectis, fulmine ictus interciptur; & abnegatæ religionis pœnas acerbiſſimo caſu luit.

Hic Jovianus ab exercitu Cæſar creatus, octo menſes imperat: nam cum Perſis fœdere icto, reverſurus in Italiam præmiſit ad Lucillianum ſocerum, qui tunc Sirmii militia depoſita agebat, ut Juliani mortis famam præveniens Mediolanum convolaret, coſque ſecum adduceret equitum, peditumque Magiſtros, quos ipſe in epiſtola annotaverat: atque rerum gubernatione aſſumpta, operam in primis daret, ne quid novi Galliæ molirentur: &, ſi quos ancipiti animo nutare cognoſceret, omni arte confirmare ſtuderet. Is Malarichum rei familiaris curatorem, ut magiſter militum foret, † Sinancum, & Valentinianum Tribunos adduxit: ſed mox Malarichus, recuſato magiſterii muncre, ad exercitum Remos profugit; & militari turbine concitato Lucillianus & Sinancus Tribunus interficiuntur. Valentinianus, quem in majoris fortunæ auſpicium fata protulerant, trepidus, & quo confugeret ignarus, fide amici, beneficioque hoſpitis ſervatus periculum evaſit.

Cæterum Jovianus fines Aſiæ non exceſſit, inter Galatas & Bithyniam incerto caſu exſtinctus. Tot Principum funcribus cumulatis, cum multi in ſpem rerum novarum erigerentur, nec deeſſent, qui Imperio aſpirarent, prævaluit tandem Valentinianus, in Bithyniam Aſiæ jam reverſus: quem præter militum favorem, virtutum inſita opinio commendabat; communique omnium con-

A. C. 355.

A. C. 116.

A. C. 161.

† *Lib.* XIV. *cap.* XI.

* *Quem annum periti temporum*, &c.] Hæc ex Ammiano *lib.* XV. fere ad verbum. Verumtamen ratio temporis non admodum exacte ſubducta eſt. Nam Arbetionis & Lolliani Conſulatus incidit in annum Chriſti 355. quo anno etiam à Baronio, Gordono, Socrate, Scaligero hæc geſta narrantur. Ex quo annorum numero ſi 33. anni vitæ Chriſti, qui trigeſimum quartum Paſſionis præceſſerunt, ſubducantur, ſupereſt numerus annorum 322. à Chriſti Paſſione, ipſo Paſſionis anno primo loco numerato, non 329. ut habet Auctor.

† Apud utrumque legitur *Laumellum*.

* Lege, *Chnodomarius*; ſic enim apud Amm. Marcellinum ſcribitur, *lib.* XVI. *cap.* XII.

† Reſtitue, *Sinancum*, prout habet Marcellinus, *lib.* XXV. *cap.* X.

ſenſu Augnſtus pronnnciatur: obſcuro quidem genere ortus, ut cujus patrem Gratianum à Cibala urbe Pannoniæ funes venales circumtuliſſe conſtet: ſed tamen qui brevi ad militiam tranſlatus, Tribunus, ductorque exercituum in Africa, Britanniaque claruerit.

Cæterum Valentinianus non ita multo poſt, Valentem fratrem in ſocietatem rerum aſſumpſit, Auguſtumque nuncupavit. Sirmium profecti ambo fratres, Rep. ad arbitrium compoſita, Valens Conſ. C. 364. ſtantinopolim, Valentinianus Mediolanum diſceſſere, ubi levi ex cauſa cæſis Diocle Comite Largitionum Illyrici, & Diodoro quodam, Chriſtiani memoriam eorum colentes, locum, ubi ſepulti ſunt, prope Mediolanum ad Innocentes vocaverunt. Tunc complures Alemanni circa Rhæticas Alpes devicti, & in Italiam tranſmiſſi, circa Padum fertilibus campis acceptis, tributarii effecti ſunt: ex Thracia * Phrygiderius Romanarum copiarum ductor, cæſo Pharnobio Gothorum Taiphalorumque Duce, ingentem multitudinem eorum, ne interficeret exoratus, in Italiam exterminavit; deductique fuere Barbari circa Mutinam, Regium, & Parmam rura culturi.

A. C. 365. Conſulatu Joviani & Varroniani Mediolani condita lex eſt, qua Judicibus imponitur neceſſitas, non ſolum appellationis ſuſcipiendæ, ſed etiam triginta dierum ſpatium ex die ſententiæ exſpectandi: quæ lex adhuc obſervatur. Inito mox ab ipſis conſulatu ratio curandæ annonæ Mediolani reformatur, ac duplici perſona adminiſtranda decernitur, Præfecto urbis, & altero, qui huic uni rei peculiariter præeſſet. Cum vero ſummo magiſtratu Provincia Ciſalpina careret, nec niſi notæ integriratis & prudentiæ viro demandanda foret; Valentinianus è medio Romano foro delegit Ambro-

A. C. 369. ſium Oratorem clariſſimum, Mediulanumque miſit, *Præfectum prætidialis curæ*, ut Caſſiodorus nuncupat; *Judicem*, ut Paulus Diaconus; ut vero Paulinus, *qui Conſulari poteſtate Æmiliam, Liguriamque regeret*. Ita variant in ejus titulo auctores. Fuit ei pater ejuſdem nominis, vir illuſtris, & qui Gallias aliquando adminiſtraverit.

Diximus ſupra Dionyſium Mediolanenſem Epiſcopum, Arianorum invidia cum nonnullis aliis Catholicis pulſum fuiſſe in exilium, Auxentiumque abſentis ſedem invaſiſſe. Forte hoc tempore, & defuncti peregre Dionyſii nuncius acceptus, & Auxentius populari ſeditione è medio ſublatus eſt. Mortuum Paulinus & Hieronymus in *additione Chronicorum* ſcribunt: vixiſſe vero, & procul ab Italia exulaſſe, editæ in eum ab Ambroſio *Orationes* probant: ſed & Hieronymus, in libello *de muliere Vercellenſi ſepties percuſſa*, emendaſſe ſe videtur: *Ad Euagrii*, inquit, *noſtri nomen pervenimus? cujus ego laborem pro Chriſto ſuſceptum ſi arbitrer à me dici poſſe, non ſapiam; ſi penitus tacere velim, voce in gaudium erumpente non poſſum: quis enim valeat digno canere præcomo, Auxentium Mediolani incubantem, hujus exuviis ſepulcrum pene fuiſſe, antequam moreretur?* Eundem Euagrium idem Hieronymus inter illuſtres Chriſtianæ religionis viros deſcribit. Et Euſebius ex ſtirpe Pompejani Franci oriundum tradit, qui ſub Aureliano Auguſto ſtrenue in Syria adverſus Zenobiam Palmyrenorum Reginam pugnavit.

Ergo vacante utrinque Epiſcopali dignitate Mediolani, Valentinianus de ſucceſſoris ingenio & virtute ſollicitus concionem Sacerdotum ex finitimis urbibus & provinciis convocat; & docet, quanti univerſæ rei intereſſet, Mediolanenſi Eccleſiæ virum præeſſe, qui moribus & doctrina polleat, errantem Clerum regere, populum melius inſtruere, de-

* *Frigeridus* legitur apud eundem Marcellin. *lib.* XXX. *cap.* 8.

A nique qui Epiſcopi perſonam congrue agere, ac onus ſuſtinere ſciat; *Cuique vos*, inquit Cæſar, *ut ſacerdotis ſine ſimulatione aſſurgere, capita ſubmittere, & ſalutaria monita audire ſincere valeamus.* Circumſcriptione iſta gravati Patres, quaſi impoſſibile magis foret, quam difficile, deſignatum virum invenire, ad Cæſarem verſi: *Eligas, tu Auguſte, qui ſapiens es*, inquiunt. At ille: *Veſtrum munus eſt, veſtra hæc electio, qui ſacroſanctam vitam agentes, quæ Eccleſia ſunt tuere, & quærere debetis. Proinde ite in ſuffragia*, inquit, *alacres, & bene Deo conciliati, ut eo aſpirante, quem maxime idoneum duxeritis, eligatis.* Victi cohortatione Sacerdotes, ſpatium ad deli-

B berandum ſumunt; diemque, quo ob hanc cauſam denuo convenirent, condicunt. Inde diſcurſatio in urbe, & ex diverſis ſtudiis æmulatio: his Arianum, illis Catholicum Epiſcopum creari contendentibus. Jam dicta dies aderat, & in Comitium iturі Patres exſpectabantur. Ambroſius ſubmovendi tumultus gratia, in Palatium cum militari manu venit. Tum congregata multitudine, & quod initium rei foret, ſpectante, ab incerto auctore vox inſonuit, *Ambroſium Epiſcopum*: quod omen acci-

C pientibus cunctis acclamantibusque pariter utriuſque factionis ſtudioſis, Valentinianus ſumma voluptate perfuſus: *Tibi, maxime rerum conditor Deus, maximas*, inquit, *ago gratias, quod eus ipſe paulo ante præſentis vita negotiorum, in futura, æternaque, & animarum ipſarum curam commiſiti.* Et conſeſtim baptizari Ambroſium, ordinarique pontificem juſſit. Ambroſius honoris novitate perculſus, & ab ea penitus abhorrens, ne eam omnino admitteret, bis nocturna fuga recedere Mediolano tentavit: ſed cum ſemper ſub lucem iiſdem erroribus viarum ad urbem reducentium longius abire non poſſet, arbitratus ſe non ſine divum numine peti, vocari-

D que ad inſulam ſacerdotalem, paſſus eſt octavo die, operante Catholico Epiſcopo, initiari: quadriennio inde Romam petit, ubi balneatricem paralyticam contactu veſtis ſanavit. Et mox in Pannoniam profectus, cum Juſtina Valentiniani uxor, quæ genere Gotha erat, favens Arianis ordinari ab eis Anemium Sirmienſium Epiſcopum curaret, Ambroſius, ut potius à Catholico conſecraretur, contendit; & demum obtinuit, miraculo exſtinctæ ſubito intemperantis ancillæ, quæ auſa ſacerdoti manum injicere, ſtatim moribunda intercidit.

Reverſa deinde in Italiam Juſtina, moritur Va- A. C. lentinianus, ſuperſtitibus duobus liberis, Gratia- 375. no, qui tum apud Ambianos Ulterioris Galliæ populos Auguſtus appellatus eſt, & Valentiniano ju-

E niore, qui Romæ erat. Utrumque Juſtina ad ſe Mediolanum vocat; ut tutius teneræ ætatis pueros educaret: ſimulque Imperii negotia penes ſe, ubi uterque heres foret, retineret. Reverſus pariter Mediolanum Ambroſius, ſedulo inſtituendis in rectam Chriſti fidem populis operam impendit.

Interim Auguſtinus Tagaſtenſis Afer ab urbe Roma artis oratoriæ docendæ gratia, publico ſtipendio dato, accerſitur: ſequuntur eum pluſculi diſcipuli, & amici, & mater Monica atque Adeodatus filius; vacavitque triennium ei profeſſioni. Per quod tempus in ſuburbano Caſſiaco frequenter

F ſecedens, tres libros Academicos, & unum Grammatices abſolvit; cæterarum vero diſciplinarum ſingulos inchoavit, qui & exſtant. Audiebat etiam ſubinde Ambroſium de fide Catholica concionantem; & tandem ejus oratione diſſolutus erroribus opinionis Manichææ, quam hactenus tenuerat, tranſire ad eum, ſeque doctrinæ ejus penitus tradere conſtituit. Quod & obtinuit, intercedente Simpliciano vetere hoſpite, & Romæ jam familiariter cognito. Non longe à Cœnobio Ambroſiano

fiano diſtat ædicula rudis, informiſque, qualis tunc fuiſſe creditur, in qua baptiſmate luſtratum & ſacris inſtitutionibus eruditum ferunt. [1] Nec ita multo poſt Adeodatum egregiæ indolis & ſpei adoleſcentem amiſit.

At Juſtina magno mariti obice, veluti ſcopulo quodam libera, infeſtior in Ambroſium inſurgit; ſuſcitatiſque Arianis, nova negotia faceſſit: legem enim ſub adoleſcentis Valentiniani nomine promulgari curat; qua Ariminenſe Concilium, quod A.C. 384. omnibus Catholicis improbatum erat, confirmaretur. [2] Simul revocatus Auxentius, litem ei de Epiſcopatu intendit. Is apud Scythas interea verſatus, mentito nomine Mercurinum vocari ſe fecerat. Eum vero ſectabantur Jovinianus, Genialis, Geminator, Prontinus, Januarius, Martianus. Citatus Ambroſius, ut in Palatium ad dicendam [3] coram Cæſare cauſam veniret, eo ſe iturum pernegat; neque id ſe commiſſurum affirmat, ut cauſam religionis, religioſus ipſe extra Eccleſiam, extra locum ſacrum agat, & coram Judice juvene nondum baptizato, & qui denique ſit muneri impar, jure diſſimilis, quamquam Cæſar, quamquam Imperator Maximus. Exſtant acerrimæ *Orationes* in hac cauſa ab eo ſcriptæ; quibus auditis Juſtina excandeſcit, iraſcitur, furit, minatur, denique exilium contumaci indicit; non obtemperantem dolis excipere parat: denique & currus adductus quandoque fuit, quo per inſidias captus imponeretur, ac per noctis ſilentium extra fines deportaretur. Sed Sacerdos domi ſe, & intra Eccleſiam contiocbat. Juxta vigilabat pia pleba, cuſtodiebatque ne qua vis ſancto Dei ſervo inferretur: tunc tactus memoria Orientalis Eccleſiæ Ambroſius, ad levandum longioris moræ tædium, excitandoſque languentium animos, muſicos modos Eccleſiæ quoque ſuæ introduxit, meditatuſque hymnos & antiphonas, altiori ea voce quæ ſubmiſſa aliàs dici ſolebant, cani juſſit. Quæ res non ſolum leniendæ præſenti moleſtiæ plurimum, ut deſiderabatur, profuit: ſed ita cunctis placuit, ut & Gelaſius Romanus Pontifex, & reliqui omnes Occidentalis Eccleſiæ brevi Muſicen receperint: ac ſubinde tibiis, fiſtuliſque additis interſtrependum varie duxerint; donec ad hanc ætatem ventum eſt, quam argenteis organis, ſuaviſſimiſque voculis, quæ mille modis flectuntur, ornavimus.

Diu attonita civitas cum manſiſſet, auditum noviſſime eſt, auctoritate Siricii Pontificis Romani fuiſſe adverſarios Ambroſii Eccleſia & ſacris omnibus interdictos: qua re concita plebs, impios, nefarioſque ædibus, tabernisque omnibus exturbat, nulloque non ignominiæ genere affectos patria & finibus pellit. Vidit deinde per quietem Ambroſius, ubi ſepulta jacerent Prothaſii, Gervaſiique corpora: quibus terra effoſſa inventis, ingentia miracula edita ſunt, auctaque plurimum Catholicorum fides eſt. Ea vero in ædem ſuam Ambroſius A.C. tranſtulit: quæ dum ſic perferuntur, multi variis 187. morbis laborantes divino munere ſanantur.

Sed omnem prope fidem, admirationemque ſupergreſſa eſt cæci illuminatio. Notus erat tota urbe Severus jam inde à pueritia oculis captus: hic audita concurſantis populi cauſa, eodem ſe adduci curavit: & ſudario ſandapilæ, qua ſancta corpora ferebantur, injecto, oculiſque inde admoto, diem vidit. Hoc ſe præſente factum Auguſtinus in *Confeſſionibus*, & in ultimo *de Civitate Dei* libro teſtatur: remque fuiſſe celeberrimam dicit; tum quod perquam frequens populo civitas eſſet; tum quod forte per eos dies aderat Imperator. Meminit & Hieronymus in libro *de Martyribus*, idque neceſſario in Italia proceſſiſſe ex eo colligit, quod in ea gravius hæreſis Ariana fuerat dominata: bonoque Ambroſio propric præ cæteris Mediolani id fuiſſe conceſſum: quod in hunc ipſum adverſariorum confundendorum, & ſpei noſtræ erigendæ gratia, omnis cœleſtium gloria; & Martyres omnes conſenſiſſe viderentur. Ejuſdem rei fama Juſtinam, ſi non ab hæreſi, ut multos alios, ſaltem à perſecutione Ambroſii cohibuit.

Aliud quoque, & memoria dignum miraculum Mediolani accidiſſe Auguſtinus in libello *De cura pro mortuis* refert: *Perſolverat*, inquit, *pater debitum, non accepto chirographo, & filio non monito: idem mox defuncto patre creditor malignus repetit à filio, prolata cautione. Contriſtatus homo graviſſime, quod nihil ſibi moriens pater dixiſſet, perpetua moleſtia angebatur. Demum apparuit ei pater in ſomnis, & ubi ſatisfactionis præſtita repoſita memoria foret, indicavit; qua inventa juvenis, atque produfta, intentatam ſibi calumniam & falſi debiti onus evitavit.*

Moritur interea Valens patruus puerorum Impe- A. C. ratorum, ſub cujus tutela lat quietæ res ab exter- 378. nis bellis eis ſtetere. Ejus morte perturbata ſunt omnia. Evaſerat ex gregario milite atque adeo lixa egregius, & præſtans Ductor, vir genere Britannus, nomine Maximus, ſtirpem trahens à parentibus Helenæ Conſtantini matris, quam omnino ignobilem fuiſſe, vel illa Ambroſii & Euſebii verba oſtendunt, quibus Helenam ſtabulariam, & Conſtantii concubinam fuiſſe traditur. Ergo Maximus ex Ductore exercitus in Britannia per occaſionem temporum Imperator effectus, cum inſula Gallias omnes occupat: ſimul aliis motibus Oriens perturbatur.

Gothi gens Scythica, aliàs Getæ dicti, qui olim ſub Galieno in ditionem Romanam irruptione facta Thraciam, & Macedoniam, indeque Pontum, & Aſiam vaſtaverant, ſub Maximiano Herculio Burgundiones, quos Plinius partem Vindelicorum, & Ammianus Marcellinus Tranſrhenanos populos fuiſſe docent, exciderant: & Vandalis, Gepidiſque arma intulerant: ac tandem à Claudio Cæſare domiti, & ſubinde ab Aureliano, & Conſtantino magno profligati, nunc quoque recuperatis viribus; tum adjunctis Alanis, quos Meſſagetas antea vocatos Ammianus Marcellinus auctor eſt, Thraciam invaſere; & Longobardi propinquis Vandalis infeſti, novos metus afferebant.

Tot ſimul curis anceps, preſſaque Juſtina, conditionibus cohibere Maximum tentavit: diſertum- A. C. que & grati nominis Ambroſium Oratorem ad eum 387. mit-

[1] *Nec ita multo poſt Adeodatum*, &c.] Anno ſcilicet ſequenti: verumtamen non Mediolani, ſed in Africa. Baptizatus enim Auguſtinus anno Chriſti 388. eodem Romam iter ſuſcepit, inde navigaturus in patriam. Ubi cum hiemaſſet navigationis opportunitatem exſpectans, ad oſtia Tiberina deſcendit, ac ſubſtitit aliquamdiu matris ægritudine ac funere detentus: quare non niſi anno 389. Africam tenuit. Ibi librum *de Magiſtro* conſcripſit, cujus alteram partem, ſcilicet interrogantis, Adeodatus geſſit jam ſexdecim annos natus, qui ſacrum fontem quindecenis delcenderat: ut colligitur ex Auguſtino lib. IX. *Conf.* cap. VI. qui nullam uſquam Adeodati maturioris mentionem facit; quin potius loco citato ſubjicit: *Cito de terra abſtuliſti vitam ejus, & ſecurior eum recordor, non timens quidquam puerilia* (quæ ſcilicet baptiſmo expiata eſt) *nec adoleſcentia*, &c. (quam vix attigit) *ac homine illo*, &c.

[2] *Simul revocatus Auxentius*, &c.] Fuere & alii, qui Auxentium hunc à Juſtina in Ambroſium excitatum cum priore illo, cui Ambroſius in Epiſcopatu ſubrogatus eſt, eundem eſſe opinarentur: quaſi Ambroſius non mortuo illi, ſed ejecto ſuffectus ſit. Baronius tamen, anno Chriſti 386 non modo ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Paulino, Hieronymo, ſed ex ipſomet Ambroſio eam opinionem manifeſti erroris coarguit. Breviarium quoque Romanum priorem Auxentium diem obiiſſe confirmat antequam Ambroſius initiaretur neceſſe eſt igitur Auxentium hunc, qui, ne prioris invidia Mediolani laboraret, dici voluit Mercurinus, alium fuiſſe, qui propterea dictus eſt Auxentius junior.

[3] *Coram Cæſare*, &c.] Scilicet Valentiniano, Juſtinæ ipſius filio. Ita tamen cauſam fidei eorum Imperatore in Palatio dicere recuſavit Ambroſius, ut Auxentium, ejuſque ſectatores in Eccleſiam ad populi judicium provocaverit in libello ad Imperatorem dato, qui legi poteſt apud Ambr. *Epiſt.* XXXII.

mittit. Profectus in Treviros uſque Ambroſius, nihil valere verba, nec Sacerdotii majeſtatem profuiſſe renunciat: omnia armis tecta, atque in vi & virtute ſpem omnem ponendam. † Ergo Gratianus adverſus illum in Galliam tranſit: ſimul Orienti proſpiciens, Theodoſium Hiſpanum altero Theo-
A. C. doſio genitum, virum bello inclytum & probatæ
379. virtutis, Cæſarem dicit. Et quo plus opinionis & fidei viro injiceret, eundem affinitate propinquiſſima devincit. Gallam ſororem ei in matrimonium dat. Ita ornatus titulis & maxima poteſtate, Conſtantinopolitanis rebus, & Gothici belli curæ Theodoſius deſtinatur: quod & brevi feliciter confecit. Valentinianus ſecundus apud matrem in Italia retinetur.

Cæterum tres ſimul Cæſares Mediolani legem condidiſſe apparet eo anno, qui Auſonium Poetam, & Olybrium Conſules habuit: qua lege cunctas hæreſes vetitas, ipſi quoque Cæſarea conſtitutione tollunt. Is vero annus, ut idem Poeta docet, ab urbe Roma condita milleſimus centeſimus & decimus octavus erat, & à Paſſione Chriſti trecenteſimus & quinquageſimus primus; nam ſi tres & triginta, quibus in terris Deus vixit, addideris, numerabuntur ab ejus, ut nunc mos eſt, ortu quatuor ſupra trecentum & octoginta.

Auſonii Conſulis mentio, qui patria Burdegalenſis, Cæſaris Gratiani præceptor fuit, Poeta aliquin eruditiſſimus, me admonet, ut hic ſubjiciam, quæ is in patriæ noſtræ commendationem ſponte ſcripſit in *Catalogo nobilium Civitatum*: qui libellus eum injuria temporum majori ex parte mutilatus foret, & dimidiata carmina; ac proinde nec ſenſus, nec metri ratio congrueret, nos vetuſto codice ex Ticinenſi Vicecomitum Bibliotheca prolato, redintegravimus: & ubi quinque tantum imperfecta habebantur, nos decem & octo abſoluta *Urbium Epigrammata* edidimus: inter quæ ſeptimo loco eſt:

Et Mediolani mira omnia; copia rerum;
Innumera, culmque domus; facundi virorum
Ingenia; nuſquam mores; tum duplice muro
Amplificatu loca ſpecies; populique voluptas,
Circus, & incluſi moles cuneata theatri;
Templa, Palatinaque arces, opulenſque moneta;
Et Regio Herculei celebris ſub honore lavacri;
Cunctaque marmoreis ornata periſtyla ſignis;
Mœnimque in unius formam circumdatu limbo.*
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt: nec junctis premit vicinia Roma.

Eodem tempore Maximus philoſophus Alexandrinus inter viros claros à Hieronymo relatus, inſignem de fide adverſus Arianos librum ſcripſit, quem Mediolani Gratiano Principi dedit. Item D. Ambroſius eidem quinque eodem titulo, & tres *de Spiritu Sancto* libros interim dedicavit. Cæterum inter barbaricorum motuum exſpectationes, Satyrus Ambroſii frater ex Africa recens Mediolanum A. C.
reverſus, diem obiit; quem & fratris ipſius cauſſa, 383.
& propriarum illius virtutum gratia, civitas univerſa deflevit.

† Profectus autem Pariſios uſque Gratianus, circumvenitur fraudibus à Merobaudo magiſtro militum; & retrocedere coactus cum obviis civitatibus non reciperetur, Lugduni demum defecit: cujus cadaver cum in Maximi poteſtatem deveniſſet, * ſecunda ad eum legatio Ambroſio demanda- A. C.
tur, ut illud in patria humandum terra repeteret. 384.
Quo vix digreſſo Victor Comes à Valentiniano ſubmittitur cum mandatis, ut pacem quoque pariter petat. Moguntiæ ambo Maximum convenere: ſed cum is ſucceſſu rerum elatus æquum duceret, peteretque Valentinianum ad ſe, tanquam filium ad patrem, venire; ad eam rem ſignificandam Victor Mediolanum remittitur: quod cum ſe minime facturum Valentinianus reſpondiſſet; neque pacem, neque Gratiani corpus Maximus conceſſit: ac pergens bello rem ſuam proſequi, in Italiam & Mediolanum venit: ſed mature Juſtina cum filio ceſſit, profectaque in Illyricum, Valentinianum in Græciam ad Theodoſium miſit, qui ſuppetiarum deprecator efficaciſſimus foret. Nec tardavit communem ſuſcipere cauſam Theodoſius. Claſſe igitur inſtructa, in Hadriaticum mare denavigat. Jam univerſa Circumpadana Italia Maximo parebat. Quare adventanti Theodoſio Maximus Aquilejæ occurrit, atque acie victus in ea urbe obtruncatur. A. C.
Clariſſimam victoriam celebrat carmine Claudianus, & Drepanus Pacatus *Panegyrico* pereleganti. 390.

Inde in regnum Valentinianum, priſtinaſque opes reducit Theodoſius, Mediolanumque pariter venit. Ubi pluſculos dies moratus, animadvertit minime ſe ab Ambroſio ſalutari, adirive, ut conſueverat. Miranti, quærentique cauſam objicit Ambroſius Theſſalonicenſe facinus. Forte Theſſalonicæ cum ſeditione populari pulſati Judices fuiſſent, Theodoſius ſubita ira percitus militarem manum in populum immiſit, qui promiſcua cæde obvium

† *Profectus autem Pariſios*, &c.] Socrates, Sozomenus, Zoſimus, Hieronymus, Ruffinus, Proſper, Marcellinus, & cum his Baronius & Gordonus anno Chriſti 383. ſcribunt Gratianum occiſum partim ſuorum proditione, partim inſidiis Andragathii.

* *Secunda ad eum legatio Ambroſio demandatur*] Gratiani cadaver ſecunda legatione ab Ambroſio petitum eſſe, ipſiuſmet Ambroſii teſtimonio conſentaneum eſt. Nam in *Oratione in funere Valentiniani*, *Ego tuus*, inquit, *iterum legatus repetivi Gallias: & mihi dulce illud officium fuit, pro ſalute tua primo, deinde pro pace, atque poſtato, qua fraternas reliquias poſtulabam: nondum pro te ſecerat, & jam pro fraterna ſepultura honore ſollicitus.* Hoc ergo indubitatum eſt, Gratiani cadaver ſecunda legatione ab Ambroſio petitum eſſe. Idque Baronius quoque anno Chriſti 387. totus legationis ſeriem texens ratum habet: obſervatque Ambroſium prudenter ſpecie petendi cadaveris Gratiani, ejuſmodi legationem, quæ ad explorandum Maximi animum ſuſciperetur, velandam putaſſe. Quod autem Auctor videtur hanc legationem ſecundam appellare, quaſi ea, cujus ſupra mentionem fecit, fuerit prima, uno eſt conſentaneum veritati. Nam legatio, ſupra narrata, Auctore etiam conſentiente, Juſtinæ in Ambroſium odium & furias confecuta eſt, obitaque fuit anno 387 prima vere præceſſit; obita enim fuit anno 383. ſtatim à morte Gratiani, Maximo Italæ immineute. Deinde prioris legationis exitus felicitſimus fuit, cum Maximum, ne in Italiam irrumperet coercuerit Ambroſius, pacemque obtinuerit, ut idem diſſerte teſtatur in *Epiſt* XXVII ad Valentinianum: ut præterea *Epiſt.* XXIIII. ſcribens ad ſororem queſtus ſit, ſe poſt ejuſmodi beneficium Juſtinæ factum, multa maleficia ab ingratiſſima fœmina ſuſtinuiſſe: ejus autem, quæ ſupra commemorantur, nullum exſtitiſſe fructum Auctor ipſe fatetur non fuit ignor prima. Unam ergo legationem, quia tum pacis, tum cadaveris redimendi cauſa ſuſcepta eſt, in duas ſecuit Auctor, quod aliunde compertum illi eſſet, Ambroſium bis ad Maximum fuiſſe legatum.

† *Ergo Gratianus adverſus illum*, &c.] Quod de Gratiano hoc loco commemoratur, omnino eſt contra temporum rationem: nam legationem, de qua hic agitur, certum eſt fuiſſe ſecundam, quæ videlicet Juſtinæ in Ambroſium furias ſequuta eſt, & de qua infra plura dicam. Facile hoc ex Auctoris quoque verbis colligitur. Cum enim ait delectum a Juſtina gratiæ nomine Oratorem Ambroſium, prorſus indicat, ideo delectum fuiſſe Ambroſium, quod priore legatione adeo grate exciterat Maximo, ut quæ rogabat, facile impetrarit: ut infra latius dicam. Hanc ergo legationem, qua Ambroſius nihil dicitur effeciſſe, certum eſt eſſe ſecundam, atque adeo ubiram ab Ambroſio fuiſſe anno 387. planum eſt apud Baronium eodem anno. Gratianum autem in expeditione contra Maximum profectione ſuorum militum, & inſidiis Andragathii Maximi ejuſdem Ducis interiiſſe ante quatuor annos, id eſt, anno 383. conſtat ex Baronio & Gordono. Theodoſium quoque Cæſarem à Gratiano in Gallias proficiſcente, & Valente in Orientali imperio ſubrogatum anno 379. legitur apud eoſdem. Denique ſupputatio temporis, qui lex *de Hæreticis* lata eſt, non congruit cum diligentiore Chronologia eorundem, apud quos Conſulatus Auſonii & Olybrii, atque adeo ejus legis ſanctio incidit in annum Chriſti 379. Jam quod dicitur ex Auſonio de annis ab Urbe condita, advertendum eſt ex Baronio in *Apparatu* ſub finem, Auſonium aliter ſupputare annos ab Urbe, quam antiquiores communiter duce Varrone conſueverint: quam ob cauſam Chriſti anni non tuto ab Urbe condita numerantur.

‖ Alii legunt, *labro*.

quemque obtruncantes, in communem publicam injuriam ulciſcerentur. Illi in miſeram plebem irruentes, intemperantiſque mandata exſecuti, ſine ullo diſcrimine perſonarum, ſexuſve, & ætatis, ad ſeptem millia innoxiorum capitum trucidarunt: cujus facinoris fama ſummum illi odium totâ urbe conflavit. Ergo Ambroſius, ceu adhuc cruenti, pollutique hominis conſpectum devitabat: perque epiſtolam reſpondens, veterum Regum exemplis eum hortatur, ut nefandum crimen à ſe amoveat: ſed nihil epiſtola profectum; nullaque expiatione facta Theodoſius accedere ad templum vetuit. Interceſſit ergo Ambroſius, & objectu corporis illi ſe opponens: *Homo*, inquit, *ſanguinarie, vir cruente, iſtis manibus, iſto ore adire templum Domini potes, ſacra adſpicere audes?* His vocibus increpitus Theodoſius ſubſtitit, & recordatus patratæ impietatis, retro converſus ad Regiam redit: nec ſolum eam reprehenſionem in bonam partem accepit, ſed diutinas in lacrymas provolutus, complures dies publico mœſtus abſtinuit.

Demum ſupervenit magiſter aulæ Ruffinus, magnæ confidentiæ vir, qui grave Reip. & Cæſareo nomini indecorum eſſe docet, eum hoc mœrore diutius affligi: *Quare ſurge*, inquit, *& triſtitiam depone. Dies inſtat natalis, quo cum ſit maximè religioſus, adire templa, ſalutare numina oportet: ſi quid in Pontifice heſitas, ego ad eum jam propero, & te noxa iſta ut ſolvas, faxo.* Hærenti inter ſpem & metum Ruffinus ſuadet, ut modico intervallo præeuntem ſe ſequatur. Feſtinanſque incipit affari Antiſtitem; cui corrugata fronte Ambroſius: *Et tu hùc ades*, inquit, *vir impie, & inauditi ſceleris ſuaſor, & miniſter? atque eandem impudentiam imitatus, audes adverſus imaginem latrare Divinam?* Perculſus homo inexſpectatiſſimo reſponſo ſupplicat; jamque adeſſe Cæſarem oſtendit, cujus honoris ratio tali die, & tanta populi frequentia habenda eſt. *Ergo iſta me*, inquit Ambroſius, *ratione circumvenis, & prævaricaturum ſperas? Atqui quantum voce, viribuſque valebo, ſacris adibus ipſum arcebo: etſi vim fecerit, vel emori poſſum.* Pallens, trepidiſque Ruffinus ad Cæſarem recurrit, duram nimis Pontificis mentem nunciaturus, ac proinde ne veniret moniturus. At is jam media via à Palatio proceſſerat; & audito reſponſo: *Nonne*, inquit, *iſta omnia tibi prædixi: mihi notum ingenium, nota illius conſtantia eſt: ſed eone pergam? & juſtam in faciem accipiam contumeliam?* perveniensque ad Ambroſium, ſcorſum eum in ſalutatorio vocat. Hicque ad genua provolutus: *Nulluſne*, inquit, *pœnitentiæ, nullus venia locus eſt? Audeo nullum tam grave delictum committi, quod ſit inexpiabile apud Deum, quidque Divina gratia majus ſit. Paratus ſum omne genus pœna ſubire, quod jubeas. Te igitur obſecro, obteſſorque hanc à me noxam deprecere, ac Deum mihi conciliet, propitiumque faciat.* Quibus auditis Ambroſius dignum abſolutione cenſuit, atque ad ſacra admiſit. Tum ei pœnæ Incto ſubjunxit, ut qui per iram & furorem peccaſſet, contra deinceps ratione ſeſe cohiberet; & ſpatio temporis impetus animi moderaretur. Ita perpetua lex ſancita tum fuit, ut durius, ſeveriuſque imperata triginta dies ſuſpendantur, mancantque intra litteras, quo locus eſſe pœnitentiæ poſſit, ſi forte ſententiam mutet Princeps. Ea lex adhuc apud Juriſconſultos perſcripta habetur. Inde ingreſſus templum Theodoſius, non ſtans, nec genuflexo, ſed toto corpore procumbens Davidicum illud lachrymavit: *Adhæſit pavimento anima mea:* mox cum altari munus offerret, conſtitit intra cancellos: ſed nec id tulit Ambroſius, eumque per Simplicianum Archidiaconum certiorem fecit diſſerentiæ locorum, quibus ſcorſum à laicis ſacerdotes tantum admitterentur. Id quod perlibenti quoque animo Theodoſius accepit; & allegans ignorantiam ſuam, & pariter conſuetudinem Græcam, ceſſit; ſemperque poſtea ſervavit, identidem dictitans: *Veritatis tandem invenu magiſtrum: Sacerdotes, & Cæſaris intellexi differentiam. Denique unum ſcio, & juſte vivere Ambroſium, & merito vocari Pontificem.*

* Sub his acta eſt nobilis cauſſa Aræ Victoriæ, quam adhuc cum virginibus Veſtalibus, ceu quaſdam antiquitatis reliquias colebant nonnulli cives Romæ in curia veteri. Sed eam Chriſtiani Principes nonnulli ante labefactaverant, Conſtantinus ſuſtulerat, & Valentinianus ſuperior, & filius Gratianus datis reſcriptis antiquaverant; & opulentiſſimi ſacerdotii prædia in fiſcum redegerant. Vetuſtatis vero amatores contra niti, & ut reponerentur, laborare non deſinebant. Itaque legationem inſtruunt; cujus princeps fuit eminentis ingenii & facundiæ vir Symmachus Patricius, & urbis Præfectus. Sed is quamquam ea amplitudine vir, nbſiſtentibus apud Imperatorem adverſariis, neque auditus, neque ad Cæſaris conſpectum admiſſus fuit. Irrita legatione eo Romam reverſo, oblata mox eſt opportunitas ætatis junioris Valentiniani, & quorumdam, ut aſſolet, fautorum. Ac denuo idem experiri eodem Oratore conſtituunt. Ita Mediolanum profectus Symmachus: *Iterum*, inquit, *publicarum querelarum legatus à Senatu lectus venio. Poſteaquam Roma cognitum eſt, purgari apud Principes famam priorum temporum. Rei Divinæ cauſa eſt: inſtituta majorum; patria jura, utque ſata peto. Eum ſtatum religionum aſſero, atque defendo, qui diu Reip. profuit. Dii patrii, Dii indigetibus pacem; fatales genios, & eos cultus, quibus dudum in Romanas leges orbis imperium ceſſit; patrocinium urbis, & unicum triumphis numen, Victorium. Sacra illa, qua Gallos à Capitolio, Annibalem à mœnibus, & nuper Marcomannos a cervicibus noſtris repulerunt, deſidero: ſi longa ætas auctoritatem rebus facit, ſervemus tot ſæculis fidem; ſequamur parentes noſtros, qui ſecuti ſunt feliciter ſuos.* Tum recentium Cæſarum exemplo excuſato, oſtendit bonorum Principum ſiſcum non debere damnis ſacerdotum creſcere; ſed ſpoliis hoſtium: abeſſeque oportere à puritate ærarii profana compendia. *Quid frandamus igitur hoc veluti ſtipendio caſtitatis dicatam publicæ ſaluti virginitatem? quæ cæleſtia præſidia imperio, numinum virtutes armis noſtris, Cæſaribuſque ipſis applicat, & efficacia vota pro omnibus ſuſcipit.*

Jam vi Orationis ejus audientium animi nutabant: ſed continuo adfuit Ambroſius, qui per internuncium monitus, qua de re ſermonem habe-

* *Sub his acta eſt nobilis cauſa Aræ Victoriæ*, &c.] Quæ de Theodoſii pœnitentia ab Ambroſio impetrata narrata ſunt, ſatis conſtat ex Baronio & Gordono accidiſſe anno 390. quare non ſatis congruit temporum rationi, quod ait Auctor, ſub his actam eſſe cauſam Aræ Victoriæ à Symmacho apud Valentinianum Mediolani. Ambroſio contradicente. Nam ex libello ejuſdem Symmachi ad Valentinianum dato, titulo, *Relationis Symmachi Urbis Præfecti*, planum eſt, legationem hanc à Symmacho ſu ceptam anno Præfecturæ ejuſdem, cauſamque Victoriæ utroque nomine Præfecti ac Legati roboratam. Sic enim loquitur: *Ut Præfectus veſtor geſta publica profeqnor; & ut Legatus Civium mandata commendo.* Præfecturam autem urbanam geſſit Symmachus Conſulibus Richomere & Clearcho, anno Chriſti 384. ut Imperatoris reſcripta ad ipſum eodem anno data teſtantur *L. 44. de Appellat. Cod Theodoſ.* & approbant Gordonus & Baronius, qui etiam obſervat Symmachum uſum eſſe occaſione oblata Gratiani fratris Valentiniani, & Maximi tyrannidem exercentis: cum Valentinianus puer timorem exagitatus, omnes timent, exemplo fratris edoctus, qui miſeres expertus fuerat prædatores, nihil non conceſſurus eſſet magiſtratibus. Gratianus autem anno præcedente 383. occiſus fuerat. Et Maximus anno 388 duobus ſcilicet annis antequam Theodoſius aditu tem; ſi ab Ambroſio prohiberetur. Denique S. Auguſtinus *Confeſſion.* lib. v. cap XIII. ſcribit ſe à Symmacho Urbis Præfecto Mediolanum eſſe miſſum: at miſſus eſt anno 384. eodem igitur anno acta eſt à Symmacho cauſa Aræ Victoriæ; fex videlicet annis ante Theodoſii pœnitentiam.

ret Symmachus, advolavit, atque ut potuit, ex tempore, ita contradixit: *Si de re militari conſuleretur, pater, ut exercitati in prælio viri ſententia exſpectaretur: ſi civilis cauſa eſſet, ut diverſa parti reſponſio ſervaretur. Hic tranſactus religionis eſt: quare Epiſcopus conveniat.* Tum calore dicendi longius provectus, demonſtrat, non convenire Chriſtiano Principi illicenorum deorum curam habere, eorumve ſacerdotibus commoda ulla conferre. Sacram fidem tutam non eſſe, ubi minus integre Chriſtus colitur, & alienis cæremoniis quis favet: nec in verbo vim eſſe, ut appellaretur reſtitutio potius, quam nova collatio, ſi quid eis detur ex iis, quæ dudum confiſcata fuerint: *Aut quo jure, quo vultu audent poſtulare privilegia Veſtales, cum ſacra Deo virgines nulla adhuc emolumenta habeant: & ii ipſi, qui pauci admodum totius ſenatus nomen mentiri audent, numquam Chriſtianorum rebus, non ſanguini pepercerint, & quantiſcumque potuerunt, incommodis afficerint, ac ipſum loquendi uſum, omnibus aliquin communem, Juliani lege interdicti curaverint? Jam exardeſcebat, & ad divinas interminationes vocabatur: &, ſi, inquit, aliter ſtatueritis, haud æquo animo feremus Epiſcopi: neque proderit minorem ætate allegare Cæſarem, quando omnis ætas integra Chriſto eſt: & quidquid Cæſaris manu ſubſcribitur, id ejus mera & voluntate factum cenſetur. Itaque ſi hoc annuerit Cæſar, & mox ad Eccleſiam venerit, vel illic non inveniet ſacerdotes, vel inveniet reſiſtentes.*

His auditis confirmati omnium animi ſunt, & ſine ambiguitate data Symmacho ſecundâ repulſa eſt, ſicque Oratione Ambroſii Veſtales ſublatæ, & æterni illi ignes in perpetuum extincti ſunt. Cæterum ex præfatione Symmachi coram tribus Cæſaribus agi res videtur, ingentique is voce appellat Imperatores dominos, inclytos, victores, Auguſtos, triumphatores, Valentinianum, & Theodoſium, & Arcadium. Paulinus vero abſentem Theodoſium facit. Ambroſius quoque cum interdum plures, ſæpius, & in noviſſima Orationis ſuæ parte, unicum Valentinianum nuncupat; ſimulque ſuadet, ut hanc rem ad Theodoſium Principem, & parentem referat. Forte, ut oratorum mos eſt, ad promerendam unam omnium gratiam, abſentium etiam nomina invexerunt.

Septimo inde anno Valentinianus in Galliam tranſit. Circa Lugdunum proditus ab Arbogaſte & Eugenio præfectis Viennæ ſuffocatur. Cujus peracerbum caſum deflens Ambroſius, eo in primis nomine dolet, quod vocatus ad eum baptizandum pervenire non potuerit: properanti enim ſibi nuncius mortis in jugis Alpium occurrit. De eo autem ſcribens ad Theodoſium, admonet pulcherrimum labrum porphyreticum adeſſe, quo Regio more, & quemadmodum olim Maximianus fuit, ſepeliri poſſit. Mox Valentiniani interfectores occupato Galliarum imperio, in Italiam tranſivere, Mediolanoque, & Circumpadana omni potiuntur, non ſine gravi populorum clade, ac ruina civitatum. Iidem pariter aram Victoriæ reſtituerunt, & ſumptus cæremoniarum conceſſerunt. Quarum rerum cauſa Ambroſius Mediolano ſecedit, Bononiam, & inde Faventiam profectus, invitatur à Florentinis, ut ad ſe veniat. Ita adſcendit in Hetruriam, ſecumque attulit è Bononia Florentiam oſſa Vitalis & Agricolæ Martyrum. Tum Panſophium Decentii hoſpitis ſui filium malo ſpiritu laborantem liberavit, & ſubitaneo morbo gravatum, exanimatumque vitæ reſtituit.

Jam Theodoſius nefandiſſimi ſceleris admonitus, & parricidarum audacia cognita, validiſſimum in Græcia paraverat exercitum: eoque terra, marique præmiſſo in Italiam iterum contendit, atque Aquilejæ, fatali victoriis ſuis urbe, occurrentes Arbogaſtem & Eugenium opprimit, & capitali ſupplicio afficit. Inde Mediolanum ad componendum rerum ſtatum acceſſit. Eodem reverſus Ambroſius rem feliciter geſtam gratulatur. Quanta vero malorum eo tempore acceptorum magnitudo fuerit, haud quidem alibi uberius, diſtinctiuſve, quam ex *Conſolatoria* ejuſdem ad Fauſtinum de obitu ſororis ejus collegi: Nempe *de Bononienſi urbe veniens, à tergo Claternam, ipſam Bononiam, Mutinam, Regium relinquebamus. In dextra erat Brixellum: à fronte Placentia, ipſo adhuc nomine veterem nobilitatem ſonans: ad lævam Apennini inculta, & florentiſſimorum quondam populorum caſtella diruta, & in perpetuum proſtrata jacent.* Addit Hieronymus Vercellas, quæ potens olim civitas, ſuo tempore ſemiruta erat.

Compoſitis aliis una ſupererat gravis cauſſa Arianæ hæreſeos cognoſcenda: novum Concilium Mediolani habetur. Inter cæteros ſacerdotes Chromatius & Heliodorus viri clariſſimi ſe affuiſſe ſcribunt. Interim Theodoſius non vulgaribus laudibus extulit Gregorium Cordubenſem Epiſcopum, qui vir eruditiſſimus ſingulari quadam diligentia cum plurium Martyrum extremos dies in libellum collegiſſet (quo veluti certo quodam ordine uniuſcujuſque memoria quotannis coleretur, & ſe admodum id probare Imperator oſtendit) ſimul exhortatus univerſos eſt, ut & ipſi pro virili explorare ſtuderent, ſi qui alii ſupereſſent digni, quibus divini honores tribuerentur, & eodem libro adnotarent: ſcriptumque nominatim ad Divum Hieronymum fuit, ut quos ex *Chronicis* Euſebii, aut varia aliorum lectione haberet, tranſmitteret. Ita compoſitus libellus eſt, quo conſcriptum habemus, quoto cuique die honor habendus ſit.

Triennio abhinc elapſo in valetudinem adverſam Theodoſius incidit; vitæque metuens, poſteritati conſulit. Duos ex Placilla Hiſpana prima conjuge liberos jam ſuſceperat, Arcadium, & Honorium, qui cum forte ambo in Græcia educarentur, minorem Italiæ Principem daturus Mediolanum evocavit; alterum Conſtantinopoli imperare juſſit: adventum Honorii pulcherrimo Panegyrico † Claudianus celebrat:

Speciando ſtudio matres, patriſque ſeveri
Certavere ſenes, cum tu genitoris amico
Exceptus gremio mediam veherere per urbem;
Velaretque pios communis laurea currus.

Ex hujus lætitiæ affectu levatus modicum ægritudine pater, in Circum etiam cum filio deſcendit, ludoſque magnificos parari in pomeridianam horam juſſit: quibus mox gravatus cum ipſe non poſſet, intereſſe Honorium voluit; nec in alteram lucem poſtea ſupervixit. Defunctus inſigni anno Conſulatu duorum, quod numquam ante contigit, fratrum Olybrii & Probini, ætatis ſexageſimo, Imperii decimo ſexto, Olympiadis vero ducentiſſimæ nonageſimæ quartæ primo: qui ab ortu Chriſti Dei * nonageſimus ſeptimus ſupra tercentum computatur. Ejus funus quadrageſimo die, aſſiſtente altaribus Honorio, eleganti Oratione celebravit Ambroſius: tum cadaver Conſtantinopolim delatum.

A. C. 390.

A. C. 397.

† *De III. Conſ. Honorii, p. 127. & ſeqq.*

* *Nonageſimus ſeptimus ſupra tercentum*, &c.] Theodoſii obitum in Conſulatum duorum fratrum Olybrii & Probini incidiſſe fatis eſt exploratum. De anno Chriſti difficultas eſt. Nam Baronius dictum Conſulatum, obitumque Theodoſii cum anno Chriſti 397. conjungit, non 397. citatque pro ſe Proſp. & Marcell. in *Chron.* & Socratem *lib. 5. cap.* XXV. Conſentit Baronio Gordonus. In Olympiadibus quoque recenſendis uno anno peccatum eſſe arbitror. Nam eſto, natus foerit Chriſtus Olympiadis CCXCIV. anno 3. quæ eſt ſententia Epiphanii & aliorum, quos ſequuntur Sabianus & Gordonus; ſi huic numero 396. annos adjicias (nam primus annus Chriſti cum tertio dicto Olympiadis convenire debet) qui XCIX. Olympiadas conficiunt, pervenitur ad Olympiadis CCCXCIX. annum 3.

Cæte-

Cæterum quoniam in nullo ante propoſito occurrit, hic ſubjiciam, quod Ambroſius ad teſtandam morum ejus integritatem, ſolidamque opinionem ſcribit in *Epiſtola ad Paternum*: Theodoſii decretum fuiſſe, ne fratres patrueles, & conſobrini conjugia inter ſe miſceant; graviſſima pœna indicta, ſi quis tantam neceſſitudinem, & pia fratrum pignora temerare audeat; quod quidem poſteris traditum, ac inter jura mortalium receptum religioſe obſervatur, & interdum pro commodo rerum, & temporum conditione Romanus Pontifex magnos inter Reges, Principeſque diſpenſat. Superavit in hoc Nervam Coccejum Theodoſius; qui tantum prohibuit ne fratris filiam uxorem quis duceret.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER III.

EPITOME.

Stilico ex Scytharum, vel Vandalorum gente humili loco natus; ſed ob militarem virtutem ſummo à Theodoſio habitus, Serenam ex fratris ſtirpe ab ipſo adoptatam in matrimonium accepit, una cum Orientalis & Occidentalis militiæ magiſterio, utriuſque Imperii procuratione, juniorumque Cæſarum Arcadis & Honorii tutela. Ambroſius migrat è vita, cui Simplicianus ſubrogatur, vir adeo ſanctus, ut ſtatim ab obitu in beatorum numerum à populo relatus ſit. Poſt Simplicianum Venerius, Marolus, Maximianus, Cliccrius ex ordine Mediolanenſi Eccleſia proſuere. Stilico filiam Mariam Honorio matrimonio jungit Mediolani: unde mox in Græciam movet adverſus Ruffinum ſua gloria ac potentia æmulatione Imperium perturbantem, eumque ſuorum proditione facile victum pari crudelitate atque ignominia necat. Mediolanum ad Honorium reverſus in Gildonem in Africa rebellantem immiſſus, brevi opprimit. Subinde Gruthungi tranſmiſſo Danubio Romanas Provincias populantes interneccione delet. Non multo poſt Gothi Radagaiſo, & Alarico Ducibus, reliqua eis Danubium Romana ditione occupata, Italia ſe inferunt. Per Apulos, Calabroſque in Campaniam effuſi, Roma, quam Itali proceres tuebantur, præterita, Radagaiſus Hetruriam invadit: Florentiam diu obſidet; ſed Ambroſio per ſomnium deditionem diſſuadente, & poſtera die victoriam civibus pollicente, eorundem eruptione victus, captuſque occiditur. Alaricus ad Pollentiam cum Stilicone congreſſus, poſt ingentem utrinque cædem patratam, in Veronenſium agrum evadit incolumis. Sed quod fidem pacis ac fœderis datam non præſtitit, prope Abduam altero prælio debellatur. Ab hac victoria Honorius cum Stilicone, ejuſque filio Eucherio Romam immigrat prope triumphans. Serena vero Mediolani ædem S. Nazario ſacram marmore ſternendam curat, illuſtris victoria anathema. Poſt hæc Alanis, Gothis, Vandalis, aliiſque Barbaris alias Europa, Africaque Provincias populantibus, Stilico cum Eucherio filio ab exercitu annuente Honorio trucidatur; quod tandem ad ſua gentis perfidiam relapſus, ut imperia continuandi occaſionem haberet, elabi Alaricum, Barbaroſque graſſari paſſus eſſet. Sed ejus tamen morte Romanum labare cœpit Imperium; fidemque facere Vellio Mathematici divinationi, qui ſub id tempus, duodecimo ſeculi ſeculo, caſurum, ex duodecim vulturibus, qui Romulo Urbem auſpicanti viſi fuerant, conjecit. Honorius tertio poſt S. Hieronymum anno vita excedens Imperium legat ſororis filio Valentiniano tertio hujus nominis Imperatori. Hic Ardaburii operâ primum Caſtinum Conſulem ex Ulteriore Gallia capeſſentem Imperium ad Vercellas profligat: deinde Hunnos, aloſque Barbaros Italia ſubmovet, Vandalis pace conciliatis: poſtremo Conſtantinopolim profectus, à Theodoſio ſuocre, qui poſt Arcadium Orienti imperabat, Endoxiam patruelis Theodoſii filiam accipit uxorem. Hoc Italia imperante, ſub obitum Theodoſii, Marcianique ſucceſſoris principium, Attila Hunnorum Rex ingenti cum exercitu Barbarorum primo Germaniam, tum Galliæ flagellat immaniſſime; ſed Actio Valentiniani Duce, ac Theodorico Viſigothorum Rege conſpirantibus, ingenti clade accepta in Pannoniam ſe recipit: ubi reparatis viribus in Italiam ſigna novet moveſta: & Aquilejam, Patavium, Veronam eadibus, incendiſque funeſtat. Nihilo mitior Mediolanum ingreditur: ubi conſpicatus in pariete pictos ſua originis Scythas captivos ad Romanorum Imperatorum pedes abjectos, accerſito pictore, commutare fortunas juſſit, Romanis ad ſuos pedes faccos pane, auroque exonerantibus. Romam deinde contendenti ad Minci, Padique confluxum à S. Leone Papa perſuaſum eſt, uti retro ſigna converteret. Attila excedente, parta Italiæ pax eſt: qua frui Valentiniano non licuit; ſuorum enim proditione interemptus eſt, Romano Imperio vix ſuperſtite. Avitus enim ſuſceptum in Gallia Imperium vix Placentiam uſque detulit: Majorianus avitum rapacium ad aucupium inſtitutor, Ravennæ Cæſar ſalutatus, quadriennio poſt ad Servium obtruncatus eſt: Anthemius Leonis Orientis Imperatoris Dux, & mox Occidentis Imperator à Ricimere Inſubria Præfecto, eodemque genero, non multo poſt bello victus occiditur: Auguſtulus in ſcena morem impoſitam ab Oreſte patre Imperatoriam perſonam, metu Odoacri ſtatim deponit. Odoacer enim cum Erulorum exercitu Italiam ingreſſus, oraque Caſpadana potitus, Oreſtem prope Laudem Pompejam acie victum Ticinum concludit; captum mulctat capite; urbem incendiis funditus vaſtat. Roma deinde univerſaque Italia patritus adverſariorum publicat bona: ſed cum Theodoricus ab Orientis Imperatore Zenone in Italiam miſſus, multis cladibus affectum Romæ, Mediolano, omnique Circumpadana ora exuit: Ravennæ diu ſe tuentem ad regni ſocietatem admittit; tandemque perfidia ſuſpectum interimit; ac Anaſtaſio Zenonis ſucceſſore volente, jubenteque in Italia ſolus regnat. Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum ad Gundebadum Burgundionum Regem legat, qui captivos ex Subalpino agro tranſductos redimat, eventu felicissimo. Mediolanenſem Eccleſiam fovet; Theatralibus muneribus, ædificiisque priſcorum Imperatorum magnificentiam æquat: inter diſſidentes circa ſe Principes omnes fœderibus, præcipuos affinitatibus ſibi conjunctos pacem conſtituit: ſed Eutharicum generum, regnique hæredem adſciſcit. Severino Boetii ac Symmachi

nece iniquiſſima numinis in ſo iras, moriethque eodem anno promeretur: poſt quem Athalaricus ex filia nepos ſub matris tutela regnat annos circiter decem: ſubinde Theodatus: cum Romanorum Imperio conſuetudo quoque temporum ab urbe condita cenſenderum intercidit, & chronologia a Chriſto nato deduci cœpta eſt. IVSTINIANVS *interim Conſtantinopoli Imperium nactus, Beliſarium cum exercitu in Italiam mittit: hoc Siciliam, Lucaniam, Calabros, Apuloſque, denique Neapolim obtinente, Vitigis Theudato a Gothis ſuffecto centum circiter pugnatorum millibus ex eadem gente Ravennam contractis, Romam a Beliſario expugnatam obſidet: ſed Arimino ab ejuſdem Ducibus capto, obſidione digreditur: qua occaſione Mediolanum miſſa ſunt auxilia, Mundila & Fidele ejus urbis civo Ducibus, qua Datius Epiſcopus Romam ad id munus legatus petierat: illi ad Ticinum commiſſo cum Gothis prælio, vos in urbem compellunt, Mediolanumque profecti propugnas urbes obtinent deditione: ſed Vitigis Francis advocatis, Praja Duce Mundilam Mediolano ineluſum ſame ad deditionem urbis compellit, quam mox Gothi cade & incendiis multant. Beliſarius interim Vitigem Ravenna expugnatum cum regiis theſauris Conſtantinopolim in triumphum trahit: reliqui Gothi circa Padum Caſtrum novum edificant, & Beliſario Italia digreſſo, ſub Idovaldo, Vitali ſuſtituti Duce acie victo, repetunt regnum, quod Totila poſt Idovaldum defertur. qui numeroſo exercitu per Italiam effuſus, Roma potitur, quamdiu Narſes Italia Præfectus eum cum exercitu, Thejamque illi ſuffectum trucidat, & Gothos Italia tota ſubmovet. Juſtiniani Ducibus arma tractantibus, ipſe Leges & Conſultorum reſponſa pacis præſidia in juris Civilis corpus conformat. Pandectarum archetypa Florentiæ magno in honore habentur.*

SVB Theodoſio claruerunt duo obſcuræ originis viri, ſummaſque ad opes provecti ſunt, Ruffinus ex ultimis Galliarum finibus ortus, in quem acerrimæ Claudiani invectivæ exſtant: hic curæ Arcadii datus; & Stilico vir genere Scytha, ut Suidas Græcus auctor eſt: nam Paulus Diaconus detrahendo ei, è Vandalorum perfida gente oriundum ſcribit. Hujus adeo excellens virtus, & militaris induſtria viſa Theodoſio eſt, ut ſupremam in eo ſpem collocare potuerit, atque ſua conſanguinitate dignum facere: quippe Serenam ex Honorio fratre neptem, & adoptione filiam illi matrimonio locavit, & noviſſime * Honorio filio curatorem, rerumque ejus arbitrum conſtituit. Is autem ſuſcepta rerum adminiſtratione, ante omnia habendum in honore Principem duxit. Itaque tertium deferri Conſulatum Honorio adoleſcenti curavit; ſimul venationem ejus nomine in theatro Mediolani exhibet: cui ſpectaculo dum intenta multitudo eſſet, emiſſi ſunt milites, qui Creſconium virum multis latrociniis infamem comprehenderent. Is autem in ædes ſacras confugerat, atque inter aras & ſacerdotum amplexus detinebatur: ſed fecerunt imperata milites abſque loci reverentia: vique abſtractum in carcerem perducunt. Tulit iniquiſſime factum Ambroſius: plurimumque indoluit, tali modo jus Eccleſiæ violari: proinde querelam Stiliconi deferendam parat: ſed dum ſcribit, audit ſe præventum ultione divina: quia pardi ad aliarum ferarum certamen emiſſi, ſtatim raptores in theatrum reverſos, quaſi cognoverint, ſolos crebris morſibus appetitos in tanta turba dilaniaverunt: quo miraculo exterritus Stilico, juſſo ſtatim Creſconio relaxari, Eccleſiæ ſatisfecit.

Non ita multo poſt Friſtigil Regina Marcomannorum domo profecta, ea tantum cauſſa, ut præſentem alloqueretur Ambroſium, quem literis & multorum fama cognoverat, eo forte momento Mediolanum pedem intulit, quo Deo & naturæ facerdos ſatisfecit, anno videlicet tertio, ex quo ex humanis Theodoſius exceſſit. Hic eſt Ambroſius Chriſtiani nominis conſtantiſſimus cultor, acerrimus propugnator, &, ut Ruffinus dixit, non ſolum Eccleſiæ Mediolanenſis, ſed etiam omnium aliarum columna quædam, & turris inexpugnabilis. Qui in conſpectu perſecutorum Regum non expavit veram tueri religionem: cujus nomen, ut tutelaris Deus, Cathedrali æde apud Mediolanenſes colitur; quos & ipſe vivens unice dilexit: nam in funere Satyri fratris, poſteaquam infinitorum hominum lacrymas, publicumque luctum vidit, ſe ipſum conſolans, gaudet cœpiſſe ſe jam non eſſe peregrinum in ea urbe, in qua melior ſui portio eſſet: & hunc tumulum gratiorem ſibi genitali ſolo eſſe dicit, in quo non naturæ, ſed gratiæ ſuæ fructus foret. Nec video, quid in eo deſideraret Hieronymus, cum ſcripſit, *ſe ſuum de eo adhuc vivente ſubtrahere judicium, ne in alteramtram partem reprehenderetur in ſe, aut adulatio, aut veritas.* Nam ſi ad libros *Hexaemeron* reſpicit, quos ex Baſilio, & ad *Commentationes Evangeliorum*, quas ex Didymo, aliiſque Græcis tranſtuliſſe videtur, ſatis ei occurrit Ruffinus, neceſſitatem allegans excerpendi undecunque opportuna, & accelerandi editionem, ut inſanientibus hæreticis in tempore reſponderet; neque pro eo labore hanc continuo gratiam meruiſſe ſubjungit, ut furta ejus detegerentur; magnorum quoque virorum exempla eum tuentur: quando obſcura non ſunt, quæ Plato ab Ægyptiis, à Platone Cicero, atque ab Ariſtotele, Xenophonteque mutuati ſint, atque alii ab aliis; ſed & arbitrari licet, eundem poſtea verbi illius pœnituiſſe, & alio loco ſatisfacere illi voluiſſe: nam de virginitate ſcribens, *Lege*, inquit, *libros Ambroſii noſtri, qui nuper ſcripſit ad ſororem opuſcula, in quibus tanto ſe effudit eloquio, ut quicquid ad laudes Virginum pertinet, exquiſierit, expreſſerit, ornarit.*

Ejuſdem vero templum, cum pluſculis antiqui operis rebus ornetur, quatuor in primis columnæ porphyreticæ ſpectantur; & magna pars *Antiquitatum* Joſephi Judæi in antiqua papyro ſcripta; qualem ex junco, palmave confici ſolere Plinius docet. Sunt & divæ effigies, una marmorea viſendæ pulcritudinis; ambiguntque literati homines, utrum Herculem, an Pana repræſentet: quoniam leonem cauda in ſublime tenens, altera manu minax verberaturus baculo incurvo videtur, & pellis caprina ab humeris demiſſa nudi hominis pudenda brevi nodo

* *Honoro filio curatorem*, &c.] Advertendum eſt ex Baronio in principio quinti Tomi, Theodoſium Conſtantinopoli decedentem adverſus Eugenium, tum Arcadium, tum totum ipſum Orientale Imperium Ruffino commendaſſe: ut propterea, ſi ejus temporis ratio habeatur, merito dicat Auctor, Stiliconem ſolius Honorii, ac Occidentalis Imperii curatorem conſtitutum fuiſſe. Verumtamen inſtante morte utrumque filium, & Imperium in unius Stiliconis clientelo eſſe juſſiſſe; in cujus etiam potestate uterque erat exercitus, cujus rei idem Baronius multiplicem reddit causam: tum quia Stiliconis fides Theodoſio in multis cognita, planeque perpetua jam fuerat: tum quia arctius filium ſibi abſtrinxerat juncta illi conjugio Serena: tum quia ſciebat, illum eſſe pium, atque idolorum cultus implacabilem adverſarium: ut propterea ipſo Imperium adminiſtrante, verendum non eſſet, ne Ethnici Senatores, qui duos jam Tyrannos Maximum & Eugenium ad Imperium evexerant, Gratiano & Valentiniano proxime pio Imperio ac vita pulſis, ſimile aliquod facinus adverſus Arcadium & Honorium molirentur. Quapropter Ruffinus Stiliconis gloria & potentia ſtimulatus cum Gothis adverſus Imperium conſpiravit: id quod ceciſit Claudianus *adverſus Ruffinum* principia *lib* II. his verſibus.

Jamque tuis Stilico Romana potentia curis,
Et rerum commiſſus apex. tibi credita fratrum
Utraque majeſtas, geminique exercitus unus, &c.

nodo tegit. Alterum ſignum marmoreæ columnæ ſuperſtat ex ære ſerpens, arrecto capite, hianti ore, & vibranti lingua, cauda in ventos ſinuoſa, media vero corporis longitudine penitus in orbem coovoluta: cujus auctorem equidem adhuc non probo; neque admitto fabulas, quæ vulgo circumferuntur; quibuſdam dicentibus allatum Conſtantinopoli ab Arnulpho Mediolanenſi Archiepiſcopo, delectum, optione facta, ex omni Imperatoris Gaza; & ejus vice annulum cum pergrandi gemma ab eo depoſitum: vanitatis enim argumentum cenſui, quod alter Arnulphus Archiepiſcopi gentilis, & rerum diligens ſcriptor, nullam omnino mentionem de eo facit. Aſii aſſeruot relatum ab Othone Vicecomite ex ſpoliis Saraceni Equitis, apud Hieroſolymam ſingulari certamine devicti: quod etiam Merula laudibus magis Vicecomitum indulgens, quam hiſtoriæ veritatem attendens, admiſit, ac verba cumulando, eoſdemque ſcoſus repetendo ſuadere nititur: Blondus vero in *Triumphantu Roma* libris minime dubitanter adſtruit, Phœnices ſelicem dæmona ſerpentem appellare, & ei velut diviniſſimo animali, ſicuti cæteris Diis immolare ſolitos. Divumque Ambroſium, ut gratiorem hominibus Chriſti religionem redderet, voluiſſe in ſua Mediolanenſi Eccleſia conſervari ſerpentem, qualis à gentilibus Italis Phœnices imitantibus coleretur. Id quod potuiſſem quidem conniventibus oculis pertranſire, ac ſinere, ut ex illius fide ac periculo legeretur; niſi potior veri cupiditas, unde ſaltem id de Ambroſio ſumptum ſit, deſiderare me cogeret. Noſtri ſacerdotes, & à ſacerdotum ſtudiis non alieni cives, æquum cenſent, credi ex Hebraica ſimilitudine poſitum. Notum eſt, ut in populum Judaicum immiſſi igniti ſerpentes eum atrociter affixere; & ut divino monitu Moſes æneum ſerpentem conflavit, atque ſpectandum erexit, cujus intuitu percuſſi fatali morbo ſanabantur: ſic hunc oppoſitum imagini Chriſti, quæ in adverſa columoa religioſius adoratur: & ex veteri conſuetudine Paſchalibus diebus nutriculæ ad eum ſpectandum infantes deferunt. Mihi vero priſca rimanti, &, quando conjecturis agitur, in omnem partem animum intendenti occurrit non infrequens, & religioſa, ac magni ſemper auſpicii plena de ſerpentibus mentio. Atque ut à fabuloſis incipiamus, notum eſt [1],

——— *ut prima moverea*
Monſtra manu, geminoſque infans eliſerit angues.

Et cum equus Trojanus in urbem veheretur [2],

——— *gemini à Tenedo,*

tranſiniſſi dracones
Laocoonta petunt.

Ad ſepulchrum Anchiſæ [3],

——— *lubricus anguis*
Septem ingens gyros ſeptena volumina traxit.

Et in ipſo belli Trojani principio,

——— *Danas videre draconem*

ſerpere
In platanum, capitis quæ ſtabat proxima ſacris:

à quo octo pullis aquilinis in nido, & matre circumvolante abſumptis, Calchas augur dixit, *gaudete, Pelaſgi: vincemus, Trojaque nono demum cadet anno.* Ex hiſtoria vero Romana habemus, quod cum civitas gravi peſtilentia continuo triennio laboraſſet, conſultis libris Sibyllinis, juſſi ſint Romani Æſculapium ab Epidauro, quæ Dalmatiæ civitas jam multis ſeculis mutato nomine Raguſia dicitur, advehere. Miſſi eo legati, & benigne auditi, divinam opem quæſivere in templo, quod ab ea urbe diſtabat quinque millibus paſſuum. Tunc in lucem prodit ſerpens, raro alias, ſed numquam ſine magno Epidauriorumbono, vilus; & triduo per celeberrimas partes urbis, mitibus oculis, & leni tractu ſpectandum ſe præbuit: dehinc legatorum navem ſponte adſcendit, & in cubiculo primarii innoxius ſeſe locavit. Tum eis mare deportatus, Antii primum, poſtea in inſulam Tiberis egreſſus, ibi manſit. Et quia numen in eo eſſe credebatur, conſtituta ibi ædes eſt Æſculapio, & ſtatim ſalus populo ſubſecuta eſt. Tiberio Graccho in Lucania ſacrificanti, duo angues ex occulto prolapſi repente adeſo jecore hoſtiæ, quæ immolabatur, eaidem in latebras refugerunt; & iterum ac tertio inſtaurato ſacrificio idem fecerunt; quod Aruſpices ad ipſius Imperatoris ſalutem pertinere dixerunt. Annibali vero bellum maximum adverſus Romanos animo agitanti, viſa eſt per ſomnum ſpecies ſerpentis immenſæ magnitudinis, qui concitato impetu omnia proterens, vaſtitatem Italiæ ſignificavit. L. Syllæ, qui primus Romæ Dictator perpetuus fuit, apud Nolam ſacrificanti, prolapſus anguis ab una parte aræ, Samnitici belli victoriam, quod ei amphillimæ fortunæ fundamentum, & gradus fuit, portendit. Pariter Spartaco illi, quem ſervilis belli ductorem M. Craſſus debellavit, cum ſervus venditus Romæ adhuc eſſet, dormienti ſub capite draco in ſpiram complicatus apparuit; quod vaticinandi peritia mulier ſignum eſſe dixit magnæ cujuſdam & formidabilis futuræ potentiæ. Et Severo Afro, qui apud Romanos imperavit, cum adoleſcens adhuc & privatus Romam veniſſet, dormienti in ſtabulo ſerpens caput cinxit; & expergefactis atque acclamantibus famulis ſine noxa abiit: idque inter ſigna futuræ ejus amplitudinis numeratum. Quale prodigium recentioribus etiam temporibus contigit Actio Vicecomiti juveni multis aliis victoriis inclyto, prout ſuo loco docebimus. Olympias autem, Magni Alexandri mater, qua nocte cum concepit, viſa eſt per quietem cum ingenti ſerpente volutari. Item Pomponiæ matri P. Scipionis Africani, poſt diuturnam ſterilitatem, obſervatum in cubiculo ſimile animal fœcunditatis, & clariſſimæ futuræ ſobolis auſpicium attulit. Sicut & Actiæ matri Cæſaris Auguſti, quæ cum Sacra Apollinis media nocte celebraret, cum cæteris matronis obdormivit, dracoque ad eam repente irrepſit, & paulo poſt egreſſus eſt: illa expergefacta, quaſi à concubitu mariti ſe purificavit, ſtatimque corpori ejus adhæſit macula, velut picti draconis; quæ nunquam potuit eximi: adeo ut matrona poſtea publicis balneis perpetuo abſtinuerit. In cubiculo quoque Agrippinæ matris Neronis Cæſaris viſa anguis eſt, & circa ejus cervicalia deprehenſæ ſunt ſerpentis exuviæ, quas aureæ armillæ incluſas Nero dextro brachio aliquandiu geſtavit.

His ſic expoſitis obſervo verbum apud Trebellium Pollionem in *Vita Galieni*, qui ponit dracones pro ſignis collegiorum in civitate Romana fuiſſe: quod in memoriam fortaſſe alicujus ex memoratis miraculis inſtitutum fuiſſe haud negaverim: nam in caſtris quoque primum poſt aquilas obtinuere locum, indeque Draconarii ſignifieri crebro nominantur apud Ammianum Marcellinum, Sidonium Apollinarem, & Flavium Vegetium rerum militarium ſcriptorem. Nam ſicuti C. Marius quatuor alia priſcorum ſigna antiquavit, in totumque caſtris, ut Plinius meminit, abdicavit, Lupos, Minotauros, Equos, & Apros, retenta ſola Aquila; potuit & aliquis Cæſar viperæ ſignum, qua ſalutari uſus ſit auſpicio, tollere. Nec ſane ejus effigiem expreſſius referre in tabulis pictores mihi videntur, ſi colorem demas, qui tunc purpureus erat, quam carmine fecerit Claudianus *,

1 Et Virgilio, *Æneid.* VIII. 9. 288.
2 Idem *Æneid.* II. 9. 203.
3 Apud eundem, *Æneid.* V. 9. 84.

sus *, apud quem Honorio Cæsare urbem Romam introeunte, cum populi multitudo equitum turmas, pedituinoque ordines, & reliquam pompam cum admiratione spectaret, simplex, ignaraque rerum virguncula,

Nutricem consultat anum, quid fixa draconum
Ora volent; ventis fluitent, an vera minentur
Sibila, suspensum rapturi faucibus hostem.

Et alibi †:

Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla levant; multumque tumens per nubila serpens
Iratas stimulante Noto, vivuique receptis
Flaminibus, & vario mentitur fibila tractu.

Et alio loco ‖:

Mansuescunt variis vento cessante dracones.

Dracuntius quoque Vandalorum temporibus non incultus versificator, cujus opus, quamvis alius sibi gloriam arroget, nos tamen ex Bobiensi penetrali retulimus, & ex barbaricis characteribus in consuetas transcribendum formas dedimus, sic scripsit;

Serenus in ventos gemmato lumine serpens
Tenditur, & ruilas vibrat per lumina cristas.

Eorum vero uterque, & item Sidonius Apollinaris in *Panegyricis* æmulatus videtur Ammiani Marcellini verba, qui ante sic dixerat: *Dracones hastarum aureis, gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto perflabiles, & ideo velut ira percitæ sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.*

Ex his arbitrari ego vellem à clarissimo aliquo Principe, post vel miraculum, vel victoriam quampiam (ut olim Romæ Capitolio servato, anser ex argento positus est) hunc ex ære factum, atque in primario urbis templo locatum: cujus postea imaginem usurpaverint ii, qui sub Ambrosii nomine populi favorem aucupabantur; ac denium in Viccomitum gente peculiariter manserit, quæ & miraculum susceperit, & diutius in hac urbe regnaverit. Ejusdem Ambrosii instituto, vel potius peculiari cuidam indulgentiæ in plebem Mediolanensem attribuuur, quod nos quinque diebus breviorem quam cæteræ nationes antepaschalem agamus abstinentiam, cui ex dierum numero Quadragesimæ nomen inolevit: sed opinor, non tam Ambrosius, divini alioquin cultus custos observantissimus, aut quisquam alius nostræ Ecclesiæ Præses quidquam ex religione vetere imminuit; quam in aliis Catholicæ Ecclesiæ Provinciis Summorum Pontificum decreto aliquid adjectum est ad eum dierum numerum, qui passim quidem, sed cum magna varietate observabatur. Quanquam enim (ut Hieronymus *ad Marcellum* adversus Montanum, & Leo in *Orationibus* per id tempus ad populum Romanum habitis scribunt, habeturque *Can. Apost.* LXVIII.) quadragenarium ejusmodi jejunium ab JESU CHRISTI Apostolis constitutum, universæque Ecclesiæ injunctum sit, & vero etiam cultum quam constantissime; non una tamen ubique ab omnibus mita ratio est ejus abstinentiæ præstandæ, ‡ ut probati Scriptores tradidere. Retinuerunt quidem omnes spatium quadraginta dierum, quod frequens in veteri Scriptura, novissime Dominus ipse JESUS bis facto suo consecrasset: primo continuo totidem dierum noctiumque jejunio; deinde cum à mortuis resurrexit, quousque in cælum adscendit. Nam Moses quoque cum divinas leges acciperet, & Elias Thesbites, cum in montem Oreb proficisceretur, quadraginta dies jejunarunt; & superbæ civitati dictum fuit: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*: quam calamitatem jejunio incolæ averterunt. Ulturus quoque Deus scelera generis humani, perpetuos quadraginta dies pluit, perpetuisque imbribus immissis uno omnia mersit diluvio. Jam & totidem annos Israeliticus populus in deserto habitus est. Et Mosaicæ Legis observantia, qua primitiæ, decimæque Deo dabantur, congruit: nam si totius anni dies decimando dividas, triginta sex partes, & semis invenies: compone semisses in integras, eruot quinque, quæ quadragesimam nostram conficiunt. Cæterum quod Dominicis diebus jejunare populi nulli tolerent; aliqui non solum Græci, sed etiam Latini, inter quos Mediolanenses, ne sabbatis quidem, earum Provinciarum Præsules ad censuram revocarunt prandia sabbatorum; & unam hebdomadam jejunis addentes, * Quinquagesimam effecerunt. Sed eam consuetudinem noo modo Ambrosius reprehendit; sed etiam plura Coocilia sustulerunt. Quatuor verò dies, quibus pleræque Ecclesiæ nostrum jejunium superant, tametsi constet à Romanis Pontificibus adjectos esse, quod ad quadragenarium numerum deessent; eamque consuetudinem antiquam esse, (quod tum alii Scriptores, tum S. Leonis *Orationes* planum faciunt) tamen eam, vivente Ambrosio, nondum viguisse facile adducor ut credam.

Hactenus singula quæque quantum potuimus, suis locis & temporibus apte retulimus; nunc nonnulla ex frequenti lapidum inscriptione petita, digna, quæ vel ob patriæ mentionem, vel ob familiæ vetustatem, vel latentem aliquam eruditionem memoretur, hic acervatim conferre constitui; ut illud:

C. CASSIVS. C. F. THYRSVS. VI. VIR. V. S. L. M. ET. C. FABIVS PLACENTINVS. MONVMENTVM. SIBI. ET COELIÆ. OLIMPIADI. VXORI. POSVIT.

Cæterum leguntur &, C. COELIVS, &, VALERIA PICROCIN, &, M. FVLVIVS. VI. VIR, &, C. LVCVLLVS. FLORVS, &, C. ATTILIVS. SECVNDVS, &, ATTILIVS. MACRINVS. SECVNDVS, &, M. SVLPITIVS, ACASTVS, &, M. SVLPITIVS. ACCEPTVS, &, P. VRSIVS. POLLIO. PATER, &, VICTIA. LEPIDA, &, AVRELIVS. EVSEBIVS. AVRELIÆ. MATRI, &, ÆMILIA. POMPEIA. MATER. L. GRÆCINVM. POMPEIANVM. SEPVLCHRO. CONDIDIT, &, Q. PVBLICIVS. PHILETVS. PVDENS. LVCIDVS, &, M. MESTRIVS. CENSORINVS. Cujus cognominis alter Comes est, M. MESTRIVS.

* *De vi. Conf Honorii, p. 566. & seq.*

† *De iii. Conf. Honorii, p. 138.*

‖ *In Hexaem.* lib. ii. p. 365.

‡ *Ut probati Scriptores tradidere.* &c.] De quibus simulque de tota hac controversia videri posset Bellar. Tom. iii. *de bonis operibus* lib. iii. c. xiv. & xv. Cæterum monendus est lector, hunc locum paulo aliter ab Auctore tractatum fuisse, quam in impressis codicibus habeatur. Scripserat enim, ab initio nascentis Ecclesiæ nullam fuisse Quadragesimam, sed consuevisse Christianos magnam toto anno ciborum abstinentiam nullo præcepto adactos præstare. Veteri autem disciplina collapsa, jure humano, hoc est, sacrorum Antistitum decreto inductam fuisse: verum alibi aliam: quem errorem hausisse videtur Auctor ex Cassiano *Collat.* XXI. c. XXX. ubi pene eadem scribit. Refutat vero Bellarminus loco laudato: ex quo Auctoris quoque sententiam castigarimur.

* *Quinquagesimam effecerunt.* &c.] Consuetudinem hanc Mediolani Ambrosio adhuc superstite viguisse, constat ex libro ejusdem *de Elia & Jejunio* cap. x. ait enim: *Quadragesima servis, præter Sabbatum & Dominicum jejunatur libris.* Reprehensionem vero ab eodem non solum Auctor affirmat; sed ipsa quoque reprehensio, qua Ambrosii *sermone* XXXIV. contioetur, omnino testatum faceret: nisi merito dubitaret Bellarminus de illius auctore. Ut ut tamen res se habeat: certum est, eam reprehensionem non eos petere, qui quatuor dierum jejunium ad trigenos sex dies adjungebant: sed illos, qui, quod volebant diebus Sabbatis æque ac Dominicis prandere, sepnmam hebdomadam jejunabant eodem more, ut oumerum 36 dierum implerent: quam consuetudioem ex Græcia allatam, & Mediolani adhuc sigentem merito reprehendit: quamque antiquatam voluerunt Concilia Agathense *Can.* 8. Aurelianense primum *Can.* 11, & Aurelian. quartum *Can.* 2. Vide Bellarminum. Monendus vero est Lector, hunc quoque locum paulo aliter fuisse tractatum ab Auctore, quam nunc habeatur impressus.

SE-

SECVNDVS. VI. VIR. Habemus etiam in ſuburbano iſtud, T. AVILIVS. ONESIPHORVS. MORENNAS. ETINIÆ. HORNATÆ. VXORI. Et in Novarienſi oppido Fontaneto, T. ACCELLIO. CLA. INGENVI. F. PATRI, &, CAPRONIÆ. CICERONIS. F. VERÆ. MATRI. OPTIMÆ, &, T. ACCELLIO. T. F. CLAVDIO. IVLIO. FRATRI. VI. VIR, &, STATVTIÆ. L. F. VALENTINÆ. VXORI. IVLI, &, T. ACELLIO. T. F. CLAVD. VERO. DECVRIONI, &, ACELLIÆ. T. F. IVLIÆ. FILIIS. EORVM. E. ACCELLIVS. VERINVS. FACIVN. CVRAVIT. Et item hoc: D. M. TERENTIORVM. GALLIANI. SATVRNINI. FILIORVM. MESSIMORVM. TERENTIVS. TROPHIMVS. VI. VIR. ET. AVGVSTALIS. PATER. OPTIMVS. FECIT. ET. SIBI. ET. BITTONIÆ. VXORI. MESSI. FIL. PINNILLÆ. VXORI. OPTIMÆ. ET. SVIS. V. F.

Defuncto Ambroſio ſucceſſit Simplicianus, vir ætate provectus, ac ingenio & doctrina præſtans, & quem ob virtutes ipſas vivens adhuc Ambroſius deſignaverat: namque & de eo antiquæ rei expoſitionem quærente, hæc idem quandoque ſcripſerat: *Quid eſt, quod dubites, & à nobis requiras? cum fides & acquirenda cognitionis divina gratia totum orbem peregraverit? & quotidiana lectionis nocturnus, ac diurnus vicibus omne vitæ hujus tempus deputaverit? acri præſertim ingenio nec intelligibilia complectens, qui philoſophia quoque libros, quam ſint à vero devii demonſtrare ſoles.* Idem Romæ agens Victorinum Rhetorem clariſſimum ad recte ſentiendum de Chriſto pertraxit, ac baptizavit. Tum ab Anagnia Siſinii, Martirii, & Alexandri Martyrum oſſa Mediolanum
A. C. 408. attulit. Defunctum vero cives ſummis honoribus proſecuti etiam in numerum cæleſtium retulerunt; dedicatoque templo religioſe ejus memoriam adhuc cuncta civitas veneratur.

Ejuſdem ſocius atque diſcipulus traditur Theodulus Mediolanenſis notarius, qui magna cum laude Epiſcopus Mutinenſi præfuit Eccleſiæ: vixit autem in Epiſcopatu Simplicianus annis quatuor. Cui ſucceſſit Venerius: huic Marolus Syrus: ab eo Martinianus; poſtea Glicerius: quorum indiſtincta tempora poſui; quia ob inopiam & diſcordiam Scriptorum inſulſa nimis tradentium, nihil, quod hic inſererem, inveni.

Interea Stilico non contentus ſub curatoris & ſotorii nomine omnia poſſe, celſiorem gradum appetit; tuncque demum ſolidam fortunæ ſuæ vicem facere ſe putavit, ſi Imperatoris ſocer efficeretur.
A. C. 398. Ita non multo poſt Maria filia Honorio deſponſatur: actæque ſunt Mediolani nuptiæ, quas pulcherrimo *Epithalamio*, & *Hymno* Claudianus proſequitur. Alteram pariter filiam Serenam Palladio Orientis Præfecto deſpondet. Mox ad convellendam Rufini potentiam, qui ob inexplebilem avaritiam, & intolerabiles crudelitates, omnium mortalium odio flagrabat, animum convertit, ac facile hominem faſtigio illo rerum dejecit: ſiquidem ut primum in Græciæ finibus Stiliconis copiæ apparuerunt, Rufinus à propriis militibus deſertus ac proditus gladio tranſfigitur, membratimque diſcerptus fuit: tum caput lancea præfixum totis caſtris gratulante multitudine circumlatum eſt: ejus morte voti compos factus Stilico in Italiam & Mediolanum revertitur.

Per quod tempus novum bellum ſibi ortum comperit. Præfectus Exercituum Africæ nomine Gildo uſurparc interea Imperium aulus rebellaverat. Itaque eo hoſte declarato claſſis prævalida in Liguram Etruriæque littoribus inſtructa eſt, per quam tranſportato trans mare exercitu, Gildo brevi oppreſſus eſt.

Mox Grotunni, gens barbara, Duce Odotheo Danubium tranſivere, ac Romanas Provincias late populati ſunt: ſed hos Honorius quarto ſuo Conſulatu, quem collega Eutychiano geſſit, ad internecionem delevit. Eutychiani vero nomen familiare regioni noſtræ fuiſſe, duo hactenus mihi comperta Epigrammata antiquis & priſcæ elegantiæ litteris inciſa marmoribus indicant: quorum alterum Mediolani habemus hoc modo:

D. M. C. VALERII. PETRONIANI. DECVRIONIS. PONTIF. SACER. IVVEN. MED. CAVSIDIC. QVINQVE. GRATVIT. LEGATION. VRBICIS. ET. PEREGRINATION. PRO. REP. SVA. FVNCTI. QVI. VIXIT. AN. XXIII. M. IX. D. XIIII. C. VALERIVS. EVTYCHIANVS. VI. VIR. AVG. PATER. FILIO. INCOMPARABILI. ET. SIBI.

Alterum Comi:

APPIVS. EVTYCHIANVS. SCHOLÆ. VEXILLARIORVM. H-S. XXX. N. LX. LARGITVR.

Valeriorum quoque inclytam gentem fuiſſe, & hic, & ſupra in cœna Cæſaris, & variis aliis Epitaphiis apparet, ut illo Mediolani:

P. VALERIO. P. LIBER. PALAT. TACITO. VI. VIR. SENIORI. ET. AVGVSTALI.

Et Comi:

L. COELIO. VALERIO. VI. VIR. MEDIOL. &, CALPHVRNIÆ. OPTATILIÆ. VXORI, &, M. ÆMILIO. COELIO. COELIANO. DECVR. MEDIOL. &, NOVAR. &, M. COELIO. CATIANO. COLLEGIVM. CENTONARIORVM. HONORE. ACCEPTO. IMPEND. REMISER. ET. IN. TVTELAM. DEDERVNT. H-S. II.

Eum annum ſequitur Conſulatus Theodori Manlii carmine Claudiani celebratus; quem auſim civitati noſtræ adſcribere, & ſtirpi Cari Manlii Imperatoris annectere: nam & eum Ligurem Poeta facit, & Ligurum appellationem video his temporibus citra Padum fluvium uſurpatam frequenter eſſe. D. Hieronymus Vercellas urbem Ligurum vocat. Ambroſius poſt mortem Euſebii ad Vercellenſes ſcribens, dolet eorum Eccleſiam, ex omnibus Liguriæ, Æmiliæ, Venetiæque urbibus carere adhuc officio Sacerdotis. Paulinus in *Vita Ambroſii* dicit, eum ſuſcepiſſe inſignia conſularitatis, ut regeret Liguriam, Æmiliamque Provincias, veniſſeque Mediolanum, ubi ſedem ejus fuiſſe non eſt amplius repetendum. Idem Claudianus in *ſexto Honorii Conſulatu* amnes Ligurum vocat Ticinum & Abduam, ſicut Venctorum Mincium, Atheſim, & Timavum. Merulæ enim interpretatio nimis moroſa videtur, qui opinioni eorum, qui dixerunt Mediolanum in Liguribus poſitum, opponens auctoritatem priſcorum Geographorum ponentium terminum Liguriæ Padum fluvium, excuſare nititur Hieronymum, quod forte Vercellas urbem Ligurum dixerit à levis Liguribus, quos quidem non ignoro circa Ticinum olim incoluiſſe: ſed jam nomen eorum abierat in deſuetudinem, ſicut & multa alia deſiiſſe videmus; ac propterea non arbitror Hieronymum ad hanc gloriolam reſpexiſſe, ut in re jam vetuſtate abolita doctior videri ſtuduerit, & à communi uſu receſſerit.

A. C. 399.

Præterea Mediolani Manliam familiam illuſtrem probamus: & forte ejuſdem Theodori ſoror fuit religioſa matrona, cui tale Epitaphium in æde Ambroſiana antiquitus poſitum manet:

Mar-

Martyris ad frontem recubent quo membra ſepulchro
Ut, Lector, noſcas, eſt operæ pretium.
Clara genus, cenſu pollens, & mater egentum,
Virgo ſacrata Deo Manlia Dedalia:
Quæ mortale nihil mortali in corpore volvens,
Quo peteret cœlum, ſemper amavit iter.
Sexaginta annos vicino limite tangens,
Rettulit ad Chriſtum celſa per aſtra gradum.
Hæc germana tibi Theodorus frater, & hæres,
Quæ relegant olim ſecla futura, dedi.

Præterea in Gallia juxta Turonem urbem celebri cœnobio exſtare audio perrari ad hanc diem exempli opus Flagrii Manlii Mediolanenſis, qui Valentiniani Cæſaris præceptor Virgilii *Georgicon* eruditiſſime interpretatur.

A. C. 399. Cæterum Theodori Manlii Conſulatum excepit Stilico, & Aurelianus. Quo anno Gothi Ducibus Radagayſo & Alarico ex Peuca Danubii inſula oriundo, occupatis cæteris eis Danubium Provinciis, Italiam invaſere: per Apulos, Calabrosque in Campanam effuſi, Roma, quam Itali proceres turbantur, prætermiſſa, in Etruriam tranſeunt. Florentiam potentem jam tunc urbem obſident. Cumque jam longo tædio, & continentibus malis affecti cives facturi deditionem viderentur, vidit unus per quietem Divum Ambroſium Epiſcopum hortantem, ſuadentemque, ut conſtanter univerſi perſeverarent in defenſione patriæ, & pro ea fortiter pugnarent: futurum enim, ut poſtera die victoria omnino potiantur. Ita deinde illius prælictione confirmata cives prælium inierunt: victiſque Radagayſus fuit, qui & captus in carcere necatur. Alaricus eis Apenninum in plana deſcendit, & collectis reliquiis per Æmiliam ad Alpes Gallicas contendebat: ſed clauſit eum Stilico

A. C. 402. inter Aſtam urbem, & Pollentiam nigro vellere claram, & quondam M. Antonii clade nobilitatam. Claudianus profligatum Alaricum deſcribit. Chronicorum vero alii ſcriptores pari Marte diſceſſum; alii victum & acie fugatum Stiliconem referunt. Utcunque fuerit ingenti cum hominum cæde pugnatum eſt, & incolumis Alaricus in Veronenſium agrum evaſit. Hicque pace petita, fœdus etiam ſuperadditum eſt, quo diuturnior concordia inter eos futura videretur. Sed mox id alio animo feciſſe Alaricum patuit: quippe is brevi reparatis viribus bellum renovavit. Indignatus Stilico novas in iras exardeſcit; & pro periculi magnitudine à remotiſſimis nationibus petenda auxilia cenſuit. Itaque ad Comum tranſmiſſo Lario lacu in Rhætos & Vindelicos profectus, ultimi etiam Iſtri accolas in arma excivit. Reverſus in Inſubres

A. C. 404. non longe ab Abdua Alaricum debellat: tum lætus & triumphans per Flaminiam & Picentes cum Honorio ſextum Conſule, atque Eucherio filio Romam proficiſcitur, labantiſque jam Reip. ſtatum confirmat. Dum longius abeſſet, ſollicita de ejus ſalute uxor Serena vota faciebat, ædemque Mediolani Divo Nazario ſacram ſterni marmore juſſit. Qua de re tale Epigramma exſtat:

Quæ ſummata cavo conſurgunt tecta receſſu,
Sacrataque cruci ſtelliturorbe caput.
Nazarius vitæ immaculabilis, integer artus,
Condidit exultat hunc tumulo eſſe locum,
Quem pius Ambroſius ſignavit imagine Chriſti,
Marmoribus Libyeis fida Serena polit,
Conjugis ut reditu Stiliconis læta fruatur,
Germanoſque pios, pignoribus propriis.

A. C. 408. Dehinc Conſtantinopoli moritur Arcadius, relicto ſucceſſore Theodoſio filio hujus nominis Imperatore ſecundo, primæ juventæ adoleſcentulo. Cæterum excita Barbaries, cui ſemel arma conceſſa fuerant, haud ita facile poſtea comprimi potuit: & cum materia belli longius abeſſet, in finitimos & proximos quoſque exercere ſe cœpit. Gothi & Turingi adjunctis Thaiphalis, Vandalos, Gepidaſque ſedibus ſuis pellunt. Burgundiones Alemannorum agros occupavere, quos tamen maxima cum clade mox amiſere. Franci, Alani, Quadi, ſuperato Rheno, Gallias occupant: unde Hieronymus in *Nepotiano* jam viginti & amplius annos deflet, quidquid terrarum inter Conſtantinopolim & Julias Alpes eſt, quotidie Romano ſanguine fœdari, Scythiam, Macedoniam, Thraciam, Epirum, Dalmatiam, cunctaſque Pannonias Gotho, Sarmata, Quado, Alano, Hunno, Vandalo, Marcomanno vaſtari, trahi, diripi; quæ calamitates cum virio Stiliconis adſcriberentur, quo occaſionem cootinuandi Imperii haberet, permittente Honorio à militari multitudine una cum Eucherio filio interficitur. Cujus morte accedentibus exercituum diſcordiis, & æmulatione Ducum, res Honorii maximum detrimentum accepere. Etſi enim pro viribus & ingenio ingruentibus malis occurreret, ſuperavere tamen Barbarici impetus, & diſcordantium furores: & depopulatis Gallis in Hiſpaniam, Africamque effuſi ſunt. Denique Vandali Carthaginem ipſam occupant, & alterum Re- A. C. 407.
gni caput conſtituunt.

Ita laceris undique rebus, & in omne ſcelus laxata audacia, veluti orbis compage ſoluta, Romanum concidit Imperium, & urbs gentium Regina, & Domina, indigeſque terrarum Dea, cui par nihil erat, & nihil fuit ſecundum, regnare deſiit: quod eo tempore futurum Vectius inſignis Mathematicus, & auguriorum peritiſſimus M. Varroni prædixerat. Floruit ſub Alexandro Mammææ Cenſorinus Grammaticus eruditiſſimus, qui de ratione ſeculorum ſcripſit. Corruptum, & quod deterius erat, tribus ſchedis mancum opus paulo ante vulgo habebatur. Nos dum antiquitates rerum diligentius ſcrutamur, reperto codice vetuſtiſſimo redintegravimus. Is natalem urbis Romæ diem accurate ſupputat, & ex duodecim vulturibus, qui Romulo apparuerunt, dixiſſe Vectium refert, duraturum Romanum Imperium uſque ad duodecim ſecula. Et quidem hoc tempore duodecimum ſeculum agebatur, hoc eſt, mille centum & ſeptuaginta ab urbe condita anni: quanquam Blondus centum & triginta ex hoc numero detrahat.

Mortuus eſt inter hæc Divus Hieronymus ſe- A. C. 420.
nex nonagenarius: quem, cum aliquando in Gallias tranſiverit, Mediolanum divertiſſe Ruffinus innuit. Mortuus & Honorius Romæ eſt ſine liberis: ſupererat nepos ex ſorore Galla Placidia nomine Valentinianus Romanus Imperator tertius, A. C. 425.
qui ſucceſſor declaratus, Ardaburem expertæ virtutis & induſtriæ virum præmiſit cum exercitu in Circumpadanam Italiam, quam occupaturus Caſtinus Conſul ex Ulteriore Gallia proſectus videbatur. Juxta Vercellas obvii Duces pugnavere. Victus & captus Caſtinus ad Valentinianum perducitur. Hunni, & qui alii ſparſi per Italiam Barbari erant, territi, attritique variis cladibus in Græciam abiere. Tum Vandali pace conciliati: Burgundiones vi & armis edomiti.

Rebus ſic compoſitis, Conſtantinopolim proficiſcitur Valentinianus. Eique Theodoſius patruc- A. C.
lis filiam matrimonio jungit. Vixit per hæc tem- 437.
pora vir quidam inſignis, nomine Anatolius orator: deceſſitque Conſulatu Hierii & Ardaburis, cujus mentionem eruta nuper in tabula invenimus ex ædibus Simpliciani.

Cæterum cum Barbaris nec tranquilla unquam, aut diuturna pax, nec bellum apertum fuit, quoad junior Theodoſius vixit. Eo mortuo, & ſucceſſore conſtituto Marciano, ſub annos Domini qua- A. C.
dringentos & quinquaginta, Attila apud Hunnos 450.
ſummam poteſtatem nactus, numerorum ſupra fidem

dem fere exercitum contraxit ex innominata antea barbarie. Hi Heruli, Turcilingi, Marcomanni, Scyri, quos Plinius inter Transdanubianos populos refert. Cum his Germaniam primo vastavit. Deinde trajecto Rheno, Gallias ita perturbavit, ut cunctis jam Provinciis terrori esset. Conspiravere in unum † Meroveus Francorum Rex, Actius Patricius Romani exercitus ductor, & Theodoreus Visigothorum, qui Narbonensem Provinciam tenebant, Rex. Hi Attilae occurrerunt in campis Catalaunicis Matronae fluvio adjacentibus; ubi pugnatum est celebratissima hominum caede. Tandem fusus Attila in Pannoniam se recipit, ubi reparatis viribus Italiam tentat: Aquilejam evertit, Patavium, Veronam, & quae ad Insubres usque pertinent urbes. Tum Mediolanum ipsum, & Ticinum diripuit, ac majori ex parte incendit.

Caeterum cum Mediolanum ingressus esset Attila, vidit in pariete pictos Romanos Imperatores aureis solii sedentes, & Scythas captivos servili habitu ad pedes eorum jacentes: qua imagine offensus Attila, quod ex Scytharum genere ipse esset, statim pictorem accersiri jussit: à quo se superius in throno depingi jussit, & Romanos Imperatores infra ad pedes suos inclinatos, & gestantes humeris saccos plenos, ex quibus panem & aurum effundebant. Cum deinde Hetruriam & Romam ipsam petiturus esset; summae rerum metuens Valentinianus Leonem Pontificem, qui majestate sacerdotii & eloquentia plurimum pollebat, permovit, ut communem omnium causam susciperet, & quibuscunque conditionibus ac precibus posset, Barbarum averteret. Maturavit iter Leo: & ad confluentes Mincii & Padi Attilam convenit: à quo benigne auditus, quod petiit, obtinuit.

Abeunte Attila quies Italiae parta: sed qualis & quanta clades accepta sit, quia caeteri scriptores nimium festinantes illa praetercurrunt, ut declaretur, subjicienda censui verba Maximi Taurinensium Episcopi, ex sermone, quem ad Cives Mediolanenses de reparatione Ecclesiae & urbis habuit: *Dominus*, inquit, *Omnipotens iram suam nobis defluxisse defectionis intulit, & ut clemens pater, desideratae reparationis praestat effectum: qui ut ostendat futuris temporibus, se hujus urbis faciem, velut reparasti post obitum corpora, redditurum, Ecclesiam ante suam, quae utique caput est civitatis, reduviva constructione renovavit: mox & membra, ut jacentia consurgant, daturus. Imperiti enim urbis quidam harum perturbationum interpretes videntur, qui dicunt: Perit haec civitas, collapsa est Ecclesia: Non est jam amplius causa vivendi. Immo enim causa vivendi est. Nam Deus, qui cuncta magno consilio dispensat, hostium manibus, non civitatem hanc, quae in vobis est, sed habitacula tradidit civitatis; nec Ecclesiam suam, quae vere est Ecclesia, consumi jussit incendio, sed in emendationem nostram habitacula Ecclesiae permisit exuri. Nam post tantum & tam lugubre excidium, ecce summus Sacerdos adstat incolumis; Clerus integer, & plebs ipsa, licet sub quotidiano adhuc metu & maesta vivens, tamen in libertate perdurat. Hac qua nostra videbantur, aut praeda diripuit, aut igni, ferroque consumpta pervenere.*

Caeterum Valentinianus trigesimo Imperii sui anno proditus à suis interficitur: in quo potius, quam in Augustulo, ut quibusdam placet, defecisse Occidentis Imperium dixerim: nam etsi per quindecim adhuc annos nonnulli nomen Augusti arripuerint, vix ego inter Caesares computandos censeo: qui ludibrium potius quoddam fortunae fuerunt, & umbram labantis dignitatis, quam certum dominium tenuere. Et sicut in finibus nostris versati Avitus, qui susceptum in Gallia Imperium mox Placentiae deposuit; Majorianus Ravennae Caesar salutatus, quarto anno post obtruncatus apud Iriam fluvium Derthonensium, qui nunc *Serviae* dicitur; cui interim, & socero ejus Theodoro, elegantissimum *Panegyricum* dixit vir illa tempestate clarus Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus: & inter ejus laudes disciplinam memorat avium rapacium ad alias aves captandas instructarum: quod quia Blondus, nostrorum temporum historicus, recentius inventum existimat, idque Friderico secundo Parmam obsidenti attribuit, versus Sidonii subjiciendos esse exittimavi:

Quid volucrum studium, dat quas natura per auras
In vulgus prope cognatum, quis doctior isto
Instituit varias per nubila jungere lites?
Alite vincit aves, celeresque per aethera plausu
Hoc nulli melius pugnator militat unguis.

Caeterum Beorgor Alanorum Rex juxta Bergomum à Ricimere Patricio debellatus est. Anthemius, cujus aurea numismata ex imperiti aurificis manu nuper redemimus, à Leone Principe Orientis missus, postcaquam pulsis Barbaris, Regiam Romae constituit, Ricimerem generum adscivit, eumque Mediolano, & adjacenti Provinciae praefecit. Hunc absolute quidam Scriptores Gothum vocitant; sed Sidonius Apollinaris illis temporibus aequalis, matrem quidem ejus Getam, patrem vero Suevum fuisse refert. Caeterum Anthemius, unde rerum suarum fundamentum & conservationem speraverat, inde perniciem, malorumque omnium originem invenit. Nam Ricimer sua forte non contentus, contractis viribus gentis, cui praerat, arma in socerum vertit: quas discordias componere nixus Epiphanius Ticinensium Episcopus, repressit magis ad tempus, quam sustulit: pacem enim inter eos concilavit: verum non ita diu coluit Ricimer; ac Romam infesto cum exercitu profectus Anthemium obsidet, captumque crudeliter interficit. Verum neque ipse diuturna nefariae victoriae, impiique voti laetitia fruitur, intra tertium mensem ex eo morbo absumptus.

Hic † res Romana ad Augustulum Oreftis Patricii filium defertur: & pater ipse summam ex eo potentiam nancisci rur. Interea Odoacer ab extremis Pannoniis profectus cum Erulorum, Scyrorumque exercitu in Dalmatia regnum constituerat; & inde cognito, quam incerto motu res Italicae fluctuarent, amplioris in Imperii spem erectus est, perque Forum Julium & Venetiam transmissis copiis, Cispadana potitur ora. Orestes cum Paulo fratre, contractis ad Laudem Pompejam copiis, adventanti Odoacro occurrit. Victus ad Ticinum refugit. Hic longa obsidione clausus, captusque, cum Paulo Placentiam missus capitis poena mulctatur. Ticinensium agri non solum vastati, & direpta bona, sed etiam aedificia publica, privataque incensa. Negat Blondus parem eladem ab inclinato Imperio usquam acceptam fuisse. Augustulus continenti metu exterritus insignia Imperii cum nomine deposuit.

Tunc Italia omnis Odoacro paruit: qui Romana urbe potitus eorum bona publicat, qui sibi adversati fuerant: ex quibus Vigilio viro in Leguribus illustri non tam ereptae, quam commutatae opes sunt: exstat tabula antiqua ex papyro, qua Flavius Paulus Andreas Odoacrus Vicarius Mediolani agens ex Regio mandato curat rependi Vi-

† *Meroveus Francorum Rex, &c.]* S. Gregorius Turonensis scribit Aetium cum Francis, Gothisque conjunctum adversus Attilam constitisse. Sed Sidonius, qui ejus belli tempore vixit, aut recenti adhuc illius memoria, & post eum Baronius tradunt Francos ab Attila steusse.

† *Res Romana ad Augustulum, &c.]* Post Olybrium, qui menses septem, Glycerium, qui minus quam duos annos, & Nepotem, qui pari temporis spatio Imperium Occidentale tenuere.

gilio in Beneventanis, & Campano agro fundum Phormanum; Maſſam Odoianenſem, & Venticanenſem, & Veſtinam, & Cilicenſem: quæ ex jure nobiliſſimæ, ut inquit, Placidiæ, Regio Fiſco advolvebantur. Regnavit in Italia Odoacer quatuordecim annos.

A. C. 489. Tum jubente Zenone, qui Leoni in Conſtantinopolitano Imperio ſucceſſerat, profectus Theodoricus, vir bellicæ artis experientiſſimus, novam Gothorum manum adduxit ſub annos Chriſti quadringentos & ſeptuaginta: obſiſtere Odoacer in primo Italiæ limine conatus, apud Natiſonem Aquilejæ fluvium, qui nunc vulgo *Sontius* dicitur, ſuſus fuit, ac Veronam ſeſe cum copiis recepit. Ubi exſpectato hoſte altera clade imminuitur. Juxta Abdnam vires reparavit: ſed hic quoque debellatus fugit in Hetruriam. Theodoricus Mediolano & Circumpadana omni potitus, fugientem perſecutus, Roma quoque potitur. Odoacer victoris è manibus elapſus Ravennam ſe contulit. Cujus urbis ſitu fretus, ſtudia belli haud intermittit, & cum majora venientibus ad ſe miliubus ſtipendia proponeret, majorem fere copiarum partem a Theodorico averſit: quo metu adeo exterritus eſt Theodoricus, ut fortunæ ſuæ ambiguus, aliquandu Ticinenſium finibus egredi non ſit auſus; neque item occurrerit Gondubado Burgundionum Regi, qui eis Alpes traducto exercitu, quantaſcunque volebat prædas ex infelicibus populis agebat. Eo tamen non ita multo poſt trans Alpes remiſſo, Ravennam obſidet: triennium duraſſe ea obſidio dicitur. Et incluſus Odoacer, ſocietate Regni pacta deditionem facit: ſed cum minime ſincere pacem coleret, dolis tandem interceptus obtruncatur.

Rerum Italicarum potitus Theodoricus, ab A. C. 493 Anaſtaſio Imperatore, qui interim Zenoni ſucceſſerat, petiit, ut eo volente, jubenteque, Regnum Italicum curare liceret Tum cum finitimis pace inita, quietas undique res habuit; miſitque ad repetendos à Gondubado captivos Epiphanium Ticinenſium Epiſcopum, qui tum fortaſſe inter Italos cum integritate vitæ & ſanctimonia, tum ingenio & dicendi copia plurimum pollebat: atque cum pretio alios, tum ſex milia gratis & ſola lacerdotu majeſtate obtinuit.

Cæterum Theodoricus duodequadraginta regnavit annos, quo ſpatio Epiſtolarum ejus magiſter Caſſiodorus docet, longe, lateque Imperium extendiſſe: nam & in Pannoniis priſcam poteſtatem obtinuit. Qui Sirmienſi Provinciæ dedit gubernatorem Colloſeum virum illuſtrem; Tranſalpinæ Galliæ Gemellum; Aveniom Vandilum; Maſſiliæ Merobauduu; Siciliæ Valerianum; Brutiis & Lucaniæ Venantium; Romæ Artemidorum Zenonis Imperatoris affinem; Rhætiis Servatum. Et Merobaudi quidem nomen etiam legimus in lapidea tabula in colle montis Briantiæ, tanquam illic antiquitus ſepulti. Mediolanenſem quoque Eccleſiam commoditatibus fovit: nam & immunem vectigalium onere decrevit, & Euſtorgio Epiſcopo hujus nominis ſecundo nonnulla prædia in Inſula Sicilia Eccleſiæ aſſerenri, ne favor ei adverſus injuriam deeſſet, Præſidi ſcripſit.

Cum vero graves ſubortæ contentiones eſſent inter potentiſſimos Reges Athalaricum Viſigothum, Luduinum Francorum, & item Erulos, Guarnosque, Theodoricus, qui propter inclytam prudentiam pari apud omnes gratia pollebat, arbiter factus, diſſidia per Legatos ſuſtulit, pacemque conſtituit, atque inter munera Clepſydram, id eſt, horologium fluxum aquæ lioras denotans cum magiſtris ignori ad eum diem Burgundionibus inſtrumenti, Gondubado miſit. Idem magnificentia rerum nemini poſtferendus. Scribit in *Chronicis* Caſſiodorus, Theatralibus muneribus certaviſſe eum cum quolibet priſcorum Imperatorum. Et ipſemet in quadam *Epiſtola* ædificia ſua commendans: *Abſit*, inquit, *ut ornatu cedamus Veteribus, quibus impares non ſumus beatitudine ſeculorum.* Reliquos ejus mores, vitæ ordinem, & corporis formam elegantur deſcribit idem Apollinaris.

Cum jam pene univerſos Europæ Principes fœderibus, & omnino præcipuos conjugiis & affinitatibus, Theodoricus conjunctos haberet; ex omnibus unum delegit Eutharicum Cilliam genere quidem Alemannum, ſed diutius in Hiſpania verſatum: cui ſucceſſionis ad Imperium ſpem oſtenderet; eique unicam, quam habebat, filiam Amalaſinutam matrimonio copulat. Per eadem tempora idem Apollinaris ſcribit, Petronium Maximum per ſingulos honorum gradus ad Auguſtale culmen perveniſſe, qui bimeſtre tantum imperavit: quod ideo adnotatum ſit, quia audio nullam alibi de eo fieri mentionem. A. C. 515.

Claruerunt quoque inſignes doctrina & eloquentia viri Symmachus, & * Boetius Severinus, qui quod innocentem Senatum majeſtatis crimine poſtulatum libere defenderant, calumnioſe delati, quaſi delatorem, qui documenta deferret, quibus Senatum læſæ majeſtatis reum faceret, impediſſent: vulgatisque inſuper Boetii nomine literis, quibus Romani in ſpem libertatis ereptæ erigerentur, per ſummam injuriam inauditi damnati, Ticinum in carcerem miſſi, coque diu macerati, tandem capite cæſi ſunt: adhuc manet turris pervetuſta, cui incluſus Boetius nomen dederit: nec longe ab ea ſepulchrum viſitur. A. C. 526.

Poſt Theodoricum Athalaricus ex filia nepos ſub tutela matris regnat annos decem: quidam quatuor tantum ſcribunt. Eodem defuncto vidua mulier, & liberis orba, ad gubernationem, ſocietatemque Regni vocat affinem Theodatum, à quo dolis circumventa interficitur. A. C. 534.

Amiſſo hoc modo Romanorum Imperio, conſuetudo quoque ſupputandorum ab urbe condita temporum deſit. Cumque alu aliunde, quidam Græci Mathematici eam rationem à principatu Dioclctiani Cæſaris inſtituere cœperunt. Quod animadvertens Dionyſius Abbas Romanus, vir utriuſque linguæ doctiſſimus, cum Paſchales revolutiones explicaret, abhorruit, abominatuſque eſt impii hominis memoriam hujuſmodi in celebrationem venire: *Quam potius*, inquit, *Chriſtiani homines auctoris noſtri auſpicatiſſimo nomine hunc honorem damus: notaſque facimus ſpei noſtræ exordium.* Ita ſupputato diligenter numero, ab Incarnatione, ut tum quoque vocabant, Chriſti Dei, quingentos & triginta duos annos ad hanc ætatem fluxiſſe docuit: quem ſecuta fere omnis poſterntas, quod is cogitaverat, retinuit.

Retenta quoque conſuetudo eſt à Conſtantino Magno inſtituta, ut duos extremos hebdomadæ dies, qui antea ex duorum Planetarum appellatione Solis & Saturni dicebantur, Sabbatum & Dominicum vocaremus: nam in aliis quinque priſca nomina à totidem utique Sideribus ſumpta manſerunt, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneriſque, quod antiquiſſimum Ægyptiorum inventum fuiſſe Dion Græcus fatetur.

Cum in hoc ſtatu res forent, Juſtinianus Imperator Conſtantinopolitanus felicioribus auſpiciis creatur. Hic ad comprimendos Barbaros animo adjecto, Orienti primo proſpexit: miſſoque in Aſiam Belliſario, Perſas repreſſit: dehinc in Africam traducto exercitu, eodem Duce Vandali devicti ſunt, A. C. 527.

* *Boetius Severinus*, &c.] Hic quoque monendus eſt Lector, Auctorem aliter de Boetio ſenſiſſe, ac ſcripſiſſe, quam viri ſanctitas, ac veritas hiſtorica poſtularet: ergo ne cenſuram ipſe pateretur; expuncta Boetii ac Symmachi cenſura, veram cauſam iniquiſſimi ſupplicii ſuppoſui.

& internecione deleti. Tunc in Gothos ſumpta arma; ac per Siciliam in Lucanos tranſgreſſus Belliſarius dedentibus ſe populis late Calabria, Apuliaque poſitur. Neapolim pervenit, eamque diutius obſeſſam, tandem per aquaeductum cepit.

A. C. 538.

Tum Gothi Theodato ob ignaviam ejecto, Regem ſibi creant Vitigitem, virum humili quidem genere natum, ſed ſtrenuum, & rei militaris experientiſſimum: qui ubi Neapoli potitum Belliſarium cognovit, urbem Romam præſidio firmat. Ipſe Ravennam profectus, diſperſos per Italiam Gothos in unum contrahit, ad ventum & amplius pugnatorum millia convenille traditur: cum quibus Vitigis Romam, quam jam à Belliſario occupatam audierat, properat. Interea Datius Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtes cum nonnullis civibus ad Belliſarium venit. Mediolanum in poteſtate Imperatoris futurum promittunt, ſi eo vel mediocre præſidium mitteretur: nam opes, quibus ſe non ſolum tueantur ſuperesſe; ſed plane etiam quibus tota, quæ intra Alpes eſt, Provincia pelli hoſtes valeant. Hos Belliſarius libenter audivit, collaudatoſque cum ſpe dimittit: cum tempus foret, eam rem ſibi curæ futuram. Vitigis urbem magis urgebat: ſed poſtquam cognovit Ariminum à Belliſarii Ducibus captum, Romana obſidione digreditur.

A. C. 538.

Tunc Mediolanenſibus Oratoribus data auxilia: quo pluribus ex locis faceſſerent hoſti negotium. Præfectus his copiis Mundilas, vir animi magnitudine & militari ſcientia præſtans; & cum eo Fidelis Mediolanenſis, Regiæ olim domus præfectus. Hi per Tiberim in Tyrrhenum mare delati; Genuam navigant. Inde Apennino ſuperato ad Padum veniunt. Circa Ticinum obſtitere Gothi, qui eam urbem cum arce prævalida tuebantur. Commiſſo certamine intra urbem Gothi compelluntur. Mundilas & copiæ per vicinum pontem tranſierunt: ſed Fidelis equo excuſſus moritur. Cujus viri caſu jactura aliqua facta eſt: Mundilas Mediolanum pervenit, eique ſe ſtatim dederunt Novaria, Comum, Bergomum; quod ubi reſcivit Vitigis, Vrajam fratris filium in Inſubres dimittit, ut quæ civitates nondum defecerant, in fide retineret; quæ defeciverant, recuperaret. Simul ad Theodebertum Francorum Regem Legatos ad fœdus paciſcendum mittit; decemque millia Burgundionum auxilio ſibi dari obtinuit: quibus in Italiam adductis non procul Mediolano caſtra locat. Et dum alia belli munia obit; ne quid commeatuum in urbem importetur, curat. Mundilas haud magnum equitum numerum habebat: oppidani, qui concordes erant, urbem ſatis defendebant, ſed ex difficultate annonæ fames timebatur. Hæc ubi cognovit Belliſarius, alios Duces cum majoribus copiis mittit: ſed hi ad Padum, quem præ multitudine hoſtium trajicere non audebant, deſedere. Tum inter Duces diſcordia orta omnia ſubvertit. Miſſus à Juſtiniano ad rem adjuvandam erat Narſes Eunuchus, vir bello egregius, ac primo concorditer cum Belliſario communicare conſilia, negotia agere; deinde malorum mater invidia orta. Unde ſimultas, & æmulatio, rerumque negligentia ſubſecuta eſt. Ergo cum nihil auxilii obſeſſis afferretur, ad ultimum inopiæ deventum eſt: nec ulla re abſtinuere, quæ mandi poſſet. Qua neceſſitate coactus Mundilas, ſalutis ſuæ conſuluit, pactus, ut cum peregrino milite abire liceret. Ita Mediolano & reliquis oppidis præſidia deduxit. Tum Gothi urbem ingreſſi cædibus & incendiis omnia miſcuerunt: ſine diſcrimine ætatis, aut ſexus obvii interfecti, & mulieres paſſim abſtractæ. Cæſa in ea vaſtitate feruntur circiter triginta hominum millia. Excidio primariæ urbis exterriti, qui defectionem ſecuti fuerant, ad priſtinum ſtatim Imperium redierunt.

Datius Epiſcopus, ſeu tum maius hoſtium effigiem, ſeu declarandi periculi cauſſa, ad Conſtantinopolitanum Imperatorem proficiſcens, Corinthum devenit. Ubi cum laxam domum quæreret, qua totus comitatus hoſpitaretur; propoſita eſt ampla quidem & ſpacioſa, ſed nocturnis ſtrepitibus infamis, & inhabitata. Quod ut audivit, *hanc ipſam volo*, inquit; conductamque ſterni, inſtruique rebus neceſſariis juſſit. Cum deinde nox intempeſta jam quieſcentes oppreſſiſſet, varii ſtridores, horrendique ſonitus perſtrepere incipiunt. Hinc cæli tonitrus, illinc ruina parietis, & ſaxa in præceps ex alto mitti videbantur. Interim elephantes, leones, tauri, ſues varias voces emittere credebantur. Quibus excitatus Datius, *ſem adest*, inquit, *ô bellua, jam venis. Tu in cælo cum pulcherrimus eſſes, ſecundum à Deo locum teneres, in Conditorem ipſum audaculus inſurrexiſti: eoque non concedente, parem illi ſedem tenere te poſſe putaſti. Abi quo te tua duxit ſuperbia: recede ſeculi vitium, mundi flagitium, diſcordia celeſtium, fratrum tene corpora, quorum vocem, vitamque imitaris.* Ac ſimul cum verbo ceſſavere ſtrepitus, & expiata domus, atque habitata inconditos manes poſtea non ſenſit.

Interea revocato in Græciam Narſete, ſolus Belliſarius rem Italam adminiſtrat. Vitigetem Ravennæ obſidet, ac fame ad deditionem compulſum, A. C. 540. Conſtantinopolim ingentibus cum theſauris duxit.

Cæterum Gothi viribus & locorum munitione in Circumpadanis plurimum pollebant: ſiquidem ii, qui Derthonæ commorabantur, oppidum in propinquo condiderant, cui Caſtronovo nomen fuit; duratque in præſens opulentia clarum, in quo non temporaria, ut alibi, ſed perpetua ſtativa, ut in *Epiſtolis* auctor eſt Caſſiodorus, habuere, ne alioquin per hyberna diviſi, ubi hoſtis irruiſſet, dum congregarentur, vel moram rebus afferrent, vel carptim opprimerentur. Et Ticinum, quæ civitas videtur per hæc tempora Papiæ nomine celebrari cœpiſſe, obtinebant. Hi digreſſo Italia Belliſario, arma ſub Rege Idovado reſumunt, & juſto exercitu contracto, nutantibus populis, non dubitarunt acie dimicare adverſus Vitalem, qui Juſtiniani copiis præerat: victor Idovadus Gothos ad regnum denuo parandum erexit.

Eo cæſo ſumma rerum defertur Totilæ illius ex fratre nepoti: qui tunc forte Tarviſii imperabat; ubi & natum, educatumque Blondus affirmat. Hic Rex appellatus conſeſtim Papiam conceſſit, atque A. C. 542. univerſa regione ad obſequium redacta, id copiarum comparavit, ut Italiam fere omnem non ſine multorum populorum pernicie pervagaretur; A. C. Romamque per ſummam rerum inopiam devecerit. 547. Nec potuit Belliſarius cum novo exercitu & claſſe ornatiſſima reverſus illum obſidione ſubmovere. Eodem mox Conſtantinopolim reverſo Narſetem Juſtinianus denuo rebus Italicis præfecit. Quem cum pecunia venientem ſequuntur Heruli, Hunni, Longobardi, Gepidæ, Perſæ. Cum quibus A.C. adverſus Gothos congreſſus, eos acie vicit, To- 552. tilaſque cecidit.

In Italia ſuffectus Thejas, qui cumulatum Papiæ aurum atque argentum in renovando bello, viribuſque colligendis effundit: cum Francorum Rege Theudeberto fœdus init: mox in Campania cum Narſete congreditur, ubi fortiter dimicans interficitur. Tunc debellati in totum ſuere Gothi, & qui eladi ſuperfuere, per Legatos impetrarunt, ut ſine injuria excedere Italia liceret. Id quod factum eſſe auctores ſcribunt anno quin- A. C. genteſimo quinquageſimo ſexto à Chriſtiana dinu- 554. meratione.

Cæterum Juſtinianus, ſicut bello & armis Barbaricam Tyrannidem toto orbe exegit, ac pene priſtinam ad dignitatem Imperium reſtituit, ita,

quibus in pace viverent populi, ex infinita librorum copia leges civili vitæ commodas elegi, in unumque corpus contrahi justsit: quas quinquaginta libris distinctas *Pandectas* antiquo vocabulo appellavit: atque hic quidem Jurisprudentium responsa habentur. Nam altero volumine Principum rescripta; & alio Constitutiones, quas ipse novas condebat, inclusit. Archetypa Pandectarum, nescio qua tempestate delata in Italiam; diu Pisis servata sunt; inde Florentini in Curiam suam transtulerunt, & instar rei sacræ accensis funalibus, in thesauro ostendunt: scripta sunt majusculis litterarum characteribus sine intervallo dictionum, ac item sine notis, quibus interdum in breve spatium longius verbum coarctamus.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER IV.

EPITOME.

Narsen Gothico Regno in Italia concisso, Longobardicum non multo mittus excitat: calumniam apud Imperatorem passus, & Occidentis præfectura continuo se abire ad tantisper jussis, Longobardorum in Pannonia Regem Alboinum ad paratissimum Italiæ Regnum invitat. Hic cum infinita suorum, ac Saxonum liberos etiam ac conjuges post se trahentium, multitudine ab Julis Alpibus in Venetas urbes detonat: Tarvisium, Veronam, Vicentiam, aliasque præter Patavium & Mantuam, primo impetu subigit. Mediolanum per Honoratum Archiepiscopum in deditionem acceptum perfide patitur diripi. Papiam quadriennio obsessam tandem obtinet: per quæ tempora Mediolani Fronto Honorato vita functo Episcopatum pecunia male quæsitum, nihilo sanctius administrat. Longinus ab Imperatore, qui Narsetis succederet, missus regia potestate quidem, a qua provocatio non daretur; nova tamen appellatione Exarcha, Ravenna sedet: unde ipse, ac ceteri postea Exarcha Urbem cum aliqua Italiæ parte in Imperatoris fido ac potestate habuere, Longobardo in reliqua late dominante. Alboino per Peredeum a Rosimunda ejus conjuge pudoris ultra conducium, quod eam patrio in cranio bibere coegerat, sublato, Clephonem Proceres subrogant: eoque mox ob sævitiam interempto, Aloin Mediolanum, alii alias Italiæ urbes nomine Ducis, libertatemque vindicant. Hac republica forma sine religione ac legibus Italiam in frusta discerptam decennium vexant: & ex Gallia multa cade patrata, prædas agunt ingentes. Deinde rursus Regem creant Autarim, & Cæsarum æmulatione Flavii prænomen adjiciunt ad posteros Reges transfiturum. Hic Brixellum, cujus Dux Droctulphus ad Exarchum defecerat, mœnibus exuit: Francilionem Como pulsam in Insula Larii deditione captum ad Exarchum ire permittit, ejus gaza retenta: Childebertum Francorum Regem a Mauritio Imperatore in se concitatum sibi conciliat: & vicissim Eum Tridenti Ducem in Mauritium exstimulat, à quo Istria incenditur ac rapinis malo multatur: Theodolindam Bavarorum Ducis filiam in matrimonium per legatos petitam ipse mentita legatipersona invisit, reversusque in Italiam, Theodolinda non multo post subsequuta, nuptias Sardis magno Procerum convivio celebrat: Childeberto tierum in Italiam movente cohibito, & Italia ad fretum usque Siculum victoriis peragrata, Papia veneno exstinguitur. Theodolinda, Proceribus acceptantibus in Regem quem ipsa conjugem delegeret, Agilulphum Taurinorum Ducem in Regnum asserit: qui Mediolani ferrea corona, qua hodieque Modoetiæ visitur, accepta, eandem ut morem posteri Reges ac Cæsares eodem delati usurparent, effecit; Christianam religionem amplectitur imitantibus multis: S. Columbano Bobium cum Latrundis ad amplissimi cœnobii proventus largitur: Patritio Exarcho propinquas urbi civitates armis vindicanti, Mauritionem Ducem ad Romanos transfugam Perusia exprimit: ne ad urbem signa moveat Gregorius Magnus Theodolindæ precibus impetrat: pacem cum Hunnorum, Francorumque Regibus, & Exarcha Patritio init: quam quia Patritii successor Gallicanus violat, filia ac genero Ravennam abductis, eam injuriam Agilulphus ulciscitur multarum urbium vastitate; quousque Smaragdus Gallicano suffectus, filia generoque restitutis pacem impetrat, fœdusque cum Phoca Imperatore sanciunt: Adaloaldum adhuc impuberem ad regni societatem admittit; quem, Agilulpho & Theodolinda è vita digressis, Proceres, ceu mentis impotem, regno amovent, Ariualdo promoto. Hunc sequutus est Rotharius magnum Arianorum columen quippe binos in quamlibet diœcesim Episcopos Catholicum & Arianum induxit: in hoc profecto justitiæ prodigus, cui alioqui Longobardorum legibus scriptis consuluit: Theodorum Callopam Exarchum ad Panarum debellat: Liguriaque ditionem redacta, ampliore in Regno Rodoaldum filium reliquit. Hujus conjux Gondiperga, Theodolindæ matris exemplo, Papiæ S. Joannis Baptistæ templum ponit: adulterii insimulatam minister, singulari certamine cum calumniatore, qui in eo cecidit, suscepto, ejus criminis suspicione liberat; à quo dum non temperat Rex occiditur. Regnum excipit Ariperius basilica Salvatoris Papiensis auctor. Subinde Gondiperius, & Perterieus fratres. Sed Grimoaldus Dux Beneventanus ad illorum controversias componendas accersitus, illo occiso, hoc fuga ad Hunnos dilapso, Regnum induit, illorum sorore in ejus ac fori societatem admissa: cujus mox precibus Perterieus gratia ac patria restituitur; sed cum populi favor in suspicionem & insidias Regis rursus adducit, quas vitat singulari servi fide & industria declinat. Grimoaldus Gallorum exercitum prope Astas delet: Constantis Imp. Heraclii nepos cum exercitu occurrit, eumque Romam includit. Lupum Foro-Juliensem Ducem, quem ad bellum proficiscens Insubria præfecerat, Regem perfide gerentem per Cacbannum ulciscitur, Vectheri Vicentino Foro Julii præfecto. Forum populi & Opitergium funditus vastat; sacerdotibus etiam pro victimis ad aras mactatis. Fato illiminente, Perterieus ejus adhuc iram in Britannum fugiens incognita origine vocat Mediolanum revocatur: & in itinere obvios habet nuncios regnum deferentes: quo resumpto, Albuin Tridento Ducem in spem Regni se erigentem comprimit, & pluribus basilicis Salvatoris, S. Mariæ ad Por-

Perticas, & S. Agathe Papia excitatis, Chunperto filio regnum moriens legat. Intercipit Albuin fanc ingrate; quippe ejus olim gratia à Perterico victore bene acceptus, Breviaque administratione donatus: sed ejus crudelitatem deteſtantibus Proceribus, Chunpertus reſtituitur, Albuin prope Abduam profligato. Is Rodoaldum Pero ſuis Ducem fovet, victo & excecato Antifrida ejus adverſario. Vmilindam ſororem Grimoaldo Beneventano Duci in matrimonium collocat: denique Luitpertum filium moriens regni reliquit heredem: ſed is à Ragimberto ſemel acie victus regno, eternumque ab Aſperto ejus filio ac ſucceſſore vita ſpoliatur. Idem Aſpertus ſecuritati conſulens autem in Inſula Lacus manitam tutum rebellantibus aſylum demolitur: Aſprandi filium Sigiprandum, à quo timeri aliquid poterat, excecat; Luitprandum vero, quod ſtolidiorem mentis vulgo crederetur, vivere patitur: Cottias alpes Romanæ Eccleſiæ reſtituit: quo fere tempore Papienſis Epiſcopus de poteſtate Mediolanenſis Archiepiſcopi Pontificis ſententia eximitur. Aſprandus Aſperti regno ac vita exuit; acie victum in fuga Ticinus abſorbuit: nullo vix tribus menſibus ſuperſtite, Luitprandus filius regnat. Qui cum Carolo I. amicitiam iniret adeo, ut Carolus filium adhuc impubem Pipinum nomine ejus Alpes ad ipſum miſerit, ut capillo illi ſolenni more detonſo, veſtigiorum quiddam (ut habebat illorum temporum opinio) neceſſitudinis accederet: S. Auguſtini corpus ex Sardinia Papiam deportandum curat eodem tempore, quo Saraceni primo Gallias tentant, ac repelluntur: eoſdem majori conatu irrumpentibus, urbeſque aliquas obtinentibus, auxilia ad Carolum mittit, quibus adventantibus Saraceni diſcedunt. Carolo emigrante, ſuperſtites fuere duo filii Pipinus & Carlomannus, qui poſt quadriennium monaſticæ vitæ delectatus, integra omnia Pipino fecit. Caterum Luitprandus anno 725. bellum adverſus Romanos & Exarchum aggreſſus, multos annos pugnavit vario eventu. Ravennam obſidione obtinuit, diripuitque permiſit; quam Exarchus Venetorum auxilio recuperat: hoc tamen, vel potius Aſtulpho regnante, finem accepit Exarchatus, & Orientis in Italia Imperium. Hildebrandum filium poſt ſe Regem deſignaverat, viventeſque regni conſortem fecerat. Proceribus tamen ob triſte augurium repudiantibus Raccheſium habet ſucceſſorem. Hoc vero ſe abdicante, regnat Aſtulphus, qui Ravennam aliaſque Exarchatus urbes non pancas ferro, flammiſque populatur. Romam quoque ac Pontificem Stephanum II. vexat uſque adeo, ut in Galliam ad Pipinum regatum auxilia cubendat. Ergo Pipinus Rex Gallie paulo ante appellatus, in Italiam movet: & Aſtulphum acie victum, Tieinoque obſeſſum ſpondere cogit, Romano ſe Pontifici ſatisfacturum. Sed Aſtulphus fidem non præſtat: iterum igitur a Pipino Papia obſeſſus præſturum ſpondet, & moritur. Regnum excipit Deſiderius, cujus filiam Carolus II. Pipino ſuffectus uxorem ducit, & mox repudiat; & Deſiderium ipſum, quod Pontificem opprimeret, exercitu in Italiam traducto, Ticini capium cum ſuis omnibus in Gallias deportat: Regnumque Longobardorum in Gallicum Imperium concedit; relictis non modica vulgaris lingua corruptela.

POST ſublatum ex Italia Gothicum Regnum, Narſes ad reformandum rerum ſtatum converſus, multa humane liberaliterque agendo, populorum gratiam quæſivit: redieruntque Galliæ ad obſequium, quibus duos Patritios Romanos præfecit; Ulteriori Amatum, Citeriori & Mediolano Francionem: quorum fide & diligentia quietas diu res habuit. Verum ex æmulorum invidia ſimulatus variis apud Juſtinianum calumniis, cum ignominia, contumeliaque revocatur, ceu ſemivir ad penſa, lanaſque tractandas. Qua injuria laceſſitus haud ita[*] facile ſuperbiæ inimicorum & Principis ingratitudini cedere decrevit; ſed reſcribens, ſe talem orditurum telam, qualem adverſarii retexere neſcirent, nova conſilia, reſque inexſpectatas aggreditur.

Quibus peragendis peropportuna viſa eſt virtus Longobardorum aliquot locis ſupra à nobis memoratorum, qui militari gloria præſtantes tunc late in Pannonis regnabant. Ejus gentis origo, propter varias de ea ſparſas fabulas, hoc loco à nobis quærenda eſt, ac totius erroris fons & auctor Paulus hiſtoriæ ſcriptor, &, ut audio, ex eorundem ſtirpe progenitus, coarguendus eſt, qui profectos tradit ex Scandinavia, quæ inſula maxima eſt in Godano ſinu Septentrionalis Oceani, ſedibuſque ſuis digreſſos, cum editæ in colle urbi appropinquarent, mulieres, quas ſecum trahebant, præmiſiſſe, revocato in frontem capillo ora tegentes: quibus procul viſis, cum ſpeciem prolixioris barbæ præberent exiſtentibus in arce, & Vinnuli dicerentur; cœpiſſe tunc ab ea velut longitudine barbæ Longobardos appellari: quem ſecuta omnis fere poſteritas ita eſt, ut Palmerius etiam & Blondus, & Platina, & Sabellicus, ac noſter quoque Merula ſolitus alias gentibus & populis priſcas appellationes dare, eodem ſcopulo alliſi ſint: ac nonnullis, quibus etiam accedere Angelum Politianum miror, ea nominis interpretatio ſic placuit, ut quaſi novam dictionem commodius per *a* in prima ſyllaba Langobardos, quam per *o* ſcribi cenſeant: propterea quod *lang* longum ſignificet. Nec inficior, eo utique modo haberi in vetuſtiſſimis quibuſque Pauli codicibus: mirum namque eſt, tot eruditiſſimos antiquitatum indagatores non advertiſſe, hos populos ab antiquioribus ipſo Paulo auctoribus nominatos. Ptolemæus in *Geographia* ſic habet: *Habitant Germaniam, quæ circa Rhenum eſt, à parte prima Septentrionali Bruſcteri parvi appellati, & Sicambri, Oqueni, Longobardi.* Et paulo infra: *Interiora atque mediterranea maxime tenent Sueva, Angli, qui magis Orientales ſunt, quam Longobardi.* Et item paulo inferius: *Inter Cauchos minores & Suevos jacent Angrivarii; poſt Longobardi; ſub quibus Dulgumni non procul Trophæa Druſi.* Apud Cornelium quoque Tacitum bis leguntur: qui in Claudii Auguſti rebus[*], cum ſermo eſſet de Italo Flavio Cheruſcorum Germaniæ populorum Rege: *Secunda*, inquit, *fortuna ad ſuperbiam prolapſus, pulſuſque ac rurſus Longobardorum opibus refectus, per læta, per adverſa, res Cheruſcas afflictabat.* Et in libello de ſitu Germaniæ†, naturam & mores eorum exprimit. Poſt Suevos & Senonas, quorum latiſſimi fines, & innumeri populi erant: *Contra*, inquit, *Longobardes paucitas nobilitat; quod plurimis & valentiſſimis nationibus cinctis, non per obſequium, ſed prælio & periclitando tuti ſunt.* Ex quibus, procul dubio, omnis illa Pauli traditio, qui nihil ſupra memoriam ſuam ſapit, corruit: cum etiam mediæ Germaniæ indigenas fuiſſe appareat.

Huic genti per hæc tempora imperabat Alboinus, quem Narſes, non jam, ut ſæpe antea, ad pericula, certaminaque vitæ, ſed ad tutam, paratamque Italiæ, cujus portæ ſua in manu eſſent, poſſeſſionem vocat. Veniret, liberoſque & conjuges cum viris adduceret, quo firmiores ſibi ſedes futuras arbitraretur. Venientem Alboinum non ſolum omne fere Longobardorum genus, ſed vaginti etiam millia Saxonum cum uxoribus & liberis ſecuta ſunt. Anno poſt natum Chriſtum quingenteſimo & ſexageſimo octavo per Carnos tranſiens Al-

[*] *Annal.* lib. XI. cap. XVII.

† Seu *de Moribus Germ.* cap. XL.

bonus, Ghisulphum nepotem in Foro Julio Duum conſtituit. Inde Tarviſium, Veronam, Vicentiamque, & reliquas Venetiæ urbes præter Patavium & Mantuam capit. Tertio anno in Inſubres
A. C. 570 profectus, intra urbem Mediolanum ſuaſu Honorati Archiepiſcopi recipitur, quam mox contra promiſſa diripi à Barbaris permiſit. Cujus rei indigoitate permotus Honoratus, exulatum Genuam abiit. Dein Papiam Alboinus aggreditur. Munita tum fuiſſe magnis opibus civitas videri poteſt, quæ
A. C. 573. in quartum annum obſidionem protulerit: demum commeatu & ſpe auxilii deſtituta deditionem fecit. Defuncto interea Honorato, Fronto primus Eccleſiaſticorum morum corruptor, pecunia & largitione quæſiviſſe Epiſcopalem ſedem traditur; ac ſubinde cum Eccleſiam ſpoliaret, calicem ſuſtulit, olim munere Theodoſii Cæſaris & Ambroſii opera ſacratum; exſtat in eum Epigramma ſchiſis plenum: ſed quod per flagitium adeptus eſt, condigno exitu, vix decennio exacto, reliquit, hiatu terræ, igneque flamma abreptus.

A. C. 589. Interim Narſes Romæ * moritur, & Longinus illi ſucceſſor à Conſtantinopolitano Imperatore deſtinatus novum in Italiam magiſterii nomen advexit, Exarchus vulgo dictus. Id nomen ſonat, *a Principe*, quaſi videlicet procurator à Principe, id eſt, Cæſare miſſus. Græca omnino dictio eſt, & ab Athenienſibus profectam Merula opinatur, auctore Julio Polluce; quod idem Exarchus apud eos fuerit, qui Romæ Dictator. Sed & Trebellius Pollio Galienum Archontem Athenis, id eſt, ſummum Magiſtratum fuiſſe ſcribit: & Demoſthenes *pro Cteſiphonte* Æſchinem appellat Exarchum viliſſimorum in ſacrificiis miniſtrorum. Obibat autem in Italia Exarchus ea omnia, quæ Regiæ vicis ſunt: nec ab eo provocatio erat. Sedem Ravennæ diutius habuit, cum cætera Italia Longobardorum armis teneretur.

A. C. 574. Cæterum Alboinus, antequam in Italiam deſcenderet, cum Gepidis bellum magnum & periculoſum geſſerat; atque in prælio eorum Regem Chunimundum occiderat; de cujus cranio fecit pateram lamnis aureis ornatam, quam cæteri Reges in pretio habuerunt. Nam & Paulus hiſtoriæ ſcriptor illam ſe vidiſſe refert in manibus Ratchiſii Principis. Alboinus ex eadem victoria inter captivas excellenti forma virginem repertam Roſimundam Chunimundi filiam uxorem accepit, ac ſociam omnis fortunæ, gloriæque habuit. Noviſſime agens Veronæ, ludis, & ſubinde largioribus epulis, operam dabat: atque inter cætera coegit Roſimundam bibere de poculo, quod ex patris capite factum fuerat. Infenſa dehinc viro mulier, conſilia cum Helmigi de eo occidendo init: quod & perpetravit, miniſtro Peredeo adultero. Sed cum mox ipſa Regnum tenere non poſſit, Ravennam confugit, ad opes Longini Exarchi, apud quem pudicitiæ primo honore poſito, cum inſuper minime pro expectatione haberetur, diutius ludibrium de ſe captum non tulit: hauſtoque veneno interiit.

Interea Longobardi apud Ticinum congregati, Regem ſibi creant Clephim; quidam Daphonem appellant; alii Cleb †: ſed hunc nimia crudelitate in ſubditos ſævientem ſecundo anno Proceres interficiunt; & ſeſe in libertatem vindicantes, ubi quiſque vel opibus, vel dignitate pollebant, Tyrannidem corripuere; ac ſe Duces urbium, quas incolebant, vocavere: ut Alom Mediolani, à quo forte vicus ejus domicilio media urbe nobilitatus, curiæ Ducis apud poſteros nomen tenuit: & Zaban Ticini; Wallaris Bergomi; Alahis Brixiæ; Eoin Tridenti, cui Gon-

A. C. 576.

doaldus Rex Bavarorum (ita jam tunc pars Germaniæ vocari cœperat) filiam matrimonio ſponderе non dubitavit: alii quoque alibi ſedes occupavere. Triginta hi omnino fuere, qui per decem annos Italiam ſic laceravere, nullis legibus, nulla religione ſervata, ac ſi hoſtibus conceſſa prædæ omnia fuiſſent. Atque interim ſuperatis Alpibus A. C. Galliam invadunt: multaſque Burgundionum mil- 577. libus interfectis, Amatoque Patricio fugato, ingentes opes in Italiam reportavere.

Tunc Antherim * Clephi, ſeu Daphonis filium Regem creant. Cujus titulo ornando prænomen, A. C. quo complures olim Cæſares uſi ſunt, imponunt 581. Flavium, quod & reliqui deinde Reges uſurpavere. Tenebant adhuc ceu quaſdam Conſtantinopolitani nominis reliquias Siſinnius Seguſium, & Francilio Taurinos, Eporediam, & Comum; nec non Droctulphus Dux Brixellum †: qui gente A. C. Suevus, longe opes inter Longobardos auxerat: & 584. nunc Regi rebellis, quoſcunque poterat milites, in arma contrahebat; nec parum hidebat munitionibus oppidi, quod firmiſſimis tunc muris cinctum fuiſſe fegs. Sed Antheris miſſo exercitu illum ex- A. C. pulit, & oppidum in poteſtatem redactum mœnibus 585. demudat. Droctulphus ad Smaragdum Patricium tunc Exarchum profectus, bellum illi ſuadere conatus eſt. Sed Antheris conditionibus & pecunia id avertit. Ita exul Droctulphus Ravennæ moritur. Ejus ſepulchro duo & viginti verſus inſcripti ſunt, quos & Paulus Operi ſuo inſeruit.

Hortatu deinde Mauritii, qui Conſtantinopoli imperabat, varie bello petiti fuere Longobardi à Childeberto Francorum Rege; ſed & ab ea moleſtia brevi ſe liberarunt; nunc fortiter pugnando; interdum pacis conditiones & ſpem nuptiarum circummittendo. Subinde Francilionem Como pellunt, qui ſe in inſula Larii, quam firmiſſima arce muniverat, incluſit. Sed cum cætera omnia Regi parerent, nec longam obſidionem loci exiguitas pe- 2 teretur, in poteſtatem hoſtium cum uxore venit, & clementius acceptus Ravennam abire permiſſus eſt. Antheris eo congeſtos theſauros ſuſtulit. Tum ulturus Græcorum injurias, dato negotio Eoin Tridentinorum Duci, bellum Iſtris movet, illorumque fines variis rapinis atque incendiis vaſtati fuere.

Interea Rex Antheris ſpe Gallici connubii fruſtratus, mittit ad Garibaldum Bavarorum Ducem, qui matrimonio ſibi depoſcerent ejus filiam Theudelindam ‡. Mirifice eam laudari ex forma pariter & moribus acceperat. Igitur cum cætera jam ita conveniſſent, ut prope ad virum traducenda eſſet virgo, avidus eam conſpiciendi vir, mutato habitu Alpes tranſivit. Tum ſalutato Garibaldo, ſimulans ſe oratorem ſponſi eſſe ad viſendam ſponſæ effigiem miſſum, & cujus unius verbo ac judicio ſtaturus Antheris foret, admitti ſe intra penates petiit. Ibi non ſolum vidit egregia ſpecie fœminam; ſed etiam ex eodem poculo bibit: nec temperavit incalefcens amore vir, quin digitum ejus arctius comprimeret, ac manu leviter vultum attrectaret: quæ animadvertens nutrix, virum ipſum eſſe, & neminem alium talia auſurum, dixit. Inde eo in Italiam ſic, ut iverat, reverſo, traducitur Theudelinda. Magnifico apparatu celebratæ nuptiæ ſunt Sardis Veronenſium vico. Convenerant, ut moris eſt, multi Proceres; inter quos haud in poſtremis habitus Agilulphus Taurinatium Dux: cui familiaris aruſpex ex tonitru & fulgure, quo tunc forte cælum perturbatum erat, captato augurio, prædixit, hanc, quæ modo Antheris eſſet, aliquando ipſius conjugem futuram.

* Gordonus in Sicilia mortuum ſcribit anno 566.
† Alii *Clephonem*.

* Sigonius *Autharim* nominat.
† Alii *Breccilam*.
‡ Alii *Theodelindam*.

Dum

Dum hæc aguntur, miſſis à Childeberto ad Mauritium Grippus Legatus fœdera concluſerat; quorum ſumma erat, ut quam maximis utrique viribus Italiam invaderent, & Regno Longobardum pellerent. Quibus cognitis, Childebertus exercitum eis Alpes mittit: cujus terrores Mediolanum uſque pervenere. Sed cum nuſquam poſtea ulla Græca manus appareret, & propterea Galli inceptum bellum proſequi non poſſent, multis ſuorum amiſſis, domum redierunt. Eo metu liberatus Antheris, omnem pervadit Italiam; penetravitque uſque ad
A. C. 591. fretum Siculum. Unde reverſus Papiæ Nonis Septemb. moritur, veneno, ut creditur, interceptus.

Mox, cum de creando Rege ageretur, Proceres convenerunt, ut is Princeps haberetur, quem ſibi virum Theudelinda delegiſſet. Illa non minus quæ in publicam, quam quæ in privatam conferrent utilitatem penſatis, Agilulphum in Taurinis dominantem virum impigerrimum, & vigore ætatis, tum forma juxta conſpicuum maritum ſibi, & Longobardis Regem, nominavit. Gaumelli oppido inter Ticinum fluvium & urbem Novariam actæ nuptiæ ſunt, menſe Novembri. Proximo Majo eorum Mediolani, & reliqua Regum inſignia, Flaviumque prænomen accepit: & hinc fortaſſe
A. C. 591. conſuetudo inolevit, ut is demum legitime in Longobardos regnare credatur, cui Theudelindæ diadema imponatur, & ſimulacrum veteris Imperii accipiat in eo loco, ubi Regia ſedes diutius manſerit: nam & cæteri poſtea Reges ac Cæſares ipſi, ſimulac Mediolanum venere, inter præcipua & ſolemnia ornamenta id accipiebant. Eſt autem circulus ferreus, quem corona aurea gemmis, margaritiſque ornata extrinſecus circumducta complectitur. Intus ferrum apparet, à quo & nomen tenet. Servatur ea in oppido Modoetiaco medio inter Mediolanum & Abduam fluvium: Modœtium vulgus appellat; quæ tamen dictio à Paulo uſurpatur. Nos vero innitimur Inſcriptione ſaxi, vetuſtiſſimis litteris ad hunc modum ibidem inſculpti:

C. SERTORIVS. L. F. OVF. VETERANVS LEG XVIICVRATOR CIVIVM OMN. OR. MOGVNTIACI

Opulentum oppidum eſt, & Lambro amne alluitur. Hic Theudelinda pulcherrimum templum in honorem D. Joannis Baptiſtæ exſtruxit, ac theſauris ornavit, quorum adhuc magna pars viſitur.

Declaratus Rex Longobardorum Agilulphus, primum omnium pacem à Gallis quæſivit, & impetravit. Tum Maulphum Ducem Inſulæ Davo Julio ſacræ, cui de proximo Novarienſis agri oppido nomen eſt Hortæ, quod cum Gallis ſenſiſſet, ſuſtulit. Gaudulphum Bergomenſem extra Lariuni latibula quærentem ad deditionem compulit, ac mox libertate donavit. Vulpharius item in Tarviſanis rebellans captus eſt. Interim ſanctitate morum & prudentia conjugis mitior factus Agilulphus, ad Religionem Chriſtianam convertitur, aureamque Apoſtolinis, ut ferunt, imaginem conflandam in calices & alia ſacris noſtris apta vaſa conceſſit. Quo exemplo moti cæteri, qui adhuc falſos Deos colebant, iis derelictis, ad eandem profeſſionem tranſiverunt.

Per quæ tempora Mediolanum venit Columbanus, vir integritate vitæ & ſeveriori Religionis cultu venerandus. Gothum genere Merula opinatur. Sed Reginon Abbas ex Hybernia Inſula profectum ſcribit: alii ex Scotia, quæ Britanniæ Inſulæ pars eſt Septentrionem ſpectans: qui Burgundionum finibus expulſis à Brunichilde Regina, benigne à civibus acceptus, locum condendo cœnobio quæſivit. Conceſſit ei Flavius Agilulphus humilem tunc vicum Petri & Pauli ſacello notum, cui Bobio nomen erat. Is ſupra Placentiam xxx. millibus paſſuum ad corrivantes in unum alveum Trebiæ fontes, in profunda valle, modica planicie adjecta, quam altiſſima Apennini montis juga in morem Amphitheatri circundant, ſitus eſt. Id omne ſpatium, quod ab infimo alveo quaquaverſum quinque amplius paſſuum millibus patet, dono Agilulphi, cujus archetypum diploma vidimus, Columbanus accepit, initiumque cœnobio dedit; quod ſectatoribus auctum, & Regum liberalitate ditatum, in immenſum opibus crevit. Nam & ducentos una confraternitate Monachos in eo vixiſſe accepimus; & non ſolum agros & oppida in finitimis regionibus obtinuit; ſed etiam prætores juri dicundo Gardam & Piſcheriam ad lacum Benacum jacentia Abbas & Comes Sancti Columbani Bobii mittebat.

Qua in parte, ut rerum ipſarum ignorantiam, valetudinis infortunio, Merulæ condonemus, (nam ego in rem præſentem profectus, omnia abunde cognovi) certe prudentiam in eo deſidero, qui opinatur, locum ipſum à conditore Columbanum primo dictum; deinde cum in civitatem traductum fuit, id eſt, cum ei Epiſcopalis dignitas delata eſt, quod multis poſt ſeculis, ut oſtendimus, contigit, Bobii nomen accepiſſe: quod manifeſte falſum, & pariter nativam loci dictionem Bobium eſſe, hæc ipſa, quæ inde petivimus, archetypa monumenta declarant. Sed & inter Alpes Cottias ſitam hanc urbem exiſtimavit, ex eorum ſcilicet traditione, qui Alpes Cottias in Liguribus, & Apennino ipſin poſitas putant; qui communis pene omnium recentiorum error eſt: nam Plinius & Ptolemæus ad limites Germaniæ juxta Helvetios non procul à Rheni, Rhodanique fontibus locant. Strabo vero finitimas Vocontiis; & alteram ex duabus viis, quæ ex Gallia Narbonenſi in Italiam ducunt, haberi per vicos Epeſtodunum, Brigantium, Cingomagum, & Ocellum, ubi terræ Cottii finis ſit. Quod etiam noſtri temporis locorum peritis, propter nominum ſimilitudinem, quæ in præſenti durat, ſummopere placet. Cornelius Tacitus tradit, Vitellium ex Inferiori Germania redeuntem juſſiſſe Fabio Valenti, ut Gallias allicere tentaret, & ſi abnuerent, vaſtaret; tum Cottianis Alpibus in Italiam irrumperet. His vero duodecim urbes attributas fuiſſe idem Plinius meminit. Sed mihi ipſe demum ſatisfecero, ſi, quæ Ammianus Marcellinus de iis tradit*, ſubjiciam: *Alpes*, inquit, *Cottias Rex Cottius, perdomitis Gallis ſalus in arguſtis latens, inviaque locorum aſperitate confiſus, lento tandem timore in amicitiam Octaviani Principis receptus, molibus magnis exſtruxit, ... compendiarias & viatoribus opportunas, mediasque inter alias Alpes vetuſtas. ..... In his Alpibus Cottius, quarum initium eſt a Seguſione oppido, præceſſum erigitur jugum, nullis fere ſine diſcrimine penetrabile: eſt enim è Gallis venientibus prona humilitate devexum, pendentium ſaxorum altrinſecus viſu terribile, præſertim verno tempore; cum liquente gelu, nivibuſque ſolutis calidiore flatu ventorum, per diruptas undique anfractus, & lacunas pruinarum congerie ſalebroſas, deſcendentes cunctantibus plantis homines, & jumenta procidunt, & carpenta. ..... A ſummitate autem hujus Italiæ elevi, planities uſque ad ſtationem nomine Martis per ſeptem extenditur milliaria: & hinc alia colliſtudo erigitur, agreque ſuperabilis, ad Matronæ porrigitur verticem: cujus vocabulum caſus fœminæ nobilis dedit: unde declive quidem iter, ſed expeditum, aduſque caſtellum Virgantianum patet. Hujus ſepulchrum Regulis..... Seguſione eſt mœnibus proximum.* Hæc Ammianus. Cæterum archetyporum fides à me citata ſublevat ab opere confutandi longiori oratione ſcripta Pauli Longobardi, qui Columbanum longe ab hoc loco refert ſub Arioaldo.

* *Lib. XV. cap. 2.*

rioaldo. Blondus quoque parum docte hanc partem tractavit: qui & fabricatum cœnobium impensa Adavaldi Theulindæ filii, & Abbatem non Columbanum, sed Gallum, scripsit.

Interea Patricius Exarchus Romam cum exercitu petens, Perusiam, Sutrium, Tudertum, aliaque ejus regionis oppida à Longobardis occupata recepit. Agilulphus, qui tunc Ticini agebat, graviorem tumultum ratus esse, quam qui per legatos comprimi posset, præmissis copiis in Hetruriam contendit: Maurition Longobardum Ducem, qui ad Romanos defecerat, Perusiæ obsedit, atque captum occidit. Efferveſcente deinc gravius bello, Gregorius Pontifex Romanus, comparata prius
A. C. 599. Theudelindæ Reginæ gratia, & studio, preces de pace interposuit, & quietem urbi, civibusque impetravit. Agilulphus Ticinum revertitur. Exstant epistolæ Gregorii ad Regem, Reginamque gratias conceſſæ pacis agentis. Eidem Reginæ suos *Dialogorum* libros idem Pontifex donasse fertur: in quibus multa de moribus & gestis Longobardorum, si quis nosse cupiat, exponuntur.

Incunte deinc Januario mense, stella cometes per totum eum mensem in ortu, occasuque solis visa est; adductique tunc fuere bubali & caballi sylvestres, insolita Italis animalia. Venere item Mediolanum Legati Cachani [1] Hunnorum Regis; quibus pacem petentibus Agilulphus concessit: idemque factitatum cum Gallicino [2] Exarcho Patricii successore, & Theodorico filio Childeberti Francorum Regis, & Brunichildis. Post hæc rebellantes Zangrulphum Veronensem, & Gaidulphum Bergomensem Duces, & Vermacautum in potestatem redegit, & Ticini ultimo supplicio affecit. Tum mortuo Zothone Beneventanorum Duce Arichis Gisulphi Foro-Juliani Ducis consanguineus, & filiorum ejus educator, jubente Agilulpho Rege, subrogatur. Ad hunc exstant Gregorii Pontificis epistolæ petentis ex finitima sylva trabes in instaurationem Romanæ ædis, quæ Principibus Apostolis Petro & Paulo dicata exstruebatur. Gallicinus Exarchus, misso in agrum Parmensem exercitu, intercepit filiam Agilulphi cum viro ejus Gudescalcho', quos & Ravennam adduxit. Cujus rei indignitate exacerbatus Agilulphus, Patavium,
A. C. 602. quæ civitas nullum adhuc Longobardorum Imperium senserat, obsedit; captam diripuit, atque incendit. Inde in Histrorum fines pervenit, ac obvia quæque ferro, ignique vastavit. Tum acceptis à Cachano auxiliaribus copiis Cremonam invadit, captamque & spoliatam solo æquavit. Mox Mantuam quoque expugnat. Qui Brixellum tenebant, vicinarum urbium clade perterriti, fuga locum incendio prius vastatum deseruerunt. Tot populorum damnis motus Smaragdus, qui ejecto Gallicino ad Exarchatum redierat, pacem petit, eamque restituta filia, genero, cæterisque captivis, impetravit.

Peperit inter hæc Theudelinda filium marem in
A. C. 604. oppido Moguntiaco, quem Secundus Tridentinorum Episcopus Paschali die baptismate lustrans, Flavium Adavaldum † appellavit. Eundem mox, quamvis adhuc impuberem, in Circo Mediolani spectantibus Legatis Theodeberti Francorum Regis, cum quibus perpetuam pacem firmaverat, Agilulphus consortem Regni fecit, & ornamentis regiis insignivit, filiaque Theodeberti ejus matrimonio desponsata est. Cum Smaragdo Exarcho bis pax renovata. Missus quoque est Cunstantinopolim Sta-
A. C. 612. bilitianus, qui fœdus & amicitiam cum Phoca Imperatore junxit: à quo Legati cum muneribus ad Agilulphum confirmandæ benevolentiæ gratia missi sunt.

Per hæc tempora Ghisilphus, Foro-Julienſis Dux, bello à Cachano petitus atque acie devictus interfi-

1 Alii *Chagauum*. 2 Alii *Calcinum*.
† Alii *Adevaldum*, alii *Adalevaldum*.

A citur; prolesque ejus omnis paternis opibus pulsa est: nam Romilda ejus uxor cum octo liberis, & constanti in fide populo, cum potuisset vel bellum extrahere, vel periclitando Martem honeste fortunam experiri, corrupta spe Regiarum nuptiarum portas hosti aperuit: à quo statim urbs direpta, ac igni flammisque subjecta est, puberes omnes, & qui ferre arma possent, cæsi: ipsi non alia, quam quæ impudicæ & proditrici debebatur, merces reposita est: nam Regi primo, dein ministris prostituta palo infigitur: quod novum tormenti genus tunc mortalibus visum est. Filii partim capti, alii alio dilapsi varia exilia petiere.

B Cæterum Theudelindæ frater Gundoaldus sub Ducis titulo Principatum Astensium obtinebat: hic ictus sagitta ab incerto auctore missa interiit. Subse- A. C.
cutus mox est Agilulphus, cum quinque & viginti 615.
annos regnasset.

Sub idem tempus atrox & memorandum facinus in Gallis accidit. Regnaverant diu solida concordia & paribus auspiciis Theodebertus & Theodericus fratres, Brunichildæ nepotes, quorum alterum pellice natum sæpius apud alterum criminando, ac proinde minus legitimum, qui æquam Regni portionem obtineret, dicendo, inexpiabile odium inter eos avia serunt; ex quo ad arma, bellumque
C prorupere: in certamine captus Theodebertus cum duobus filiis necatur. Sed nec ita diu rerum potitus victor, ejusdem aviæ dolis veneno interceptus est, & pariter duo filii ejus interficiuntur: quorum morte destitutum Principibus Galliarum Regnum ad Clotarium defertur, qui statim redactam in potestate Brunichildam, ut veneficam, & funestam mulierem caudis equorum alligavit, & lacerari in frusta jussit.

Cæterum Theudelinda impubis filii curam & tutelam suscepit, regnumque illi incolume servavit, quamdiu vixit: & vixisse decennium perhibetur. Defunctam autem anno à Christiana numeratione
D vigesimo octavo supra sexcentum [1], in pariete ædicu- A. C.
læ Moguntiacæ pervetustis litteris notatum est. Ea 628.
defuncta, filius Adavaldus, seu quod nondum per ætatem regni capax esset, seu quod, ut Paulus innuit, inops mentis à communi sensu declinaret, consensu Procerum ejicitur; & ejus loco Rex creatur Arioaldus [2]. De cujus rebus, cum 12. regnaverit annos, Paulus fatetur se nihil legisse. Ergo ad Rotharim A. C.
regni summa defertur, qui in Arianam hæresim de- 639.
lapsus, universos in eandem Longobardos traducere conatus est: nam & instituit, ut bini diversa sentientes Episcopi in unaquaque civitate haberentur, nec ab ea sententia divelli unquam potuit Rex, alioquin fortis animi, & justitiæ cultor. Cum Ticini age-
E ret, anno ætatis suæ xxx. ab adventu autem Longobardorum in Italiam septimo & septuagesimo, le- A. C.
ges in scriptis redigi primus curavit: nam antea ex 644.
quodam usu & vulgari consuetudine Longobardi vixerant, & jura reddiderant. Eas autem breves & apertas proponi temporis & morum qualitas cogit: quæ à posteris acceptæ ad ætatem pervenere nostram. Idem Theodorum Calhopam Exarchum A. C.
Heraclii, qui Phocæ successerat, apud Scultes- 647.
nam Mutinensium amnem, qui vulgo *Panaro* dicitur, debellavit. Deinde Ligures, gentem hactenus Longobardorum armis incognitam, à Luna Hetruscis finitima, usque ad Galliarum fines domuit.

F Interim Beneventanorum Dux Arichis, qui in regno vixit annos quinquaginta, moritur. Et cum unicum filium haberet Ajonem nomine, ob hausta Ravennæ olim medicatam potionem in insaniam actum, duos instituit hæredes Rodoaldum & Grimoaldum: qui Foro Julio extorres ad ejus opes confugerant, atque eorum altero intra quinquennium erepto, ici summa stetit penes Grimoaldum

1 Bellarmino & Baronio An. 626. Gordano 624.
2 Bellarm. 639. Baron. 638, Gord. 636.

per

per quinque & viginti annos. Rotharis autem, exactis regni sui sexdecim annis & quatuor mensibus, Moguntiæ decessit, & in Theudelindæ templo sepelitur.

A. C. 644. vel 645. vel 650. Successit Rodoaldus filius, qui brevi uxorem accepit Gundipergam Agilulphi & Theudelindæ filiam; in qua maternæ religionis, virtutisque specimen inesse videbatur: nec falsa fuit opinio; nam sicut illa Moguntiæ, ita hæc Papiæ Divo Joanni Baptistæ ædem erexit. Adulterii interim infimulatur apud virum; & dum quæstio agitaretur, Carellus minister vel periculo suo ustensurum se dixit, falso id ei crimen impingi; probaturumque, sanctum & castum dominæ suæ corpus esse; ac inibi accusatorem in certamen provocat: cujus exitu proposita suspicio decideretur: pugnatur spectante Rege, nec multo labore prostratus criminator, ut mendacii convictus jugulatur; sicque discrimini Gundipergæ consultum. Sed Rodoaldus, dum à vitio, cujus infimulari Reginam passus fuerat, ipse non temperat, à viro, cujus uxorem constupraverat, quinto Regni sui A. C. anno interficitur. Cui sufficitur Aripertus ex Gun- 656. vel 657. doaldo fratre Theudelindæ nepos, qui novem * regnavit annos. Papiæ templum Salvatoris juxta portam Marencam construxit. Muriturus regnum duobus adolescentibus filiis ita divisit, ut alter Ticini, vel 659. Mediolani alter imperaret: Gundiperto illi, huic nomen Perterico † fuit. Sed inter fratres nec pietas, nec gratia diu stetit. Discordiæ inter eos impudenter nutritæ, utrique exitium attulerunt: nam ad eas tollendas accersitus Grimoaldus Beneventa- A. C. nus Dux, utrumque pariter regno circumvertit: 661. vel nam Gundiperto Ticini oppresso, occisoque, Per- 663. tericus fuga elapsus, ad Cachanum Hunnorum Regem se contulit. Capta ejus uxor Rodulinda & Chunipertus filius Beneventum relegantur. Inventa quoque est furor: sed hanc quia ex Regia stirpe erat, uxorem Grimoaldus accepit. Ticini nuptiæ celebratæ. Cujus mox precibus restitutus gratiæ Pertericus, ex Hunnis & Avaribus revocatur. Reversum in patriam nimium frequens gratulantium numerus, & salutantis populi concursus suspectum eum Regi reddidit; ne quandoque studio amicorum ad res novas, affectandumque Imperium excitaretur. Itaque perdere eum Grimoaldus constituit: sed insidiæ non processerunt; has enim illi parari, ut animadvertit Unulphus servus, alii Unoldum vocant, statim ei culcitram imposuit, & instar vilis mancipii oneratum pugnis, contumeliisque exagitans, toto palatio expulit: inde beneficio noctis adjutum per funem è mœnibus dimisit: ille trajecto Ticino, Padoque, ad Astenses pervenit; ac inde, superatis Alpibus, in Gallias ad Dagobertum, qui Clotario successerat, evasit. Grimoaldus, cognita arte, qua sibi subtractus is fuerat, non solum fidem & industriam servi admiratus est, sed digna præmia obtulit; si isto erga se animo morari in aula vellet; simul facultatem abeundi, eligendique quos optaret, fecit; si Pertericum sequi mallet, atque equos omnibus & viaticum abunde præbuit.

Post hæc invaserunt Italiam Galli, quibus mature, & priusquam agrum Astensem excederent, Grimoaldus occurrit: juxta vicum Rivulum castra posita. Grimoaldus commeatibus abundans, occasionem insidiarum hostibus faciendarum quæsivit, structisque assatim mensis, & cadis vini derelictis, fugam simulat. Galli vere ausugisse rati, irruunt in castra, vinoque & epulis implentur, stratique passim obdormiunt: per intempestam noctem reversus Grimoaldus cunctos pecudum more interfecit.

* Bellarmino an. 2. Baronio 4. Gordono autem 6.
† Alii *Pertharitum*.

A Eo depulso terrore, alter è Græcia tumultus incubuit. Constantinus † Heraclii Athenis comparata classe Tarentum navigat. Inde Beneventum petit, & urbem obsidione circundat, quam tuebatur A. C. Romoaldus Grimoaldi filius. Cui excitus pater cum 663. ferret opem, jamque per Hetruriam copiæ iter facerent, Constantinus Grimoaldo inducias dedit; atque Romam profectus, æreas imagines & omnem fere priscorum ornatum sustulit; pariterque exercitum in Siciliam transportavit: & Syracusis sex annos moratus, demum à suis in balneo proditus interficitur.

B Cæterum Grimoaldus Ticino discedens, procurationem Circumpadanarum rerum tradiderat Lupo Foro-Julienſium Duci, qui diutius absuturum Regem, aut fortasse nunquam reversurum ratus, ita se in exigendis tributis, ac dicendo jure gessit, ut omnino rationem reddere non posset. Quare redeuntem Grimoaldum non exspectavit, & Forum Julium ausugit: ubi dum res novas molitur, à Cachano Avarorum Rege rogatu Grimoaldi oppressus interficitur. Nihilominus ejus filiam Theodoratam jure matrimonii filio Romoaldo copulavit, simul Foro-Julienſibus rebus præfecit Vectcrim genere Vicentinum, qui Ticinum ad salutandum C Regem cum venisset, audivit Dalmatas, seu Histros, in Provinciam suam irruptionem fecisse. Quocirca domum quam celerrime reversus, & contractis copiis eos ad Natisonem fluvium sudit, ac delevit.

Vertit deinde arma Grimoaldus adversus Forum populi: quam urbem observata solemnitate Sabbati ante diem Paschæ, qua quidquid infantium erat, una lustratione baptizari solebat, & propter religionis reverentiam quies esse debebat, improvisus tanto cum impetu irrupit, tantaque fuit militaris intemperantia in cædendis oppidanis, ut etiam Sacerdotes ad ipsa altaria trucidarentur: qua desolatione affecta nobilis Culonia, nunquam postea opes D aut dignitatem recuperavit. Opitergium quoque pari clade subversum est, ac funditus dirutum, cujus ditiu tribus finitimis civitatibus Foro Julio, Tarvisio, & Cenete divisa est.

Novissimis vitæ suæ temporibus Grimoaldus amicitiam & fœdus cum Dagoberto Francorum Rege init: qua ex re suspicatus Pertericus, ne quid in perniciem suam duo Reges constituissent, Gallorum finibus & ditioni excessit, profectusque in Morinos, trajicere in Insulam Britanniam destinaverat: cumque navem jam conscendisset, vocem humana augustiorem audivit, qua in terram revocabatur; atque in patriam quamprimum redire jubebatur; quoniam tertio jam die Grimoaldus deE cessisset. Ergo reportatus ad terram, cum neminem auspicati verbi auctorem invenisset, se tamen omen accipere, & cælestium significationem secuturum dixit. Nec ita multo post cum ad Italiam A. C. iter cepisset, veri nuncii cum litteris & illustres le- 672. gationes occurrerunt, eum in patriam & in Regnum ipsum revocantes: sic deductus Ticinum, Garibaldum Grimoaldi filium ex furore sua genitum dumo exturbat, tertio mense, ex quo ille obierat; tum Legatio Beneventum missa, quæ Rodolindam conjugem, & Chunipertum filium reduceret. Procedente tempore templum Deo liF beratori, & Divæ Agathæ condidit eo loci, quo per funem demissus, infesta patria infeliciter cesserat. Regina autem Mariæ matri ædem exstruxit, cui de viri nomine corruptum apud posteros vocabulum mansit ad Perticas.

Cæterum, cum jam octo regnasset annos, Chunipertum filium consortem regni fecit: decennio iode

† Alii *Constantinus*: Theoph. Baronius, Bellarm. Gordonus *Constantem*.

elapſo, diuturnam ejus tranquillitatem interrupit Tridenuorum Dux Alhais, qui ſuperato Gravione, Bavariæ Comite, tantum virium & nominis acceſſiſſe ſibi putavit, ut vel Regi ipſi bellum inferre poſſe confideret: itaque Regem irritat, ſed cum pernicie ſua. Fuerat vero vetus ei conſuetudo cum Chuniperto, cujus intercеſſione & precibus non ſolum venia donatus eſt, ſed etiam Ducis titulo Brixiam gubernandam accepit. Moritur dehinc Pertericus Ticini, atque in Salvatoris æde ſepelitur.

A. C. 689. Chunipertus ſucceſſor declaratus, Hermelindam Saxonam uxorem ducit: ſed, ut fere accidit, maximum acceptum beneficium Alhais maxima ingratitudine rependit; nec dubitavit diſcrimine vitæ liberatus in capitis, fortunarumque omnium periculum auctorem ſuum deducere: facta enim conſpiratione cum Aldone & Grauſone Brixienſibus fratribus, per opportunitatem abſentiæ Chuniperti, urbem Ticinum, regiamque ſedem invaſit: ſic deceptus Chunipertus in inſulam Larii ſe recepit, & quas potuit opes contraxit. Verum non diu potitus rerum Alhais tam avare, crudeliterque imperavit, ut nec amicis ſuis tolerabilis, quos in acquirendo regno amicos, fautoreſque habuerat; iidem auctores, miniſtrique ejus intervertendi fuerint; bi enim elam cum Chuniperto pacti ſalutem & gratiam, quam in pellendo eo præſtiterant, eandem in reſtituendo operam pollicentur: hortanteſque ne ſibi ipſe deficeret, oſtendunt, Tyrannum crudeliſſimum odio omnibus eſſe. Ita re compoſita, & tempore obſervato, quo longius in venationem Alhais proceſſerat, Papiam irrumpunt, & Palatium occupant. Frequens populus lætus & gratulabundus accurrit; avare, crudeliterque ab anteceſſore geſta deteſtatur, & abroganda cenſet: inviſum eſt omnibus hominis nomen. Alhais fraudis ſibi impoſitæ nuncio accepto in Placentinos feſtinat; inde ad Venetiæ civitates abiit: ex Foro Julio, Hiſtriaque, & Dalmatia non ſpernendas copias contraxit, cum quibus ad Inſubres contendens, obvium circa Abduæ ripas Chunipertum habuit. Accenſi utrinque in alterum animi erant; illis arte ſua creptas ſibi opes, proditumque regnum indignantibus; his vero, ne denuo in ſævi Tyranni manus devenirent, enitentibus: nec mora, in aciem deſcendunt, collatiſque ſignis dimicatur: cruenta undique editur pugna: demum ceſſere loco Foro-Juliani, & denudatus ab eo latere Alhais vulneratur, atque irruentium impetu obruitur. Patratæ nobilis victoriæ locum Chunipertus ſignavit, æde exeitata in honorem Divi Georgii. Venit deinde ad eum Rodoaldus Foro-Julianorum Dux, pulſus domo fraude & armis Anſifridi, qui Veronenſium etiam ſtatum tentare auſus capitur, & Ticinum ductus exoculatur. Forum Julium autem mittitur Addo Rodoaldi frater, qui Conſervatoris nomine res adminiſtraret. Erat ſoror Chuniperto nomine Vinilinda: hanc ut prodignitate, & præſentibus opibus matrimonio locaret, junxit A. C. 685. Grimoaldo Beneventanorum Duci, filio Romoaldi, qui Tarenti, & Brunduſii, totique Apuliæ, pulſis Græcis, imperabat.

A. C. 671. Cæterum cum jam agerentur à Chriſto nCLXXII. anni, quanquam quidam addant decennium, Synodus habita Conſtantinopoli eſt, cauſſa diſcutiendæ hæreſeos à Gregorio Patriarcha non multo ante exeitatæ. Miſſi ab Italia Legati complures, auctore Agathone Romano Pontifice, fuere: inter quos Damianus Ticinenſis Epiſcopus & Manſuetus Mediolanenſis multa ad rectum judicium coadjuvandum attulerunt: per quæ tempora ex inſula Britannia profectus Cedoal Rex, Romanæ peregrinationis gratia, iter per Circumpadanas civitates habuit, in quibus benigne & ampliter à Chuniperto ſuſceptus fuit: quo Romæ defuncto, Chunipertus quoque diem obiit, ſepultus Ticini in æde Salvatoris: ſucceſſorem reliquit Luitpertum A. C. puerum ſub tutela Aſprandi viri notæ fidei & 700. prudentiæ: ſed neque tutoris auctoritas & diligentia, neque pupilli ætas & innocentia tutum eum à vi præſtant.

Ragimbertus Taurinatium Dux, cujus pater Gundipertus à Grimoaldo occiſus fuerat, atque ipſe domo ejectus per læta, per adverſa jactatus, paternas tandem opes recuperaverat, bellum Regi puero intulit: apud Novariam acie decertatum: victi Luitpertus & Aſprandus finibus cedunt; ſed exigui temporis uſuram regni Ragimbertus cepit; etenim intra annum fatis conceſſit: cujus morte Aripertus frater * regnat. Hic inquietas primo res habuit; nam, molientibus res novas Luitperto & Aſprando, quibus auxilia præbebant Rotharis Bergomenſium Dux, & non pauci alii Longobardorum Proceres, maximum in Regni, ſalutiſque periculum adductus eſt: denique non procul Ticino res Marte diſcuſſa eſt. Captus Luitpertus in balneo exſtinguitur. Aſprandus in inſulam Larii, quæ munitiſſima arce tenebatur, Rhotaris Bergomum confugere. Aripertus victoriæ curſum ſecutus, Laudem primo Pompejam, in quam alia manus adverſariorum ſeſe receperat, deinde Bergomum expugnat. Captum Rhotarim & Fereodum Regem capillo & barba tonſos in Taurinates relegat: quibus cognitis Aſprandus inſula & toto Lario ceſſit, atque per Clavennates faltus ad Curiam Rhætorum urbem, Vallemque Rheni, & inde ad Theodopertum Bavarorum Ducem evaſit. Aripertus inſula potitus, arcem, quæ diſſidentium receptaculum, & quoddam veluti aſylum rebellantibus fuerat, demoluur.

Clavennatis tractus mentio admonet, ne ſilentio tranſeamus, hunc eſſe Comenſis Italiæ locum, in quo Plinius tradit gigni lapidem tornatilem, & qui in vaſa coquendis cibis & eſculentis utilia cavatur, quem Merula parum peritus regionis in alteram lacus ripam Bergomatibus contiguam, cui vallis Saximæ nomen dicunt, tranſtulit; ubi nulla prorſus ejus lapidis vena eſt.

Cæterum duos babebat Aſprandus filios, qui ambo in poteſtatem victoris venere: quorum alteri Sigiprando eruti oculi ſunt; Luitprando ſaluti fuit ſimplex ætas, & hebetis ingenii vulgata opinio; ex quo ſervatus incolumis ſecutiori poſtea ſeculo ad patrem etiam abire permiſſus eſt: nam & duas ex regia ſtirpe ſuperſtites matronas Theodoratam conjugem, & Aurnam filiam Romoaldi, quod intempeſtivis ſermonibus non deſinerent conflare invidiam Regi, quaſi Regnum ad ſe jurеſpectaret, auribus & naſo mutilari Aripertus juſſerat; vir alioquin minime crudelis, & juſtitiæ cultor: ſolebatque ſæpe diſſimulato habitu per urbem ambulare, ſciſcitando, explorandoque, qui de ſe ſermones vulgo haberentur, & quæ integritas in Magiſtratibus foret: eundem Merula ſecutus Blondum credidit donaviſſe Romanæ Eccleſiæ Cottias A. C. Alpes; ſed Paulus hiſtoricus non tam primæ dona- 700. tionis auctorem, quam ab aliis jam factæ confirmatorem, docet fuiſſe.

Eodem tempore orta in Longobardis eſt controverſia inter duos Epiſcopos de jure Eccleſiæ. Benedictus Mediolanenſis, qui Manſineto ſucceſſerat, jus ſibi eſſe aſſerebat inſtituendi, ſacrandique Ticinenſem: at contra Papienſis majores ſuos nonniſi à Romano Pontifice inſignia Epiſcopalia ſuſcepiſſe contendebat: demum rejecta res eſt ad Conſtantinum, qui tum Romæ ſummum Sacerdotium obtinebat: & is ſecundum Ticinenſem judicavit; ex quo deinde per omnem poſteritatem ad noſtra uſque tempora Romanam ſolam, &

* Alii filium ſcribunt.

non

non etiam Mediolanenſem Eccleſiam ſine controverſia Papienſis agnovit.

Interim Addone defuncto, Perdulphus genere Ligur, titulo Ducis Foro-Julium mittitur: qui victus Dalmatis ad bellum irritatis, & populis ſuis calamitatem & ſibi ipſi exitium attulit; nam acie victus interiit, cui ſuffectus Corbulus brevi exoculatur, & res ad Pemonem Bilonis filium defertur, qui pace undique parta, Ratpergam conjugem ſortitus, tres filios mares ſuſtulit, Ratchiſium, Ratchaitum, & Aiſtulphum, quorum nemo non majoribus fortunæ magnitudine atque dignitate præluxit.

A.C. 721. Cæterum Aſprandus, cum jam novennium apud Bajoarios exulaſſet, contracto juſto exercitu, ad Italos rediit. Aripertus, ſe haud dubio bello peti cernens, in aciem deſcendit, & victus eſt, & cum ex fuga Ticinum equo tranſnaret, mergitur, cujus cadaver poſtridie ejus diei cum auro inventum, communi aliorum Regum ſepulchro in Salvatoris æde tumulatur. Frater ejus Gunipertus trans Alpes in Gallias evaſit: quem ſecutus Ragimbertus filius, quo boneſtius exilii incommoda ferre poſſet, Aurelianenſis urbis præfecturam adminiſtravit. Aſprandus autem poſt eam victoriam tres tantum menſes vixit.

Luitprandus filius conſenſu Procerum in Regno firmatus, ante omnia fœdus & benevolentiam Theodeberti, cujus opibus & fide diuturnas exilii ærumnas toleraverat, ac demum regnum recuperaverat, continuandam, conſervandamque perpetuo duxit: ita Gontrudam ejus filiam brevi uxorem accepit; amicitiam quoque cum Carolo hujus nominis primo, Principe trans Alpes longe potentiſſimo, init. Erat jam tum, poteſtate Regia ſequeſtrata, & nomine ſolo retento, jus omne Imperii penes Aulæ Magiſtrum, qui *Majordomus* vocitabatur, quem gradum aſſecutus ante pater ejus fuerat Pipinus hujus nominis primus; ſingulari namque probitate & prudentia vir à Clotario Rege datus cuſtos Dagoberto filio Auſtriam regenti, ita adoleſcentem tractaverat, ut poſtmodum idem vir factus, &, defuncto patre, Rex Francorum nominatus, Sigibertum filium eidem educatori eadem in Provincia inſtituendum reliquerit, cujus muneris diuturnitate ſummas opes, auctoritatemque nactus, primum potentiæ locum obtinuit, eademque in ſpe Carolum filium enutrivit: & quamvis ei poſt ſublatum ex humanis Pipinum non parum difficultatis æmulorum invidia & contraria ſtudia fecerint, noviſſime tamen, ſuperatis adverſariis cunctis, Carolus prælatus eſt: oblatam Longobardi Regis amicitiam tanti ſtatim Carolus fecit, ut

A.C. 714. filium, quem tunc impubem habebat de patris nomine Pipinum, cis Alpes ad Luitprandum miſerit, cui capillum ſolemni more detraberet; id enim officii genus religioſum quoddam & neceſſitudinis vinculum inter contrahentes concilabat. Tonſus cæſariem Pipinus, ac Regiis muneribus ornatus, ad patrem rediit.

Cum vero jam duos & viginti annos Carolus potitus rerum eſſet; in diſcrimen Imperii venit, invaſione novæ in terram Galliam Barbariæ. Saraceni, gens quidem multis hinc retro per Europam celebrata victoriis, ſed cujus originem, ſitum, moreſque ab eruditis ſcriptoribus memoriæ traditos hic à nobis colligi operæ pretium ſit, ob negligenter nimis tractatam hac parte à recentioribus antiquitatem: nam neſcio, quomodo niſi à ſe excogitata etymologiæ ratione infatuati quidam non dubitaverint ſcribere, ab Sara Habraæ uxore formatum fuiſſe Saracenorum nomen, quibus M. Antonium Sabellicum rerum Venctarum ſcriptorem acceſſiſſe miror: qui tamen, ut reconditi aliquid afferret, opinatus eſt à Sarraca Felicis Arabiæ oppido formari id nomen potuiſſe: ego vero in *Chronicis* Euſebii ad hunc modum lego: *Habraam ex ancilla Agar generat Hiſmaelem filium, à quo Hiſmaelitarum gens, qui poſtea Agareni, & ad poſtremum Sarraceni dicti.* Ammianus Marcellinus in deſcriptione Perſidis, contingere eam dicit Albanos, mare rubrum, & Scenitas Arabas, quos Sarracenos poſterior ætas appellaverit. Ptolomæo quoque receptum id nomen eſt in Arabia Petræa inter Melanes, id eſt, nigros montes, & Ægyptum. Flavius Vegetius in libris *de Re Militari*, Perſis ſagittandi peritiam, Hunnis, Alaniſque equitandi ſcientiam, & decorem, currendi velocitatem Indis, Sarraceniſque attribuit: & quamvis paulo longiora videantur quæ de iiſdem habet idem Marcellinus *: tamen quia graphice omnia exprimuntur, & digna ſunt, quæ ubique legantur, ea ſubjiciam: *Saraceni tamen nec amicos nobiſcum, quam nec hoſtes, ultro citroque diſcurſantes, quicquid invenire poterat, momento temporis vaſtabant; milvorum rapaci vitæ ſimiles, qui ſi præda deſperatur celſius, velatu rapiunt celeri... Apud has gentes, quarum exordiens initium ab Aſſyriis ad Nili cataractas, & confinia Blemmyarum porrigitur, omnes pari ſorte ſunt bellatores, ſeminudi, coloratis ſagulis pube tenus amicti, equorum adjumento pernicium, graciliumque camelorum per diverſa reptantes, in tranquillis, vel turbidis rebus. Nec eorum quiſquam aliquando ſtivam apprehendit, aut arborem colit, aut arva ſubigendo victum quærit, ſed errant ſemper ſpatia longe lateque diſtantia, ſine lare, ſine ſedibus fixis, aut legibus; nec idem perfrunt diutius cælum, aut tractus unius ſoli illis placet. Vita eſt illis ſemper in fuga; uxoreſque mercenaria conducta ad tempus ex pacto; atque ut ſit ſpecies matrimonii, dotis nomine futura conjux haſtam & tabernaculum offert marito, poſt pactum diem ſi id elegerit, diſceſſura: & incredibile eſt, quo ardore apud eos in Venerem utrumque ſolvitur ſexus. Ita autem, quoad vixerint, late palantur, ut alibi mulier nubat, in loco pariat alio, liberoſque procul educet, nulla copia quieſcendi permiſſa. Victus univerſis caro ferina, lacteſque abundans copia, qua ſuſtentantur, & herba multiplices, & ſi qua alites capi per aucupium poſſunt; & pleroſque nos vidimus frumenti uſum & vini penitus ignorantes.* Hactenus Ammianus. Hi ergo prolatis Aſia, Africa, & magna parte Europæ armis Galliam nunc tentabant. Carolus A. C. 721. eos ad Narbonem fudit: ſed cum jam tenerent Sardiniam, Baleares, & Hiſpaniam univerſam, facile reparatis viribus, biennio poſt eandem Provinciam invadunt. Tranſmiſſi navibus ad Stœchades inſulas, & oſtia Rhodani, quas nunc vulgo *Aquas mortuas* vocamus, urbem Arelatem capiunt: majoris negotii res hæc Carolo viſa eſt, quam quod A. C. 730. propriis tantum exercitibus ſuſtinere, aut conficere poſſe confideret: itaque ad auxilia & opem amicorum circumſpiciens, Luitprandum in primis rogat, ne ſibi adverſus immanem, perniciosamque gentem deſit: haud cunctatus Luitprandus Alpes A. C. tranſit: advenientis fama haud dubie conterriti Bar- 731. bari, collectis vaſis receſſerunt.

Vixit deinde biennio non amplius Carolus, cum ageret Principatus ſui annum vigeſimum ſextum; ex quo autem Chriſtum Deum habemus ſeptiescenteno & quadrageſimo ſecundo, duobus liberis A. C. ſuperſtitibus, Pipino, cujus ſupra mentio facta 741. eſt, & Carlomanno, qui diviſum inter ſe Regnum baud ultra unius Olympiadis ſpatium babuerunt; nam Carlomannus Divinorum meditatione captus, ac Romæ Monachum profeſſus, integra omnia Pipino ſecit.

Certior interim factus eſt Luitprandus, oſſa D. Auguſtini, quæ vaſtantibus Africam Vandalis, tranſlata olim in Sardiniam fuerant, nunc nullo in pretio ibidem haberi, & poſſe vel modico

* *Lib. XIV. cap. IV.*

ære ab ignaris Barbaris redimi. Ergo Luitprandus A
missis cum pecunia nunciis, ex insula Papiam deportari sacrum corpus curavit, ubi nunc quoque religiose adoratur.

Cæterum Luitprandus per duos & triginta *annos, quibus regnavisse eum lego, multa præclara & memoratu digna egit, sed inopia scriptorum, & mutilatione Pauli, cujus potiorem, quæ de suis temporibus erat, partem subtractam video, vix summa rerum capita colliguntur; nam & Feroaldum Spoletanum Ducem obsidione Ravennæ decessisse memorat, & postea quam restituta Romanis fuerit, ab eodem Luitprando obsessam, classem hostium fugatam, & deinde gravem cladem apud Ariminum cæso exercitu acceptam, pulsum Italia Exarchum, Eldeprandum Luitprandi nepotem, & Peredeum Vicentinum Ducem curiæ urbis Ravennæ Præfectos, Exarchum ad Veoetorum opes confugisse, quorum auxilio & classe adjutum Ravennam renavigavisse, cum hostibus prospere pugnasse, captoque Eldeprando, Peredeum fortiter dimicantem occubuisse: desisse deinde in Italia versari Exarchum arbitror; quamquam alii in Æstulphi tempora rejiciant: causa, ratioque in obscuro est; sed quoniam nonnulli crediderunt, hunc Magistratum Ravennæ fines non excessisse, coarguendum errorem hic esse duximus. Haud quidem abnuo, præcipuum Exarchi domicilium Ravennæ fuisse, & inde eam Provinciam Exarchatum nuncupatam; sed alibi quoque id nomen viguisse probabitur: nam & Gregorius Pontifex Romanus Epistolam inscribit Gennadio Patricio, & Exarcho Africæ, & Merula noster in quadam *Epistola* testatur, Paulum Diaconum tradere, Exarchum Italiæ Mediolani sedem habuisse: cujus rei quidem diu anceps fui, nec nunc quoque satis liquet. Quod vero magis ad rem facit est tabula antiqui operis in æde Portiana ad hunc modum inscripta:

D. M. AVRELIO. IANVARIO. SIGNIF EX. NVM. DALMAT. FORT. ET AVRELIO. VALENTIANO. EXARCHO. POSVIT. AVRELIVS. PATER IANVARIVS. VIXIT. ANN. XXII MENS. V. DIEB. VI. VALENTIANVS VIXIT. ANN. XXXII. MENS. III DIEB. V

Cæterum Eldeprandus † ex ea captivitate dimissus, ad patrem rediit, designatusque successor ægrotanti fuit: acta res Ticini: sed cum perambulanti urbem cuculus avis sceptro, quod manu tenebat, insedisset, ac querulam vocem emisisset, ceu obscœno osteuto deterriti Proceres, Regem repudiarunt, quem tamen restitutus valetudini Luitprandus consortem regni habuit: cumque jam tres & viginti annos regnasset, Manigunda matrona opulenta Cariati vico Sepriensis Præfecturæ cœnobium Mariæ Virgini exstruxit, prædiisque ditavit, quo perpetuæ virginitatis mulieres alerentur: inventumque nuper ibi cadaver est, cum veteres ruinæ purgarentur, aurea veste, aureisque fibulis, & cingulo circumdatum. Exstant archetypæ tabulæ cunditricis commendantis tutelam loci Anastasio Bernardo Ticinensi Episcopo; ut tamen à Mediolanensi Antistite consecretur, & perpetua ejus sub commendatione maneat.

Cæterum compluribus aliis locis sacras ædes Luitprandus exstruxit, & in Bardono Parmensis Apennini jugo Berectum, & in Palatio suo Salvatoris domum cum sacerdotibus, quod nulli Regum ante fecerant: prisco Longobardarum legum volumini non pauca addidit: & cum forte obequitans, quiddam patum ex fide mensurari animadvertisset, ad corrigendam mensuræ iniquitatem pedem sunm super lapidem circumscribi jussit: unde & Luitprandi pedis appellatio, cujus mensura sesquipedalis est, & in stillicidiorum controversiis dirimendis usurpatur.

Post Luitprandum Ratchisius regnat, qui pace cum Romanis in viginti annos constituta, cam mox fregit; cumque jam multa in Hetruscis, Umbrisque occupasset, Perusiam obsedit, à quo bello hortatu Zachariæ Pontificis destitit. Reversus Ticinum, recenti Carlomanni exemplo regnum Aistulpho fratri resignat; eum uxoreque & liberis Romam profectus, religioni se dedidit. Agebantur jam anni à Christo septingenti & quinquaginta, cum Natalis Archiepiscopus Mediolani templum, in quo & sepultus est, Georgio Martyri ædificavit in ea urbis parte, cui Palatii nomen est. Et trans Alpes Pipinus, domitis rebellibus, rebusque ad arbitrium compositis, dignum potentis titulum quærit. Adstipulante Zacharia Pontifice, conventus nobilitatis Gallicæ Suessione habetur, ubi solemni more, operante rem divinam Bonifacio Moguntiensi Archiepiscopo, Rex creatur, & sacro oleo unctus ex auctoritate Zachariæ coronatur. Sequenti anno, cum interim defuncto Zachariæ Stephanus Secundus suffectus fuisset, Aistulphus Ravennam occupat: inde multis aliis Flaminiæ, Picenique urbibus captis, Umbriam, Tusciamque populatur, propiusque Romam castris collatis, tributa populo imperat; Sacerdotes varie vexat; & cum neque precibus, neque auctoritate Pontificia, nt cessaret, moveretur, Stephanus in Gallias contendit, illatas à Tyranno injurias expostulat: sed quo minus optata decernerentur, obfuit adversa ejusdem valetudo, qua per anni pene curriculum ad extremum usque spiritum laboravit: pulso tandem morbo, pristinoque robore recepto, solemni die Pipinum Regem, Bertradamque Reginam, & ex utroque natos liberos, Carolum, cui postea de rebus gestis *Magno* cognomen fuit, & Carlomannum, omnemque eorum posteritatem in Francorum Reges sacravit anno 753. Tunc veluti in impios Barbaros peregrinatione indicta, magnis apparatibus bellum adversus Aistulphum suscipitur: quos motus sentiens Longobardus, vires regni circa fauces Alpium contrahit, aditusque occupat; sed minime arcere hostem potuit: expositis ergo in plano copiis, acie decertatur. Victus Aistulphus Papiam se recipit, in qua inclusus de concordia agit, polliceturque, se Pontifici satisfactutum, in idque datis quadraginta obsidibus inducias, & mox firmam pacem impetrat: quibus constitutis Pipinus exercitum solvit, & Pontifex per ejusdem Legatos Romam reducitur: sed promissa Aistulphus non præstat; quin immo contractis undique militibus, denuo Romam bello incessit: qua re revocatus in Italiam Pipinus, cum iterum Papiæ obsedit: compulsus Aistulphus ad easdem conditiones paciscendas, quæ sua erant Ecclesiæ restituit; dumque hæc transiguntur, ictus ab apro in venatione occiditur, anno Christi 755. Ejus morte Desiderius regnat, qui aliquot annos pacem & fœdera cum Ecclesia coluit. Cœnobium Clivati in Incinati præfectura in honorem Petri Apostoli condidit, & locupletissimum fecit.

Jam agebatur annus à Christo 767. cum Francorum Rex Pipinus Parisiis octavo Id. Octobris fatis & naturæ concessit; & duo filii regnum diviserunt: ortæque inter eos simultates, quadriennio alterius morte finitæ sunt: transeuntibus in alterius partes Volcano & Folrado Episcopis, & Verrino atque Adalardo Comitibus, qui præcipuam auctoritatem sub Carlomanno obtinuerant, ad unum Carolum integri Regni nomen devolvitur; qui Longobardi Regis amicitiam retinendam statuit, atque adeo filiam Desiderii non sine magnis Bertradæ

A. Ch. 749.

A. Ch. 750.

A. Ch. 754.

A. Ch. 753.

A. Ch. 755.

A. Ch. 767.

* Bellarmino xxx.
† Alii *Hildebrandum*.

dæ matris precibus uxorem accipit Carolus: ſed hujus conſuetudinem haud diu coluit: cauſa ignota eſt: eam poſt annum repudiavit, & quidem plurimum reclamante Bertrada: duxit deinde ex heroibus Germaniæ Hildegardam Suevam. Deſiderius quoque inde ſibi generum adſcivit Taxillonem Bavariæ Ducem, & aliam filium nuptui collocavit Arichi Beneventanorum Duci, cui Aldeperga nomen eſt.

Orta eſt deinde gravis ſeditio Romæ de Pontificatu: & cum Deſiderius plus æquo diverſæ parti faviſſet, non levem à Stephano Tertio offenſam contraxit, quæ aucta eſt alterius ſacerdotii controverſia; namque defuncto Sergio Ravennate Archiepiſcopo, Deſiderius & Mauricus Ariminenſis Michaeli nullis ſacris initiato, Stephanus, Clerus, & univerſa civitas Leoni Archidiacono ſtudebant. Deſiderius vi potior terrorem adverſariis undique incutiebat: cum ad bellum haud dubia res ſpectaret, Stephanus moritur; Hadrianus nobilis Romanus ei ſufficitur. Hic majoribus viribus reſiſtendum hoſtibus ratus, Petrum familiarem per mare ad Carolum miſit, qui ſuppetias oppreſſo Pontifici & laboranti Eccleſiæ rogaret. Carolus magnæ deliberationis gratia Proceres ad conſilium vocat, & omnium conſenſu bellum decernitur. Præmiſſis per varios ſaltus copiis, Carolus ad lacum Lemanum, & Gebennam oppidum profectus, ad Eporediam deſcendit, & Bernardo avunculo, qui per montem Jovis venerat, conjunctus eſt. Jam Deſiderius venientium fama cognita, quo propius Alpes eis occurreret, caſtra ſupra Vercellas contulerat: ſed veritus à multitudine circumveniri, retro Papiam ſe recepit; id quod pro confeſſione fugæ Galli accipientes, quicquid terrarum relictum erat, populatur; deinde Papiam obſident, munitionibuſque circundant, & neceſſaria bello expediunt. Incluſi omnia perferunt, atque in hyemem res pertrahitur: & ſolemnes Chriſti nativitate dies Carolus in caſtris egit. Mox cum longior obſidio futura videretur, ſubeunt vere anni 774. relictis A. C. Ducibus, qui caſtris præeſſent, Romam Pontifi- 774.
cem adoraturus proficiſcitur; & Paſcha apud Hadrianum celebravit: reverſus Papiam vi cepit. Deſiderium cum uxore, filia, & theſauris captivum in Galliam duxit. Filius Adalgiſius victoris manibus elapſus, cum de regno actum cerneret, in Græciam ad Conſtantinopolitanum Imperatorem abiit: cæteri Proceres Ciſalpinæ oræ, & ex reliqua Italia legationes ampliſſimæ tunc Papiæ Carolum adierunt, ac ſe, ſuaque dedentes ad ejus nutum res compoſuere.

Ita Longobardorum Imperium, qui in Italia ducentos & eo amplius annos regnaverant, & de quorum nomine nobiliſſima pars terrarum, quæ inter Alpes & Apenninum patet, Longobardia dicta eſt, deſiit: per quorum tempora video etiam, aucta linguarum colluvie, novum hoc genus ſermonis, quo vulgo Itali utimur, exortum; nam cum plurima Latina, multa mixta ex aliis atquè aliis habeamus, quæ hoc latus Italiæ influxerunt, ut ex Græcis *cometem* pro ſydere terrifico, & *paraphrenalia* bona, quæ dotibus adjiciuntur, ex ipſis Longobardis, *Barbam* pro patruo, vel avunculo, & *Matrinam* pro noverca, *curtem* pro aula, curiave, *ſoldum* pro certa pecunia, & non pauca alia, quæ in eorum legibus leguntur, retinuimus. Cæterum Carolus rebus Italiæ compoſitis, & relicto Papiæ Gallico præſidio, trans Alpes abiit.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER V.

EPITOME.

Carolus ſapius in Italiam revertitur: ſemel ad Longobardorum reliquias conſumendas; iterum cum uxore ac filiis Pipino & Ludovico, quos Roma ab Adriano Pontifice ſacro fonte luſtrandos, Regeſque, hunc Aquitaniæ, illum Italiæ, dicendos curavit; tertium Adriani evocatione, qui Herigautum Beneventanum bello agitari cupiebat: per quod tempus Mediolani xenodochium infantium expoſitorum conſtitutum, adeſque Sancti Ambroſii aucta cœnobio eſt; poſtremum ut Leonem Pontificem, qui à Romanis malè acceptus ad ſe confugerat, loco reſtitueret: à quo eum ſua in Romanos Pontifices obſervantia fructum retulit, quod Magnus, & Imperator, & Cæſar appellatus eſt. Eodem in Galliam reverſente, Italicum, Gallicumque ſolum ingens tremore concuſſum eſt: inibi vero deincepſ ſedentem Legati ab Rege Perſarum nec ſemel cum peregrinis muneribus convenerunt, horologio præſertim horas pulſante valde operoſo, à quo reliqua poſtea exſtitere: ætate jam devexa, ſcripto teſtamento filium Pipinum Italiæ Regem conſtituit: qui maritimis aliquot contra Saracenos & Venetos præliis feliciter geſtis Mediolani fato præpropero tollitur: demum pace cum Michaele Orientis Imperatore firmata, Bernardum Pipini filium Regem Italiæ, Ludovicum vero Pium, ſeu I. ſolum ex tribus filiis ſuperſtitem, Imperatorem dicit, ac meritur; cubiculi ſupellectile Metropolitanis ſui Imperii Eccleſiis legata: quadriennio poſt Bernardus à Ludovico patruo, quod ejus in caput conjuraſſe diceretur, ſeu bello, ſeu dolo captus, ſupplicio afficitur: nec à ſuis liberis ſecurior Ludovicus, quam à fraternis fuit: illis enim una cum Epiſcopis, & Proceribus conſpirantibus, Regno ac libertate ſpoliatur: ſed utrique reſtitutus, filiiſque in gratiam receptis, diem obit. Lotharii totum ſibi imperium vindicante, Carolus & Ludovicus fratres jus hereditarium bello proſequuntur: apud Fontanicum fraternis odiis tanta utrinque clade pugnatum eſt, ut Gallica virtus concidiſſe ſit viſa: certe externis hoſtibus deſtitit eſſe formidini. Regnum deinde fratres ita partiti ſunt, ut Carole Occidentalem, Ludovico Orientalem Galliæ partem adeunte, Lotharii Narbonenſis, & ea, quæ poſtea de ejus nomine dicta eſt Lotharingia, una cum Italia, & Imperatoriis inſignibus cederit: quam totam ditionem anno imperii XV. tribus filiis partitur; & Lotharii junioris Lotharingia,

Carolo Narbonenſi, Ludovico hujus nominis Imperatori II. Italia cum Romanis Imperii prærogativa permiſſa, monaſticam vitam amplectitur. Ludovicus II. junioris Lotharii morte Lotharingiam adeptus cum Beneventano Duce una cum magna veteris Italiæ parte ad Græcum Imperatorem deficiente bellum gerit: Ravenna in deditionem accepta, Beneventi obſidione digredi cogitur; nec multo poſt eteam vita: ergo Carolus II. frater, cognomento Calvus ad urbem feſtinat, & Imperii inſignia ab Joanne VIII. accipit, qua mox in tranſitu Alpium cum vita deponit: excipit filius Ludovicus Balbus, eaque ſequenti anno moriens Carlomanno filio relinquit: triennio poſt Carolus Craſſus Ludovici fratris ſuperſtitis Caroli filius ex Germania in Italiam profectus, cum ipſam totam deditione, tum Imperatoris decora ejuſdem Pontificis propenſione accipit: Germaniamque repetens Saracenos Galliam vaſtantes cum Carlomanno, & Ludovico Regibus ad pacem traduxit, Normannia illis permiſſa, eorumque Rege de ſacro fonte, quo etiam gens univerſa initiata eſt, ſuſcepto: Carlomanno vita excedente, Gallia Regnum deferentibus Proceribus capeſſit; ſed triennio poſt inutilis ad res gerendas abjicitur, deſeriturque ab omnibus; & rerum omnium inopia laborans magnum præbet fugientis fortunæ documentum: interim aliis gentibus Regem alium adſciſcentibus, Normannis & Hungaris late ſeſe in Galliam, Italiamque effundunt. Vuidonis Italia, exacto Berengario, imperat: ſed tandem Arnulphus Tranſmontanorum votis pridem ad Imperium vocatus, in Italiam profectus a Formoſo Pontifice coronatur Imperator, quo cum triennio poſt Carolorum progenies interiit: quare Itali Berengario inſenſi, eo iterum ſubmoto, Ludovicum Boſonis filium ad Imperium Italia evehunt, quod Berengarius, eo occiſo, tandem occupat, & ad Henricum I. uſque producit, Andrea Carcano enterim Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtrante.

BIENNIO poſt Rotgandus Foro-Julianorum Dux ex reliquiis Longobardorum nova adverſus Gallos mire conſilia vaſus eſt: cujus motus tanti Carolus ſecit, ut iterum in Italiam ſibi deſcendendum ſtatuerit: & profectus Forum Julium, Rotgandum cepit, & capite mulctavit; & Tarviſii Paſcha egit ejus anni, qui A. C. 776. ſeptingenteſimus ſeptuageſimus ſextus: tum in illis urbibus, quarum fidem nutare cernebat, cuſtodis impoſitis, in Gallias revertitur: exactis inde duobus annis; per quod tempus Saxones Germaniæ, & Cæſaraugustam, & Pompejopolim, ac Pampilonam Hiſpaniæ urbes dunuit, Carolus tertio in Italiam venit, Hildegarda conjuge comitatus, & Pipino, ac Ludovico filiis. Papiæ brumalibus diebus peractis, A. C. 781. ſequenti vere anni 781. Romam proficiſcitur, luſtratique filios baptiſmo ab Hadriano Pontifice, & declarari Reges, illum Italiæ, Ludovicum Aquitaniæ curavit, ſeque Francorum, Longobardorumque Regem, Patriciumque Romanum inſcripſit, & profectus eis Apenninum Mediolani Ghiſlam filiam ab Thoma Archiepiſcopo baptizari curavit: inde reverſus in Galliam Hildegardam conjugem, & matrem Bertradam, eodem anno, qui fuit à Chriſti A. C. 783. ſupputatione ſeptingenteſimus & octogeſimus tertius, amiſit. Et jam quidem Hildegarda ſex ei filios procreaverat, Carolum, & quos duos ſupra memoravimus, Pipinum, & Ludovicum, & totidem fœminas Ruotradam, Bertam, & Ghiſlam. Duxit deinde Rex Faſtradam ex Transrhenanis Francis oriundam: tum bellis Britannicis triennio abſumpto, A. C. 786. ultro pace hoſtibus data, quarto in Italiam venit:

A natalem Chriſti, & cæteros brumæ dies Florentiæ egit: incunte mox vere anni 787. Romam profectus, Capuam uſque pertendit, hortatu Hadriani A. C. 787. Pontificis, qui bello agitari Herigaudum Beneventanum cupiebat, ſed eo pacem per Oratores petente, & filios cum magna pecunia obſides dante, Romam repetit, & mox in Galliam revertitur.

Per hæc tempora nullos Mediolani locus publicus fuerat, quo infantuli, qui pudendis matrum nuptiis atque adulteriis geniti, tum inopia premente, exponi ſolent, reciperentur: quare cum multi clam necarentur, & ad tegendum ſcelus cloacis, fluminibus, & ſterquilinis mergerentur, ad avertendam B impietatem unius civis prudens & liberale conſilium oblatum eſt. Datus nuncupabatur, Magercario patre natus, inter Sacerdotes Archipresbyteri titulum obtinens: hic domum emit juxta Eccleſiam majorem media urbe, & ſupellectili ornavit: tum continuis proventibus locupletatam huic uſui dedicavit, & Græco vocabulo, quod adhuc ibidem durat, Xenodochium nuncupavit: huc mercede conducebantur nutrices, & pueri poſt ablactationem in ſeptennium educabantur. Et ſubeunte anno ſeptin- A. C. 791. genteſimo nonageſimo tertio Faſtradam Carolus amittit, ex qua duas tantum filias ſuſceperat, Theodoratam, & Hildrudem: duxit deinde Luitgardam C genere Alamannam, ſed ex qua nihil liberorum tulit.

Inter hæc Mediolani Divi Ambroſii ædes notabili additamento augetur: nam cum uno tantum Canonicorum ordine celebris eſſet, Petrus Archiepiſcopus Monachos adjecit, & ædificato cœnobio, domos, quas inhabitarent, & proinde cultiorem locum facerent, novis ſacerdotibus, dedit: horum Antiſtes Abbas Hebraico vocabulo, quod *patrem* ſonat, nuncupatus eſt: factum ipſum diplomate A. C. 795. Caroli confirmatur: exacto inde triennio Hadrianus D moritur, in cujus locum Leo Tertius ſufficitur: per quod tempus Theophilus orator Nicetæ Siculorum Præfecti cum litteris Græci Imperatoris Carolum adit: nec ita multo poſt Aldephonſi quoque Galleciæ, Aſturiæque Regis legatio oblatis muneribus fœdus confecit: tum Saxonas repetens filios, Ludovicum ad Hiſpaniam, Pipinum in Italiam miſit.

Deinde, cum ageretur annus DCCXCVIII. ab Ire- A. C. ne Conſtantinopolitana Imperatrice profecti Orato- 798. res docuerunt, Conſtantinum filium ob ſcelera in matrem & in cæteros inhumanas crudelitates comprehenſum fuiſſe à domeſticis & oculis excæcatum: pacemque nomine matronæ petentes, ſimul impetraverunt, ut ſibi concederetur Siſinius frater Tarviſii Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui jam pridem E in Italia captus fuerat.

Sequenti anno ſeditione quorundam Romanorum vis eſt illata Leoni Pontifici, quem in carcerem conjectum tot, tantiſque contumeliis neſarii viri affecerunt, ut vulgo rumor invaluerit, oculos pariter & linguam ei erutos fuiſſe: ſed mox amicorum opera ſubtractus vinculis, & in Tranſalpinam Galliam deductus, Carolum permovit, ut denuo in Italiam deſcenderet. Et incunte anno ſeculari à Chriſti natali die DCCC. per Noricos Raven- A. C. nam petit, ubi à filio Pipino ſalutatur: quo cum 800. exercitu præire juſſo, Romam pergit, ac maximis honoribus exceptus, præcipuam adventus ſui cauſam eſſe docuit id, quod de Pontifice intellexerat: F cui cum noo levia crimina impingerentur, copiam unicuique ſui adeundi faciebat, querelas deferendi, propterea quod omnia æquo animo audiret, quod juſtum, quod æquum foret, ipſe decerneret. Cæterum nemo comparuit. Tunc Leo ab editiori loco congrua tempori locutus jurejurando affirmavit, nihil à ſe actum, propter quod male audire debeat: eaque voce calumniam omnem diſcuſſit: dehinc, ut Carolo dignam virtute, meri-

tis,

A.C. 800. tis, & potentia gratiam referret, ſequenti die Natali Chriſti anni DCCC. propius altare eum accivit, & inuſitati ornamenti diadema protulit, ac bona & felicia precatus, *Maſſe*, inquit, *virtute Rex Carole Magne, benemerite, pacificator, accipe ſignum, quo Roma olim nuclytos vita, victoriaque Duces donavit, & quo jam pridem Italia non ſine pernicie Reipubl. caruit: indue capiti coronam hanc, eſtoque tu, ſucceſſoreſque tui debine Imperatores Auguſti, Cæſareſque.* Ita eo ornamento donatus Carolus, ſubſequente magnis clamoribus univerſa concione, novus Cæſar, novuſque Imperator (ſiquidem per trecentos & triginta annos ea dignitate carueramus) prodiit, & omiſſo Patricii, Cæſarem titulum prætulit: tum punitis, qui manus Pontifici injecerant, Spoletum venit; atque hic pluſculorum dierum moram trahenti motus terræ accidit pridie Kal. Maji vehemens, ut Italia omnis, Galliaque, non ſine multarum ædium ruina tremuerit: ex Spoleto Ravennam, & inde Longobardos repetiit; per quorum urbes, Papiam, Vercellas, Eporediam inecdena, continuum agere triumphum viſus eſt, concurſu populorum, & frequentia Legationum, quæ novum honorem, fauſtiſſimoſque titulos verbis, geſtuque gratulatum undique confluebant.

Cæterum, & rerum geſtarum magnitudo, & virtutis fama pellexit etiam remotiſſimos Reges ad ejus amicitiam ultro petendam. Nam & quadriennio ante Hieroſolymitanus Patriarcha, & Azan Præfectus Aſcalonis urbis Palæſtinæ, ſacra, reliquias, & varia alia munera miſerant, & ipſe è converſo alia majora remiſerat. Tum Naaron Amirmulin Perſarum Rex, & Abraham Admiratus Africæ, auditis Iſaac Hebræo, & Lantfrido, ac Sigiſmundo familiaribus ejus, adeo delectati ſunt ſermone, quo laudes Caroli memorabantur, ut alios ipſi Oratores peregrinis inſtructos muneribus ad eum decreverint, qui eo forte tempore, quo Carolus Papiam prætervehebatur, in Piſanum portum delati ſunt: & per Octobrem menſem cia Apenninum deducti, eum audiviſſent, nivoſas ſibi tranſcendendas ſupereſſe Alpes, quia plurimi impedimenti res trahebant, & præſertim Elephantem animal frigoris maxime impatiens, Vercellis hyemaverunt: fuitque celebrior per id tempus ea civitas, confluentibus eo ſpectandæ belluæ gratia hominibus. Sequente æſtate anni octingenteſimi ſecundi, tranſmiſſi in Galliam novum Cæſarem Aquiſgrani convenerunt, & cum cæteris rebus Elephantem exhibuerunt: ejus ſpecies non ante ibi viſa plurimum populis admirationis attulit; & Carolus alios Oratores cum eiſdem in Aſiam remiſit.

A.C. 802.

Biennio proximo nihil aliud memorandum lego, niſi legationes ultro, citroque ab Irene & Nicephoro, qui Remp. Conſtantinopoli tenebat, ad Carolum, & ab eo ad ipſos miſſas. Anno deinde DCCCIV. prolata fama eſt, ſanguinem Chriſti Mantuæ repertum: cujus rei certius ſciſcitandæ gratia, Carolus Pontificem rogavit, ut cum quam diligentiſſime exploraret: obtemperans Leo Circumpadanas circuivit civitates, & quid in re invenerit, non proditur: nihilominus eodem itinere penetravit Alpes; & apud Rhenos Carolum allocutus per Bajoarios Ravennam, & inde Romam repetiit.

A.C. 804.

Sub idem tempus Mediolani Oldepertus, qui in Archiepiſcopatu Petro ſucceſſerat, donat Ariganſo Abbati ædem Divi Vincentii in Prato, ut jam tunc vulgo nuncupabatur. Cum deinde ſubiſſet annus DCCCVI. Legati ex Oriente redierunt: cum quibus Abdela Regis Perſarum, & Georgius, ac Felix miſſi ab Thoma Hieroſolymitano Patriarcha, in ſinum Adriaticum delati, per Tarviſios, Tridentum, & inde Aquiſgranum ad Carolum pervenere; obtuleruntque munera exotica, balſamum, unguenta, odoramenta, & veſtiendis parietibus aulæa, & caſtrenſis uſus tentoria, quos papiliones vocari Divus quoque Hieronymus auctor eſt: quæ omnia ſpectandæ magnitudinis byſſina fuiſſe Rheginon ſcriptor tradit; & inſuper veſtes holoſericas, & duo candelabra mirandæ proceritatis, & horologium ex aurichalco mechanica arte fabrefactum, quo rotis quibuſdam ſeſe circumagentibus, ad clepſydram duodecim horæ vertebantur, & totidem æreæ pilulæ ſuper cymbalo cadentes ſonoris ictibus eaſdem pulſabant: ea mirifica rei novitas fuit; quippe cum olim ſyderalis ſcientiæ periti umbris tantum ſolaribus, & interim lapſu aquæ oculis ſpectandam horarum diſtinctionem feciſſent; nunc ſonitu æris obſtrepente auribus percipi, & nubilo etiam, ac mediis noctis tenebris ſenſu altero numerari cœpere: cujus rei novitate captis ingenioſorum hominum animis, compluraad ejus exemplar fabrefacta ſunt, & in Italia ampliatis machinamentis quatuor & viginti horarum circuitus die ac nocte factus eſt. Ad ornatum vero hujus, de quo loquimur, duodecim æreæ equites additi erant, qui totidem portis erumpebant ad ſingula horarum momenta, & rurſus condebantur, qualia etiam nunc multa exſtant: quibus Aquenſi Eccleſiæ dedicatis, Legatos ampliter donatos Carolus dimiſit: eodemque tempore ob ingraveſcentes jam annos poſteritati conſulturus, teſtamento ex conſilio Procerum condito, regna filiis partitur: ex quo Pipinus Italiam ſortitus duplex bellum adminiſtravit. Nam & prædones Saracenos Sardinia, Corſicaque inſulis fugavit, & in Venetia longo ac difficili negotio detentus eſt.

Ortæ controverſiæ erant cum Præfectis Conſtantinopolitanæ claſſis, quæ circa Illyricum verſabatur, & noviſſime Niceta Patricius inducias impetraverat, & Paulus Cephaloniæ præfectus tractare pacem cœpit: ſed fraude Villarii & Beati Venetorum Ducum deceptus, re infecta, abiit: ex quo irritatus Pipinus Inſulam eorum obſedit, ac fame ad deditionem compulit. Duces ipſi capti, & in Galliam relegati. Tum ad vaſtanda littora Dalmatiæ claſſis emiſſa, quam à malefico cohibuit repentinos Pauli reditus: quibus rebus ſic ſe habentibus, Pipinus florentiſſima ætate, præter omnium exſpectationem moritur; nec traditur, quo genere morbi: deceſſit autem Mediolani octavo Idus Julii anni à Chriſto octingenteſimi decimi: cujus obitum præceſſit menſe imo Rotrudis ſoror. A.C. 810.

Tum Dani ac Normanni ex Cimbrica Cherſoneſo cum ducentis navibus profecti, terram Friſiam & finitima Rheno oppida populantur; ſed mox eorum Rege Gottifredo gregarii militis manu interfecto, ac propterea Duce deſtituti Barbari ſponte diſparuere. Ex Hiſpania vero legati Habulæ Cordubenſis Regis pacem petentes Hermirimem Comitem aliquot annis ante à Saracenis captum reduxerunt; & Arſaphionem Nicephori Conſtantinopolitani ſpatarium Carolus ex liberalitate Venetiam remiſit.

Per quod tempus Elephas quoque in Germania deceſſit, & peſtilentia bubulum genus invaſit tanta pernicie, ut ejuſmodi animal in caſtris primo Cæſaris, dein tota Gallia, Germaniaque defecerit. Prodigium quoque cœleſte, neſcio an unquam aliàs viſum, contigit: bina amborum ſyderum Eclipſis; ſolis quidem V. Id. Julii, & pridie Calend. Decemb. Lunæ vero ſexto Calend. Julii, & decimo nono Cal. Januarii.

Cæterum Carolus, ut ſolidiorem cum Græco Imperatore amicitiam faceret, legationem inſtruit: cujus Principes fuere Haudo Epiſcopus Baſilienſis, Ugo Comes Turonenſis, & Ajo Foro-Julienſis è genere Longobardorum, cum quibus Leonem ſpatarium natione Siculum, qui jam decem annos patria profugus, ad Carolum Romæ Auguſtalia inſignia

gnia accipientem venerat, & nunc in patriam reverti optabat, & item Villarium Ducem Venetum Conſtantinopolim deducendum tradidit: qui dum proficiſcerentur, Nicephorus commiſſo cum Bulgaris, à quibus jam præclaras victorias tulerat, præA. C. 812. lio interfectus eſt, anno DCCCXII. & Michael gener in Imperio ſucceſſit, qui Caroli Legatis benigne exceptis, pacem & fœdus, quod petebant, imitit: ita ad Carolum remiſſi Arſalphius, Miebael Epiſcopus, & Theognoſtos protoſpatarius, qui Aquiſgrani Carolom conventum Græce Ἐυπλία appellarunt, id quod Latine *Regem* ſonat: quibus dimiſſis, convocat Imperator Heroas Regni, magnæ deliberationis cauſa; & Bernardum defuncti Pipini filium Italiæ Regem decernit, eique cis Alpes venienti comitem & rectorem dedit Vallonem ex Bernardo patruele ortum: cujus fides & militaris induſtria multis periculis probata fuerat, & tunc maxime opportuna fore videbatur, ob Saracenos prædones, qui ex Africa, Hiſpaniaque profecti infeſtum marc Liguſticum habebant: nec ita multo poſt novi Regis auſpiciis in Sardinia, Corſicaque oppreſſi, ac deleti hi fuere.

A.C. 813. Sobſequenti anno, quia Carolus quoque primogenitus fato functus biennio ante fuerat, tertium natu filium Ludovicum ex Aquitania evocat, & conſenſu Procerum Auguſtum creat, ac Cæſareis ornamentis donat: tum Hamalarium Trevirenſem Archiepiſcopum, ac Petrum Abbatem Nonantularum Conſtantinopolim ad confirmanda cum Mi-
A.C. 814. chaele conventa miſit: interim febre ipſe corripitur, qua diutius vexatus, ſeptuagenarius ſeoex ſpiritum poſuit: quo in æde à ſe condita ſepulto, teſtamentum legitur: nam ſupellectilem cubiculi, quæ immenſi pretii erat, ita ablegavit, ut duæ partes ex tribus darentur Metropolitanis Eccleſiis intra fines Imperii ſui exiſtentibus. Quæ cum una & viginti numerarentur, noſtræ quoque Mediolanenſis ratio habita eſt; & bis injunctum, ut ſuffraganeos ſuos in partem muneris acciperent.

Cæterum regnantem in Italia Bernardum, fama eſt cum Epiſcopis quibuſdam & primoribus urA. C. 815. bium adverſus Imperatorem conjuraviſſe, & prælio victom ultimo affectum ſupplicio ſuiſſe: Rheginon vero per dolum & injuriam evocatum trans Alpes, & Aquiſgrani captum, ac ſecuri percuſſum. Nos autem in Ambroſianis ædibus, quæ à fundamentis ſubruuntur, & opere magnifico reformantur, vidimus erutum noviſſime tabulam marmoream ſic inſcriptam:

BERNARDVS. CIVILITATE. MIRABILIS. CETERISQ. PIIS. VIRTVTIBVS INCLITVS. REX. HIC. REQVIESCIT. REGN. ANN. IV. M. V OBIIT. XV. KAL. MAII. IND. X. FILIVS. PIÆ. M. PIPINI.

Cadebat autem id tempus io aooum Chriſtianum DCCCXVIII. à quo XX. alios annos Ludovicus regnat, tanta rerum & ſcriptorum obſcuritate, ut Rheginon illis vicinus temporibus othil eorum in manus ſuas veniſſe fateatur.

Demum igitur eum in invidiam apud ſuos Lu-
A.C. 833. dovicus veniſſet *, conſpiratione Ebonis Epiſcopi Remenſis, & quorundam Procerum in vincula conjicitur; & Imperium Lothario filio defertur: ſed non ita multo poſt opera & induſtria alterius filii de nomine patris Ludovici, & favore Nobilium cuſtodiæ ſubtrahitur, & in priſtinam potentiam reſtituitur, auctores injuriæ perſequitur: hi in Ita-
A.C. 834. liam ſe conferunt; ſed cum nuſquam tuto conſiſtendi locus foret, trans Alpes Germanicas abeunt. Ludovicus eoſdem ſequutus, dum circa Rhenum copias contrahit, in morbum incidit; atque io flu-
A.C. 840. minois inſula moritur ſub annum Chriſti DCCCXL.

* Vide Gordonum anno 833. & ſeq.

Per cujus tempora Mediolani Werolphus Erchemarii filius cognominatus Pedo, non longe à vico quinque viarum in propria area ædem erexit in honorem Sanctiſſimæ Mariæ, quæ adhuc ex illius cognomioe Pedonis vulgo dicitur.

Lotharius autem in Galliam reverſus, Imperium arripuit; & fratres indigne ferentes, ſe oulla rei portione excipi, ſed illum unum omnia ſibi vindicare, excitis amicis, exercitum quantom maximum poſſunt contrahunt. Apud Fontaoicum Altiſſiodorenſis agri vicum tanta utrioque cæde pugnatum ferunt, ut abſumptis inde viribus, Galli deſierint terrori gentibus eſſe, ac demum mala ſua agnoſcentes, pacem invicem inierint, partiti Regna A. C. hoc modo; ut Carolo occidentalis plaga à Britan- 841. nico Oceano ad Moſam fluvium; inde ad Rhenum Lothario, quæ & ex ejus nomine frequentius uſitato, cum diu Lotharii Regnum dictum fuiſſet, *Lotharingia* appellationem tenuit; ultra quicquid ad Orientem erat Ludovico ceſſit.

Cæterum Lotharius ex Hermingarda conjuge tres liberos ſuſcepit, unum ſui nominis Lotharium, & Ludovicum, & Carolum: inter quos ſic Regnum anno Chriſti 855. diviſit, ut titulus Imperii A. C. 855. cum Italia penes Ludovicum primogenitum foret; Lothario Provincia ſui nominis, Carolo Narbonenſis obvenerit. Quibus conſtitutis, abjecta rerum cura, in Prumienſe cœnobiom, quod Trevirenſis ditionis eſſe diximus, conceſſit; ibique ſumpto Monachi habitu conſenuit *.

Junior vero Lotharius ſub anno Domini 869. A. C. Romam profectus Hadrianum Secundum Pontifi- 869. cem adoravit: apud quem interrogatus, an adhuc rediſſet io gratiam cum Thietberga conjuge, caſtiſſimæ quidem vitæ fœmina, ſed quam propter amores Vuldradæ pelicis dimiſerat, pejerare, & de ejuſdem manu ſacram hoſtiam ſumere non erubuit: cujus ſceleris pœnas mox luit: nam dum reverteretur, exercitu ex itinere variis modis tentato, & pene abſumpto, ipſum Placentiæ ſpiritus deſtituit ſexto Idus Auguſti: ejus morte fratres A.C. Carolus & Ludovicus Regnum partiuntur. Ca- 870 rolus, juvante Adventio Metenſi Epiſcopo, Aquas, & Coloniam Agrippinenſem petit; Ludovicus Lotharingiam olteriorem adjecit Italiæ: in qua diotius detentus eſt; rebellione Adalgiſi Beneventani Ducis, qui ſecum traxerat Samnites, & Campanos, & Lucaniæ populos: & ſimul omnes cum Græcis ſentiebant. Ergo ad obſidendam Capuam Ludovicus duxit, quam, dedentibus ſe oppidanis, recepit: atque hic dum morantur, Angilberta uxor conſora Imperii, & Tado Mediolanenſis Archiepiſcopus interceſſerunt, ut confirmaret Petro Abbati ea, quæ majores Ambroſiano cœnobio conceſſerant: archetypum adhuc exſtat diploma; inde Beneventum aggreditur. Incluſus Adalgiſius partim ſe fortiter defendendo, interim pacis conditiones proponendo, & exiis aliquid immutando, id conſecutus eſt, ut diuturniore mora ioterjecta, maximam ſit hoſtilis exercitus, cum morbis, tum fuga militum, imminutionem paſſus; & paucitatem eorum conſpicatus Adalgiſius omnibus ſimul portis eruptionem fecit, & ex improviſo cæteris jam caſtris occupatis, ad locum, cujus muoitione Ludovicus defendebatur, ventum eſt, demumque paciſci cum coegit, ut excedens finibus incolumis, amplius eo non reverteretur, nec ullo ultionis genere hanc injuriam proſequeretur.

Per hæc tempora mirum dictu, & multorum litteris celebratum, ſed nulli diligentius quam Rheginoni expreſſum prodigium apparuit: Locuſtarum novum genus, paulo conſuetis grandiores, ſenas alas habentes, per Auguſtum meoſem advolarunt, tanta multitudine, ut magna terrarum ſpatia

* Paulo alter Gordonus A. 855.

opc-

operirent: à nona hora ad ortum ſubſequentis diei moratæ in agris, in quibus deſcendiſſent, omnia infeſto morſu abrodebant: inde evolantes ſpatium quatuor aut quinque milliarium procedebant, & quicquid herbidi ac pabuli incrat contactu adurebant: ita continua calamitate & dira quadam peſte fruges eo anno afflictæ fuere. Gallia maxime id malum ſenſit; ubi & extinctum: nam ſicuti qua ex regione venerint non traditur: ita cum ad Britannici Oceani littora perveniſſent, ſublatæ vento in mare deciderunt; cujus æſtu in terram rejectæ, & variis cumulis acervatæ tantum fœtorem fecere, ut oborta peſte, alterum populis ſit diſcrimen allatum: quod ne quis miretur, ſciat alias magna cohorte ex Africa infeſtaſſe Italiam, & Romæ aditos ſæpe fuiſſe Sibyllinos libros inopiæ metu, & tot partibus terrarum vagari id malum ſolitum, ut in Syria militari Imperio necarentur; & in Cyrenaica regione lex fuerit ter anno cas debellandi, obterendo primo ova, deinde fœtum, poſtremo adultas, ac in Lemno inſula certam menſuram præfinitam fuiſſe, quam ſinguli enecatorum ad Magiſtratus referrent.

Nec ita multo poſt Tadone defuncto præficitur Eccleſiæ Mediolanenſi Anſpertus generoſi animi vir, & qui ſacra pariter & Rempublicam cum laude adminiſtravit.

A. C. 870. Cum ageretur Chriſti annus DCCCLXXIIII. è vita Ludovicus exceſſit, ac neſcio, an in hujus potius, quam ſuperioris memoriam compoſitum epigramma fuerit: quo & ſtatim genito, ne prima dies regno, ſolioque vacaret, Heſperiæ ſceptra avum reliquiſſe, & Saracenorum jugo liberatam fuiſſe Romam dicitur: prægrandi tabulæ marmoreæ inſcripta carmina in æde Ambroſiana leguntur: ejus autem morte Carolus frater Romam perrexit, & ſalutato reverenter Joanne Octavo Pontifice Auguſtalia inſignia, & titulum Imperatoris accepit, ſecundus hujus nominis: deinde

A. C. 877. anno DCCCLXXVII. Romam iterum profectus eſt, & inde in Longobardiam revetſus, Papiæ publica acta recognovit: ſed excitus interim repentino nuncio novarum rerum, quibus nonnulli ſtuderent, trans Alpes contendit, & in tranſitu earum, morbo correptus prid. Non. Octobris deceſſit: petitum veneno fraude Sedechiæ Medici Hebræi, quo familiari utebatur, ferunt: cadaver feretro impoſitum extulerunt miniſtri paucorum dierum itinere: nam fœtore putrefcentis deterriti, terræ mandant, alio tempore Pariſios delatum: quidam Mantuæ mortuum eum tradunt: ſed apud me potior eſt Rheginonis auctoritas, illud ex notitia recenti

A. C. 879. tradentis: proximo anno utrumque ſydus eodem menſe hebetatum eſt; Luna decimo ſexto, Sol vigeſimo nono die Octobris.

Nec ita multo poſt Ludovicus Caroli filius Balbus cognominatus, eo quod linguæ impeditæ foret, moritur. Hic uxorem nomine Anſigardam habuit, ex qua duos ſuſcepit liberos: unum de ſuo nomine Ludovicum, alterum Carlomannum: quem Regem Longobardorum in Italia fuiſſe conſtat

A. C. 879. teſtamento Anſperti Archiepiſcopi Mediolanenſis condito ejus Regni anno ſecundo: cujus quidem lectione duo alia commemoranda animadverti: veritatem cognominis ejus, cum ſe dicat genitum patre Albutio de Blaſono, & matre Garidtruda: recentiores autem Chronographi illum inſerunt Confanonieriorum familiæ; haud, equidem opinabar, tam vetuſtam. Blaſonum vero vicus eſt non longe à Moguntia, Lambroque flumine; quem etiam opulentiſſimus Sacerdos xenodochio, & variis ſacellis locupletavit: idem domum in urbe Divis Satyro Ambroſii fratri, & Sylveſtro dedicavit; noſtra ætas collapſam reſtituit, pulchrioremque longe & laxiorem fecit; cumque aliis urbanis cœnobiis multa largiretur, Monaſterium quoque Majus in partem nuncupat: unde ſecundi erroris argumentum capio, contra eos, qui ſcribunt, longe poſterius, & ſub Othone primo fundatum hoc cœnobium fuiſſe: qui ex recta conjuge cum nullam prolem ſuſceperit, genuit ex nobili quadam Matrona Arnulphum de nomine Arnulphi Metenſis Epiſcopi, qui ſumma probitate & ſanctimonia vir ſub Clotario, & Dagoberto Regibus, una cum primo Pipino claruit.

Anno deinde DCCCLXXXI. Carolus ex Germania A. C. 881. in Italiam profectus, univerſos pene populos obſequentes habuit, & Papiæ agens, precibus & religione Petri Abbatis, Ambroſianum Mediolani cœnobium mirifice locupletavit; nec domos ſolum & prædia, ſed oppida & juriſdictiones eſt largitus Felicianum, & Roboretum in Tranſpadanis, & Palatium Mediolani duabus turribus inſigne, & adhuc nomine Maximiliani celebre: & hoc dixerim illud, ex quo regioni urbis, ad palatium durat, quod Merula vulgarem imperitiam ſecutus Trajano adſcripſit diplomati, quod archetypum vidimus; ſubſcripſit Petrus Vicecomes. Et hæc prima mentio Vicecomitis, quod obſervaverim: ac neſcio an tum officii, dignitatiſque appellatio foret: quæ poſtea crebrius frequentata in gentis Mediolani clariſſimæ cognomen tranſiit.

Carolus vero Romam profectus à Joanne Pontifice diadema & nomen Imperatoris tertius accepit. Proximo anno Anſpertus Archiepiſcopus Mediolanenſis, vir magnificus, cum Eccleſiæ præfuiſſet treſdecim annos & dimidium, fato fungitur: laus ei marmorea tabula ſcripta manet, quod dirutæ urbis mœnia reſtituerit; Stiliconis domum (durabat adhuc illud nomen) reſtauraverit, templa refecerit, & propriis opibus collatis Ambroſiano cœnobio octo Monachorum in perpetuum alimenta conſtituerit.

Per eadem tempora Normanni terram Galliam tanta multitudine & agrorum vaſtatione pervaſerunt, ut Carolus accepta prius ex prælio gravi clade duxerit è Rep. pacem eis, & partem regionis habitandam concedere; quæ deinceps ex illorum nomine Normannia dicta eſt: corum Regi Gotti- A. C. 882. fredo Giſla Lotharii filia matrimonio data, & gens univerſa baptizari ſe paſſa, Chriſtianum in nomen tranſivit: ipſumque Regem Imperator, quo honeſtior celebritas foret, è ſacro fonte ſuſtulit.

Subſequenti anno Ludovicus moritur, cujus Regnum Carlomannus frater excipit: ſupererat autem ex Lothario filius Ugo; qui erectus in ſpem Regni recuperandi, amicos & ſui nominis ſtudioſos evocat: & accedentibus undique prædonibus, & ſceleſtiſſimo quoque, ſat magnum effecit exercitum: & cum jam late rapinas, incendia, cædes exerceret, id, quo nihil optabilius ei tali tempore evenire potuiſſet, contigit: nam Carlomannus è medio morte ereptus eſt, & Normanni in arma excíti tumultum augent: hoſque ſibi Ugo conciliat: ſed Galli Proceres Carolum, quem diximus hujus nominis Imperatorem tertium, in A. C. Regnum accerſunt: mox Gottifredus Normanno- 885. rum Dux ab Everardo Comite per ſimulationem colloquii gladio confoditur: cujus morte periculo omni diſcuſſo Ugo capitur, & exoculatus in cœnobium Prumienſe relegatur.

Cæterum apud hunc Imperatorem ſummo à ſecretis loco claruit Liuthuardus Vercellenſis Epiſcopus, atque ampliſſimas opes conflavit: ſed ut in aula numquam invidi & honorum æmuli deſint, nimiæ cum Regina familiaritatis inſimulatus, Regia interdicitur. Et quamquam Ricarda, hoc erat Reginæ nomen, jurejurando ſæpius affirmaret, ſe non ſolum cujuſcumque alterius viri, ſed mariti

ipſius, quo cum nupta jam decimum annum agebat, congreſſu caruiſſe, tamen Cæſareo conſpectu excluſus, collectis theſauris in Italiam & ad ſedis ſuæ urbem ſe recepit, & Imperator Ricardæ divortium indixit: quæ religioſiſſimo cœnobio delecto, ad colendam habitu quoque, quam re obſervaverat, virginitatem, conceſſit.

A. C. 887. Nec ita multo poſt in languorem Carolus incidit, communeſque ſenſus & animi rationem amiſit: quibus vulgo enunciatis, ſubito omnia immutata ſunt: nam, ut veteri proverbio dicitur, *quo ſe fortuna inclinat, eo & favor hominum ſequitur:* non ſolum Duces & exercitus, ſed familiares & domeſtici, cuſtodeſque ipſius cubiculi ab eo defecerunt, adeoque deſtitutus remanſit ſervitio omni, ut nec quidem, qui neceſſaria ægro ſuggereret, habuerit, notabili fortunæ rerum ſpectaculo, indigere enim alienis opibus, & ex aliquo Religioſorum cœnobio tectum, & alimenta petere, quem paulo ante Numinis inſtar gentes adoraviſſent.

A. C. 888. Univerſi vero ad Arnulphum tranſiere, quaſi ad eum, cui uni ſumma rerum jure ſpectaret; ſed illi haud quietum regnum ſtetit: nam cum alia natio alium creare Regem contenderet, & in Italia quidam Berengario Everardi Foro-Juliani Duacis filio; alii Vuidoni Lamberti Spoletani faverent, A. C. 889. ad arma ventum eſt: & victore Vuidone Berengarius pulſus ad Arnulphi opes confugit; ſed ne, quod optabat, tunc conſequeretur, impedimento fuere Provinciarum diſcordiæ. Galliæ Regem ſibi creaverant Odonem Rotoberti Pariſienſis filium, cujus multa egregie geſta adverſus Normannos celebrabantur; & Rodulphus Conradi filius ſortitus Regnum inter montem Sura & Alpes Apenninas, nunciis in Regnum Lotharii miſſis populos ad defectionem ſollicitabat; & Normanni conceſſis finibus non contenti, adverſo amne Sequana navigantes, cum Lutetiam inſulam Pariſiorum, obſiſtentibus civibus, tranſire non poſſent, naves per ſiccum protrudentes duobus amplius millibus circa urbem in ſuperiorem partem pertraxerunt, ac rurſus alveo redditis, ad Senones uſque navigarunt. & perpetuo ſex menſium tædio populata Burgundia, eodem itinere & arte reductis navibus, poſtcaquam Pariſienſem urbem prætervecti ſunt, Matronam fluvium iniverunt, & urbe Trecas incenſa, Virdunum & Tullenſe uſque oppidum vagati ſunt.

Hungari quoque gens Scythica, nec ante ullis rebus memorata, ſedibus ſuis pulſa aliquot ante annis, in Pannonias & Avarorum terras ſeſe contulerant, & Bulgaris Maraclenſibus, & Carantanis domitis ad Italos, Galloſque pervenit, incredibili cum populorum clade; quibus novæ barbariæ importunos, inhumanoſque mores experiri contigit: quibus ſeptem fere annis diſtractus Arnulphus, & quiete demum parta, in Italiam proficiſcitur, & A. C. 890. Berengarium in priſtinas opes reſtituit. Et Arnulphum quidem Placentiæ fuiſſe lego, anno Chriſti DCCCXCIV. inde reverſus trans Alpes Vormantiæ conventum habuit DCCCXCV. Quo quidem tempore Tucndaboldum filium pellice ſuſceptum Lotharii regno præfecit. Poſtero anno Italiam repetit, & A. C. 896. Romæ, deferente diadema Formoſo Pontifice, nomen & jura Imperatoris accepit. Inde morbo contracto, cum diu elanguiſſet, tertio tandem Kalen. Decembris anni octingenteſimi nonageſimi noA. C. 899. ni ſpiritum poſuit; & juxta patrem apud Odiucas ſepultus; & in eo Carolorum progenies defecit.

Cæterum per tempora Caroli tertii militari gloria claruerat Boſoldis Reginæ germanus: eique nupta fuit Hermingarda Ludovici Imperatoris filia, & ſimul habenda Narbonenſis Provincia data: hujus filium Ludovicum, nutantibus ex mor- A. C. 900. te Arnulphi Italiæ rebus, ii, qui Berengario adverſabantur, vocarunt; & compluribus certaminibus pellitur iterum regno Berengarius, & Ludovicus Imperatorium nomen uſurpat. Quorum contentionibus exciti Hungari fines Longobardorum invadunt, & Liuthuardus Vercellenſis Epiſcopus, ſumptis theſauris, quos ingentes, ut diximus, retulerat, fugam tentavit; ſed errore viarum in ipſorum hoſtium manus delatus, & pecunia & vita male mulctatur.

Quadriennio poſt Ludovicus Imperator, nimia rerum ſecuritate concepta, nec quicquam violenti alunde metuens, negligentius ſeſe ac Remp. habere, ac ſolutis exercitibus nulla pene cum cuſtodia agere: dum ſic Veronæ verſatur, ecce repente Berengarius, qui apud Bajoarios exulabat, contractis circa Veronam copiis apparuit, incluſumque urbe Cæſarem obſedit; portaſque noctu cives novo domino aperuerunt: ita capto & exauctorato Ludovico, Berengarius Regnum Italiæ obtinet.

Hactenus narrationem noſtram, & rebus uberiorem, & temporibus diſtinctam fecimus, adjuti ope Rheginonis mei, qui ætatis ſuæ memoranda colligebat; reliqua non ſic poſſumus: hac enim in parte plurimum claudicant Scriptores; & Blondus fatetur ſexaginta ſubſequentium annorum res, nec ſcire ſe, nec poſſe diſtinguere ob ignorantiam & diſcordias Vincentii Bellovacenſis, Martini Polonı Caſenſis, Sicardi Cremonenſis, Ricardi, & Guilielmi Monachorum, Gottifredi Viterbienſis, & Ptolemæi Lucenſis; hos enim hiſtoriæ ſuæ auctores habebat: qui utique recentiores, & in indaganda veritate minime diligentes, inanibus verbis, & interim ſtultitiis non mediocribus, ingentia volumina replerunt: quorum ignavitas & confuſio jam ex eo manifeſte coarguitur, quod iſti tres fuiſſe hoc tempore Berengarios tradiderunt; quorum unus regnaverit quatuor annos tantum, alter ſeptem, tertius duos; ac ætate tam propinquos, ut tertius fuerit primi ex filia nepos: quod falſum arbitror; cum & ex lectione Rheginonis unus tantum eſſe comprehendatur, & duæ publicæ tabulæ exſtent, quas hactenus viderim, quarum una eſt confecta anno quintodecimo, altera vigeſimo Regni Berengarii, (quo tempore Andreas Carcanus altero Andrea natus, Archiepiſcopatum Mediolani promotus fuerat anno DCCCCV.) & quidem hæc poſtrema ſub annos Domini DCCCCVIII. cum Papiæ ageret cum Bercala conjuge, & Regni conſorte: priore vero teſtatum manet, quemadmodum locupletiorem faciebat ædem Raphaelis Archangeli media urbe à ſe conditam in confinio, ut ipſe deſcribit, Eccleſiæ æſtivæ, quæ nunc majoris pars eſt, & Vinclendæ, quam poſteriores Redegundæ dixere, & Simplicianı minoris, & Balnei antiqui: quo verbo admonitus, cum propinquæ ſint ſignificationis balneum & lavacrum, dubitavi, utrum huic congruentius veniret illud Auſonii*;

Regio Hercules celebris ſub honore lavacri,

quam templo D. Laurentii, quod ſitu & verbi ſignificantia longe à balneo diſtat: inſuper Lectorem admonco, non ignorare me, in cognomento hujus Præſulis Scriptores variare, & pro Carcano Lampugnanum ſcribi: ſed hæſi ego monumento publico, & vetuſtiſſimo, & in quo etiam patris nomen redditur.

Cæterum ut ad Berengarium revertar, ſive unus, ſive duo fuerint, lego in publico diplomate, eum agere in urbe Papia anno Chriſti DCCCCXVII. & A. C. biennio poſt Henricus Cæſarum hujus nominis 917. primus, imperare cœpit, notior hactenus ſtirpis gloria, quam ſua, quamvis duodeviginti regnaverit annos: hanc ipſam ob cauſam tantum cum nominavi, ut ſciant lecturi, ab hoc proceſſiſſe tres, de quibus mox dicemus, Othones; & cum ſeptem

* *Doctoris Urb. in Mediolanum.*

in

in omni ævo Henrici imperaverint, & reliquorum res geſtas abunde tractemus, non deſideretur unius quamvis parca & jejuna, mentio. Luitprandi Regis, A cœnobia S. Petri Savinionis, & Principiani, quæ ambo loca haud longe inter ſe diſtantia faucibus Appennini Diœceſi Derthonenſi, adhuc nomina ſervant.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER VI.

EPITOME.

Hugo Arelatenſis Comes ad Italiæ regnum, exacto Rodulpho, evocatus, Mediolanenſi Eccleſiæ, quam Lothario filio adhuc minori deſtinaverat ſponſam, Adelricum Cottam anas jam gravem, tanquam exigui temporis paranymphum præfiitendum curat: ſed ſpe falſus (etenim duos & viginti annos ſedit) ejuſque mortem inſidiis conatus prævertere, optime Præſuli reconciliatur, & opima ejus Eccleſiæ prædia largitur: eas etiam poſtea ab Athone Vercellenſi Epiſcopo Leventina & Bleunia valles acceſſere. Papia Rex ſalutatus, quinquennio poſt Lotharium filium Regni participem facit. Adelrico è vivis excedente, Manaſſe Arelatenſi & Adelmano Meuclotio (qui Baſilica S. Georgii ad puteum album à ſe poſita prædia largitus eſt, quæ nonniſi ad ſua familia calibes pervenirent) Epiſcopatum, illo Regis, hoc populi ſtudio ambientibus, Mediolanenſis ſedes quinquennium vacat: donec Valpertus ſpecie ſequeſtris intervenient, utroque ut jure litigioſo cederet perſuaſo, eandem occupet. Mortuo Lothario, regnum init Berengarius Longobardus una cum Adalberto filio. Sed cum poſtea Otho Magnus, Henrici filius, Italis Proceribus evocantibus, ſuadente Valperto, allecenteque conjugio Adelegidæ Lotharii uxoris, in Italiam proficiſcens vilium, Regnoque ſpoliatam, exilio cum uxore ac liberis multat. Othone in Germaniam reverſo, Adalbertus Regnum Adelegidam in Italia relictam bello aggreditur: Atho Malaſpina defendat, & ab Othone reduce, pecunia atque agro abunde donatur. Demum Otho, filia ſa Italia Aledramo Montiſferrati Marchioni nuptui tradita, Viennam reverſus, filium Othonem II. Imperatorem dicit, & moritur. Is in Italiam profectus Theophaniam Orientalium Cæſarum ſobolem ducit: Mediolano digreſſus contra Saracenos Calabriam populantes, in poteſtatem hoſtium venit; ſed dolo ſtatim elabitur. Mediolani interim Landulphi Carcani Archiep. fratres, divitiis & potentia abutentes, populares conſpiratione urbe pellunter, multis utrinque cade patrata. Landulphus, civibus pacatis, cœnobium S. Celſi adificat, ampliſque prædiis ditat. Othoni II. Roma exſtincto ſuccedit Tertius ex Theophania genitus: hic Creſcentio Principatum, & Joanne Græco Placentino Epiſcopo Pontificatum Roma vindicantibus, in Italiam ii vero Pontifice Gregorio V. acciſo, illum capite multat, hunc varie deluſum, naribus atque auribus mutilat; & a Gregorio ſedi reſtituto inungitur Imperator. Uxorem ex Theophania matris genere ducturus, Aemulphum Arſagum Mediol. Archiep. ad Conſtantinopolitanum Imperatorem legat: forma eligendi deinceps Romanos Imperatores, qua hodieque retinetur, a Gregorio conſtituta, ſine liberis decedit. Longobardi Proceres & Epiſcopi in Italia Arduinum, in Germania Electores Henricum Imperatorem dicunt. Henricus Imperium in Italiam capeſſens ad Comitia acie victus in Germaniam reficiliter: unde reſedis viribus reduns, Arduino fugato, Longobardia potitur; Papiamque diutius reſtitantem multat incendio. Arduinus, comparatis in Subalpina nervis copiis, aliquandiu movet lacertos: ſed tandem Henrico Roma coronato, depoſito imperio, Monachum in Cœnobio Fructeria profitetur. Henricus contra Saracenos verſus, Capua illis, Graciſque Troja ſubmotis, inter vivos connumerari deſiit. Per has tempora Humiliatorum Ordo ex humilibus ſane principiis, Italis felices apud Germanos exulibus, ſeſe extulit: & diverſarum legum Romana, Longobarda, & Salica, ſeu Morganica profeſſione ejuſdem urbis cives diſtributi: Aemulphus Mediol. Archiep. Oldericum Aſtenſi Eccleſia ab Henrico præfectum, non niſi ſe jubente præſſe, armis cogit: vita decedens ſucceſſorem habet Herbertum Antimiano oriundum; qui à Conrado Henrico ſuffecto, Laudenſem Epiſcopum conſtituendi jus obtinuit; quo etiam uſus eſt adeo, ut Laudenſes, quem ipſe deſignaſſet, admittere recuſantes, bello coegerit. Eidem Conrado Italos Proceres adjunxit; & eis Alpes profecto coronam Mediolani impoſuit; & Romæ auguſtalia ſumenti, cum ipſe per ſe, ut moris erat, non poſſet, per alium præſto fuit: Ravennate Antiſtite, qui id muneris invaſerat, & Imperatoris recuſatione, & Synodali in poſterum ſanctione prohibito: denique Burgundia regnum adeuntem armis juvit: cum vero in magna potentia, rebuſque admodum ſecundis ejus ſuſpicionem venuſſet dominationis, bellandum illi cum civibus fuit, & Conradus in Italiam evocandus; à quo tum ipſe ſub cuſtodiam miſſus; tum Mediolanenſis civitas, qua jam illi fuga elapſo multabat, obſidione, & incendiis vexata eſt: donec Ambroſius Colonienſi Præſuli ſacra facienti viſus Imperatorem ingentibus unimis deterruit. Quare Heriberto ſede dejecto, Italiſque Principibus ſacramento in Mediolanenſes armatis, Italia, & mox vita digreditur, Henrico filio Germaniæ Rege pridem creato: qui pace Mediolanenſibus data, Italiam ingreſſus Gregorium VI. Pontificatu exuit, Clemente II. ſubrogato, a quo Imperator eo nomine II. inſignitur.

Mediolani interim popularis ſeditio excitatur adverſus milites, qua tandem in Nobiles converſa, eos una cum Heriberto Archiep. urbe pulſos in patria obſidionem, oppugnationemque armavit: ſed exſtincto tandem Heriberto, Cæſare intercedente, ſedatur: cujus etiam opera Guido Velates Mediolanenſem Epiſcopatum nanciſcitur. Henrico II. exſtincto, dum Henricus filius adhuc minor in matris tutela adoleſcit, Mediolanenſes tum cum Papienſibus in Campo mortuo; tum inter ſe civilibus odiis conflixere, Landulpho Cotta primum, deinde Aremboldo fratre Archiepiſcopum, totumque Clericorum ordinem ſeditioſiſſimis ſermonibus, concionibuſque in populi, ac Romani Pontificis invidiam adducentibus adeo, ut Sacerdotes à furente multitudine ſæpe non modo compilati, ſacris probris, templis excluſi; ſed ad ipſas quoque aras pulſati, cæſique ſint: ut ab Archiepiſcopo quidem manu,

abſtinere: qui inſuper Mediolano abiit, Romæ cauſam dicere, & tandem dignitate ſe abdicare malorum omnium compulſus eſt. Seditionis quoque auctorum infelix exitus fuit. Landulphus vocem eccleſiaſticis maledicendo decoxit pulmonibus tabe confectis: Arembaldus à populo egerrime ferente Eccleſia ſua ritus expungi, minuri dignitatem, jura labefactari, ſub concionem concitus eſt. denique Ariaidum, qui totum incendium excitaverat, ſordidiſſima morte Nobiles tot ſacerdotum manibus litavere. Calamitoſiſſimarum autem contentionum (quod iis non ſemel Romanus Pontifex tum à turbulentiſſimis hominibus appellatus, tum cupiditate accidenda Mediolanenſium Antiſtitum poteſtatis per legatos intervenit) is fere exſtitit fructus, ut Clericorum animos non nihil caſtigarentur; & Mediolanenſis Eccleſia Cæſarum potentia minus confiſa Romano Pontifici (qui etiam per eadem tempora in Alexandro II. Mediolano ex Badagiorum familia orundo non Cæſaris, ſed Cardinalium ſuffragiis creari cœptus eſt) amplius ſubjaceret; itaque demum Epiſcopi ubique terrarum legitimi haberentur, quos Romanus Pontifex præeſſe juſſiſſet. Quare Gottofredus Caſtellionenſis, qui Guidonis Archiepiſcopatu ſe abdicantis inſignibus ad Cæſarem delatis, cum eiſdem Mediolanum Archiepiſcopus ab eo appellatus redierat, à Pontifice anathematis ſubjectus eſt; & à populo repudiatus; & duce Arembaldo, primum urbe, deinde Variſio pulſus, & Caſtellioni obſeſſus, donec ob immane urbis incendium cives obſidione digreſſi ſunt. Sed Arembaldo poſtea Athonem adoleſcentulum non ſine Pontificis favore Archiepiſcopum aſſerente, rem indignate cives, hoc rejecto, Gottofredum depoſcunt; interpoſito ſacramento, non alium ſe acceptaros, quam quem Henricus Imp. juſſiſſet, quem jam Gregorius VII. hoſtem Eccleſiæ judicatum jure eligendi Epiſcopos ſpoliaverat.

A. C. 943. OTUM vero jam annus ageretur vigeſimus quintus ſupra nongenteſimum, Hugo Burgundus vir in Italia præpotens, & Regio nomini proximus, haud infra dignitatem ſuam duxit familiarem habere Eccleſiæ noſtræ Præfecturam, atque adeo filium Mediolanenſium Archiepiſcopum deſignari: verum quia per ætatem adoleſcens capere munus non poterat, id interim demandari curavit Arderico Cottæ homini jam ſeniori, & qui tantiſper ſupervicturus videbatur, dum recentis tonſuræ clericus capeſſendo ſacerdotio idoneus evaderet: verum illius opinionem fefellit vivax hominis ſenecta: atque impatiens moræ Hugo tollere eum inſidiis paravit; id quod cum ſæpe fruſtra tentaſſet, demum conventum Papiæ indicit. Confluxere clariſſimi quique ſacerdotes: inter miniſtros quorum rixa oritur; dumque alius alium defendit, & armis res geritur, nonaginta viri ex Nobilitate Mediolanenſi cecidere: atque Arderieus ipſe à tumultu ægre ſervatus eſt; quod pro miraculo Hugo habuit: & exinde ad pœnitentiam reverſus, Sacerdoti per internuncios reconciliatur, atque in emendationem injuriarum ingentia prædia Eccleſiæ donavit.

A. C. 917. Jam aperte Regio titulo inſignis Hugo in Circumpadanis verſabatur anno nongenteſimo vigeſimo nono, qui & Regni ejus tertius erat: nam Papiæ agens confirmat jura cœnobii Aurei Cœli.

A. C. 921. Biennio poſt Lotharium filium Regem Italiæ nuncupat; & exactis inde novem aliis annis, qui erant

A. C. 940. à Chriſto DCCCCXL. ambo Reges Hugo pater, & Lotharius filius Bobium profecti, ædem D. Columbani religioſe ſalutarunt, amplique cœnobii privilegia confirmavere: nec mediocri nobis voluptati fuit archetypas eorum tabulas apud Monachos perlegiſſe.

Dehinc anno quintodecimo Imperii Lotharii Auguſti, & regnante unque Hugone patre, Atto Epiſcopus Vercellenſis prædia alia Eccleſiæ ſuæ, id eſt, Euſebianæ; Mediolanenſi autem, cujus ſacerdotes partim Cardinales Ordinarii, alii Decumani Canonici dicebantur, duas valles, Leventinam & Blenniam, è quibus Ticini fontes oriuntur, donat; Eugeniumque Pontificem, & Lotharium Imperatorem præſentes rogat, ut conſenſu quoque & prærogativa ſua hoc decretum affirmarent, juberentque ratum perpetuo haberi. Annuere benigni Principes, idque ut ſanctius in omnem ætatem facerent, diris execrationibus addixere fortunas, capitaque eorum, ſi qui unquam infringere ea conarentur: ſubſcripſere huic tabulæ quatuor & viginti Italiæ Epiſcopi, & Berengarius Marchio, & Guido Comes Palatii: qua ex re duo rurſus ſcribentium diſcordiæ opponenda colligimus; primum quindecim annos Imperio Lotharii attributos, cui quidam octo tantum, alii duodecim ad ſummum adſcribunt: alterum, quod ſub hoc Lothario Hugonis filio memoratur Eugenius Pontifex, quem illi in Lotharium Ludovici referunt. Cæterum rem in Curte Marenca actam traditur: quem locum Caſtrum Maricorum fuiſſe crediderim, quod duobus millibus paſſuum ab Alexandria diſtat: *Marengo* vulgo appellari etiam Merula atteſtatur.

A. C. 947. Arderieus autem Cotta Mediolanenſis Eccleſiæ Pontificatum tenuit annos duos & viginti: quo demum defuncto, contentio inter quoſdam oritur, quæ incertos civium animos in quinquennium habuit, cujus potior cauſa foret. Manaſſes genere Burgundus, Arelatenſis jam urbis Epiſcopus, prærogativam regiam prætendebat: Adelmanus vero Menclotius populi ſuffragia, & antiquum eligendi morem allegabat. Hic amplas opes nactus, ædem Divo Georgio Orientali porta ſtruxit, cui de propinqui lapidis colore putei albi appellatio manſit, & prædia conſtituit, quæ nemo, niſi ex cognatione & vita cælebs forturetur: cui dum multi inhiant, ac proinde matrimoniis abſtinent, pernicies nobili familiæ parata eſt, neque ad interitum gens Menclotiorum devenit: erexit quoque ſibi ſtatuam Adelmanus, quæ quotannis albo, nigroque colore interpolatur, & xenia vicinis mittuntur: ardet inſuper lampas honeſtiſſimo in loco majoris templi; cui tabella bicolor cum titulo viventis ſuſpenditur. Cæterum contentioni duorum Præſulum intulit ſe medium Valpertus, vir acuti & prudentis ingenii. Hic Manaſſem & Adelmanum diverſis temporibus allocutus, utrique ſuaſit, ut incerti juris honore & magni diſpendii lite cederent: ita vacuum rurſus locum ipſe invadit, & Mediolanenſium Antiſtes Valpertus nuncupatur.

A. C. 944. Interea Lotharius Papiæ moritur, & Berengarius Longobardus regnat, qui Adhelegidam, ut in archetypis tabulis vidimus, non autem, ut Blondus & alii eum ſecuti ſcribunt, Alidam, vel Alundam Lotharii conjugem, aliqui filiam memorant, in vinculis Mediolani habuit, ac inde in arcem Gardæ ad lacum Benacum tranſtulit, ex eo quod opulenta mulier nuptias ſuas conſtanter averſabatur: tum uſurpato Imperatoris titulo, Adalbertum filium Italiæ Regem dicit. Interim Adhelegida, corruptis ſpe ingentium præmiorum cuſtodibus, carcere effugit: favebant autem ei, & Johannes Decimus hujus nominis Romanus Pontifex, & Adelardus Rhegienſis urbis Epiſcopus, & Atto Malaſpina genere Lucenſis, qui ea tempeſtate opibus inclytus Canoſſam oppidum in Rhegienſi condiderat. Huc ergo delata Adhelegida tandiu ab hoſtilibus inſidiis ſervata eſt, donec & auctoritate Pontificis, & precibus Italorum populorum, quibus inviſa Berengarii avaritia erat, & ſpe

illu-

illuſtrium nuptiarum excitus Otho Henrici filius Germanorum Rex opem tulit: nec defuit magni rebus momenti homo Valpertus Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui Berengario infenſus in Germaniam profugerat, ac Regnum Italiæ affectanti Othoni haud dubie ſpondebat. Igitur præmiſſi Oratores reſtitui primo Valpertum curarunt: tum Litulphus * filius cum exercitu ſubſecutus adeo illius animos fregit, ut minime patenti campo exſpectare auſus Berengarius, in Novarienſis regionis inſulam confugerit, quæ exiguo lacu circundata de ſepulto in ea Aotiſtite Sancti Julii, deque adjacente oppido Ortæ nomen tenet. Hic aliquandiu incluſus, cum nec fugæ, nec auxiliorum ſpes foret, ſive proditus à ſuis, ut quidam opinantur, ſive ultronea ejus deditione in poteſtatem Litulphi venit: nam ab eo nihil gravius pati, quam ut magno Principi Othoni Cæſari parere diſceret, coactus eſt: mox Litulphus ipſe, dum in præſenti gloria mious cogitat, quam quod accidit, veneno petitus interiit; cujus obtus opportunitate excitatus Berengarius res novas molitur, vocatiſque ad rebellionem amicis diverſarum partium fautores bello perſequitur: tunc Otho precibus Adhelegidæ in
A. C. 951. Italiam proficiſcitur; occurrentemque Veronæ Reginam deſponſat: mox Berengarium deſecutus præſio apud Ticinum vicit, captumque cum Viula conjuge, & filiabus in Sueviam relegat: tres ve-
A. C. 964. to mares filii Adelbertus, Guido, & Conradus diverſa exilia petiere: exſtat hujus rei mentio archetypis tabulis Papiæ confectis octavo Kal. Februarii, anno † nongenteſimo quinquageſimo primo: abiit deinde ad Suevos Otho, relicta in Longobardis Adhelegida, quam Adelbertus Berengarii filius bello aggreditur: obſeſſam Atto Malaſpina defendit, & acie dimicans hoſtilem fudit exercitum, & liberam Reginam, & pacatam Provinciam adventanti in Italiam rurſus Othoni reddidit: cui pro ingenti merito grandem pecuniam, & oppida, ac juriſdictionem Otho largitus eſt; dintiuſque cis Alpes mo-
A. C. 964. ratus Adhelegidam Regni conſortem appellat, cum Papiæ ageret ſub anno Domini DCCCCLXII. Quo etiam tempore ſub Kal. Auguſtas Ortam profectus Eccleſiæ Sancti Julii prædia quædam donat in Plumbienſi Præfectura ſita: quorum fructus in uſum & ſumptum Canonicorum, & non etiam Epiſcopi Novarienſis cedant. Ex Adalberto autem progeniti liberi, atque nepotes mediocres opes in Liguribus Circumpadanis ſortiti, ut aliquo titulo claritudinem ſuam & Regiam progeniem ſe eſſe oſtenderent, à nomine avi Berengarios ſe nuncuparunt: ſequeinde ortam putat nobilis ejuſdem cognominis trans Padum familia.

Cæterum ſuſcepit Otho ex Adhelegida duos, quod compertum habeam, liberos; marem, qui de ejus nomine Otho ſecundus vocitatus eſt, & fœminam, cujus nomen non traditur: ſed video, hanc Aledramo ‡ juveni impigro nuptam; nam & Aledramum genuerum publicis tabulis Otho nun-
A. C. 967. cupat, cum Ravennæ eſſet Aprili menſe anno DCCCCLXVII quibuscum, intercedente Adhelegida uxore, Marchionem Montisferrati creat: jam enim ſic vocabatur pars Liguriæ, quæ ab Apennino procedens media inter Padum & Tanarum fluvios conſurgit; & ab his multiplex propago variis, pro locorum nomine, appellationes ſumpſit, Montisferrati, Saluciencſis, Carreti, Anciſæ, Cævæ, Boſchi, Buſchæ, & quorundam aliorum, quorum nobilitas jam obtolevit. Non ignoro circumferri, quaſi mutuo amore capti Aledramus, & Regia virgo, iram parentis poſt furta fugientes, mutato habitu, in Liguriam maritimam pervenerint, & viliſſimas operas, atque adeo carbonariam juxta Albingaunum urbem exercuerint, donec repertos Otho, quia factum corrigi non poterat, honeſtiorem in partem conſulens, Montisferrati ditione donavit: ſed quia hæc res nec ab idoneo ſcriptore, quod hactenus viderim, traditur, & ſpeciem fabulæ ſapit, eam nec affirmare, nec reſellere in animo eſt.

Digreſſus Italia Otho Viennæ anno nongenteſimo ſexageſimo octavo moritur †. Filius vero, ut A. C. diximus, hujus nominis ſecundus, Germanici Re- 968. gni heres, cum prudentia matris firmæ quoque ei ſtetiſſent Longobardæ opes, ad Italos proximo vere venit, & dum Caſſiani moratur, concedit Arduino inclyto Marchioni, & Adam, & Amicho, & Manfredo, & Odoni poſſeſſionem legitimam earum rerum atque urbium, quas jam in Italia obtinebant: cujus rei archetypam tabulam in Ticinenſi Bibliotheca vidimus. Idem uxorem duxit Theophaniam ex Conſtantinop. Cæſaribus ortam, quam & conſortem Imperii publicis monumentis appellat.

Inter hæc Valpertus jam decem & octo annis Mediolanenſis Eccleſiæ præſes moritur: cui ſuffectus Arnulphus tertium, & Gottofredus quintum annum cum duobus menſibus non exceſſere: cumque jam agerentur nongenti ſeptuaginta duo anni, A. C. Otho ſecundus Mediolanum profectus, diverſa- 972. tuſque in Cœnobio Ambroſiano menſe Julii, cohortante Adhelegida matre, confirmavit Abbati Bobienſi ea, quæ priſci Reges Cœnobio Columbani conceſſerant: idem fecit Papienſi Cœnobio Cæli Aurei, cum eſſet Magdeburgæ Saxoniæ urbe A. C. an. DCCCCLXXVIII. qui erat Regni ſui decimus octa- 978. vus, & Imperii undecimus.

Cum autem quieta undique Othoni pareret Italia, Saraceni ex Africa tranſmiſſi Calabriam & Salentinos invaſere: adverſus quos comparato exercitu Otho contendit, & præſio infeliciter A. C. commiſſo, ſimul cum Regina capitur. Narrat 982. Arnulphus rerum ſcriptor, captivos Othonem & Reginam ad littus maris deductos fuiſſe, ut in Africam deportarentur; ſed dum conſenderent naves, impetraſſe ab hoſtibus, ut quos ſervos quotidiano miniſterio adhibere conſueverant, præſentis quoque infortunii comites ducerent: ac ſimul Othonem clanculum monuiſſe, ut plures viri muliebribus veſtibus tecti arma ferrent, & ancillarum ſpecie deceptis cuſtodibus, citra ſuſpicionem naves adſcenderent, & memorandum facinus peragerent: ita inſtructi cum paululum à terra receſſiſſent, dato ſigno, gladios in navarchos ſtringunt, & ad unum jugulant: quibus trucidatis, terræ redditus Otho incolumis evaſit, atque iterum regnavit.

Dum vero hæc agerentur, Mediolani mortuo Gottofredo Aotiſtite, Landulphus Carcanus favore Othonis, &, ut fama fuit, corruptis largitione ſacerdotibus, ſufficitur: ei pater Bonicio fuit; fratres quoque nonnullos habuit, viros natura ſuperbos & alieni appetentes, quorum cupiditati permittente Landulpho amplas ſacerdotii opes, in omnem audaciam perrupere: & dum his intemperanter abutuntur, affectare majora civili mediocritate viſi ſunt. Fit ergo in eos conſpiratio, & populariter ſumptis armis, urbe pelluntur: in agrum Seprium hi abiere; turba infeſtis animis inſequitur; juxta Carbonariam vicum collatis ſignis conſiixere; ædes magna edita; ex qua cum ſervulus quidam vidiſſet dominum ſuum interfectum, inauditi facinoris conſilium ſumpſit: nam Mediolanum propere reverſus Bonicionis domum petit,

* Alii *Landulphum*, alii *Lindulphum*.

† Annus hic eſt deſponſatæ Adhelegidæ, non Berengarii relegati. Vide Gord. anno 962. & 952. & Baron. ibid.

‡ Indigenæ *Aleramum* dicunt.

† Gordonus, Baronius, Sigonius, & alii anno 973. mortuum ſcribunt: ſed tum anno 968. Otho II. confors Imp. factus in Italiam venit, ut habet Gordonus.

qui ætate gravis domi quietus remanserat: ad hunc igitur, ceu magna de re sermonem habiturus, intromitti cum se permisit, stricto pugione Bonifacium transfixit. Pace postmodum inter cives facta, Landulphus in emendationem eorum, quæ de Ecclesia averterat, cœnobium extra urbem inter Romanam & Ticinensem portam erexit, in honorem S. Celsi Martyris, ampliſque prædiis ditavit, atque moriens

A. C. 921. sepeliri ibidem voluit anno DCCCCLXXXII. Quo etiam tempore Otho dum expeditionem transmarinam parat, Romæ fatis ereptus est: successit ex Theophania genitus adolescens, nomen patris, avique simul

A. C. 951. referens Otho Tertius. Per cujus tempora Pontifex tribus mensibus fuit Joannes Decimus quartus, quem nonnulli patria Papiensem fuisse prodiderunt. Item Conradus Marchio Berengarii Regis filius, & Richelda uxor Ecclesiæ Mediolanensi donant Trechatum Novariensis agri oppidum anno

A. C. 959. DCCCCLXXXIX. & Joannes Græcus, apud Theophaniam sacrorum minister, favore ejus Episcopatum Placentinum adeptus est, qui deinde factione Crescentii Nomentani Romæ affectantis Imperium

A. C. 964. Gregorium V. Pontificatu dejicere conatus est; & summovit quidem ad tempus: nam ipse, Apostolorum sede occupata, decem menses Joannes Decimus septimus fuit: sed accersitus in Italiam Otho Crescentium capit, & capite mulctat, & adulterinum Pontificem post varias ignominias inverſæ asinæ impositum circumduci per fora urbis, ac demum naribus, & auriculis mutilari jubet. Restitutus pariter in sedem Gregorius, ut accepti beneficii gratium Othoni referret, illum solemni die Imperatorim titulo, & Augusti nomine donavit anno DCCCCXCVI.

A. C. 996. Triennio post idem Otho Papiæ per Octobrem mensem agens confirmat privilegia à Majoribus concessa Bobiensi cœnobio: idque factum est rogatu Gerberti Abbatis, & pariter Archiepiscopi Ravennatis; ac mox Romam profectus, eadem affirmat Petro Aldo, qui demortuo Gerberto in Bobiensi tantum sacerdotio sufficetus fuerat.

Eodem tempore & Mediolani defuncto Landulpho Carcano sufficitur Arnulphus ex gente, ut quibusdam placet, de Arsago, quem Otho uxorem ducturus, ex eadem natione, ex qua Theophaniam matrem sortitus fuerat, Constantinopolim pacisecendarum nuptiarum gratia, misit.

A. C. 998. Interea de constituendo apud Germanos Imperio actum est: & sub specie, ne amplius ceu res hereditaria ad pueros, indignosve supremum in terris munus perveniret; aut abeo, qui armis plus posset, usurparetur; sanctum est, ut ex septem Heroum suffragiis Princeps virtute & meritis clarus eligeretur Romanorum Rex, qui deinde Romæ à Pontifice coronatus, Imperatoris nomen acciperet. Jus vero ejusmodi suffragiorum esset penes Colonienſem, Trevirenſem, & Moguntinum Archiepiscopos, nec non Marchionem Brandeburgenſem, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, & Regem Bocmiæ: quod eo facilius confectum fuisse crediderim; quia prærer continuam trium Othonum seriem, Gregorium quoque ipsum genere Saxonem fuisse audio.

Cæterum brevi post eam rem constitutam, fatis

A. C. 1002. concedens Otho sine liberis decessit; & seu rem de Imperio inter paucos actam Itali ignorarent, seu ratam non haberent, seu cupiditate regnandi unicuique insita, Arduinus * nobilis Eporediæ Marchio convocatum Papiæ habuit, atque ibi Longobardorum

A. C. 1002. Rex declaratur: quo facto, cum Arnulphus Archiepiscopus Constantinopoli rediisset, nullo non officii genere eum sibi conciliare Arduinus studuit; seu spe earundem nuptiarum, quas Othonis nomine is procuraverat; seu ut potentissimi Sacerdotis prærogativam quoque regnaturus in Italia prætendere

* Alii *Ardoinus*.

posset. Tum ad Laudem Pompejam Episcopos finitimarum civitatum, & Proceres amicos convocat, atque eorum decreto Imperator declaratur: & ex eo ingentia prædia Papiensi Ecclesiæ donavit, cujus tum Præses Guido nuncupabatur. Gum sic plurima Italia Arduino, velut legitime Imperanti, pareret, Germani Proceres pro jure sibi à Gregorio concessi Romanum Regem ereant Henricum Bavarorum Ducem hujus nominis Secundum, quem in Italiam

A. C. 1004. profectum fuisse lego anno Christi MIV. siquidem archetypis quibusdam tabulis constat, eum pridie Non. Junii pernoctavisse apud Cadampinum vallis Aggi vicum, qui locus in Comensi tractu est: dimicavit autem Henricus cum Arduino, & acie victus in Germaniam refugit: nbi novis copiis comparatis in Veronensem agrum descendit; ubi maturе quidem Arduinus occurrit; sed destitutus à suis omittere in præsens negotium, & mox penitus à belli consiliis recedere coactus est. Igitur victor Henricus res Longobardas ad arbitrium componit: Papiam

A. C. 1013. profectus; cum cives in rebellione diutius perseverarent, uno urbem cremavit incendio: cujus exemplo exterriti alii populi imperata obedienter fecerunt.

Interim Arduinus ad Subalpinos populos se contulit, & collecta quam maxima poterat armatorum manu, per occasiones, interimque rogatus ab iis, quibus insolentia Germanorum militum gravis erat, hostilem adhuc animum ostendebat. Jam vero, & Vercellas cepit, & Novariam obsedit, & paulo post Comum invasit: demum tædio laborum & fortunæ, cum in cæteris, tum in bello nunquam fidelis, more Diocletiani & Maximiani Cæsarum

A. C. 1015. depositi Imperium: privatamque deinceps vitam agens consenuit in cœnobio Fructeriæ, quæ sita est inter Doriam & Morgum Taurinensium flumina. Tunc veluti exstincto pene æmulo, cuncta sine difficultate Henrico obtemperavere: simul quattuor inclyti in Italia Marchiones, Ugo, Actius, Adelbertus, & Obicio, atque alii non pauci, qui partibus adhæserant, fortuna afflicti, universis opibus cecidere: inter quos Episcopus Astensis reliquum vitæ Mediolani exul peregit: cujus dignitatem Henricus deferri curavit Olderico Mamphredi clarissimi Marchionis fratri, invito tamen, & usquequaque recusante Arnulpho Mediolanensi Antistite.

Cæterum Henricus cum sub annos mille & duodecim in Germania esset, novum in Italia bellum suscepit, & Romæ à Benedicto Octavo diademate

A. C. 1014. Augustorum biennio post donatus fuit. Quo quidem tempore, ut publicis tabulis Papiæ legimus, Ubertum Comitem, Philippum, Obertum Marchionem, & liberos ejus, ac Albertum nepotem cunctis rebus exuit, ea ex causa, quod cum Arduino hoste suo sensissent, Romanumque Regnum cædibus, rapinis, & incendiis vastassent; cæterique rebellionis populares, in quibus non pauci Mediolano, Comoque oriundi fuere, in Germaniam relegantur. Dehinc adversus Saracenos Henricus contendit; quos Capua expulit: inde Trojam Apuliæ urbem oblidit, & dedentibus oppidanis cepit.

Inter hæc Olderico, cum nullis precibus Mediolanensem Antistitem flectere potuisset, ut in Astensi

A. C. 1021. Episcopatu confirmaretur, Romanum Pontificem adit; atque ab eo consecratus ceu legitimus Sacerdos Astam repetit: quo cognito, Arnulphus incredibili ira exardescit; fraudemque istam minime se laturum declarat; reum Majestatis citat; obaudientem damnat, contumacemque execratur, & divinis omnibus interdicit: tum sumptis armis persequitur; trajecto Pado exercitum in Astensium fines deducit; agri exuruntur, præda ingens undique agitur; denique arcta obsidione urbem cingunt: quæ mala cum diutius ferre cives non possent, frequentes Oldericum & Mamphredum circumstant, orant, obtestantur, patriæ commoda ne privatæ commoditati postponant:

tum

tum circummiſſis legationibus, pacis conditiones convenere: atque Eccleſiæ Mediolani de injuria hoc modo eſt ſatisfactum. Reverſo domum Arnulpho, Oldericus & Mamphredus magna clientum & amicorum comitante manu, eis Ticinum, atque adeo ad tertium ab urbe milliarium pervenere: hic remotis equis, pedibus nudis urbem ineunt: celeberrimum fuit ſpectaculum, tantam nobilitatem tali habitu incedentem viſere; ſed Principes ipſi à cætera turba diſtincti. Oldericus ſacrum volumen, Mamphredus catellum humilitatis & fidei ſignum dextera portabant. Ambroſiano templo intromiſſi ſedentis Arnulphi genibus advolvuntur, & errorem confeſſi, veniamque precati, in gratiam recipiuntur: tum de manu Archiepiſcopi deſerri ſibi inſignia Aſtenſis Eccleſiæ Oldericus rogat: quo facto, Arnulphus dignum ſacerdotio pronunciavit, ac veſtibus ſacris & annulo donavit: tunc Mamphredus ingens pondus argenti altari impoſuit, ſeu donum ſponte factum, ſeu imaginariam quandam belli expenſatum emendationem; ex qua pecunia crux deinde argentea fabrefacta fuit. His in Ambroſiana æde peractis, ad Majorem, quæ in Mariæ Virginis, & Matris honorem in media urbe colitur, tranſeunt, eodem habitu, atque iiſdem ibi cærimoniis repetitis integram gratiam, & univerſi populi reconciliationem meruere. Talis ultor Eccleſiæ Arnulphus cum fuerit, deceſſit anno Chriſti decimo nono ſupra milleſimum, qui & dignitatis ejus undeviceſimus erat; vir pari in cunctis laude dignus: quidam ferunt, ab hoc æreum ſerpentem ex Conſtantinopolitana legatione relatum, & in Ambroſiana æde locatum; quod ante parum fidele exiſtimanti mihi, penitus vanum ut credam, facit Arnulphus Chronicorum ſcriptor, hujus, ut arbitror, ex fratre pronepos; qui reliqua ejus acta diligenter pro viribus ingenii exſecutus, ſerpentis nullam omnino mentionem habet.

Hujus magnis hominum ſtudiis ſufficitur Heribertus Antimiano vico Canturienſis Præfecturæ urbi Como finitimæ oriundus, & tum Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconus: pater ei fuit Gerardus, & nepos hujus nominis, qui commodiſſimum ſub Henrico Cæſare locum nactus, epiſtolarum magiſter diu fuit.

Sed jam fatis debebatur novæ origo religionis, & opulentiſſimi ſacerdotii principium: namque exules in Germania agentes, diuturnioris moræ pertæſi, veſtem cum animo majora concupiſcendi mutant, & unum omnes habitum fumentes cinerei coloris penulam induunt, caſtigatiſque ſponte moribus, divinarum rerum ſermonem inſtituunt; caſta & religioſa ubique loquuntur: jam opibus contemptis mediocritatem diligere, & vitia omnia uno abhorrere decreto, ac, ut nihil ſimulate facere viderentur, lanificio victum quærere: quod quotidiano victui ſupereſſet, tenuioribus erogare: tetigit ea res univerſi primo populi animum: deinde ad Henrici quoque aures perfertur: qui diutius obſervari eos cum juſſiſſet, comperiſſetque vera religione trahi; atque in primis liberos & conjuges ad idem genus vitæ allicere, crimine abſolvit, ac in patriam redire permiſit: reverſi ſuam quiſque familiam novis inſtituere moribus: vicini, exemplo ſpectato, in diſciplinam accedunt: cum jam plures eſſent, & capite, quo regerentur, indigerent, Antiſtitem ſibi creant, ac locum conſilii conſtituunt, quem Conventum dixere; univerſi *Fratres de Convento* nuncupati; ac poſtea à magnitudine operimenti capitis, quo in peregrina terra uti conſueverant, *Berretani*; deinde à conſtantia mentis, qua genus omne ſuperbiæ ſequeſtraverunt, *Humiliati* dicti; tum promiſſas ad talos tunicas, cinereo in candidum colorem verſo, ſumpſere; & congreſſum mulierum vitantes, in regulam Divi Benedicti conceſſere: & quamquam tam vetuſta habeatur hujus origo religionis, tamen intra Italiam ſtetit, nullis aliis nationibus recepta. Non me latet, à quibuſdam referri hæc in Friderici primi tempora: ſed his, ut imperitis, manifeſte adverſantur Pontificum tabulæ, qui Fratribus Humiliatis aliquid ante Friderici ætatem conceſſere.

Per ea quoque tempora, & in trecentos amplius ab hinc annos, video, invaluiſſe morem diſtinguendi homines ex triſaria legis profeſſione: nam ut olim Romæ ex Tribubus civitatis, & nunc ex Porta, Parochiaque, ita nunc alius lege Romana, Longobarda alius, alius Salica ſe vivere profitebatur, quoties nomen in publicum monimentum dabant: quarum primarum nomina ſatis clara per ſe ſunt; de Salica vero diu dubitavi; demum occurrit Gallicanarum rerum ſcriptor, qui tradidit, Faramundum Francorum Regem, temporibus Honorii & Arcadii Cæſarum, ejus legis auctorem fuiſſe: in noviſſimo vero Cæſarei Juris volumine ſcriptum eſt, cum quis ſuſceptæ proli ex conjuge nobili novercam minus nobilem inducit, & in contrahendis ſponſalibus pacifcitur, quid rerum ex hereditate genitis jam liberis, quidve futuris ex recenti matrimonio pervenire velit, in reliqua Italia Salicam legem, Mediolani autem Morganicam, & interdum Morganaticam vocari.

Mortuo Henrico, magna apud Germanos de ſucceſſore orta contentio eſt; de qua litteris Gerardi fratris admonitus ſimul, & impulſus Heribertus Mediolanenſis Antiſtes eo proficiſcitur, anno, qui jam à Chriſtiana nuncupatione numerabatur, milleſimo & viceſimo quarto: ſed jam Conradum Franconiæ Ducem Cæſarem electum offendit; cui congratulatus, quidquid vires ſuæ, & auctoritas ampliſſimi ſacerdotii poſſet, obtulit: quæ gratiſſima novo Cæſari ut fuere; ita Heribertus ab eo retulit auctoritatem conſtituendi Laudenſis Epiſcopi, quem omnino & conſecrare antea ſolebat: inde reverſus ad Longobardos litteris, & legationibus, ac multa dando, pollicendoque, tota amicos illi Italia comparavit: triennio poſt profectum eis Alpes Conradum Mediolani coronat, ac inde Romam deducit: ubi, cum ſolemni die ad Joannem Viceſimum pro foribus ædium Petri ſedentem auguſtalia ornamenta acceпturus Rex accederet; & eo forte momento cum quadam neceſſitate coactus Heribertus Mediolanenſis non adeſſet, Ravennas Præſul, cui ſimile nomen Heriberto erat, dextram Cæſaris invadit, eamque tenens uſurpaturus videbatur id, quod erat muneris Antiſtitis noſtri: quod cernentes Longobardi heroes, tacite primo obmurmuravere, dein aperte indignari, & jurgiis contendere adverſus temerarii hominis importunitatem; denique ſe opponunt, & munus interdicunt: creſcente rixa, Conradus gradum ſiſtit: *Et equidem ego*, inquit, *à majoribus accepi; ſolere eum Auguſtum, Imperatoremque à Romano Pontifice declarari, quem Mediolanenſis Antiſtes initiaverit, ac ferreo diademate coronaverit: ac propterea eundem urgendum eidem Pontifici ab eodem Mediolanenſe offerri*: & cum hoc verbo manum à Ravennate retraxit, ſimulque Mediolanenſem acciri jubet: ſed is non comparebat, aliqua ſorte neceſſitate diſtrictus; diſſerri quoque initæ cærimoniæ non poterant: ergo per Vicarium ex ſuffraganeis lectum præſenti negotio, & Præſulis dignitari conſulitur. Ardericus Vercellenſis Epiſcopus adſtabat, inſigni ſtatura vir: hic vice Mediolanenſis accitus Conradum ad ſolemne ſacrum deduxit ſeptimo Cal. Martias anni milleſimi & viceſimi ſeptimi: & mox publica ſynodo ſancitum eſt, ne in poſterum ullis Pontificalibus conciliis Mediolanenſi Præſuli ſeſe Ravennas anteponeret.

A. C. 1019.

A. C. 1024.

A. C. 1027.

Anno

A. C. 1033. Anno quarto Imperii Conradi Benedictus, qui & Rocio vulgo nuncupabatur, cum Ferlenda uxore ædem proprio ſolo media urbe ſtruxere in honorem Divæ Trinitatis, & memoriam locorum, quæ Chriſtus Deus naſcendo, moriendoque, & interim baptizatus, excruciatuſque à Judæis, & noviſſime cælos adſcendens ſacravit, ſingulaque ſacella ſingulis nominibus diſtincta diu manſere, donec celebrius vocabulum Sancti Sepulchri invaluit: ejus cultui quattuor Canonicos & octo Monachos adſcriptos fuiſſe lego; licet poſterorum negligentia, illos jam diu deſideremus: durat tamen nobilis ſtructura ſubterraneo ſpecu, penſilibuſque cellis, marmoreo pavimento & duabus turribus egregia.

Forte per ea tempora Præſes Eccleſiæ Laudenſis deceſſit: cui Heribertus, pro jure ſibi à Cæſare conceſſo, decrevit Epiſcopum Ambroſium ex ordine Cardinalium Mediolanenſium: hunc vero ſe minime accepturos, aut quemlibet alium, quam quem ipſi patrio more, aut majorum ritu elegiſſent, oſtendunt: at Heribertus deſignatum ornare pergit, & confirmat; recuſantes admittere, bello perſequitur; urbem eorum obſidet; agros late miles populatur, tandemque compulit & pacem, & Epiſcopum accipere: qui etſi doctrina, probitateque excelleret, nec ullo officio non ſtuduerit ſibi conciliare cives, haud tamen illi unquam bono animo in gratiam ſe rediſſe oſtenderunt.

Per eoſdem dies, defuncto Rodulpho Rege, Conradus invadere Burgundiam Provinciam conſtituit, vocavitque in auxilium Longobardos Heroas; è quibus profecti trans Alpes cum magna manu ſunt Heribertus Mediolanenſis Antiſtes, & Bonifacius Marchio illuſtris, quorum auctus copiis Conradus hoſtem premit, atque ad deditionem compulit: tumque bipartita Burgundia fuit: habita victoria læti Longobardi in Italiam redeunt. Conradus Rheno adjacentes urbes petit, & Baſi-
A. C. 1033. leæ erat anno milleſimo & triceſimo tertio: per quod tempus Heribertus Mediolani ſuburbanæ ædi in honorem Dionyſii & Aurelii conditæ porta Orientali cœnobium adjecit, quod paternis fundis, quoniam cenſus Sacerdotii non ſufficiebant, locupletiſſimum fecit, ac perhorrendo edicto ſanxit, ne quis ullo unquam tempore acta à ſe immutaret: cæterum, ut nemo fere in ſecundis rebus modum cupiditatibus adhibet, Heribertus ſacerdotali potentia major urbis dominium affectare viſus eſt: tacti ſuſpicione cives, magnam illi invidiam conflant; nocturnos conventus, arcanaque conſilia ineunt: ordo tunc in urbe erat militum, qui vulgo *Valvaſſores*, ſive quod civitatis portas cuſtodirent, ſeu ex aula Cæſarea alicujus dignitatis nomen allatum ſit, dicebantur: durant adhuc in pleriſque urbibus familiæ Valvaſſores cognominatæ: apud hos in primis conſpirationes & conventiculi fiebant: ſed cum conſilia non procederent, uno omnes animo egreſſi ad montana abeunt; biſque applicatur Nobilitas; & Laudenſes Epiſcopalis jujuræ memores ad eoſdem egregiam juvenum manum mittunt: quibus occurſurus Heribertus quantaſcumque poteſt copias contrahit. Conflixere in loco, cui jam pridem *malo* cognomen erat. Ingens pro numero edita cædes: inter confertos cecidit Oldericus Aſtenſium Epiſcopus, cujus morte finitum bellum; nam & hi magno Duce, & diſcordiarum nutritore amiſſo, confuſi, & illi duro adverſario liberati, facilius ad pacem convenerunt, ſolutiſque exercitibus domum abierunt.

A. C. 1037. Interea vero Heribertus de ſumma rei ſollicitus Conradum Cæſarem in Italiam vocaverat, qui per Tridentinas Alpes Veronam tranſmiſſus, Mediolanum venit. Verum invaluit paulo poſt rumor, co-

A gitare Cæſarem de accidenda, minuendaque Præſulis poteſtate: quod cum populus ægre ferret, ſpectaretque ad tumultum, Conradus Papiam ſeceſſit, eodemque Principes ſacerdotum frequentes vocati, coivere. Heribertus quoque Mediolanenſis acceſſit; & in vincula conjicitur, cuſtodienduſque Patriarchæ Aquilejenſi traditur: ea re Mediolani nunciata, ſtupor, horrorque univerſos cepit: mœſti quid agendum ſit conſultant: tres civitatis ordines, Clerus, miles, plebs cenſent, communi nomine intercedendum, ut liber Paſtor reſtitueretur: mittuntur ultro citroque nuntii; obſides Conradus petit: quibus acceptis, non ſolum non red-
B dit Heribertum, ſed tres alios amicos Epiſcopos detinet, Vercellenſem, Placentinum, & Cremonenſem: tum vero mœſtum ſilentium ferocia Mediolani conſilia oppreſſit: undique murmura, undique lachrymæ, gravioraque in dies exſpectabantur: ſed ecce carcere emiſſus Heribertus inopinatus, inexſpectatuſque, ſecundo poſt menſe comparuit tanta hominum lætitia, ut nihil ſupra optari poſſe videretur: at Conradus, quod ſe inſcio, invitoque evaſiſſet, hoſtem Imperii declarat, & bello perſequuturus, milites, undecumque poteſt, acC cerſit: jam juſtus videbatur exercitus, & populando agros Landrianum oppidum expugnat, diruitque: mox propius urbem caſtra admovet, & obſidionem inſtituit: contra Mediolanenſes opportuna loca munire, hoſtiles in ſtationes erumpere, varia prælia committere: hic Merula recepit, ſed, ut video, ex recentioris cujuſdam Scriptoris traditione, quendam Baverium equitem viribus ferocem, & propinqua Cæſaris cognatione elatum, jurejurando ſe obſtrinxiſſe, non prius cibum ſumpturum, quam haſtam intra urbem emitteret, vel portas configeret: cumque is muris obequitaret, Heriprandum Vicecomitem, qui portæ præſidebat, armatum ferocienti hoſti occurriſſe, reque cominus geſta, ſuffoſſum gladio barbarum cecidiſſe, ejuſD que capite reciſo, Heriprandum ad ſuos gratulabundum revertiſſe. Cum religioſa dies Aſcenſione Chriſti Dei ageretur, Conradus veluti ſupremam fortunam tentaturus, copias in aciem eduxit: in dextroque cornu Germanos, in ſiniſtro Italos collocavit: nec detrectavere certamen oppidani; inſtructiſque ordinibus obviam procedunt, collato pede vir viro hærebat; cæduntur multi, cæduntque invicem: jam Guido ſignifer Cæſareus, & Marchio Italiæ, & quidam alius inter Germanos inſigni corporis proceritate occubuerant; quorum jacturam ægre ferens Conradus, ſuburbana ædificia uri juſſit: ſed ſive tædio longioris moræ, ſive virtute & E patientia obſeſſorum extrema omnia ferentium fatigatus, ſive ex eo deterritus, quod Bruno Colonenſis Præſul rem divinam agens, vidit imaginem ampliſſimi Sacerdotis, quem Divum Ambroſium crediderunt, ſtricto gladio terribilem, & Regi, exercituique exitium minitantem, collectis ſarcinis, Papiam conceſſit; ubi iras in Heribertum exercet, Epiſcopali munere eum interdicendo, numque ex familiaribus in vicem ejus ſubſtituendo: contra Heribertus Othonem Francotum Comitem ad ſpem regni Italici excitat: ſed is maluit nonnullis Germaniæ urbibus prius bellum inferre, quo implicitus & demum victus obtruncatur: cæterum
F Conradus, nulla alia re memorabili geſta, dolore A. C. pedum oppreſſus, Italia cedere conſtituit: ſed prius 1038. amicos, quoſcumque potuit, jurejurando obſtrinxit, facturos bellum anniverſarium Mediolanenſi civitati, ejuſque agrum quotannis populaturos: ergo, Conrado in Sueviam proficiſcente, negotium adverſarii faceſſunt: Heriberto varias inſidias tendunt; reliqui Proceres pro ſuſcepto jurejurando, ad vaſtationem ſegetum veniunt. Heribertus multitudinem in arma vocat, & quibus modis geri

bellum

bellum oporteat, docet: affirmat Merula, novum in Longobardis per hæc tempora excogitatum fuiſſe militiæ ſignum, quod *Carrocium* vocavere: quo certe eo vidco, non ſolos Mediolanenſes, ſed unamquamque civitatem, ex iis, quæ inter Alpes & Apenninum ſunt ſitæ, ducentis & amplius annis uſos fuiſſe: erat autem currus editior coccineo obvelatus panno: in cujus medio procera ſtatuebatur pertica, à qua vexillum album pendens rubra cruce interſecabatur; terni boves concolori inſtrati veſte vehiculum trahebant: præficiebatur ejus curæ vir bello prudens, quem *Carrocerium* vocitabant: Sacerdotes non pauciores Divinæ gratia, & octo tubicines ſequebantur: juxta incedebant primarii ductores, & robuſtiſſima pars exercitus: ubicunque Carrocium ſubſiſtebat, ibi prætorium erat, & conſilia gerendi belli adminiſtrabantur: ſaucii in pugna, aut pulſi ab hoſte eo refugiebant, fomentaque & vires reſumebant: tali ergo ſigno præmiſſo, Mediolanenſes cum caſtra conſtituiſſent, & neceſſaria expeditioni nuſquam intermitterentur, Conradus ſato conceſſit: cujus obitu vis omnis hoſtilis ſoluta eſt: colligo defunctum eum anno Chriſti A.C. 1038. MXXXVIII & uxorem habuiſſe Ghiſlam nomine, ex qua Henricum ſuſcepit, qui adoleſcens adhuc paterno regno ſuffectus eſt, & pacem Mediolanenſi- A.C. 1043. bus dedit, & poſtea anno MXLIII. cis Alpes profectus, Ticini conventum habuit, decimoque tertio Kal. Majas immunitate donavit Cœnobium S. Felicis: cui annuerunt Herihertus Mediolanenſis, Rainaldus Papienſis, Luitprandus Novarienſis, & Litigerius Comenſis Epiſcopi, tum Ricardus Vicecomes ſacri palatii Judex ſubſcripſit.

Interea, Romæ tribus de Pontificatu certantibus, in Hetruriam Henricus adſcendit: Placentiæ obvium habuit Gregorium Sextum, qui, Bonifacio Nono cedente, titulum prætendebat: tertius erat Sylveſter, quem Romani creaverant pariter, & exauctoraverant. Henricus igitur, his omnibus abdicatis, Syndegerium Bambergenſem ſuffi- A.C. 1047. cit, & Clementem Secundum nuncupat: tum, ſedatis diſcordiis, coronatur, atque Imperator hujus nominis Secundus, & Regum Tertius ſalutatur.

Cæterum Mediolanenſium pacem foris partam bellum inteſtinum excepit, & quidem parvis initiis excitatum. Miles quidam privata cauſa irritatus, plebejæ ſortis hominem pulſavit primo, & mox, incaleſcente ira, occidit: affines facinus atrox & intolerandam contumeliam querulis vocibus apud ſuæ factionis homines detulerunt, & injuriam verbis cumulantes turbam concitarunt: fit ex improviſo impetus ad domos militum, compluresque cæduntur: ignari cauſæ inexſpectati furoris novitatem admirantur ſimul, & correptis armis vim vi repellunt: interfecti multi utrinque fuere, alii vulneribus debilitati: auxit hæc rixa iratorum odia, quibus non mediocre incentivum ſtatim acceſſit Lancio Curtius, cui magnis opibus par audacia juncta; inconditæ multitudini ſeſe applicavit, & non tolerandas injurias prædicans, ſeque omnium ultorem ultro offerens primarium inter eos locum brevi nanciſcitur: jam caput turbæ conſtituitur, & ut aliquo titulo honeſtior foret, Capitaneus populi, & Defenſor plebis vulgo nuncupatur; ferociaque in dies conſilia agitat: jam vero & nobilitas eum metuere, & communicatis cum militia conſiliis, in unum conſpirare, & dum nemo intercedit, neque furentium animos aliqua induſtria comprimit, ad ſeditionem erumpere: jamque non viri ſolum gladiis & acutis ſudibus rem agebant, ſed fœminæ quoque ſuperne à feneſtris & tectis ædium ſaxa tegulaſque devolventes, multos conterebant, ſuperanteque ob multitudinem plebe, pars altera urbe cedit: ejecti cum conjugibus & liberis ſuburbana caſtella petunt, ad quos brevi ſe confert Heribertus Archiepiſcopus: qui maximo cum gaudio exceptus maximum momentum rebus attulit: nam ejus exemplum ſecuti qui nobiliſſimas regiones Sequenſem & Martianam incolunt, partibus acceſſere: quibus aucti copiis ſex opulentiora oppida communiunt; trienniumque ex diſſenſio infeſtam urbem habuit: his commeatus importari prohibentibus, ſataque paſſim conterentibus: illis adverſus importunos prædatores frequenter erumpentibus: tandem, ſupervenientibus Cæſareis Oratoribus, eorum auctoritate induciæ primo, & hoſtilium actionum ſuſpenſio; dein pax certa conciliata eſt; quam ratam fecit obitus Heriberti Archiepiſcopi, qui per eos dies contracto Moguntiæ morbo Mediolanum deportatus, naturæ conceſſit, & in Dionyſiana æde à ſe magnis prædiis donata ſepultus eſt A.C. anno Chriſtiano 1045. cui ſuffectus fuit Guido ex 1045. numero Valvaſſorum, oppido Velate oriundus: id quod opera Henrici Cæſaris factum traditur; cujus voto recentes diſcordiæ, & civium calamitas peropportuna accidit, ne quis electioni novi hominis, hoc eſt, qui nondum in numerum Cardinalium ordinariorum receptus fuiſſet, refragaretur: veteri namque inſtituto obſervatum fuerat, ut ex hoc ordine Archiepiſcopus eligeretur.

Cum autem jam annus quinquageſimus ſupra mille ſubiiſſet, Lanterius, vir operibus inclytus, cognomento *de Quinquevis*, & Guida uxor multa prædia teſtamento Cœnobio Ambroſiano legaverunt; quorum reditibus alimenta crevere duodecim Canonicorum, quæ ultra priſcum numerum conſtituta ſunt: olcum lampadi in perpetuum arſuræ; & epulum quotannis quinquaginta egenis præbendum. A.C. 1050.

Per eadem tempora Arnulphus ſcribit, habitum in pratis Roncaliæ ab Imperatore conventum, & multorum querimonias auditas: inter alios graviſſimis criminibus accuſatum Adelbertum Marchionem, ac publico judicio damnatum Cæſar ferreis vinculis addixit. Item Leo Nonus Clementi ſuffectus jus creandi Pontificis à Cæſaribus ad Romanam civitatem traduxit: nam habitu & inſignibus, quæ ab Henrico acceperat, ante urbis ingreſſum dimiſſis, privati more Romam iniit, & vocato populo ac Clero ab iis ſe eligi & ornamentis decorari curavit: id quod maxima arte & aſſutia Hildebrandi Monachi factum traditur, qui Soana Hetruriæ urbe oriundus promptitudini ingenii non mediocrem faerarum Litterarum eruditionem junxerat; & ſtatim ob ingens meritum in ordinem Cardinalium adſcitus fuit, & cum vigore animi cunctis præſtaret, facile primarium locum inter ſacerdotes obtinuit: nec multo poſt Leo in Ciſpadanam Provinciam profectus, conventum Vercellis habuit, A.C. 1050. in quo Berengarium Turonenſem novæ hæreſeos auctorem convicit, & damnavit.

Reverſus in Germaniam Cæſar deceſſit anno A.C. Chriſti MLIV. quantum ex inſcriptionibus ſuccelſoris ejus colligitur; nam alii triennium vitæ ejus addunt: moriens ex Agnete conjuge ſuſceptum filium impubem reliquit: cui mox Regi Romanorum declarato Henrico Quarto nomen fuit: qui dum ſub tutela matris adoleſcit, ingentis belli ſemina Mediolanenſibus cum finitimis orta ſunt: ex propinquitate locorum & commerciorum frequentia illatæ ſorte hinc inde inter privatos injuriæ ſunt: quibus reprimendis cum nemo ſtuderet, & in Magiſtratibus vel negligentia, vel iniquus favor, quominus jure emendarent, perſpiceretur, ad prædas & latrocinia, indeque cædes & incendia ventum eſt: quibus exacerbatus Papienſis externum militem conduxit; impetum in Mediolanenſium agros facit; ſata populatur; quicquid occurrit, ferro proſternit; contra Mediolanenſes adjunctis ex fœdere Laudenſibus, illorum fines incurrit;

denique juſti exercitus utrinque ſcribuntur; caſtra in confinio locantur; & collatis ſignis pugna committitur; tantoque hominum eroore certatum eſt, ut loco nomen *Campi mortui* inditum fuerit, ſive, ut alii ſcribunt, alia clade cam appellationem ſortitus inſtauraverit: certe in hunc diem durat *Campi mortui* vicus ea regione percelebria. Cæterum Papienſes, defuncto Epiſcopo ſuo, ſucceſſorem datum à Cæſare & à Romano Pontifice confirmatum, admittere nolebant; novumque ipſi eligunt, qui ſacra procuret: eorum exemplum ſequuntur Aſtenſes: idque indignum pleriſque videbatur. Idcirco certatum in urbe eſt, & poſt varios conflictus, & incendia facta, demum Adbeleidæ Comitiſſæ prudentia & auctoritate pax conciliatur; & Epiſcopus, quem Pontifex ſacraverat, receptus, altero ecu adulterino rejecto.

Interea Mediolani privatorum intemperans audacia in publicam perniciem exiit. Erat inter domeſticos Guidonis Archiepiſcopi vir philoſophia & moribus ad continentiam compoſitis inſignis, nomine Arialdus, humili quidem genere natus, ſed ob virtutem in Decumanorum ordinem, qui ſecundi ſunt à Cardinalibus Eccleſiæ noſtræ, adſcitus fuerat: is cum opinione doctrinæ, tum familiaritate Archiepiſcopi nixus, Clericorum mores taxare, ac acerbius mordere quibuſcumque ſermonibus cœpit: ſimul Landulphum Cottam genere & opibus inclytum, cui ingenium & facundia ad aucupandam hominum gratiam ſupererat, ſibi conciliat, eoque adduxit, ut quamvis nullis Eccleſiaſticis Ordinibus inſtitutus, auderet tamen in ædibus ſacris concionari, ac rectam Chriſti fidem palam prædicare: qui, ceu peculiaris in Clericos provincia demandata ſibi fuiſſet, nullis non triviis illorum impudentiam, cupiditates, avaritiam, largitiones, ambitus commemorare; tum nocturnas ambulationes, arcanaque commercia cum matronis, & occultas hbidines objicere; nec ſolum eos non colere fidem, quam profiterentur; ſed nec ſancta, religioſaque eſſe ſacra, quæ adminiſtrarent: quæ ſæpius vulgo decantata, & avidis auribus recepta, multitudinem in damna Sacerdotum armarunt; & omnibus quandoque vicis ad eorum domos diſcorſum eſt, & ſuppellex omnis direpta: nec ita multis poſt diebus turbam in foro Landulphus convocat, & denuo multa obloquutus, &, ut ſe ſequerentur hortatus, ad templum procedit; & divina celebrantes inopinus invadit, pugnis, fuſtibuſque cædit, ac toto choro ſacrarioque fugat: tum legem promulgat de caſtitate Clericis ſervanda, cui ſubſcribi cunctis ab Ordinibus curavit: quibus de rebus conqueſti primo apud Epiſcopos de injuria, deinde, quia in eis nihil opis apparebat, ad Stephanom Nonum Romanum Pontificem deferunt: nam jam Leo, & poſt cum Victor Secundus deceſſerant. Pontifex per litteras, & populum, ut à vi temperet, & Archiepiſcopum, ut in concilio Patrum rem cognoſcat, & ex æquo, bonoque finiat, hortatur. Fontanecti (id non procul Novaria oppidum eſt) conventus habitus: ubi indigniſſima feciſſe Landulphum declaratum fuit, & ſacrilegii, maniſeſtæque impietatis damnandum cenſuerunt, niſi & in futurum abſtineret, & de præteritis ſatisfaceret: enimvero Landulphus excandeſcere, ac magis magiſque inſoleſcere; uni eidem culpæ, criminique cunctos annectere; ſibi omnia perſpecta eſſe: valebat populari favore, ut diximus, Cotta, & fere cuoctorum civium concurſu, qui Clericorum probra libenter audiebant; alii inopia vel ære alieno preſſi, & ſpem omnem in præda & rapinis locantes, nihil minus quam pacem & civitatis concordiam optabant: igitur agmine conflato, in verba ſua jurejurando adigit, & laicam multitudinem, & non exiguum Eccleſiaſticorum numerum; ſimul Arialdum Romam mittit, qui plurima de ſtatu patriæ obloquutus, demum docuit, in orbe Chriſtiano unam adhuc Mediolanenſem Eccleſiam ſupereſſe, quæ Romanæ non pareat: indignumque eſſe, ut ceu alterius religionis caput, diverſique cultus uſquam locorum ſerantur: ſe vero, & Landulphum Cottam ex longo uſu & auctoritate jam parta peridoneos eſſe, qui populum, quocumque velint, impellant: quod ſi Pontificis Romani modo nomen præſtetur, profecto omnia ſine difficultate ad votum ſucceſſura: ea oratione non ſolum conflatum jam ſibi omne odium deprecatus eſt; ſed etiam ſingularem Landulpho gratiam comparavit: decretique fuere Legati, qui ad inſpiciendas res, componendaſque venirent, Hildebrandus, quem ſupra memoravimus, & Petrus Oſtienſis, & Anſelmus Lucenſis Epiſcopi, quorum Oſtienſis contemplatus majeſtatem Cleri Mediolanenſis, cujus Archiepiſcopo duodeviginti aſſident ſuffraganei Epiſcopi; & cunctis cæremoniis aſſiſtunt variæ dignitatis ſacerdotes, duo Archipresbyteri, major, minorque, totidem Primiceriі, unus totius Cleri, alter ſexdecim Lectorum, Præpoſitus, & Archidiaconus; tum duo & viginti Cardinales ordinarii coccineis veſtibus ſplendidi, Secundicerius, quatuor Claviculariі, decem Terminarii, quatuor Notarii, & totidem Magiſtri litterarii, qui & Maticonii vocantur; octo pueri, decem viri ſeniores, totidemque vetulæ panem & vinum ex antiqno more Hebræorum offerentes, quos Divi Ambroſii ſcholam vocamus, qui in cæremoniis cunctos ordines præcedunt: eſt & Cimiliarcha cum cuſtodibus ſexdecim: ſunt & duodecim Canonici Decumani, qui ex plebejis tantum legi ſolebant, ſeorſum ab Cardinalibus, inter quos nonniſi nobiles admittebantur, munia ſua celebrantes. Hæc, inquam, ſpeculatus Oſtienſis, *Nuſquam equidem*, ait, *Deum teſtor, tam honeſtum, tam venerandum Sacerdotum collegium cognovi.* Deinde tameo faſtu Legationis inflatus, voluit eſſe in publicis actionibus Archiepiſcopo noſtro præferre: ſed populus in propria dioceſi temerari Ambroſianam dignitatem non laturus, ſrendere, ac tumultum circa facere cœpit: eo metu deterritus Oſtienſis, propoſito deſtitit: & quæ inſtabant negotia, confecit; atque is, qui quid deliquerant, pro magnitudine delicti, varias ultor pœnas irrogabat: alios dilatione data in aliud judicium reſervabat. Denique ut novus cenſor, & rerum noſtrarum arbiter, veteres conſuetudines mutat; novas leges ioducit; litteris, ſigniſque ſuis obfirmat; iiſdem ut ſubſcriberent Archiepiſcopus, & Ordinarii Mediolani, incitata multitudine, ni obſequerentur, effrcit: hinc digreſſi Oratores Romam evocari Archiepiſcopum noſtrum curarunt. Quo ad dexteram Nicolai Pontificis ſedente, Arialdus meditata oratione in faciem repetivit ea, quæ abſenti quondam objecerat, vitam, moreſque Clericorum lacerando: cui pari animo, prudentiaque reſtitere tres Epiſcopi, Aſtenſis, Taurinenſis, & Novarienſis; atque ita acute & diligenter objecta diluere: ut nihil, quod contra hiſceret, Arialdus haberet; ac penitus erubeſcens ſponte ſua concione abiret: juravit deinde Archiepiſcopus in verba Romani Pontificis: annulum, cæteraque Eccleſiaſticæ auctoritatis inſignia accepit; atque in patriam revertitur. Eodem tempore Landulphus Romam petiturus, dum per Placentinos iter facit, telo perculſus retardatur, Mediolanumque relatus haud brevi temporis ſpatio convaluit: ſed cum non ceſſaret Eccleſiaſticis viris allatrare, ac Romano etiam Pontifici non parceret, pulmonis virium contraxit, & cum eo vocem amiſit; tum biennum ita conflictatus, animam non ſine maniſeſta divinæ iræ ultione efflavit: ſed eo nihil deterritus Arialdus, quod in Landulpho Duce amiſerat, in ejuſdem fratre Arembaldo Cotta reparat: hunc cre-

crebris cohortationibus excitat; tandemque impellit, ut fraternam vicem, gloriamque, cui cauſa publica annexa foret, exciperet: improbos eſſe Sacerdotes univerſos, & nihil magis quam ventrem & gulam curare: eoſdem palam concubinas alere, contaminatos altaria adire; & dum ſacra ſic tractare non erubeſcunt, omnia profanare: interdicendam in primis eſſe eis mulierum conſuetudinem; nec committendum eſſe, ut noſtra deterior ulla Priſcorum religione videatur, apud quos placuiſſe in ſacerdotibus caſtitatem, vel uno antiqui poetæ verſiculo admonemur:

——— diſcedat ab aris,
Cui tulit externa gaudia nocte Venus.

His vocibus Arembaldus negotium fraterna agitatione jam familiare ſuſcepit: & ceu Cajus Gracchus Romæ Tiberio fratre in Tribunicio furore ſuccedens, diverſæ factionis homines longe acrius infectatus eſt: namque inſtante Litaniarum tempore, quibus maxima cum celebritate circuire omnes urbis fines ſolemus, Arialdus interceſſit; inanem eſſe ritum dictitat, nulla Chriſti vel Diſcipulorum inſtitutione traditum; ab antiquis tantum Idolorum cultoribus uſurpatum, qui vere ambire agros in honorem Bacchi, Cereriſque ſolebant. Contra cives, vetus inſtitutum, & ex Divi Ambroſii cæremoniis receptum morem retenturos ſe oſtendebant. Cum diverſæ ſententiæ, diverſaque forent ſtudia, certatum armis triduo in urbe eſt: tandem victus Arialdus non ſine ſuorum cæde fugatur.

Interim defuncto Cœnobii Celſiani Abbate, Guido Vellates Archiepiſcopus Mediolani ſucceſſorem dare parabat: ſed Arembaldus occurrit: clamat, indigna facere Guidonem, minas intentat: denique jubet, & imperat, ne quid in eo Archiepiſcopus tentet: at nihil iſta curat Guido; inſtitutum Abbatem conſecrare, atque ornare pergit, & in rei poſſeſſionem ducit: tunc Arembaldus penitus exardeſcere, & veluti furore incredibili percitus præſentem multitudinem contra eum concitat, & alios aliunde accerſit; multos armat; denique jam majore turba circumdatus ſacra ipſa conturbat; & Archiepiſcopum urbe pellit: tandem à vi & armis quievere: ſeditione compoſita, Romam proficiſcitur, ubi Romana jura & ſua ſtudia erga amplitudinem ſummi Sacerdotii prædicando, facile quemcunque voluit favorem aucupatus eſt; litteraſque & novas legationes deferri in patriam curavit: tum ipſe ſignifer Eccleſiæ declaratur, & vexillo Sancti Petri donatus abiit.

A.C. 1060. Interim moritur Nicolaus Pontifex, cui Anſelmus Lucenſis Epiſcopus ſub annos Domini MLX. ſufficitur. Is patria Mediolanenſis, Badagiorum familia, Alexander II. nuncupatus, ædiculam Mediolani, cum adhuc inter ordinarios Cardinales foret, condidit in honorem Divi Hilarii, quæ in hanc diem ſub patrocinio Badagiæ familiæ curatur: mutatione Pontificum diri ſyderis Comctes ſpatio unius menſis apparuit; terræ motus frequentes ædificia concuſſere, & ſignanter Paſchæ dies bis mane, ac veſpere, homines, ceu ruituræ urbes eſſent, conterruit.

Fuit autem Alexander primus, qui non veteri more arbitrio Cæſaris, aut per ſtudia populi, ſed, ut paulo ante Hildebrandus inſtituerat, & Nicolaus ſanxerat, Cardinalium ſuffragiis creatus eſt. Id quod ægre ferentes Henricus & Agnes mater, quoniam majeſtati Cæſareæ plurimum detrahi videbatur, oppugnare toto ſtudio ac penitus evertere nixi ſunt: vocatiſque in Concilium Longobardis Epiſcopis, alterum Pontificem creari curant: ex quo Alexandro opponitur Cadolus Parmenſium Epiſcopus: qui bis Romam cum exercitu profectus, cum hoſte acie congreſſus eſt; & ex clade in molem Hadriani, quæ tunc arx Creſcentii dicebatur, compulſus, ac ſervatus paulo longius id bellum fecit: demum, victore Alexandro, Cadolus, mutato habitu, ab urbe profugit: tum ad ſaniora conſilia converſus Henricus in poteſtate Pontificis ſe futurum pollicetur; atque ut locum, in quem declarandæ rei gratia convenirent, diceret, petiit.

A.C. 1061.

Mantua ad id electa de Regno Matildæ, quæ multis Æmiliæ Hetruriæque urbibus imperitans inter Italorum diſcordias Romani Præſulis partes ſemper fovit: & quamquam Cæſari ipſi jure ſanguinis propinquior, quippe Beatrice Henrici Secundi Imperatoris ſorore genita, patrem vero tradunt Bonifacium Lucenſem virum opulentiſſimum, quorum ditioni paruerint Luca ipſa, & omnis ea pars Hetruriæ, cui patrimonium Sancti Petri nomen dicitur; tum Longobardia, Mantua, Parma, & Regium Lepidi: Eccleſiæ tamen, cujus obſervantiſſima erat, potius favit.

Mantuæ poſteaquam congregati fuere, Henricus non ſolum ſe Alexandri genibus advolvit, ac proinde ſinceram in gratiam rediiſſe viſus eſt; ſed etiam Cadolo veniam, & Giberto Parmenſi, quem aliquando Regni Italici Gubernatorem habuerat, Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopatum impetravit: dimiſſo Concilio Romam repetens, dum Luca iter faceret, memor ſui olim Epiſcopatus, majorem ædem dedicavit: eundem ſequebatur Arembaldus Cotta, qui cum ſæpe allocutus de communis patriæ rebus, Clericorumque in primis non toleranda libidine, binas litteras retulit, quibus Clero Mediolanenſi commercium matronarum, & concubinarum licentia interdicitur; hæ adhuc leguntur in Pontificum decretis: his litteris redditis, nihilominus ingerere probra, & maledicere ſacro ordini non ceſſabat; proinde Archiepiſcopus referre ad populum, & conqueri aperte, favoreſque reprehendere quandoque ſtatuit; delegitque ad eam rem diem ſolemnem Pentecoſtes, qua denſior populi multitudo templa adire ſolet, atque ex edito loco cum orare is cœpiſſet; contra Arembaldus Arialduſque nonnullos è plebe ſuſcitant, qui dicenti obſtrepant, & calumniis jurgiiſque dicta ſua excipiant: peragunt viri mandata licenter, atque in tumultum omnia vertunt: ſeditione excitata, media in æde concurſavere partes, & diverſa clamantes ſeſe compulſabant, ac pugnis manibuſque conflixere; ſi copiam gladiorum habuiſſent, rem atrocius geſturi: denique dum alii alios fugiunt, vel inſequuntur, ſolus Antiſtes in æde relinquitur. In quem convertuntur adverſarii, & fuſtibus intemperanter cædentes ſemimortuum dimiſere: indeaulam ejus petunt; & hoſtili more quicquid auferri potuit, diripuerunt: cujus rei indignitate perſpecta, reliqua pars civitatis in commune conſulunt: decernunt, non amplius ferendam ſeditioſorum hominum impudentiam & temeritatem: horum iram devitans Arialdus, urbe ceſſit; adeoque deterritus eſt, ut nulli hoſpitio confiſus, latebras ſubinde per noctes mutaret: ad poſtremum tandem inquiſitorum manus non evaſit: captus namque, & in urbem reductus, naſo, auribus, labriſque mutilatus fuit: mox lingua præciſa, & oculis effoſſis fœda morte mulctatur: tunc Arembaldus quoque quievit; ſed ad tempus; nam & rem geſtam Romanis Præſulibus, unde opem ſperabat, ſignificavit, & interim, urbe digreſſo Archiepiſcopo, per ejus abſentiæ occaſionem, iterum res novas molitur: paratiſque primo ex agreſti juventute robuſtiſſimis defenſoribus, priſtinam excitat ſeditionem; à civibus jusjurandum exigit, in presbyteros arma ſumit, alios in via occurrentes cædit, alios domi opprimit, & ſupellectili ſpoliat; revertentem Archiepiſcopum, ac forte obvium pene interemit.

Interea ab Roma venere Legati de cæde Arialdi cognituri: cujus cauſſa dum componitur, Cleri

etiam & populi controverſia majorem in modum adaucta eſt, & Legati ſcripſere, quid fieri oporteret: deinde Arembaldus Romam iterum profiſciſcitur, & communicatis conſiliis cum Hildebrando, conſtitutionem recepit, qua decernitur non eſſe Canonicum cujuſcunque Eccleſiæ Præſulem, quem non Romani Pontificis auctoritas ſanxiſſet, & electos populorum, vel Cleri ſtudiis, aut Regali juſſu haberi illegitimos: quam rem in patriam afferens, amicis primo clanculum communicavit; deinde palam producens, jurare in eam Clerum, & multitudinem coegit: tum perniciem Guidoni molitur. Is vero, ne quod ille optabat, omnino aſſequeretur, excogitavit: gravis annis erat homo, & membris ſolutus, ut non diuturnam ſibi ſuturam vitam ſperaret; igitur accedente tædio civilium diſcordiarum, & Arembaldi victus importunitate, è medio cedit: participem & miniſtrum arcanorum omnium habebat Gottofredum Caſtillionenſem Mediolanenſis Eccleſiæ Cardinalem ordinarium: eum eo tranſigit, ut, ſe ſacerdotio abdicante, annulumque & baculum ad Cæſarem remittente, ipſe in Germaniam proficiſceretur, atque eadem ab Imperatore acciperet; id, quod pergratum fore Henrico, minime dubitabat: propoſita invicem probant atque exſequuntur; & Henricus retinendi juris, quod jam Romani Sacerdotes labefactaverant, occaſione lætatus, liberaliter conſert Caſtillionco ſigna, & ornatum Mediolanenſis Archiepiſcopatus, quibus acceptis, Caſtillioneus in patriam revertitur, lætitia, faſtuque plenus: ſed hic contraria omnia ſunt; nam Italorum animis jam nominis Romani majeſtate & auctoritate conſtitutionis Apoſtolicæ imbutis, ludibrio utique haberi cœpit; & ceu profanum atque deteſtabile monſtrum undique repudiari: nec ita multo poſt novo ab urbe Roma interdicto igni & aqua arcetur; ita ægre qui alimenta præberent inventis, ad notæ regionis oppida ſe recepit. Ea inter Verbanum Lariumque celeberrimos lacus crebris collibus attollitur, quorum unus Variſio oppido ſupereminens jam ſacello Divæ Virginis, & Matris nobilitatus; nunc etiam templo & cœnobio multarum mulierum religioſiſſime ibi viventium, toto orbe notus eſt. Huc amicorum manum Gottofredus contraxit, cujus multitudo ſuſpecta civitati foret: miſſo ab Arembaldo exercitu, facile loco nullis mœnibus munito pellitur, & dilapſis per avia ſautoribus, ipſe in gentilicium oppidum Caſtillionum pervenit: id & naturali ſitu Olonæ amni ſubterlabenti appoſitum, & humano opere ſtructum, inexpugnabile prope tunc erat, illuc affines & ſtudioſos partium evocat, & juſtis jam copiis contractis, in adverſariorum agros palatur, urendo, prædandoque ingentis belli ſpeciem facit.

Interea Guido, ſeu pœnitentia tanti tumultus excitati ductus, ſeu lenitate ſenili mutatus, ad Arembaldum Cottam mittit qui docerent, cupere ſe illi reconciliari, noſſe illius potentiam & magnanimitatem; omnia, quæ velit, ſe facturum; reverſurum ad urbem, ſi cum dignitate liceret: à Gottofredo namque ſe deceptum & deſtitutum, tamen ſibi adhuc multa ſupereſſe, quæ ultori illius grata eſſe poſſint: attendit Arembaldus propoſitis, & oblatam occaſionem optimam ratus rei bene gerendæ, ſi cum virum ſibi adjungeret, officioſe reſpondet; denique recipit, ſe illum in intermiſſo Archiepiſcopatus honore reſtituturum: data, acceptaque fide, Guido Mediolanum venit; appropinquanti Cottæ ſub ſpecie honoris, cum multitudine amicorum obviam proficiſcitur, occurrentem ſalutat, & ſatellitibus circundat, & declinata urbis via, in Celſianum cœnobium perduxit, atque cuſtodiæ commendat.

Interea excurſionibus Caſtillioneorum irritata civitas, exercitum conſcribit; & Arembaldus ſignifer agreſtem juventutem contrahit: jam caſtra ad oppidum locantur, murales machinæ expediuntur; ſaxa, variumque teli genus miles intorquet; tum prædando hoſtium agri uruntur: ſed incluſi nihil ejuſmodi dsmnis moventur: commeatu jam ante convecto abundabant, nec prohiberi aquatione poterant: itaque eo diuturnior obſidio fuit; jamque ab initio veris ejus anni, qui fuit MLXXI. ad extremos magni jejunii dies duraverat, cum inopinatæ, A. C. 1071. inexſpectatæque calamitatis nuncius univerſum conterrefecit exercitum. Caſu neſcio quo ſuſcitatum domi pridie incendium, univerſam prope urbem abſumpſerat, & præter privata ædificia, publica quoque opera corruperat: inter quæ ſacra Laurentio Martyri ædes combuſta, nudataque periſtylo ſuo ſexdecim illæ, quæ adhuc exſtant, columnæ ſtriatæ: qua re conſternati omnes uno impetu pene receſſerunt. Arembaldus magno ſtudio reſtitit, ne caſtra penitus deſererentur; paneique relicti ſunt: quibus contemptis, oppidani erumpunt; tantum tumultus & terroris fecere, ut extremo in periculo Arembaldus verſaretur; qui fortiter reſiſtendo, ſocioſque hortando, ne ſibi deeſſent, caſtra tutatus eſt, & hoſtem intra munitiones compulit: mox cum ab urbe nihil opis ſubmitteretur, & ipſe receſſit: quippe mœſti cives refarciendis domibus, componendiſque, quæ miſeranda à clade ſuperſuerant, rebus, ſtudioſiores erant. Hic ignis diu ab loco, in quo tum armata plebs conſederat, Caſtillioncus vocitatus eſt.

Inter hæc Guido Velates cœnobio Celſiano dimiſſus, evaſerat ad Tranſpadanos populos, & non procul Derthona defunctus, Bergoglii ad Tanarum amnem ſito oppido ſepelitur, anno ſexto & viceſimo, ex quo Mediolanenſi præfuit Eccleſiæ. Quo ſublato, Arembaldus denuo cives jurejurando obſtringit, non recepturos Gottofredum Caſtillioneum, neque paſſuros Eccleſiaſtica munera obire: ſed cum mox ipſe alium ex nutu Hildebrandi Cardinalis Romani creare Archiepiſcopum niteretur, obſtitit Civitas, & minime diſſendum à veteri ritu & Cæſarum prærogativa ſtatuebat: ſed à ſe eligendum, quem Auguſtus confirmaret.

Venit iterum Mediolanum Bernardus Legatus Apoſtolicus: quo adſtipulante, concionem in majori æde Arembaldus vocat, & præfatus congrua deſiderio ſuo, Attonem adoleſcentulum tunc primum attonſum, & qui nondum per ætatem muneris capax erat, proponit, ſacrarique Anniſtitem petit. Id quod non ſine admiratione ac indignatione ſimul cives excepere: aperte ſtomachari, & inter ſe conferre, huecine ſpectaſſent tot Arembaldi curæ, labores, vigiliæ, contentiones cum civibus, pulſationes Clericorum, inita cum Romanis conſilia, & peregrina jura accerſita: hic-ne demum deſineret patrii ritus abolitio, ut puerum, nec ſacerdotti, nec ſui ipſius ſatis gnarum, haberent; tot patribus, tot præclaris doctrina, virtute, uſu rerum viris antepoſitum ſpectarent: ſed obaudit iſta Arembaldus; nil curat vulgi murmura; deſignatum Præſulem in aulam inducit; & epulis magno apparatu ſtructis excipit, Cereri & Baccho læti indulgent: ſed non integra ea voluptas fuit; nondum enim expeditis menſis, dum pocula adhuc & extremæ dapes inferuntur, turba irruit, & ſubitaneo impetu omnibus perturbatis, obvia quæque diripit: miniſtros pariter, & diſcumbentes cædit: alii pugnis, alii fuſtibus vapulavere. Atto in angulo ædium latitavit; quoad validiſſimis juvenibus adnitentibus, abreptus periculo, atque in templum perductus fuit; ubi primo pronus aras ſalutavit: dein pulpitum adſcendens, ſpectante multitudine, ſeſe dignitate abdicavit, ſedemque in perpetuum abjuravit. Legati quoque Romani eo tumultu lacerata veſtis.

Qui-

Quibus Romæ cognitis, Hildebrandus ſuprema excanduit iracundia: & ſimul Gottofredum Caſtilionenſem, ceo ſeditionis auctorem, novo anathemate notat, & Attonem habilitari, confirmarique Archiepiſcopum curat: rum pecuniam ad Arembaldum mittit, qua adverſantium animos ſollicitaret: ſed interea Longobardi Proceres, accepto Cæſareo reſcripto, apud Novariam coacti, Gottofredum Archiepiſcopali dignitati reſtituunt, & conſecrant: exinde ille ceu juſtus Præſul copias contrahit; caſtella diœceſis ſuæ in poteſtatem vendicat; in Comenſem tranſgreſſus, Brebiam recipit; inde Leucum tentat: ſed repulſus, & inter conſerendas manus amiſſo Marchione, viro tunc in militia præclaro, qui ab hoſtibus de rupe præcipitatus fuit, bellicis conſiliis abſtinuit, Brebiæ ſtatione contentus.

Inter hæc Alexander, cum Romano Pontificatui præſedisſet annos XI. & eo amplius menſes ſex, moritur: cui conſeſtim ſufficitur Hildebrandus, unos ille cunctorum Romanæ urbis negotiorum adminiſtrator, & ante re quam nomine Pontifex, decimo Kal. Majas anni milleſimi & ſeptuageſimi tertii. Gregorium Septimum nuncupavere: ad quem ſine mora Atto coovolavit: exceptuſque perbenigne, ac publice à Pontifice ipſo laudatus, in penitiorem familiaritatem admittitur: ſpeque amplioris fortunæ oneratur. Nec ita multo poſt Arembaldus, nova pecunia accepta, tum conjuncti Pontificis favore auctus, inflari animo, tumenſque incedere; multos ad amicitiam, fœdusque allicere; denique præ uno Romano Pontifice, cæterorum nomina, dignitateſque parvi pendere; ac Cæſari ipſi non multum concedere. Tum ſumptis armis Gottofredianos infectatur, ſacra Ambroſiana contemnit, & inbibere nititur. Cæterum pridie Pentecoſtes, cum ex abſentia Præſulis ſoleat per unum ex ſuffraganeis Epiſcopis ſacrari olcum, quod mox luſtrationibus & baptiſmo adhibetur, Arembaldus vaſcula corripuit, illiſitque bumo, & pedibus conculcavit; aliudque ipſe exhibuit, nulla, quod ſciretur, ſanctificatione dedicatum, ac ex eo confici baptiſma juſſit: quod admirati ſunt plurimum homines, & penitus abhorrentes, abire illoti, quam tali piaculo pollui maluerunt: non pauci tamen inventi ſunt, qui Cottæ gratia in bujuſmodi facinus manum dedere: Patarinorumque hæreſis jam ante cœpta plurimum fomenti ex hinc accepit, ſparſique per vicos, oppida, & urbes novi ſectatores Arembaldi nomen ubique celebravere, eumque unam Provinciæ Longobardiæ dominum, & Ducem loquebantur. Quæ iniquo animo ferens Henricus, novum negotium Pontifici, ex cujus nutu hæc omnia fieri perſuaſum habebat, innectit.

Jam Normanni, quos ſupra frequenter in actis Carolorum memoravimus, ex Gallia in Italiam profecti, novas ſedes in Apulia conſtituerant: regnabatque apud eos Robertus, aliis de cauſis Gregorio infenſus: ad hunc Henricus Legatos mittit, qui fœdera jungant: & ſimul orent, ut ſe Romam eunte, ab altera parte bellum moveat. Profecti Legati cum litteris intercipiuntur, & cognitis conſilus, Pontifex Henricum hoſtem judicat, & ceu rebellem Eccleſiæ deteſtatus, auctoritate creandorum Epiſcoporum per edictum privat: neve cæteri laici rerum Eccleſiaſticarum contractus facerent, prohibuit. Ita quicquid ubique Eccleſiaſtico nomine cenſebatur, ſub Romanis Pontificibus arrogatum eſt.

Cum autem jam annus quintus & ſeptuageſimus A.C. ſupra mille ageretur, altero incendio civitas affli- 1075. cta eſt. Adhuc ob recentem eladem ex arida & levi materia ædificia conſtabant: & dies erant proximi Reſurrectioni Dominicæ, cum nigræ caliginis fumus repente exortus obnubilare meridianum ſolem viſus eſt; terruitque ſubito procul proſpectantes; quibus ad opem ferendam concurrentibus, incubuit flammis vis venti, & in proximas domos impulſus ignis labores hominum vincebat: jamque in cælum flammivomi vapores volitare, & latius malum ſerpere: denique tota civitas adusta, & illuſtris ædes Teclæ, quæ primaria habebatur, & ei propinqua Hyemalis, & Nazariana labefactatæ; Stephaniana vero penitus abſumpta eſt; cui quamquam poſteritas egregiam hanc, quæ exſtat, ſubſtruxerit; haud tamen priori parem eſſe inſcripti in limine ejus verſiculi admonent. Ibidem coctili lapide inciſa rota eſt cum his verbis, NOTA SANGVINIS FIDELIVM: quorum quidem ratio adhuc ignota mihi eſt; tantumque illud occurrit, quod forte in diſſenſione civili cæſi rectius de fide ſentientes, illic ſeorſum à Patarinis ſepelirentur.

At Arembaldus publicis patriæ incommodis nihil deterritus, minime ab inſtituta ſeditione ceſſare, & inſtantibus Paſchalibus cærimoniis olcum iterum in medium protulit, quo baptizandi inunguntur; ſed cum illud ceu profanum ſacerdotes reſpuerent, piaculumque & nefas ducerent eo in ſacris uti, intulit ſe medium Luitprandus Compitaliciæ ædis Pauli ſacerdos, qui votis Arembaldi obſequens, id, in quo cæteri hæſitabant, eſt complexus, & prompte obivit. Eoimvero tunc actum penitus de Ambroſiano ſacro, & univerſa ejus Eccleſia, nobilitas, & militaris ordo, magnaque plebejorum pars cenſuit; & palam de indignitate facti conqueſti, urbe abeunt, ſeque jurejurando obſtringunt, non accepturos alium Epiſcopum, niſi qui priſco more electus outu Cæſareo confirmaretur: quibus ſic conſtitutis, in urbem redeunt, & concionanti Arembaldo occurrunt, ſeque vim facturos oſtendunt: deſcendit ille è ſuggeſtu, & vocatis ad aram factioſis, vexillum S. Petri explicuit. Jam utrinque frequentes armati eoiverant, nec cohiberi furor & ira poterat. Itaque irruptione facta, cum multitudine adverſarii prævalerent, opprimitur Arembaldus, innumeriſque vulneribus confoſſus eſt. Jacuit diu inſepultus, & veſte denudatus, ſaxiſque contuſus, pueris ludibrio fuit; demum ſine ullo honore humator. Luitprandus alieni ſacri * temerator, ab hoſtibus captus, naſo & auribus mutilatur. Seditioſiſſimi hominis cæde lætata civitas, populariter ad templa ire, Numinibus gratias agere, Divoque in primis Ambroſio hymnos canere; biduo publicæ ſupplicationes actæ. Atque hic decem & novem annorum contentionum & hujus libri finis.

* Vel olei.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER VII.

EPITOME.

Henricus Imperator à Gregorio Pontifice exauctoratur; quod priſtino more, ipſo non annuente, Thealdum Caſtillionenum Mediolanenſi Eccleſia præfecerit: ſed poſtea tum ipſe pœnitent ac ſupplex Canuſi reſtituitur; tum Mediolanenſes, qui Thealdo ſuſcepto Imperatori conſenſerant, per Pontificis Legatos expiantur: iterum inſenſus Gregorio, illo abdicato, Guibertum Pontificem aſſerit. Thealdo Anſelmus à Rhando, Arnulphus ex Capitaneis, Anſelmus de Launo, Groſſolanus, Jordanus Clivius, Henricus ex Capitaneis de Curte, Anſelmus Puſterla, & Robaldus ex ordine ſuccedunt. Expeditio in Paleſtinam multorum votis dudum expetita, tandem in Placentina Synodo ſtabilita; terra Godifredo, Balduino, Boemundo, Tancredo, & aliis; marique Raſcherio, Ingone, Oberiſque Ducibus, ſuſcipitur; Mediolanenſi Archiepiſcopo Anſelmo à Rhando, ac populo eam ſtrenue adjuvante. Antiochia Boemundus primum, poſtea Tancredus; Hieroſolymis Godifredus, deinde Balduinus regnant. Papienſis Epiſcopi dignitas amplificatur; Ravennatis ditio acciditur. Mediolani Caſti & Polyuti corpora, aliaque ſacra relliquiæ comperiuntur, dieſque feſtus ſub appellatione Agnes illarum cultui decernitur. Lana Pompeja à Mediolanenſibus funditus exſcinditur, ac duris legibus mulctatur. Henricus Imperator natura concedit: ſuccedit Lotharius, ac Mediolani coronatur: quod Comitiſes Landulphum Carcanum, quem illis Epiſcopum dederat Cæſar, urbe pulſum tandem necaverant, Mediolanenſes diuturnum, ac fortuna varium bellum adverſus ipſos gerunt; adjuvantibuſque oppidis Como finitimis, & ſocia civitatibus, ipſum tandem expugnant, & mœnibus ex parte nudato parcunt. Innocentius Pontifex urbe excedit ob ſchiſma Petri Leonis: ex itinere in Galliam Syrum Epiſcopum Genuenſem aſſerit; in reditu Archiepiſcopum facit: eaque occaſione Bobienſe oppidum urbem dicit. Cœnobium Clarevallenſe ad Mediolanum à S. Bernardo excitatur. Guido Vicecomes Maſſini Abbas conſtituitur à Guarnerio Conſtantienſi, & finitimorum aliquot oppidorum ditione ab Imperatore donatur. Lotharium excipit Conradus II. is, qui Genuenſibus moneta cudenda poteſtatem facit, eiſdem Pontifex annuum tributum condonat. Nove expeditiones duæ ſuſcipiuntur ab Italis, altera in Paleſtinam, in qua Martinus, altera in Baticam, in qua Ubertus Turrianus enumerunt.

A re audita Henricus Cæſar magnopere lætatus eſt, ſcripſitque ad amicos, quemcumque Præſulem Mediolanenſes deſiderarent, ſe declaraturum. Interim in Thealdum Caſtillionenum, qui jam diu in aula verſabatur, oculos conjicit, idoneumque muneri exiſtimat, atque Archiepiſcopum pronunciat. Is autem eo honore inſignis, in patriam tranſmiſſus, à populo, Cleroque perbenigne accipitur, & ſolemni more à ſuffraganeis ſuis conſecratur: quod factum recogitantibus mox homioibus inuſitati inſtar monſtri viſum eſt: cum tres eodem tempore ejuſdem cernerentur Eccleſiæ Pontifices; Atto Romæ apud Gregorium; Gottofredus circa fines exul oberrans; & Thealdus noviſſime receptus. Ex ea vero cauſa iratior factus Gregorius, Henricum gravioribus taxat cenſuris, & publice abominatur: Proceres Germaniæ, ne impio homini & ſacris interdicto pareant, monet; & ad rebellionem provocat: & defecerunt ab ejus fide Bertaldus, Rodulphus, & Volphius illuſtres Duces, & complures Epiſcopi. Mox intercedente Agnete matre, & opera Cluniacenſis Abbatis reconciliatio tractata eſt, & decretum univerſale Concilium: ad Cannoſſam Regienſis agri oppidum convenere. Ubi univerſi ampliter, & ſplendide excipiuntur opibus Matildæ Reginæ; ejuſdemque prudentia conficiendæ præſenti rei percommoda fuit. Ergo Henricus in emendationem erratorum nudis pedibus Gregorium adit, eoque ſuppliciter rogato, & veniam & illuſtre Auguſti nomen meruit. A. C. 1076

His peractis, Mediolanenſes expiandum crimen, quod ex promotione Thealdi contractum exiſtimabant, decernunt; facilem enim in eo Pontificem futurum opinabantur. Mittitur Legatio Romam, in qua ſe quoque fuiſſe memorat Arnulphus hujus hiſtoriæ auctor, & benigne Pontificem reſpondiſſe, & optata pollicitum, duos Epiſcopos dediſſe Lucenſem, & Oſtienſem, qui rem omnem conficerent. Hi Mediolanum profecti, magna populi gratulatione & gaudio excepti, habitis triduo concionibus ſacris, moleſto animi vinculo civitatem abſolverunt: quem vero legitimum Archiepiſcopum decreverint, Arnulphus non meminit; tantumque ſubjicit Thealdum iſta ægre ferentem conatum omnia turbare, ſeditionemque moviſſe; ſed cum ex ſententia res non ſuccederet, quieviſſe.

Cæterum Germani Proceres hoſtili animo adverſus Henricum perſeverabant; ſummamque rerum Rodulpho Saxono detulerant. Cæſar autem ipſe, qui tunc Ticini agebat, conſcripto exercitu ex Italis pariter & Germanis militibus per Veronenſium, Tridentinumque agrum profectus, trans Alpes ad eorum motus comprimendos contendit: quibus brevi compoſitis, ortiſque deouo cum Gregorio diſcordiis, ad Italos revertitur, & alterum Pontificem creat Gibertum † Parmenſem, quem paulo ante Ravennatis Eccleſiæ Præſulem inſtitutum fuiſſe diximos. Tum juxta Parmam copias Matildæ, quæ adventanti ſe opponebant, fudit; Romamque profectus, adulterinum Pontificem in ſede locat, & Gregorium in arce obſidet, qui ope Guiſgardi Normanni Apulorum Ducis ſubtractus, Salernum perducitur: atque ibi anno Domini milleſimo octogeſimo quinto moritur. A. C. 1085

Per quod tempus Thealdus quoque Caſtillioneus, dum male ſumpti ſacerdotii ærumnas circa Verbani latebras & diverſoria ſolatur, Aronæ, quod populens eſt Emporium, deceſſit, atque ibidem eſt

† Alii *Guibertum.*

ſepul-

ſepultus. Ei ſuccedit Anſelmus Raude vico oriundus. Gregorio autem patrum decreto ſuſſicitur Victor tertius. Quo intra paucos menſes erecpto, Urbanus Secundus Princeps Sacerdotum
A.C. 1087. declaratur anno Chriſti MLXXXVII. Mox Papiam Henricus venit: atque interim defuncto Anſelmo Raudenſe, & poſt eum Arnulpho ex Capitaneis Portæ Orientalis, Archiepiſcopus Mediolani decernitur alter Aoſelmus hujus nominis Quartus ex Valvaſſoribus, qui de Luino cognominantur.

Per quæ tempora nobilis expeditio in Syriam ſuſcepta, & magnifice obita eſt. De qua quamquam apud cunctos fere rerum Scriptores mentio habeatur, tamen quia & noſtra prætermiſſa video, &, quantum ex Ligurum Annalibus colligitur, primam originem ignorant, ab re non erit, eam quoque à nobis tractari. Gottofredus Bugnonus, alii Bullionum ſcribunt, Bononiæ Mornorum & Robertus Flandriæ Reguli, aſſuoptis in ſocietatem nonnullis aliis Gallici nominis Heroibus, ſolvendi Hieroſolymis voti, quod conceperant, cauſa, domo egrediuntur, & Genuæ Liguſtica navi conſcenſa, ad littora Ægypti, urbemque Alexandriam deferuntur: ubi in terram expoſiti reliquum iter jumentis confecere. Ad urbis Solymæ introitum Barbaris mos eſt certam ſtipem à ſingulis advenis exigere. Nec id ignorans Gottofredus, eam qui daret miniſtro non procul ſequenti reliquerat, nihil penſi futurum exiſtimans, utrum ipſe, an alius nomine ſuo daret. Ergo petenti Barbaro pecuniam, eum daturum illum, qui non longe abeſſet, ſignificaſſet, Barbarus ludificari exiſtimans, elata manu hominem in faciem graviter percuſſit: tulit æquo animo, vel potius diſſimulavit contumeliæ magnitudinem Gottofredus, & data ſtipe ſepulchrum Domini, & præſepe, & Jordanem amnem, quæque alia loca aliqua Chriſti Dei actione illuſtria exſtant, reverenter adierunt, & vota rite ſolverunt: quibus peragendis triduo abſumpto, Alexandriam ad navem ſuam revertuntur; & reportati Genuam in Gallias tranſeunt; ubi gratulantibus amicis expoſita itineris commoditate, & rerum majeſtate, & quam facile foret Chriſtianos illis potiri, dignamque Gallica virtute provinciam eſſe, facile nationem avidam per ſe rerum novarum incenderunt deſiderio ſacræ peregrinationis ineundæ, & tanti exercitus ducendi, ut quocumque perveniſſent ab externa vi tuti forent: tum tota Gallia, finitimiſque regionibus fama increbreſcere novæ deliberationis, nemo unus eam non probare, & pro virili opem polliceri.

Ergo ut Duces conſtituerentur, & neceſſaria omnia expedirentur, & Apoſtolica auctoritate auguſtiora fierent, conventum indicunt; Urbanumque Pontificem, ut adſit, rogant: nec detrectavit adcundi laborem Urbanus, & Roma in Longo-
A.C. 1095. bardiam proſectus, per æſtatem anni milleſimi nonageſimi quinti Placentiæ ſynodum multorum Epiſcoporum habuit: ibi quæſtiones agitatæ de iis, qui ſacerdotia & honores Eccleſiaſticos pecuniis & per occaſionem Schiſmatis adepti fuerant: tantuſque ibi fuit hominum concurſus, quos vel negotiorum neceſſitas, vel legationis officium, vel deſiderium videndi ampliſſimi Sacerdotis attraxerat, ut ituris in comitium nullius templi laxitas ſufficeret, conciliumque ſub dio haberi oportuerit.

Septimo die compoſitis ex dignitate rebus, & aliis alio abeuntibus, Urbanus Mediolanum, & inde Comum divertit, ubi per Junium menſem ſacravitædem Divi Abundii, quæ viſenda ſpecie durat: mox in Gallias tranſgreſſus, relaxando crimina, & pœnas inferorum, & cæli ſedes aperiendo iis, qui inſtitutam peregrinationem obirent, innumerabilem bellatorum concivit multitudinem; qui variis itineribus per Germaniam, Pannonias, Thraciaſque in Aſiam perrupere. Duces erant Gottofredus A Bugnonus, & Balduinus frater, Robertus Flandrenſis, Raimundus Egidienſis, & Boemundus Roberti Guiſcardi Apulorum Ducis filius; nec non Tancredus ex ejuſdem filia nepos. Cum vero etiam neceſſariam mari claſſem exiſtimarent, duo Genuam deſtinati Epiſcopi ſunt, Grattanopolitanus, & Aurelianenſis, qui eam pararent. Hi ſanctam militiam, & quid jam alii feciſſent prædicando, tum opulentiores privatim hortando, treſdecim triremes armatis impleverunt ſub Anſelmo Raſcherio, Ingone Haono, duobus Obertis Marino & Baſſo, cum quibus in Syriam delati, non procul Iconio ad portum, cui Sancti Simeonis appellatio eſt, deſcenderunt.

B Galli vero, qui per Aſiam profecti, capta Nicæa Antiochiam obſidebant, eorum adventu miſerant nuncios, qui gratularentur, & de ſtatu rerum edoceœrent, & quibus copiis bellum adjuturi forent, referrent: ac omnibus cognitis partem exercitus miſere, qui venturos in caſtra deducerent. Navarchi, ne penitus naves exhaurirent, ſex centum viros in præſenti conceſſere; qui dum Antiochiam proficiſcuntur obviam Turcarum turmæ dati ſunt mille & amplius expeditorum equitum, à quibus circumventi ad unum interimuntur: ſed nec longe victores abiere; nam dum revertuntur ad ſuos præda onerati à Gallico exercitu fuere ioterclusi, &
C qualem intulerant, eladem accepere. Quibus deletis, propius portas Antiochenas Galli acceſſerunt, & obſeſſos urgere durius cœperunt. Tunc duo fratres duarum turrium, quas à propinquitate loci & ſtructuræ ſimilitudine ſorores vocabant, cuſtodes clam in caſtra veniunt; ad Boemundum perducti, oſtendunt, in ſua manu eſſe id, quod ipſi quærerent: & primo ſe baptiſma, & Chriſtianum nomen aſſumpturos, deinde, ſi placeat, ſe eorum milites in geminas illas turres, à quibus in urbem dolo tranſmitterentur, perducturos. Collaudatis propoſitis Boemundus eos diligenter aſſervat; tum reliquis Ducibus in unum vocatis, docuit, ſuo in ar-
D bitrio eſſe vel proxima nocte abſque cæde & detrimento Antiochia potiri: ſed ne poſtea de Principatu controverſiam habeat, ſe perpetuam ejus ditionem petere, & ut communi omnium conſenſu decernatur, rogare: annuerunt cuncti, favendumque ejus felicitati reſponderunt; tunc transfugas introduxit, &, quæ ſibi narraſſent, exponere jubet: approbavere univerſi conſilium, & amplexandam occaſionem, ceu divinitus oblatam, eoſuerunt; ac inibi duo Barbari, adminiſtrante ſacra Leodienſi Epiſcopo, baptizantur; datiſque centum validiſſimis juvenibus in turres remittuntur. Profecti ſecrem alios atque alios introducunt, & cum
E jam idonea multitudine abundarent, in urbem diſcurrunt, *Kyrie eleiſon*, *Kyrie eleiſon* repetitis vocibus inclamantes, quibus terrefacti oppidani in varia diffugere: ſicque capta Antiochia eſt, & qui-
A.C. 1098. dem peropportuno tempore: nam paulo poſt multa Perſarum millia eodem ferendæ obſeſſis opis cauſa veniebant, quæ cumulante victoriam felicitate fuſa, fugataque fuere.

Deinde ſubmittente commeatus Babyloniorum
A.C. 1099. Principe, Hieroſolymam ipſam aggrediuntur, quam quinquageſimo die, ex quo obſidere cœperant, in poteſtatem redegerunt: cujus urbis tutela & adminiſtratio Regni Gottofredo Bugnono demandatur. F Ad eam rem in Italiam ſignificandam ſupplementumque petendum duo Navarchi Ligures demiſſi Gulielmus & Prunus cognomine Embriaci. His vero Mediolani cognitis, populus plurimum lætatus, paſſim ad templa exire, Deo auctori grates agere; ſed una præ cunctis Sancti Sepulchri ædes, jam ſeptuaginta ab hinc annis media urbe condita, religioſius, frequentiuſque ſalutatur: huc Anſelmus Archiepiſcopus longos ſacerdotum, nobiliumque

viro-

virorum ordines duxit, & locum in hujus ſacti memoriam dedicavit; & ut celebriorem faceret, deſtictorum abſolutionem conſtituit, ex tertia parte ejus, quod petentes re ipſa Hieroſolymitanam Eccleſiam conſequerentur: & pace interim perduellionibus data, anniverſarium quindecim dierum mercatum conſtituit: exſtant archetypæ Antiſtitis, qui etiam Reip. præſidere videbatur, tabulæ Idibus Julii confectæ anni ſecularis milleſimi & centeſimi ab ortu Chriſti Dei. A.C. 1100.

Interim ex finitimis Proviuciis nova in arma multitudo concitatur. Genuæ ſex & viginti triremes & quatuor onerariæ conſcenſæ ſunt, & ad littora Syriæ delatæ, multa adverſa audivere: nam & Gottofredus jam vita functus erat; & Boemundus ab hoſtibus in prælio captus; & Raimundus Egidienſis ex eadem pugna elapſus, in Thraciam redierat. Rex vero interim Hieroſolymis conſtitutus fuerat Balduinus Gottofredi frater, & Antiochiæ Tancredus Boemundi ex ſorore nepos: hinc Cæſaream Palæſtinæ turrim Stratonis ante vocitatam obſident, & potiuntur ea brevi. In cujus præda repertus traditur Crater ille ſmaragdinus ſingularis inter naturæ opera excellentiæ, qui Genuæ cuſtoditur, ex unica gemma magnitudinis incomparabilis excavatus, fere eadem, aut non multum diſpari illi, quam Cicero ſexta *in Verrem* accuſatione celebrat Antiochæ Trullæ.

Quidam ſcribunt, ſed ſæpe à nobis vanitatis convicti auctores, ex hac peregrinatione Mediolanenſi juventuti novam acceſſiſſe gloriam: Othonem ſcilicet Vicecomitem cum ferociente Barbaro pugnaſſe, & occiſo, illuſtre ſpolium Viperam, quam ille clypeo & galea pictam geſtaſſet, retuliſſe. Idem Merula quoque, ſed ab iiſdem ſcriptoribus traditum, recipit, laudibuſque effert, & reverſum in patriam Othonem Legionibus dicaviſſe memorat: ſed & de Vipera ſatis ſupra in Divo Ambroſio diſputavimus, & præſens iſtotum mendacium id arguit, quod Othoni Vicecomiti ſocios adſcribunt Joannem Raudenſem, & Benedictum Rocionem, qui poſtea in memoriam peregrinationis ædem Mediolani condiderit, quæ S. Sepulchri nuncupetur; quæ quam veritati congruant, ſuperius expoſita docent.

Cæterom Archiepiſcopum Mediolanenſem conſcendiſſe Genuæ claſſem Liguſtici Annales habent: & noſtri petiſſe Conſtantinopolim, atque ibi defunctum, ſepultumque in divi Nicolai æde perhibent; eique ſuffectum Groſſolanum, jam ante neſcio cujus alterius Eccleſiæ Epiſcopum, qui quod non ſine ambitu & largitione aſſecutus honorem ſit, Simoniacus vulgo nuncupatus eſt. Eodem rempore Paſchalis Secundus demortuo Urbano ſufficitur, ſub quo labentibus annis quinque ſupra mille & centum, Guido Papienſis Epiſcopus impetravit jus geſtandi pallii, crucem præmittendi, equoalbo inſidendi, & primo loco ad ſiniſtram Romani Pontificis ſedendi. Anno ſequenti in Longobardos Paſchalis venit, & conventu Guaſtallæ in Parmenſi apud Matildam habito opes Ravennatis Eccleſiæ magna accifione imminuit, ſubtraxitque ab illius juriſdictione quinque Æmiliæ viæ Epiſcopatus, Bononienſem, Mutinenſem, Regienſem, Parmenſem, Placentinum: ac interim ipſe majorem Parmæ ædem ſacravit. A.C. 1105. A.C. 1106.

Altero anno res admirandæ venerationis Mediolani repertæ in æde Mariæ, cui ad portam cognomen eſt: hæ fuere pars Sindonis, & Sudarii, & Crucis Domini, & veſtis Virginis Matris ejus, tum oſſa Caſti & Polymii diſcipulorum Ambroſii, quas omnes mirifica religione proſecuti civea, diem illam, quæ fuit ſeptimo Idus Majas, ſolemnem anniverſariis cæremoniis, ſupplicationibus conſtituerunt, feſtumque *Agios* vocavere: eo quod urbem circumcuntes, accenſas faces, & palmarum olearumque ramos præferentes, ſubinde *Agios Theos Agios ores* canerent. Inſuper mercatum Trinundino celebrem fecere, exulibus etiam fecuritate conceſſa, & bellis cum hoſte ſuſpenſis. Exſtant litteræ publico nomine Cardinalium Ordinariorum, Primicerii, univerſique populi & Cleri, ac cunctorum ordinum civitatis Mediolani ad omnes Sacerdotes Diœceſis ſuæ plenæ gratulationis & novæ denunciationis: eredo abſente Epiſcopo eas ſic fuiſſe inſcriptas.

Idem annus inſignis habetur creatione Henrici Quinti Romanorum Regis, qui poſtea Romæ coronatus Imperatorum Quartus cenſetur. Cum vero elapſis octavo & nono annis ſubiiſſet decimus à milleſimo & centeſimo, Jordanus Clivius Groſſolano defuncto in Archiepiſcopatu ſufficitur: quo tempore Merula ſcribit magnam Mediolani partem iterum conflagraſſe, & tunc facile fuiſſe oborte ſemel incendio proxima quæque aduri, propterea quod à recenti everſione reſtituta urbe, ex ſtramine, cratibus, & reliqua levi materia ædificia conſtabant: & tunc metu incendiorum lege vetitum fuiſſe, ne ſpirante vento quiſquam ignem accenderet, & quandoque nec panem coctum, nec obſonia in urbe inventa fuiſſe: ſed cum nec hanc rem ab alio, qui idoneus ſit, tradi videam, & Merula rationem temporum non teneat, arbitror potius hæc contigiſſe altero ex duobus incendiis, quæ ſupra ab hinc quadraginta annis facta retulimus. Nam hujuſmodi malo hoc tempore civitatem non fuiſſe affectam, illud quoque oſtenderit; quod ſequenti anno ingens manus auxilio Brixienſibus miſſa eſt, adverſus Cremonam, & ſuperato hoſte Laudem Pompejam circumſedere, ac funditus evertere, duobus templis adhuc exſtantibus exceptis: veriſimile enim cenſeo, ſi tunc hoc detrimentum accidiſſet, Mediolanenſes talem alienarum rerum curam non fuiſſe ſuſcepturos; cum ſatis ſuperque ſuarum, in quibus exercerentur, haberent. De Laudis vero Pompejæ everſione haud immerito prudens Lector uberiora deſideraverit: ſed mecum tranſeat oportet, cujus in manus plura in eam rem, etſi diligenter perquiſiverim, non venerunt. Cæterum conſtat & duras leges, & fœdam ſervitutem victis impoſitam fuiſſe: dejectiſque cæteris ædificiis, & urbis mœnibus vix agreſtium ſimiles vici, & pauperum tuguria miſeris civibus, quæ inhabitarent, relicta: & pro magno commodo exiſtimatum, quod vicum cognomine Placentinum reliquerint, in quo ſolitum mercatum octavo quoque die continuarent: ſed nec rem alienare, matrimonia contrahere, poſt occaſum ſolis in publicum prodire, certoſve fines excedere inconſulto Magiſtratu Mediolanenſi licebat: ſi quipiam paulo remotius ſermones contuliſſent, continuo novorum conſiliorum ſuſpecti ære mulctabantur, aut ſuſtibus cædebantur: quibus ærumnis indignati plurimi diverſa exilia petere maluerunt, & perpetuo patriis finibus carere. A.C. 1107. A.C. 1110.

Jam Henricus Quintus Romæ coronatus in Longobardos venit, & Novariæ erat Kalendis Septembris anni decimi quinti ſupra milleſimum & centeſimum à ſupputatione Chriſtiana. Quo tempore Matilda clariſſima matrona jam ſeptuageſimum agens annum, preſſa morbo, naturæ conceſſit apud Bondenum decimo ab Ferraria milliario adverſo Pado navigantibus oppidum. In cujus loci mentione pereleganter Merula Blondum taxat, quia is credidit, idem Bondenum eſſe, quod Antiqui Bondicomagum dixere: Plinii vero teſtimonio declaratur Bondicomagum Ligurum verbum eſſe, & ſignificare amnem ſundo carentem, ibique præcipuam Padi altitudinem incipere, quod à Bondeno diſtat ducentis & eo amplius paſſuum millibus. A.C. 1111.

Cæterum Matilda Regio funere elata ſepelitur illuſtri cœnobio, quod avus in honorem celeberrimi

mi Monachorum non procul Mantua ampliter condiderat, ac ipſa cumulatis opibus longe locupletius fecerat. Hujus grata mentio, & virtutum opinione undique celebrata, ſed parca rerum memoria intendere coegit curam, ut quidquid ſub illius nomine occurreret, obſervarem. Ita dum Germanicos Annales evolvo, alteram ejuſdem nominis Reginam ſub eadem fere tempora floruiſſe animadverto: ea vero Imperatrix habetur, quippe hujus, de quo agimus, Henrici uxor deſponſata Moguntiæ Germaniæ urbe, poſteaquam is à Paſchale Pontifice Romæ coronatus eo redierat. Filia autem perhibetur fuiſſe alterius Henrici, qui Anglorum Rex fuit, & filium genuiſſe ejuſdem nominis. In hanc Imperatricem, & duorum Henricorum filiam, maſtremque duo ejuſdem ſenſus Epitaphia edidit Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus, qui per tempora Friderici Primi claruit. Nec indecorum volumini noſtro quis ducat, ſi Epigrammata ipſa, quod acuendæ ſtudioſorum diligentiæ gratia facio, vel parum elegantia, aut quod pauliſper mutatis verbis idem ſignificent, ſubjunxero:

Regia progenies, ſtirps Regia, Cæſaris uxor
Hic eſt magna brevis clauſa Matilda loco.
Quæ tutum titulis humanis culmen honoris
Exceſſit mulier, nil muliebris habens.
Septembris decimo regno poſt regna recepto
Edidit æternum continuaſſe diem.

Aliud:

Regis mater erat, & Regibus orta Matildis,
Exultatque thoro nobiliore genus.
Sed magis egregia virtutum luce coruſcans
Fortunam generis vicerat, atque thoro:
Septembris decimo ſub prima tranſiit hora
De noſtra ad verum nocte revecta diem.

A. C. 1122. Anno deinde MCXVIII. Jordanus Clivius moritur: titulum, remque Eccleſiæ Mediolanenſis excipit Henricus cognomento ex Capitancis Curtis. Et A. C. 1129. poſtea ſequenti anno Mediolanum venerunt tres religione inſignes viri, Thebaldus Prior, Bernardus Monachus, & Landulphus eorundem ſocius, qui populum in Theatro ſedentem præſtolati (durabat enim adhuc antiquiſſimum operis uſus) prodierunt in medium; & gratus actis, quod eorum omnium conſenſu, & impenſa fundatum, exſtructumque foret in Bergomatium vico Pontida cœnobium in honorem Divi Jacobi, idque jam commodum, & habitatorum capax; rogarunt, ut iuſuper vellent, juberentque immunc & liberum fervari ab iis oneribus & vectigalibus, quibus pergravari interdum prædia ſolent: id quod exaudientes univerſi, una voce ſuccłamarunt *fiat, fiat:* inibique publicæ tabulæ traditæ fuerunt, juſſique omnes ſive Cives, ſeu Capitanei, ſeu Valvaſſores nihil omnino ex ſeratis Deo, dicatiſque cœnobio opibus attingere. Subſcripſere diplomati, ut qui mos foret tunc tabulas conficiendi, quinque & triginta viri nullo publico titulo honorati, ſed puris tantum nominibus, & cognominibus ad hunc modum notati, (libet enim eos ſubjungere, ut veteres familiæ ſuum recognoſcant autorem) Heriprandus à Raude, Ubertus Landrianus, Heriprandus, & Marcheſius Vicecomites, Ubertus Oziamus, Otho Curtius, Manfredus Septala, Joannes Mantegatius, Hildeprandus Monetarius, Rogierius Cribellus, Joannes Tenebiagus, Joannes Mamerius, Apolus Paganus, Ardericus Palatius, Heriprandus Burrus, Malaſtrona ejus filius, Lanfrancus Stampa, Arialdus Capellus, Guerrentius Puteobonellus, Gigo Burrus, Arnulphus Adami Paſqualis, Ungarus Curtedinus, Petrus Caratus, Paganus Brutus, Nazarius Gambarus, Guilhermus filius ejus, Ambroſius Medicus, Azo Buſſa, Petrus Concorretius, Manfredus Trottus, Lanfrancus Gattarolla, Joannes Lampugnanus, Henricus Rozolus, Paganus Inchoardus, Guido Latta.

Anno vero MCXXIII. defuncto Henrico Archie- A. C. 1123.
piſcopo, Anſelmus Puſterleus ſubrogatus, & tertio inde anno Henricus quoque Cæſar moritur; in quo Gibellinam defeciſſe domum Merula neſcio cujus auctoritate nixus ſcribit; & quidam alii utique recentiores non exiguam jacturam feciſſe ajunt: quod quomodo procedat, non agnoſco; cum hactenus ne nomen quidem ipſum Gibellinum, ne dum, ut domum, aut gentem ullam hujus appellationis quis aſſerat, legamus: imo nec centum adhinc annis circumferri cœperit: nam & paulo poſt Merula ſibi ipſi contradicit, cum ait in Conrado orta ab eo eſſe Gibellinæ factionis nomina, quamvis non protinus per Italiam diſperſa.

In Henrici locum ſuffragio Procerum Auguſtus eligitur Lotharius, hujus nominis Tertius, qui ad Italos profectus, ferreo diademate Mediolani ab Anſelmo Puſterleo coronatur; ſub quo civitas Comum everſa eſt: cujus rei narratio paulo altius nobis repetenda eſt, ſitum etiam regionis paucis explicando. Larius lacus ab Alpibus Rhæticis ad plana Longobardorum protenſus, duo in cornua ſcinditur; dextero urbem Comum, altero Leucum oppidum petit: media, quæ intercedit, Peninſula nobilitatur fonte Pliniano, qui adhuc ſtatis horis creſcit, decreſcitque, ripæ omnes frequentibus oppidis, viciſque accoluntur: à dextero latere alius lacus eſt, & vallis nobiliſſima à celebri oppido Lugani dicta, & ultra eam Verbanus parum diſtat, atque in hunc Luganenſis per Treſam amnem ſeſe exonerat: ad ſiniſtram autem Larii partem Bergomatem tractum habemus, & ibidem emiſſarium Addiæ in Padum affluentis: nam Comenſis ſinus penitus reſtagnat, nec ullo aquarum exitu aperitur: quod contrà Blondum dixerim, qui falſo exiſtimavit Lambrum amnem, vel, ut ipſe inſcito vocabulo appellat, Umbronem, inde enaſci: cæterum media prope Larii longitudine inſula exſurgit Longobardorum Regum ærario celebrata, & paulo ſupra, ubi Alpium fauces aperiuntur, Turris Olonia mediis fluctibus fundata, admirationem ſpectantibus facit. Ultra eam ſinuatur in anguſtam quandam veluti caudam, quæ ad ſaltum Clavennatem, & illuſtrem vallem, quæ à Tillio oppido Tellina nuncupatur, non antem, ut novus iſte *Originum* Catonis inventor, Volturena, pertinet.

Cæterum per Henrici Quarti tempora, duo Comenſis Eccleſiæ Epiſcopatum diverſo jure aſſerebant Landulphus Carcanus prærogativam Cæſaream, & Guido Grimoldus è Gavalaſca vico oriundus, Romanorum Pontificum decreta & votum Cleri prætendebat: eundem cæteri populi favor ſequebatur. Excluſus urbe Landulphus continebat ſe Caſtro Sancti Georgii non procul Agnio oppido vallis Lugani. Hunc tollere è medio Comenſes decreverunt: itaque Adamo Pirro & Gaudentio Fontanella Conſulibus, magnæ deliberationis gratia concionem habuerunt; tum nocte profecti, locum armato milite complent, muris ſcalas admovent, conſcendunt arcem, excubias obtruncant, ædificiis ignem imponunt. Tumultu audito Landulphus, & Otho, & Blancus nepotes, dum arma capiunt; ac inter faces & tela diſcurrunt, interimuntur. Non ita multo poſt conjuges & propinqui interfectorum veſtes laceras, & adhuc ſanguine infectas, Mediolanum deferunt, & cum lacrymis & miſerabili ejulatu Jordano Archiepiſcopo ac cuncto populo oſtentant; rogant, ne tam ſæva ac inhumana crudelitas inulta relinquatur; ne innocentiſſimorum hominum ſanguinem impune effuſum patiantur. Moverunt lacrymæ & habitus ſqualentium facile omnes ad commiſerationem; reſque diu privatim, publiceque agitata eſt; tandemque decretum bello proſequendam injuriam eſſe. Primo apud amicos indignitas rei expoſita, &

auxilia ex fœdere petita: cum accolis inſulæ Larii, imprimis id actum, qui opportunitate loci, & peritiâ navali adjuturi rem plurimum videbantur: cum bis ita conſtitutum, ut adjunctis Leucenſibus, quatenus progredi aqua poſſent, bellum Comenſi à lacu facerent; à terra vero Mediolanenſes, & ſociorum copiæ urgerent. Ita Comum ancipiti metu circumveniretur: ſed citius & major vis à terra ingruit: quare & his ſeſe oppidani oppoſuere, & montem Baradellum portæ urbis, qua hoſtes venturi erant, imminentem conſcendunt; ac mox ſubeuntibus hoſtilibus copiis deſcendunt, committiturque certamen non minoribus animis, quam viribus: his patriam, ſocos, lares tueri nitentibus; illis pro ſalute & præda, quam brevi ſperabant, acriter pugnantibus. Jam ſignifero Comenſium interfecto, primæ Mediolanenſium acies urbem ingreſſæ rapinas, cædes, & incendia facere: quibus irritati cives, & ſuum ex propinquo malo periculum æſtimantes tanto ardore in hoſtes jam præda onuſtos invaſere, ut ex victis victores illis viſi ſint; nec ſolum rapta deponere coegerint, ſed circiter mille eorum interfecerint: hac amicorum clade audita Inſulani, & Grabadonenſes, & qui Belaſium accolunt, de ſumma rei conſilia communicant: demum communi nomine Oratores Mediolanum mittunt, qui doceant, quid animorum, viriumque in ipſis & cæteris accolis amicis ſit; ſuadeantque ut bellum navale fiat: ita claſſem inſtruunt milite armato, & comeatu abunde complent; & Comum navigantes, terroris quidem multum, cum improviſi, inexſpectatique veniſſent; cæterum damni nihil fecerunt. Interea Mediolanenſes ad ſocias civitates mittunt, qui & veteris amicitiæ jure, & novo fœdere, ſtipendioque oblato, militem vocarent. Fœderatæ autem Civitates erant Brixia, Bergomum, Cremona, Parma, Mantua, Ferraria, Bononia, Verona, Vercellæ, Novaria, & Tranſpadani populi.

Igitur cum juſtus jam convenisſet exercitus, majoriſque apparatus fama increbreſceret apud Comenſes, multa & ipſi providere, vires quantaſcunque poſſent contrahere, cuſtodias pro muris diſponere, commeatus ex agris in urbem comportare, nihil, quod ad defenſionem, tolerandamve obſidionem pertineret, intentatum relinquere. Jam excurrentibus ad portas urbis hoſtibus levia certamina inibantur, prædæ & cædes fiebant: ſed non perſeverarere cum bello hoſtes, primoque paulatim dilapſi, ad poſtremum collectis vaſis abiere. Non ceſſarunt tamen minitari, ſe proximo Auguſto cum majoribus copiis venturos: quare Comenſes nullum ſtudium intermittere, nullis laboribus & expenſis parcere, foſſas purgare, muros reficere, & reliqua ad arcendam vim neceſſaria agere: nec fruſtra ea parata ſunt; nam non ita multo poſt affuere iterum hoſtes, qui tamen nec aliam memorabilem rem, præter magnum terrorem fecerunt. Tunc Comenſes duodecim naves armant, & inimicum oppidum Tremenſium diripiunt & incendunt, tres hoſtiles naves opem illi ferentes capiunt, Belaſium ſpoliant, turrim Lierni pulchritudine ſpectandam eremant, Lucinum peropulentum & nobile oppidum in prædam vertunt, magnumque inde pecudum numerum abigunt; tum in hoſtium naves ſparſim terræ alligatas invehuntur, & partim incenſas mergunt, aliis Comum pertrahunt. Affecti tot malis adverſarii in Inſulam conveniunt, atque ibi conſtituunt, non inultam hujuſmodi injuriam prætermittendam; conflataque brevi centum navium claſſe urbem petunt, ingentique terrore ſuburbana complerunt: ſed occurrentibus mature oppidanis, non ſolum à maleficio prohibiti ſunt, ſed etiam in naves repulſi, abire coacti ſunt. Tum conſilium iniere cives Copellæ capiundæ: ea erat turris quodam in ſcopulo eminens ipſorum rebus valde importuna: hanc dum obſident, ſentiunt ab Inſula venire, qui incluſis opem ferant: igitur acrius eam oppugnant, & vi in poteſtatem rediguntur; qua re cognita Claſſiarii domum iter verterunt.

Sequenti anno per Majum menſem, Comenſes A. C. 1444.
de publico conſilio hoſtiliter petiere Varieſium oppidum, & cum noctu improviſi ſupervenisſent, imparatos & ſemiſomnes facile trucidarunt, alios vinculis inditis captivos egerunt, & cum ingenti præda abiere. Nec ita multo poſt in eandem regionem reverſi Binagum & Vedanum oppida tunc muris cincta invadunt, atque capta & direpta incendunt. His peractis bellum in Luganenſem oram transfertur: incolæ Mediolanenſi nomini ſtudebant, & arcem Sancti Martini, quo omnia ex fide agere viderentur, tradiderant: contra Comenſes transmiſſis in vallem Intelavi copiis, ſecuti conſilium Joannis Boni Veſozoni, qui locum deligenter ſpeculatus, docuit aditum eſſe in ſuperiorem rupem, & ex ea haud magno cum periculo deſiliri in muros poſſe, eo profecti juvenes impigri, & qua præceps locus erat, per funes delapſi, ex improviſo ſaxa, ſudes, & tegulas totis ædibus proruunt: ita fugam undique hoſtium fecere, ac munito loco potiti ſunt. Qua re Mediolani cognita, conſtitutum eſt, ut claſſis lacu inſtauraretur, cui Inſulani remiges & commeatum ſuggererent: in vallem Porletiam delati, Caſtrum S. Michaelis circumſidunt: ubi dum diutius morantur, ſupervenit Anſelmus Puſterleus, qui tum Mediolanenſi ſacerdotio præerat, ratus ſe negotium celerius confecturum, ſeu timor contumacibus adverſariis faciendus opinione & præſentia Antiſtitis; ſeu opera, & auctoritas interponenda conditionibus, ſi quæ inirentur, foret: ſed in neutram partem profuit ejus adventus: nam & à vi fortiter ſeſe defendentibus Comenſibus, & ex confidentia rerum pactiones omnes recuſantibus, infecta re abire coactus eſt, & occurrentibus novis copiis commiſſa pugna, in qua præcipuus nobilitate vir Aledramus Quadrius cecidit, & complures combuſtæ naves: deinde Arduinus Advocatus turrim Melani, & Giſilbertus Clericus è media plebe homo arcem Pantagani, accepta pecunia, Mediolanenſibus tradiderunt: at Comenſes Inſulam adnavigant, oppidanos ad pugnam provocant: illi è tuto loco tela conjicientes, Oldradum Natalem, & viginti alios nobiles viros interfecerunt; quorum cæde irritati hoſtes, quod in homines non poterant, in ædificia deſæviunt: inde Comum reverſi cives cohortantur, ut majoribus copiis locum jam ſemirutum invadant, & quod ſupereſt, ſine mora avertant. aſſentientibus univerſis, nova claſſis inſtruitur, ad Inſulam navigatur, militibuſque expoſitis cuncta ferro, igni fœdantur, vites, cæteræque frugiferæ arbores paſſim ſuccidiuntur: jam muri ipſi frequenti ariete concutiebantur, cum nova Menaſcentium claſſe, qui auxilio obſeſſis veniebant, perterriti, omittere incepta, Inſula cedere coacti ſunt. Fortaſſe etiam ſuorum litteris revocati; propterea quod finitimus hoſtis Canturianus agrum igni ferroque vaſtabat: cum quibus etiam commiſſo certamine in ripis torrentuli, cui nomen Scviſo, ſexaginta hominum jacturam fecerunt. Nec ita multo poſt ſubmiſſa ab urbe Mediolano ingenti multitudine, novo in periculo Comum conſtituitur: quod tamen intra menſem ſublatum eſt, ex inopia commeatuum hoſte digreſſo. Paulo poſt ex Tellina valle Quæſtores peractis exactionibus argentum & varium genus commeatuum Comum deportavere; quibus acceptis, denuo de excidenda Inſula deliberant, transmiſſoque exercitu oppugnant: ſed plures ab arce & turribus ſagittis conficiebantur, in quibus vir

clari

chari nominis Paganus Beccaria foit: quo accepto detrimento Comum copias, quæ ſupererant, reducunt: dehinc novam claſſem inſtruunt, cui oram ſolventi fauſta precatus Guido Epiſcopus Comenſis brevi interiit. Naxium autem petiere, obvioſque habuere Leucenſes, congreſſique cruentum prælium fecere. Victores Comenſes prædam & captivos domum deduxere. Quod tantam ſuis animorum acceſſionem fecit, ut ultro erumpentes in hoſtem, qui à terra ioſeſtam regionem habebat, circiter mille hominum vel ceperint, vel occiderint. Inde Vertematum venere, & illic quoque ſuperatis adverſariis; oppidum ipſum incendunt: pariter à Canturio & Marliano ingenti cum pecudum hominumque præda redierunt. Tunc Mediolanenſes quammaximam multitudinem armarunt, & adverſus exultantem tot victoriis hoſtem profecti, cum vel invitum, & terga dare oitentem ad pugnam compulerunt, & memorabilem ſtragem ediderunt, ex qua ingens loctus Comi fuit. Trium, qui ſtremie mortem opetierint, nomina memorantur; Araldus Galignus, Rogierius Fontanella, & Pandulfus à Canonica. Subinde nuntiatum eſt, Lucinum oppidum, prodeunte Arialdo Advocato equeſtris dignitatis viro, in manus hoſtium perveniſſe: quod pari animorum conſternatione, ac recens hominum cædes, receptum eſt. Ejus vero proditionis infamiam ferens ægerrime Otho Arialdi frater inter confertos equites, qui ad explorandum certius rei ſtatum advolarunt, profectus, & cum hoſtibus congreſſus interficitur. Non multo ab his intervallo Conradus Dervienſis caſtrum Dervium, in quo non exigua vis auri, argentique erat, pariter Mediolanenſibus prodidit. Et in Tellinam uſque vallem progreſſi hoſtes prædam bovum, pecudumque abegerunt. Ex arce quoque Aotixiti dejectum præſidium à Leucenſibus noctu fuit, & rebus omnibus oppidum ſpoliatum.

A. C. 1107. Sed jam ſubibat annus vigeſimus ſeptimus ſupra mille & centum, eum de publico conſilio Comenſes Albricum Bregnanenſem ab exilio revocant, & priſtinæ gratiæ reſtituunt. Vafri ingenii erat homo, & varia fortuna agitatus, haud facile injuriarum oblitus, dolos patriæ nectit: nam commentus Mediolanenſes ad certam diem prædatum venturos, ſtruendas illis opportuno loco inſidias eſſe ſuaſit: rum ad hoſtes clanculum delapſus, quo loco, & quo numero armatorum acies poſitæ forent, docuit. Profecti igitur Mediolanenſes dupliciagmine inſidiatores ipſos circumvenerunt, & conturbatos, attonitoſque, ex eo in primis, quod Albricum ipſum inter hoſtiles acies impune verſari, & multa jactare audiebant, contrucidarunt. Hic cecidere viri nobiles Vindradus Pirrus cum filio, Petratus Fontanella, Jafredus Validus, Arnaldus Vertemates, Marchius Azola, Joannes Beſſola, Vicedominus Comeotis.

Mediolanenſes ea victoria uſi, ad obſidendum urbem ipſam Comum pergunt; locumque caſtris deligunt ſuburbanam S. Martini ædem, quam vallo, foſſa, & duabus præaltis turribus muniunt, & mutato nomine caſtrum novum, & interim villam novam nuncuparunt; cujus cuſtodiæ Mogunniaca primum inventus eſt impoſita, quæ à Comenſibus, non ita multo poſt, ob nimiam importunitatem, & ferociam trucidata eſt: his ſufficti fuere Cremonenſes; ſed hi quoque multis prælüs imminuti, hoſti prædæ fuere. Interim prædatorii equites io Luganenſem vallem miſſi ad Treſiam fluvium, per quem lacus ejus regionis in Verbanum exoneratur, pervenere, & igni, & ferro omnia fœdavere. Interea à ſociis Civitatibus, quas ſupra memoravimus, miſſa auxilia; & inter Novarienſes puer altæ indolis Blandrati Comes memoratur rudimenta militiæ feciſſe, & qualis vir futurus foret, auſpicia dediſſe. Accerſiti quoque ex Liguribus fabri, qui aptiores bello naves facerent: ita claſſi Leuci inſtructa, adjectis Inſulanis totius lacus Imperium obtentum eſt. Terreſtres vero copiæ cum infeſta jam omnia circa urbem haberent, quatuor turres conjunctas trabibus, ac eratibus, & corio tectas erigunt, totidem arietes inter eas collocant, quas ſublato militari clamore & præcinentibus tubis ad urbem promovent, nudatoſque propugnaculis muros quatiunt: contra oppidani fortiter agere, die, noctuque in opere eſſe, nullus ſexus, nulla ætas labori parcere, omnes pro patria, aris, ſocis pugnare: ſed cum hoſtes multitudine abundarent, nullamque propterea quietem feſſis darent, ſed pugnando diem noctibus conjungerent, ſuis fauciis integros & recentes ſubmittendo, conſilium exonerandæ civitatis turba inutili ioierunt: ſicque infirmam ætatem navibus imponunt, robuſtiores in urbe retenti: ſed hi quoque brevi in deſperationem rerum adducuntur, & deſertis cuſtodiis in vicum ſo recipiunt: ſic vocatur pars extramurana ſituſtræ lacus ripæ adjacens. Quibus cognitis Mediolanenſes urbem ingreſſi, omnia prædantur: ſic potiti Como Mediolanenſes fuere; qui mox de pace rogati, eam polliciti ſunt, ſi mœnia ad locum uſque duabus turribus inſignem, quas Cluviolas vocabant, dejicerent: qua conditione recepta, denudata muris civitas eſt, & victis reditus in eandem conceſſus.

Sequentis anni byems inſolita aſperitate diriguit adeo, ut Padus ipſe glacie concretus genus omne jumentorum & plauſtra onerata ad utramque ripam tranſmitteret. A. C. 1128.

Anno vero MCXXX. Innocentius Secundus hujus nominis Pontifex Romanus, multipliciter à Rogerio Siciliæ Comite vexatus, eo quod Regium titulum ambienti non conferebat, in Hetruriam veoit; & ad littus deſcendens, trirembus Liguſticis excipitur, ac Genuam delatus vacanti tunc forte ejuſdem urbis Eccleſiæ Epiſcopum dedit Syrum, hominem ingenio & ſanctitate clarum: pariter bellum, quod tunc cum Piſanis gerebatur, ſuſpendit. Inde in Ulteriorem Galliam tranſgreſſus, duobus Conciliis Rogerium Siculum, & Petrum Leonem Pontificium munus ſub Anacleti nomine Romæ uſurpantem, hoſtes Eccleſiæ declarat, & palam Chriſtianis ſacris interdicit. Quibus peragendis triennio abſumpto, io Italiam revertitur, & Placentiæ novum conventum vicinorum Principum habuit: mox ſuperato Apennino Cornetum Hetruriæ urbem, comitante Lothario Cæſare, pervenit. Huc Syrus & octo alii Ligures Legationis principes tredecim trirembus advecti, pacem cum Piſanis, hortante Pontifice, confecerunt. Tunc Syro novus titulus acceſſit: nam qui olim ſuffraganeus Mediolanenſis Antiſtitis fuerat, nunc illi ſubtractus, & ſuæ ditionis factus, alus etiam imperare coepit; conſtitutuſque octo Civitatum Metropolitanus, quatuor in inſula Corſica ſortitus eſt, Marianenſem, Acienſem, Nebienſem, & Aprumacenſem; cæteræ in continenti ſunt: ſed cum tres tantum forent, Albingaunenſis, Naulenſis, & Brugnatenſis, ad explendum numerum, tunc primum Bobienſi oppido civitatis nomen inditum, & novus creatus Epiſcopus; cujus dignitatis tuendæ gratia locupletiſſimi ad eam diem Cœnobii Columbani opes acciſæ magna ex parte, ac illi traditæ fuerunt. Perrexere ad urbem Innocentius & Lotharius; nec difficulter ad officium redeuntes Romanos in gratiam recepere. Eodem anno Medolani moritur Puſterlenæ Præſul, eique ſufficitur Robaldus, jam Albæ Ligurum Antiſtes.

Anno deinde MCXXXIV. Guido Vicecomes nobilis Mediolanenſis Othone genitus munere Guarnerii Abbatis S. Galli Conſtantienſis, inſtituitur Abbas Maſſini in Longobardis, quam olim Sancti A. C. 1134.

Galli Cœnobio contulerant Carolus Auguſtus, & Berengarius Imperator, & primus Otho confirmaverat. Durat adhuc Maſſinum edito in colle, quem Verbanus lacus exiguo ab Arona ſpatio alluit; & juxta ſpectatur Invorium, duo celebria Vicecomitum domicilia, adeo ut inde ortam clariſſimam familiam plerique crediderint: ſed antiqua iplimet indigenæ mihi quandoque monumenta oſtenderunt, quibus inveteratæ illius gentis origo ad civitatem Mediolani refertur. Bernardus quoque Monachus peragrata Gallia atque Germania ad Italos reverſus, Mediolani Cœnobium quarto ab urbe milliario fundavit, civibus opes offerentibus, quod Carræ Vallis dicitur. Et anno MCXXXIIX. Lotharius A. C. 1136. poſt multa egregie geſta, & conditas leges, quarum non paucas poſteri in corpus novi juris recepere, cum etiam per agrum Novarienſem, & ſignanter vico Momo diverſatus fuiſſet, Veronæ moritur.

Deinde Conradus Secundus ex Henrici ſorore, & Frederico Scophio, ut quidam opinantur, cognomento Suevorum Duce genitus, Imperium excipit, & Mediolani, præbente diadema Robaldo Archiepiſcopo, coronatur. Idem Genuenſibus facultatem cudendæ monetæ primus conceſſit: ex quo illius memoriæ hoc grata poſteritas inſtituit, ut nomen Conradi Romanorum Regis alteri nummorum parti ſemper inſcripſerint.

A. C. 1140. Anno MCXL. menſe Februario Papienſes & Placentini fœdera inierunt mutui inter ſe auxilii, quod equitatu, pedituque præſtari poſſet adverſus quemlibet populum excepto Novarienſe, & ſalvo ſacramento erga Cæſarem dato, ut omnia pro amicis contra inimicos agant, quæ uſus & occaſio A. C. 1141. rerum poſtulaverit. Et biennio poſt Guido Vicecomes, quem paulo ante memoravimus, in Germaniam profectus à Conrado Cæſare juriſdictionem retulit curiæ Maſſini, & Elbuzagi, & Beſenzati: diploma hujus rei archetypon Papiæ vidimus cum præfatione, quod Guidonis avus pro fide Imperii à Romanis fuerit interfectus.

A. C. 1143. Anno ſequenti, qui fuit XLIII. ſupra M. & C. Innocentius Pontifex moritur: cui ſpatio ſexdecim menſium duo ſucceſſere, ſui quiſque nominis Secundus, Cæleſtinus, & Lucius: huc Genuenſibus multa per Legatos petentibus, annuum unius libræ auri tributum remiſit. Pontificatum maximum inde tenuit Eugenius Tertius Piſana urbe oriundus, Bernardi Monachi diſcipulus, qui inteſtinis Romanorum diſcordiis pulſus urbe, ad Gallos trans Alpes ſe contulit. Ubi cum cognoviſſet Chriſtianos, qui Hieroſolymis regnarent, graviſſimis cladibus à Barbaris attritos, maximo in periculo reliquæ ſalutis verſari; nec ignorans quibus animis, quantiſque viribus ſexaginta ab hinc annis terram Syriam Galli ingreſſi forent, Ludovicum Francorum Regem de auxilio miſeris ferendo alloquitur, ejuſque animo ſatis explorato, Conradum Cæſarem, de eadem re compellat, eoque non abnuente crebræ circummittuntur legationes: denique ſuſcepta expeditio anno Chriſti MCXLVII. Inter Italos Proceres, qui eodem profecti ſunt, Codices Mediolanenſes celebrant Martinum Turrianum, qui ab eximia corporis & virium ſpecie Gigantis cognomen meruerat, qui fortiter pro Chriſti nomine pugnans, captus à Barbaris, & excruciatus tormentis expiravit. A. C. 1147.

Eodem tempore Genuenſes ejuſdem Pontificis hortatu in altera orbis parte non involvendum ſilentio bellum geſſere, florentiſſimumque exercitum ducentis & viginti ſex navibus in terram Bæticam tranſportarunt; Almeriam urbem maritimam diu obſeſſam expugnarunt. Ejus expeditionis Duces fuere Ubertus Turrianus, Philippus Platealonga, & Anſaldus Auria Conſules Genuenſes, nec non & Raimundus Bellingerius Barcinonenſis Comes, unus fortaſſe ex ſtirpe Regis Berengarii, quam ſupra in Liguribus conſediſſe ſub eo cognomine diximus. Et ſubſequenti anno Tortoſam citerioris Hiſpaniæ urbem terra marique oppugnatam per deditionem cepere. At Conradus rebus in Syria improſpere geſtis, & Damaſco fruſtra obſeſſa, in Europam revertitur, & morbo affectus apud Barbergam Germaniæ urbem moritur. Eugenius autem ex Gallia reverſus, iter per Circumpadanas urbes fecit, & Novariæ agens confirmavit indulta à majoribus Cœnobio Cerreti Laudenſis agri, quod paucis ante annis illuſtris Comes Albericus in proprio ſolo Saltarico condiderat.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER VIII.

EPITOME.

Poſt Conradum imperat fratris filius Suevorum Dux Fridericus I. Ænobarbus, famam ex Mediolani vaſtatione & reliqua Italia malis nactus. Conſtantiæ conventum Principum celebrantem Laudenſes duo nulla publica auctoritate interpellavere pro patria vim à Mediolanenſibus paſſa: & vindices litteras ac legatum ad eoſdem impetravere. Is Laudem delatus, tametſi cives meum gravissorum injuriarum, intentatam volebant legationem, Mediolanum profectus eſt, ubi cum Cæſaris littera contumelioſe accepte ſunt: tum ipſe ſummum in diſcrimen addullus. Mediolanenſes clade per idem tempus ad Verruculam à Papienſibus accepta mœrore. faſti, Cæſarem legatione ac muneribus ſibi reconciliare conantur: ſed is tamen Laudenſium, aliarumque finitimarum urbium querimonias valde permotus in Italiam per Taurinas Alpes cum exercitu proficiſcitur. Germanos, qui evocaverant, primi ſuæ oppidis excepere Laudenſes: moxque hoſtes ſenſere, cum a Placentino vico totius ditionis opibus divite eorum impetum egre propulſavere. Cæſar interim Roncalia Placentinam inter & Cremonam Mediolanenſium Legatos admiſit: & poſt fidem ſibi a Laudenſibus annuente Mediolanenſi Senatu ſacramento obligatam, trans Ticinum movet, commeatu Mediolanenſibus imperato: cujus difficultatem Germanus miles Landrianis ac Raſatis vaſtatione ulciſcitur. Novariam progreſſus Fridericus, cum ea urbe ac Papia fœdus init: Liguruni Oraturas audit: Mediolanenſium vero, tametſi paſtam

in Roncalia pecuniam repræſentantes, omni reſciſſo fœdere non ſine obſtrigatione ab ſe rejecit denuncians, Velle ſe Laudenſem, Comenſemque ab opſorum poteſtate exemptum ſibi uni parere: mox Galeatum ac Trecatum in poteſtatem redacta mœnibus nudat. Trajecto Pado Montiferrati Marchione auctore Aſtam expugnat; ejuſdemque dituni adjungit. Inde Derthonam apud ſe a Papienſibus poſtulatam, cum Mediolanenſium ſulta præſidio cauſam dicere detrectaret, invadit: &, quamquam certis conditionibus in deditionem acceptam, perfide paſſim direpti, flammiſque vaſtari: tum Papienſibus dono dat ultra incendium & interitum ſeviturus. Non multo poſt ab auxiliaribus Mediolanenſibus in propinquo opportunitatem captantibus recuperata reficitur, Senatu primum improbante, diſceſſionemque imperante: deinde proſpera fortuna, ſubmiſſis auxilus, velificante. Ergo per id tempus Papienſem Cæſaris præſidio ferocem & ad Derthonam noſtra jam urbis coloniam (quod data ad eam littera & conſanguinitatis inſignia teſtantur) fortiter ſuſtinuimus; & Septezano, quod a Scaramis occupatum obſidione repetebat, expulimus: & Stabulum, Cunaſium, & Ceredanum expugnavimus: & Lugavi Vallem rebellantem ſubegimus. Fridericus Romam interim petens Adrianum Pontificem inde pulſum Sutrii obvium reverenter excepit: & profeſſus ob id muneris gladium ſe & Imperatoris nomen accepiſſe, in Urbem reduxit, ubi ab eodem Coronam ſua dignitatis inſigne ſuſcepit. Sed ſubita Populi Romani irruptione uterque captus eſſet, ni eum accerſitus è propinquo exercitus, non ſine cruenti cæde, ſubmovoſſet. Inde retro ſigna convertens Spoletum de Cæſareis nunciis male meritum direptione & incendio multat. Ancoanam progreſſus honorificam Conſtantinopolitani Imperatoris legationem audit ſuadentem bellum adverſus Guilelmum Siciliæ Regem. Sed tanta expeditionis difficultatem & periculum æſtimanti, antiquior in patrium reditus fuit: quem quia pecunia à Mediolanenſibus accepta obſidere conati ſunt Veronenſes, non leves vultori pœnas dedere.



ONRADO in Romano Regno Procerum ſuffragiis ſuffectus eſt Fridericus frater *, ejus nominis primus, quem de capilli colore inſignem vulgus *Barbaroſſam*, paulo eruditiores *Rubrobarbum*, nos æquiore, ut arbitramur, & ex aliqua antiquitate Romana petito vocabulo, *Ænobarbum* nuncupabimus: eum vero in Romani Regni faſtigium electum fuiſſe colligo anno Chriſtiana enumeratione milleſimo centeſimo & quinquageſimo primo, aut certe ſecundo. Acta celebritas eſt Franchfordiæ urbe Germaniæ Mogamo amni appoſita, qui Rhenum juxta Moguntiam influit. Inde Aquiſgranum delatus, ſacri olei unctione perlinitur, & coronatur. Rem ſacram & ſolitas cæremonias peregit Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus, reliqua adminiſtravere Hellinus Trevirenſis Antiſtes, Albertus Marchio Brandeburgenſis, Henricus Saxonum, & Matthæus Lotharingorum Duces.

A. C. 1150. 1152.

Poſtea per æſtatem celeberrimum Meſſeburgo conventum habuit, in quo Petrum Danorum, qui in Cimbrica Cherſoneſo ſiti Daci nunc dicuntur, Regem declaravit, ſuaque manu diadema & reliqua ejus rei inſignia ei detulit. Tunc ſubortas cum Romana Eccleſia, cui tum Eugenius Tertius præerat, contentiones quadam in epiſtola ipſemet fatetur; quæ, qualeſve, aut qua ex cauſa fuerint, nec ipſe narrat, nec apud quemquam hactenus

* Alii fratris eodem nomine filium feribent: vide Gordon. A. 1152.

A comperi. Moxque tamen eas ita ſua opera ſopitas fuiſſe ſubjicit, ut quod à ſe bene conſtitutum erat, auctoritas Apoſtolica confirmarit.

Annus deinde quinquageſimus tertius habetur A. C. 1153. inſignis obitu duorum ſummorum in Eccleſia virorum, Eugenii Pontificis, cui Anaſtaſius Quartus ſuffectus eſt, & Bernardi Abbatis, qui ſacrarum Scripturarum ſtudio, virtute, & peregrinationibus ad exteras quoque nationes in fide noſtra inſtruendas obitis clarus, multa ampla & opulenta cœnobia ædificavit: plurimoſque ſtatim ſectatores habuit, quorum via, vitaque poſteris per manus tradita, quoniam tuto cæleſtes ad ſedes B ducat, nunc quoque obſervatur. Exſtant vero ejuſdem ingenii multa & præclara monumenta, plena pietatis & meditationis rariſſimæ, quibus; quamvis Latinæ litteræ eo tempore obſolevilſent, tamen nec inelegans, nec infacundus Bernardus probatur.

Eodem anno Fridericus alterum conventum Conſtantiæ habuit, æque celebrem frequentia, & Heroum dignitate ac Meſſeburgenſis: niſi quod hic amplius acceſſerunt duo Romanæ Eccleſiæ Principes, Bernardus S. Clementis, & Gregorius S. Angeli, ille Presbyter, hic Diaconus, Cardinales; item Vulpho Dux Spoleti, & Marchio Tuſciæ. Forteque apud Hermanum Conſtantienſem C Epiſcopum duo Laudenſes cives privatam ob rem in Germania negotiantes diverterunt, Abernandus cognomento Alamanus, & Homobonus de Magiſtris: qui dum in aula ſpectant novam Heroum ſpeciem, hominum frequentiam, & rerum majeſtatem; animadverterunt, crebris tenuiorum querelis deſerri ad Cæſarem injurias, oppreſſionesque potentiorum; & Cæſarem æqua omnibus & juſta præſtari jubere; efficaciſſimaſque in eam rem litteras dare: ac propterea calamitatum patriæ reminiſcentes, ejus publicam cauſam agere conſtituerunt: & velamenta ſupplicum ſumentes, è proximo templo D cruces proferunt, & in conſpectum hominum cum flebili lamentatione prodeuntes, nomen & clementiam Cæſarem invocant: quibus, circumfundente ſe multitudine, Fridericus dari locum jubet, ut accedant. Interrogati, qui eſſent, quid peterent, quæve tantarum lachrymarum cauſæ, Abernandus Linguæ Germanicæ peritus, *Laudenſes*, inquit, *ſumus, omnium, qui vivunt, miſerrimi, & qui a Mediolanenſibus ea patimur, qua ne Barbari quidem patri hoſtem cogerent. Nota res eſt, ſicuti patriam noſtram Laudem Pompejam vetuſtate, & Romani conditoris fama claram, injuſta ira perciti Mediolanenſes everterint. Sacra ædes, qua exſtant, amplo documento ſunt opulentiæ, dignitatiſve ejus; nam his tantum pepercere hoſtes, cætera, domos, mœnia, turres ita ſuſtulerunt, ut jam novem & quadraginta annis videamus campos, ubi Troja fuit: (ut accommodemus dictum clariſſimi poetæ) ex cujus excidio multi in varia exulta dilapſi, errant adhuc: & nos unius certa exempla ejus rei ſumus: reliquum populum ſex vicis, eos totidem ergaſtulis concluſum, ſudiſſimam in ſervitutem redegerunt: avariſſimi Magiſtratibus parere cogunt: quibus niſi ſtatutis diebus, atque horis indictas pecunias perſolvamus, vincula, cruciatus, tormentaque intentantur: denique nullum genus eſt impietatis, ſceleriſque, quod non miſeros nos, conjuges, liberoſque noſtros ſæviſſimi domini vicibus exerceant. Sed vide, Cæſar Auguſte, quid longa tot malorum conſuetudine fallimur: jam tolerabilia iſta erant, & in extremæ ſervitutis calamitate nihil deſiderare audebamus, nullam querelam ne nunc quidem faceremus, haud ullam ab eo opem optare animo ſubiiſſet; ſi nos in pauperrimis illis miſeriæ noſtræ reliquiis permiſiſſent: ſed quo non intras liver improbe? quo non venena ſpargis invidia? aut quid impotentiſſima ſuperbia ſatis humile videri poteſt? erat exci-*

porium ; conferebantur à finitimis merces , quæ octavo quoque die inter advenas commutabantur : poſteaquam vero everſa civitas eſt , id continuari in majore ſex vicorum noſtrorum , cui Placentino nomen eſt , Mediolanenſes permiſerunt : in quo , etſi exhauſtis opibus magna emere aut vendere non poteramus , tamen externis hoſtilia ſaltem parando , commeatus expediendo , pleraque victum quærebamus : credo , paulo opulentiores fieri , & reculam augere iis viſi ſumus : invidenda , formidandaque erat conditio noſtra : itaque de ſapientum ſuorum , ut vocant , (qui utinam recte ſaperent) conſilio nobis interdicunt , ne amplius in Placentino vico mercatores excipiamus , ſed in proximo campo ſub dio nundinemur , ſole , pluviuſque merces exponamus : id quod fuit nobis , non panem ipſum ori detrahere , ſed prorſus , quod dici ſolet , Vade , & ſuſpende te : nam eo dicto vulgato , ſtatim omnia apud nos ceſſarunt , deſierunt advenire peregrini , merces mittere , & omnia contorpuere , exſtincta omnium induſtria , ubi ſpes lucri non adeſt : ſic defeſſi opibus , & undique deſtituti cum inopia , cum ignavia jam diu certamus. Hoc eſt , quod nos urget , quod gravat , quod conficit , ſacratiſſime Cæſar , veſque excelſi Principes : hoc unum rogamus , ut priſtinum morem , locumque mercatus reſtitui curetis. Commoverunt facile concionem lachrymæ , ſimul rei , quæ petebatur , exiguitas , honeſtaſque : itaque litteræ decernuntur perquam efficaces in eam rem ; quibus ſcriptis nova difficultas oboritur nuncii , per quem litteræ Mediolanum perferrentur ; quia haud dubio facturos vim , ſi quiſpiam Laudenſis accederet , opinabantur. Ex aula Cæſaris deligitur Sicherius diligens & impiger juvenis , cui etiam injungitur , ut quantum poſſet , viva oratione cauſam Laudenſium commendaret.

Interea in patriam reverſi Abernandus & Homobonus ſuos edocent , ubi fuerint , quæ viderint , quid fecerint ; brevique cum litteris affuturum Cæſareum nuncium ſignificant. Id permoleſtum atque abominabile primores cenſuerunt , quibus nota erat Mediolanenſium iracundia , & quidam quaſi furor in Laudenſe nomen , cum quicquam novi tentabatur : neque omnino temperaturos exiſtimabant , quin alias ſuper alias injurias , ubi hoc refciviſſent , in ſe cumularent : alii mitiora augurantes , mœrentium animos ſolabantur ea ratione , quod fortaſſe apud Cæſareum Senatum fidem publicæ rei gerendæ non habuerint Abernandus & Homobonus , qui privato nomine in Germaniam profecti , nullo publico mandato , ſignove firmare petitionem potuerint.

Sed haud ita multo poſt Sicherius affuit lætus , & ſpe uberioris emolumenti plenus , concioneque advocata , gratiam Cæſarem , & felicioris ſeculi primordia nunciat ; tum cujuſmodi litteras attulerit , enarrat : reſpondent ei , ſe Cæſari gratias agere immortales : ſed mox triſte ſilentium & effuſæ lachrymæ mœſtos omnium animos eſſe declararunt ; & admiranti Sicherio natu tandem major hæc alta voce ſubjunxit : *Si ea , qua tu modo , & paulo ante duo cives noſtris attuliſtis , non optanda nobis , ac votis omnibus expetenda ſunt , ſaxei , ferreique , & omnino Cæſarea benignitate indigni ſimus : nam nec rebus noſtris conducibilius quidquam , nec animo jucundius contingere poteſt , quam Cæſareum iſtam liberalitatem , qui ſimplicis duorum hominum rogatu cauſam noſtram ſuſceperit , teque oratorem miſerit : quibus unquam verbis , quibus factis ſatis digna à nobis agi , referrive gratia poterunt ? Etenim nullum majus nobis viget in terris numen , nihilque eorum quæ cernimus , quæ audimus ſupra Auguſti majeſtatem , amplitudinemque ducimus : ſed vera , & res neceſſaria fateri liceat , parum tempeſtiva eſt tentatio iſta ; novimus inclementiam victorum noſtrorum ; & quam iniquo , inveniique animo ferent hæc ; & quibus noſtris malis ſuſpiciones ſuas expiabunt , cum procul eſſe intelligant , qui vim vi , arma armis opponat : nam Cæſaris quoque ipſius abſentis opinionem haud multi facium. Quare cum cauſa noſtra agatur , & ex commodo noſtro agere te deceat , hortamur , rogamuſque ne Mediolanum omnino accedas ; aut ſi acceſſeris , nihil in rem noſtram loquaris ; diſſimules mandata , & quidquid vis aliud , quam Laudenſem Populum nomina. Et quo ad nos , Cæſari quantas maximas humanus animus capere poteſt , gratias agas ſua in nos declarata voluntate ; cujus fructum in commodiora tempora ſervandum nos cenſuerimus : nam ſi quando contingeret ejus præſentia illuſtrari res Italas , haud profecto aliud à Deo maxime expetendum ultra exiſtimaremus.* Conturbatus eſt hoc ſermone Sicherius , quem eo tendere perſpexit , ut eam rem , ob quam potiſſimum venerat , omnino non tentaret. Itaque indignatione plenus : *Si vel dena* , inquit , *auri pondera hic mihi repræſententur , non committam unquam , ut partem ullam mandatorum meorum neglexiſſe videar : quo enim vultu , qua ſpe , qua fiducia in conſpectum Domini mei veniam , rebus , propter quas tam procul domo miſſus ſum , intentatis ? an adeo incivilis , ſuperbuſque Mediolanenſis eſt , ut non poſſit aquis auribus audire etiam ea , qua vel minime velim ? certe legatos audire omnes ſolent : nec fraudi cuiquam fuit non grata dixiſſe : nam illorum poſtea eſt reſpondere , quod libuerit : proinde alio dirigite cogitationes veſtras : meliora mihi ſuadete.* His dictis Mediolanum Sicherius proficiſcitur ; ubi Senatui litteras Regias exhibet ; & mandata in commendationem rei Laudenſis exponit: quæ haud ſecus accepta ſunt, ac Laudenſes prædixerant: nam abſque ulla Cæſaris reverentia perciti ira , & quodam furore Conſules tabulas ipſas in terram eliſere , & pedibus conculcantes ceras , quibus obſignatæ erant, fregerunt, imaginique Cæſaris inſignem contumeliam fecerunt. Quod videns Sicherius, & ſibi deteriora metuens , inter obſtrepentem multitudinem effugium invenit , & noctu Laudem repetit : quid egerit , viderit , quove in periculo fuerit , enarrat. Inde in Germaniam contendit. Laudenſes vero trepidavere : & ſane ſæva conſilia adverſus eos Mediolani tractabantur : ſed ſive pœnitentia facinoris , ne bis in Cæſarem peccarent ; ſive bellum , quo cum Papienſe detinebantur, ab ea cogitatione averterit , in incerto eſt. Namque trans Ticinellum fluvium , quo Ticino derivatus medios inter Mediolanum , Papiamque campos interlabitur , exercitum miſerant , lateque agrum hoſtilem populati apud Lardirugum vicum confederant. Certatumque juxta Verruculam atroci certamine; & cum in caſtra rediiſſent , inani quodam pavore , ut fortuna cum in cæteris humanis rebus , tum maxime in bello dominatur , ſolutus eſt Mediolanenſium exercitus : nam cum quidam ſaucii ad curanda vulnera domum repituri , vaſa colligerent , ſtrataque humi tentoria feſtinantius miniſtri complicarent , procul conſpicientibus imaginem fugæ præbuerunt. Itaque illis quoque raptum ſua auferentibus , & aliis atque aliis extremum exercitui caſum advenille ſuſpicantibus , & ex alieno metu territis , omni ex parte fuga facta eſt , caſtraque commeatu omnifariam plena prædæ hoſtibus relicta ; notabili impreſſione ad vada Ticinelli facta , alio alium in aquas impellente præ ſtudio celerius fugiendi.

Eo detrimento accepto Mediolanenſes , & quaſi referret iratum Cæſarem habere recogitantes , placandum eum , omnique arte in primis demulcendum ſtatuerunt. Itaque cum muneribus Oratores mittunt , qui incivile factum quoquo modo excuſarent , & veniam errori peterent : dataque in id patera aurea cum multa pecunia numerata : ſed jam aliquanto ante Laudenſes Cæſaris animum in indignatione firmaverant ; & data aurea clavi Guilielmo Marchioni Montiſferrati , qui gratia & propinquitate plurimum apud illum pollebat, ad Cæſarem perfercuda occupaverant. Quibus acceſſe-

ceſſerunt, ceu totidem teſtes extra omnem exceptionem prompti, Papiæ, Cremonæque Oratores, qui oblatis & ipſi muneribus pretioſis, nefaria bella, intollerandaſque injurias à Mediolanenſe acceptas conqueſti, non ſolum veriora veris eſſe, quæ de Laudenſium malis dicerentur, aſſeverarunt; ſed prorſus longe majora, gravioraque omnem aurium fidem excedere: fuerunt & qui Comenſium cladis mentionem facerent, & quam multis ab aliis Longobardorum populis Cæſarcum numen expeteretur, quo veſana, importunaque Mediolanenſium ſuperbia contunderetur: tanta autem vis horum omnium fuit, ut communi Heroum conſilio venire proximo autumno in Italiam Fridericus decreverit, parariique interim neceſſaria juſſerit.

A. C. 1154. Quibus ſatis paratis, exercituque inſtructo, iter Octobre menſe anni quinquageſimi quarti init: per Taurinas Alpes tranſmiſſus, & per plana Longobardiæ progreſſus, in Laudenſem agrum venit: ſignanterque Caſtillioni ad tertium Kal. Decembris diverſarum lego. Quo tempore prima virtutis & militiæ rudimenta apud eos poſuere Germani, qui tantopere eorum expetiverant adventum: nam ſive inopia commeatuum, ut aſſeruerunt, ſive, ut alii crediderunt, avaritia ducti, & cupiditate proinde incenſi vicum Placentinum, in quem ex infirmioribus omnibus vicinis locis congeſtas opes audierant, prælio adorti ſunt, nec levi certamine oppugnarunt. Verum fortiter reſtitere oppidani, quibus & natura loci muniti, & metus amittendarum opum animos faciebant. Itaque repulſi, cum etiam multi ex ſuis cecidiſſent, aut vulneribus debilitati forent, Germani quievere. Et Fridericus inde movens conceſſit in Roncaliam, locum inter Placentiam & Cremonam: hicque habito conſilio Mediolanenſium legatos audit. Qui eorum ſermo fuerit, haud ſane uſquam ſcriptum comperi; tantum porrecta, acceptaque munera, & inſuper quater mille marchas argenti promiſſas: id genus ponderis eſt, quo maxime argentarii utuntur. Interim cum Laudenſe actum, ut in Cæſaris verba, fidemque juraret. Id quod libentiſſime facturum Populus reſpondit: ſed quia in aliena ditione ſit conſtitutus, legitime quidquam citra dominorum conſenſum facere non poſſe. Itaque ſumpto ſpatio ad conſulendum Mediolanenſem Senatum, miſſaque eo Legatione, quod optabant, haud difficulter impetrant: & exinde maxima cum lætitia & celebritate Cæſari ſacramentum dixere; exiſtimantes, ſe tunc tandem duriſſimæ tyrannidis jugum exuere. Mox Fridericus trans Ticinum reverſurum ſe pronunciavit; ac propterea, quo commodius incederet, duces itineris, & qui neceſſaria expediri curarent, à Mediolanenſibus petit: dati qui & recta & compendioſa ex fide ducerent: ſed quia continentibus bellis cum Papienſe, & recenti vaſtatione combuſta omnia erant, ſuſpicionem peregrinus miles cepit, quaſi dedita opera eo deductus foret, ubi ab rerum omnium inopia, viri pariter, equique conflictarentur. Et primo quidem Landrianum, dein Roſatum venere: in quibus cum nec fatis quidem pabuli ad reficienda jumenta inventum fuiſſet, excanduere ira Germani; nec temperavere, quin juſſis decedere omnibus, qui inerant, ipſi cuncta prædarentur; notabiliſque Barbarorum inclementia atque inhumanitas viſa eſt, qui nullum ſpatium migrantibus ad componendas res conceſſerint; ſed incommodiſſima hora, hoc eſt ſub occaſu ſolis, & lubrica omnia facientibus imbribus, univerſos exegerint, ægros, ſenes, matresfamilias, & cum parvulis natis nuptas, innuptaſque puellas: tranſactaque nocte, ſubjecto ædificiis igne, uno omnia concremaverunt incendio. Inde Abiatum profecti, Ticinum tranſeunt junctum duobus Mediolanenſium pontibus, quos & ſtatim demoliri nixi ſunt. Inde Novariam, & Blandratum, quod percelebre oppidum Seſſiæ amni appoſitum eſt, petunt.

Eodem advenerunt Oratores Mediolanenſium promiſſam in Roncalia pecuniam afferentes; quos Fridericus undique finitimorum noſtrorum querelis oneratus, gravibus verbis corripuit, & fœdifragam eorum civitatem arguens, cum eadem fœdera, ſi qua promiſit, reſcindere ſe dixit, velleque duobus propinquis populis Laudenſi, Comenſique integram libertatem ſervari, neque alterum eos dominum, quam Cæſarem recognoſcere, ac ſimul ſpreta pecunia excedere caſtris eos jubet. Hac ceu non dubia belli denuntiatione accepta Mediolanenſes, confeſtim arma circumſpectare, & novarum rerum conſilia agitare.

Convenit item Blandrati Fridericum honeſta Ligurum Legatio; cujus capita erant Capharus Genuenſis inter auctores noſtros aſſumptus, & Hugo Arebidiaconus, qui poſtea ad Pontificatum urbis Genuæ pervenit: quid autem egerint, attulerintve, nec Caphatus ipſe volumini ſuo inſeruit, nec alibi memoratum inveni. Cæterum Fridericus nova fœdera cum Papienſe, Novarienſeque init; & duo Eccleſiæ Mediolanenſis oppida in finibus Novarienſibus ſita Galiatum atque Trecatum obſidet, & non multa vi in poteſtatem redacta mœnibus nudat. Et cum jam December menſis effluxiſſet, natalitia Chriſti feſta ibidem celebrarunt.

Tum incunte anno quinquageſimo quinto Vercellas, Taurinumque petiere, & inde trajecto Pado apud Cherium peropulentum oppidum conſtitere; ubi bellum Aſtenſe decretum eſt. Inhiabat ejus urbis imperio Gulielmus Marchio Montiſferrati, & præſentem cernens favorem, infimulavit cives vetuſtæ injuriæ; quod debita ſibi antiquo jure oppida occuparent, & repetita non redderent. Igitur bis, terque monitos, ut Marchioni ſatisfacerent, nec obedientes Cæſar admoto exercitu perterret, impares viribus, & nulla re ad tolerandum bellum proviſos, facile in poteſtatem redegit. Ingreſſi milites omnia in prædam verterunt, atque aliquot locis ambuſta civitas fuit. Tum Marchioni dono data, qui veteribus & importunis deſtructis novas & rei ſuæ commodas arces ſtatim ædificavit. A. C. 1155.

Eam victoriam dum circumfuſi amici lætantur, gratulanturque, capiunt exemplum Papienſes, qui finitimæ urbis odio flagrabant; & Derthonam magnis criminibus inſimulantes, infidum ſemper Cæſareo nomini ejus Populum, & unius Mediolanenſia amicitia & favore ſuperbum eſſe dicunt, & occupare multa ditionis ſuæ oppida, quæ ut reſtitueret, nullis unquam precibus, nullis juriditiabus petitionibus adduci potuit; vi & armis, ut modo Aſta fuit, cogendum eſſe: reſpondet Cæſar, *æquum videri, ut jure primum agatur, ſeque idoneum arbitrum, & diſceptatorem magna litis futurum.* Miſſi igitur nuncii, qui Derthonenſem ad dicendam cauſam invitarent, nullum civile reſponſum retulerunt. Indignatus Fridericus vim oſtentat: territi cives præſentaneo bello, à Mediolanenſibus opem implorant.

Erant tunc Mediolani Conſules decemviri, Arvadius, Amizo, Gottofredus, Petrutius, duo Arialdi, Petronus, Gilbertus, Guilielmus, & Marchiſius; qui de publico conſilio in auxilium ſociorum decrevere ducentos equites, totidemque pedites: hiſque præfecti Hugo Vicecomes, Joannes Rainerius, Rancia Caſatus, Albertinus Caratus, duo Lafranchi, unus à Curte, alter à Cruce cognominati, & Rogerius à Sancta Maria: neque enim piget omnium, qui à fidelibus Scriptoribus memorantur, nomina atque cognomina, ut unicuique familiæ ſuus honos habeatur, referre. Hi igitur cum

recta

recta per Papienſem, Novarienſemve agrum parum tuta foret, in Laudenſem, Placentinumque declinavere, & per montana Malaſpinarum, jam tum per ea loca late dominantium, Derthonam perducti ſunt. Quorum adventu cognito Fridericus, caſtra urbi admovet, notabili die incipientis magni jejunii; quod eo anno Idib. Februarius contigit: atque ita obſidionem firmavit, ut deinceps nulla manus ingredi potuerit. Interim clauſi frequenter erumpentes, vim hoſtium tentabant, & prælia inibant: ſic fortiter agentes cecidere cum magna parte ſuorum nobiles Mediolanenſes Vicecomes, Mainerius, Rogerius, & Albertinus: ſed jam arctiores in urbe res erant, & fame in primis laborabatur; & altera ſocietas à Mediolano miſſa ingredi non potuit: ſuburbia ipſa & reliqua circa hoſtis tenebat: itaque illi in oppida haud longe diſtantia Larzanum, Horaſcum, & Garlmiam ſe receperunt; ſpeculaturi, ſi quam fortuna objiceret ſuis ſerendi auxilii occaſionem; ſed urgente inopia commeatuum, cum extracta obſidio eſſet in III. Kalend. Majas, oppidani ad deditionem coguntur. Bruno Bagnolus aderat Abbas Caravallenſis, vir cum opinione ſanctitatis, tum habitu venerandus. Hic ad tentandas conditiones emiſſus, vix impetravit fidem, ut quantum quiſque rerum tollere poſſet, auferret: ſed nec id ſervatum eſt; nam intromiſſus hoſtis omnia diripuit; tum ædificiis ignem ſuppoſuit. Qua ex re Bruno magnitudine mœroris affectus brevi expiravit. Contra ſaluti alteri ea res fuit: conjecerat in carcerem Obizo Malaſpina, vir ea tempeſtate clariſſimus, nobilem quendam Græcum: nec nomen, nec cauſa proditur: habebatur autem in arce; ad quam cum veniſſent victores, ſtatim vinculis ſolutum ahire permiſerunt: ſic evacuata cunctis rebus civitas Papienſi habenda traditur. Is turribus primo, & magna parte mœnium diſjectis, domos etiam nobiles ſolo exæquat. Dein Papiam cuncti reverſi, triduo epulis publicis & variis ludis, ut in ſignificatione victoriæ fieri ſolet, indulſere: ſeque Ænobarbus, & Germani Heroes palam inter convivas ſpectandos præbuerunt.

Interea Genuenſes, quibus obſides & graviora tributa imperabantur, inctuentes, ne in ſe arma verterentur, præſidia opportunis locis diſpoſuerant: ſed Fridericus haud tentandos eos poſtmodum duxit, ſed aliud animo prævertens, contentum ſe fore ſignificavit uſuraria aliquot illorum militum opera.

Cæterum cohors illa Mediolanenſis, quæ ſecundo loco miſſa urbem ingredi non potuit; ſed in propinqua receſſit, accitis Derthonenſibus civibus, qui à clade ſuperfuerant, conſpicati urbem penitus deſertam, & nullo cuſtode teneri, de ea in poteſtatem aſſerenda conſilium incuut; & poſteaquam nullo prohibente id fieri poſſe cognitum eſt, eam invadunt, vocatiſque exulibus, agreſtibuſque viris, & quotquot ad inhabitandum venire voluerunt, commununt, tecta, vallumque inſtaurant; commeatus aſſatim importari undecunque curant: denique in ſpem prope certam eriguntur reſtituendæ urbis caniſſimæ, fidiſſimæque, & ſimul nuntios ad urbem Mediolanum mittunt, qui conata docerent, & opem, copiaſque petant, quibus tueri bene cœpta valeant: ſed Senatus temerarium id factum, & manis ſpei tem plenam cenſuit; quæcunque de reſtauranda Derthona invito Papienſe præſumerentur: Reſponſumque eſt, ut, dum incolumibus liceret, loco infeliei & male tuto decederent.

Forte fortuna contigit, ut, dum hæc Mediolani agerentur, à Papia ad illos deturbandos tranſmiſſa haud magna manus fuerit: qui ſive panicitate ſua diffiſi, eo quod majorem, quam ſuſtinere ipſi poſſent, ineſſe multitudinem opinarentur, ſive diſſuaſionibus Guilielmi Marchionis Montisferrati inhibiti, ſine ullo effectu domum revertuntur. Id vero pro confeſſione vel fugæ, vel inertiæ, oppidani interpretantur; alacrioreſque proinde facti, nuncios, undecunque auxilia ſperarent, mittunt, & opem efflagitant: tuncque efficaces fuere preces; & cum aliæ aliunde copiæ venirent; tum à Mediolano binarum portarum, ut fieri ſolebat, per modica intervalla juventus tranſmiſſa eſt, primo Ticinenſis & Vercellinæ, deinde Orientalis & Romanæ: quorum adventu tantum animi, viriumque omnibus acceſſit, ut non ſolum nihil dubitarent ſe intra mœnia tutos fore, ſed ultro erumpere & hoſtem laceſſere poſſe confiderent. Itaque Salam oppidum non longe à Padi ripa ſitum proficiſcuntur, ac diu acriterque oppugnarunt; ſed ſe fortiter tuentibus accolis, pari hominum utrinque cæde facta, abierunt.

Interea tertia ſocietas à Mediolano miſſa eſt, portæ Novæ ſcilicet & Comenſis; quæ Ticinenſis & Vercellinæ munus, vicemque exciperet, ac eis reditum in patriam renuntiaret. Præerant autem his, qui reverſuri domum erant, duo Conſules Malagallia ab Aliate, & Hugo Paſſaluetus; qui dum itineri accincti eſſent, ſenſerunt novum exercitum Papienſium propius urbem acceſſiſſe, caſtraque in pratis fabricæ ad radices montis poſuiſſe. Ergo antequam recederent, cum his dimicandum cenſuerunt, collatiſque ſignis vehemens & cruenta pugna commiſſa eſt; & cum neuter pedem referret, interquievit paulum Papienſis, & collecta in cuneum acie, impreſſionem in adverſarios fecit tanta vi; ut eos in fugam verterit: recipienteſque ſeſe intra mœnia inſecutus, pene cum eis ingreſſus eſt: ſed vallo excluſus in hoſtium tentoria convertitur, & ea diripit, non ſine ingenti præda auri, argentique cum in pecunia numerata, tum in vaſculis in uſum menſæ repertis. Trepidatum eſt in urbe, & noctem illam inſomnem egere, vallo inſtaurando, cæteriſque expediendis incumbentes: quæ mox orta luce plurimo uſui fuerunt; namque ubi illuxit, minime cunctatus Papienſis, copias explicat; grande præmium iis, qui primi vallum conſcendiſſent, proponit. Dato ſigno ſeſe ruinis multitudo circumfudit, tantoque animorum ardore certatum eſt, ut Papienſes urbi duo vexilla intulerint. Enimvero robur oppidanorum circa ea conglobatum eſt, notabiliſque cædes edita; nec ante remiſſum certamen, quam hoſtilis cohors cum ſigniferis repulſa, ejectaque eſt extra munitiones: tum è cœlo cadens imber, veluti Divinum auxilium ſupervenit, acieſque diremit, nec diutius obſidionem Papienſis tenuit, virtute & obſtinatione adverſariorum ſupra fidem ſuam deterritus.

Cæterum nobiles Scarani Septezanum oppidum per occaſionem temporum occupaverant; id quod indigne ferentes Papienſes quarto decimo Kal. Julias circummiſſis copiis recuperare nixi ſunt: ſed ſupervenientibus Mediolanenſium cohortibus, ingentique clamore ſublato, terrorem hoſti injecerunt, & fuga pariter facta ducentos ex iis captivos duxerunt, & centum alii occiſi reperti ſunt: inde quies inſtaurantibus urbem Derthonam fuit. Nec ita multo poſt litteræ à Mediolano hujuſmodi ad eorum confirmationem datæ ſunt: *Conſulatus, Populuſque Mediolanenſis Conſulibus Derthonenſibus, eumque Populo ſalutem: Urbem veſtram, quam deinceps noſtram confidenter dicemus, noſtris auſpiciis reſtauratam, cunctorumque noſtrorum civium opera, ſudore, diligentia, circumdatam muris, & in melius divina ope reformatam; gaudemus plurimum, & univerſo Imperio Romano notum eſſe volumus. Quare tria civilia ad vos in præſenti conjunctionis, & mutui amoris noſtri ſigna mittimus; Tubam æneam, qua incrementum veſtrum ſignificantes in conciombus veſtris, & cum populus in unum vocandus eſt, utamini; Vexillum album*

Digitized by Google

album rubra Cruce interſectum, à cruentis inimicorum manibus liberatos vos eſſe, & ad candidam vitæ ſæculum perductos ſignificat: idem Solis ac Lunæ imagine ornatum eſt, quo, ſicuti notum eſt illam à Sole lumen mutuari, ita Derthonam à Mediolano vim, vitamque accipere intelligatur: his additur ſigillum draconum cruentatum effigie inſculptum, ut eo obſignata littera veſtra quocunque deferantur, nobis pares animos, pariaque ſtudia eſſe declarent; haſque noſtras in perpetuum apud vos cuſtodietis.

Cæterum non ceſſabat Papienſis fraudibus, doliſque eos petere; & per transfugam eis ſignificavit arce Puteoli potiri ſe poſſe, ſi certam pecuniam & non magnum præſidium eo mitterent. Igitur datæ cohortes, inter quarum primarios ductores Obizo Malaſpina erat, eo proficiſcuntur: cumque deſignato loco appropinquarent, ecce ex inſidiis conſurgens Papienſis terret inopinantes, atque agmen impetu perturbat: forte oborta nebula longiorem conſpectum utriſque negabat; quare cum ceu in tenebris verſarentur, neque ubi amicus, ubi hoſtis foret ſatis diſcernerent, alii alio dilapſi ſunt; & ducenti è Mediolanenſibus capti ſuere. Ipſeque Malaſpina Obizo ægre elapſus, per nota compendia domum abiit: ſed mox à Derthona ſupervenit, quod reliquarum copiarum ſuperfuerat; & redintegrato certamine adverſarios victores retardant, atque impeditos præda & numero captivorum debellant: nec ſolum ſuos recuperavere, ſed ducentos ex hoſtili exercitu captivos egere, qui & Mediolanum in vinculis ducti.

Eodem anno Mediolanenſes pontem in Ticino juxta Brinatum vicum conſtruxerunt, ut haberent commoditatem tranſcundi fluminis ex ſuperiore loco, quam hoſtes duobus ad Abiatum labefactatis ademerant. Et Fridericus, qui hacteaus conſilia de obſidenda Placentia agitaverat, depoſita ſpe ejus potiundæ Romam verſus iter inivit.

A. C. 1156. Et interea ſubeunte anno quinquageſimo ſexto, lego duo à Mediolanenſibus vi capta & funditus excita oppida Stabulium & Cunaſium: ſed nec cauſa belli, nec qua in regione ea ſita ſint, traditur. Deinde ſubmiſſis à Brixienſibus ducentis equitibus, totidemque peditibus Ceredanum oppidum, quod non procul Novaria Papienſi milite repletum erat, ſub Idus Junias obſident: altera hoſtium manus ad Sozaghum vicum præfluenti Terdubio appoſitum confederat: à quibus explorator in caſtra Mediolanenſium miſſus comprehenditur: perductus ad Conſules, ingenue fatetur, ſe ſpeculatum eorum caſtra veniſſe, veniamque ſupplex rogat. At Conſules generoſe cum eo agentes, circumduci per omnia tentoria, & diligenter cuncta perſpicere, tum argenteo ſcypho, ut ſortaſſe hilarius epulabantur, potare, & quæ vidiſſet ſuis renunciare juſſerunt. Et ſubinde aciem educunt, Ceredanum expugnant: quo audito hoſtes, qui Sozaghi & Morgenghi erant, fuga ſaluti conſuluerunt: tum turrim Mommi, & Moſezum, & Farra, & nonnulla alia ignobilia oppida ſponte deditionem fecere; quibus præſidio munitis, victores læti domum redierunt. Nec mora, duas eodem tempore averſas in regiones mittere exercitum oportuit: nam & Lugani vallis ampla & populoſa rebellaverat: ſed ea, captis per vim viginti fere caſtellis, ac nonnullis direptis, brevi imperata fecit. Et Papienſis ex altera parte infeſtus, magno prælio, magnaque clade repreſſus fuit.

Dum hæc aguntur in Inſubribus Fridericus Italiæ longitudinem emenſus Sutrium pervenit: ubi obvium factum Hadrianum Pontificem reverenter excepit. Is ſeditione Romæ orta, pulſus urbe à populo ſuerat, & peropportuno Cæſaris adventu lætatus, in colloquium cum eo deſcendit; injuriam ſibi illatam, & ſeditionis ordinem, capitaque expo-

nit; tum coronam & Imperatoria inſignia pollicetur, ſi ſe reducto, contumeliam Eccleſiæ ulciſcatur, religionis jura & ſummi Paſtoris honorem tueatur. At ille, *Immo hoc ipſum*, inquit, *appeto, hoc profiteor eo nomine, quod Rex Romanorum ſim; hoc, inquam, juravi, cum hunc gladium ab Electoribus meis accepi.* Quibus dictis Romam verſus iter capiunt. Interea Oratores Romani populi nomine occurrunt, indigna quædam, & tementatis plena petentes: qui ſine effectu repulſi, quo in ſtatu res forent, ſuis renunciarunt: itaque ad vim & arma cives ſpectare. Pontifex vero & Fridericus, ut tumultum evitarent, in ædes Petri per poſticum ab Octaviano Cardinale recipiuntur. Et poſtero die Hadrianus inſulis Pontificalibus ornatus, ſolemni more inceſſit; ſolioque ſedens, celeberrima hominum adſtante multitudine, Fridericum genibus advolutum, dignum virtute & meritis in Eccleſia pronunciavit, qui Auguſti nomen Imperatoriumque titulum ſortiretur; atque in his ſuper inclinati caput aureum diadema impoſuit: reliquis inde ex religionis ritu & ſacrorum more peractis, ad prandium diſceſſere. Dum vero ſine ulla ſuſpicione epulantur, ecce ſubitus clamor, irruiſſe armatos in atrium, & tumultum fieri ſignificans, eunctos à menſa excitavit. Irruerant autem Romani, interfectiſque duobus Cæſareis apparitoribus, & nonnullis Cardinalibus ſpoliatis, comprehenſiſque omnia inexſpectato metu & trepidatione repleverant: propeque venerant, ut Pontifici ipſi manum injicerent; niſi ſonibus objectis & armatis quotquot tali tempore potuere, Fridericus tamdiu eam vim ſuſtinuiſſet, donec exercitus, qui in Neronianis præduis conſederat, intructus raptim accederet. Itaque pugnatum ad inclinatam diem eſt, & mille fere ex Romanis interfecti, in Tiberimque abjecti: quantacunque vero ea victoria fuerit, haud incruentam ſtetiſſe argumento fuit, quod poſtero die Pontifex, & Cæſar, ac Cardinales univerſi Albam ſeceſſere; aliquotque ibi dierum mora facta, de reditu in patriam Fridericus cogitavit. Per Umbriam autem tranſiens, injurias nonnullis nuntiis ſuis illatas ulciſcitur. Spoletani illac iter facientem Guidonem Guerram Comitem Vintimilienſem, & quoſdam alios retinuerant; nec, ut eos dimitterent, ullis litteris Cæſareis, commiinationibuſve adduci potuere. Ergo illorum urbem bello aggredirur, & contumaces obſidione cingit. Oppidani vero, cum & natura loci, ſitu, opereque muniti, & propria virtute aliquandiu hoſtem fruſtrati eſſent; demum obſervaverunt horam prandii, qua ſoluti armis, curiſque Germani eſſe ſolebant: pluribuſque globis & magnis catervis diſtincti, oppido erumpunt, inopinantes, & epulis intentos invadunt. Fridericus ſtrepitu excitatus, ſtricto gladio in medium prodit; quid rei novæ foret, intelligit; ſuos territos & jam diffugientes in pugnam revocat, & ſe pari periculo objicit. Interea armato exercitu Spoletani à tergo peruntur, & non jam tumultu, & per fraudem, ſed juſta acie, & aperto prælio dimicare coguntur, plurimiſque ſuorum cæſis, terga vertunt: dumque catervatim introcunt, immixti illis hoſtes pariter ingreſſi ſunt; & ferro, & igne cuncta fœdantes, nulli ætati, nulli ſexui pepercerunt: tum ingenti præda facta ædificia concremarunt.

Inde in Picenum fleetentes, Anconam petiere: in cujus portum delata claſſis Græca advexerat nobilem legationem Emanuelis Secundi Conſtantinopolitani Imperatoris, cujus Principes fuere Paleologus & Meleduca, (niſi Megaducem, id eſt, magnum Ducem dicere maluerit) qui admiſſi in conſpectum Friderici, conati ſunt ei ſuadere, ut bellum ſuſciperet adverſus Guilielmum quartum hujus nominis ex Normannorum genere, Siciliæ regem; quem Apuliæ & Calabriæ per injuriam & de-

decus Italorum imperare aſſeverabant. Nam cum eam partem Italiæ diu quondam Saraceni, ac poſtea Græci poſſediſſent, noviſſime ſub anno Domini MX. Normanni, qui ea tempeſtate armis ac militari gloria plurimum in Europa pollebant, excîti fuerunt ad illorum jugum, gravequc nimis, ut videbatur, imperium excutiendum. Normannos autem Merula noſter à Comitibus Longobardorum ortos, quodam loco ſcripſit: quod falſum eſſe, & ex Cimbrica Cherſoneſo profectos ſupra in rebus Caroli oſtendimus. Igitur venientes in Italiam, Ducibus filiis majoris Tancredi, ſtrenuam operam præſtitere, pulſique regno fuere Græci. Verum non Italis parta hæc victoria eſt, ſed Normannis ipſis, qui arma tenentes minime cedendum aliis imperium cenſuere, ac ſe ipſos dominos in Apulis conſtituere: adeoque crudeliter, ſuperbe, & avare imperitarunt, ut quos olim ſævos, intolerandoſque Barbaros exiſtimaverant, perhumanos, perdulceſque cives fuiſſe prædicarent.

Ex his Robertus Guiſchardus, Apuliæ, Calabriæque Dux, obtinuit à Nicolao Secundo, anno Chriſtiano MLX. ut Romanæ Eccleſiæ perpetuo obnoxius, & (ut verbo uſitato dicam) Vaſallus, Feudatariuſve eſſet: ab eo progenitus Rogerius hujus nominis tertius, & Siciliæ Inſulæ Rex primus, duos genuit filios, quartum Rogerium, & Guilielmum item quartum: quorum Rogerius apud Robertum Leccii Comitem verſatus, in amorem, complexumque ejus filiæ devenit, & ex ea ſuſtulit duos liberos Tancredum juniorem, & Conſtantiam; deinde in morbum cum incidiſſet, à patre impetrat, ut concubinam deſponſare cum ejus venia in uxorem liceat; ut eo videlicet titulo nata ſoboles legitimum nomen ſortiretur. Ea deſponſata, ſpiritum juvenis poſuit. Ejus vero mortem adeo ægre pater tulit, ut Roberto, cujus fraude inductum in amorem puellæ filium ſuſpicabatur, omnique ejus generi graviſſime iratus, extrema quæque minaretur. Nec exſpectavit ille adventantem, ſed cum nepote Tancredo ad opem Græcorum Conſtantinopolim confugit. Conſtantiam vero, ut ei perpetua virginitate ſpem partus idem adimeret, Cœnobio Panormitano incluſit. Eoque paulo poſt ſine liberis defuncto, & ſimul abſente Tancredo, res Siculæ ad Guilielmum quartum delatæ ſunt: unde exulum querelis fatigatus Emanuel, per occaſionem Friderici bellum in Italia gerentis, reſtituere eos cogitaverat; atque in eam rem ingens pecunia promittebatur.

His autem auditis Ænobarbus haud equidem animo à propoſito negotio abhorrebat; ſed æſtimanti vires ſuas, & magnitudinem rei, atque periculi, deſtitit, pergercque in patriam maluit. Ita per Picentes & Flaminiam in Venetiam pervenit, ubi novos hoſtes Veronenſes, qui ſibi negotium faceſſerent, invenit. Hi enim pecunia à Mediolanenſibus accepta, haud ſpernendum exercitum adventanti objecere; nec multos milites Fridericus habebat: quare in magno diſcrimine poſitus viam ferro aperiendam ſtatuit: inſtructis ergo aciebus in certamen venitur. Fridericus ipſe in acie verſatus, & militis, & Imperatoris officio ſungebatur, nominiſque ſui majeſtate multos terrebat: cædes ingens facta fuit; & demum ſuperati Veronenſes terga dedere, quamplurimis ſuorum deſideratis; ex quibus mille omnino vivi capti, variis pœnis mulctati ſunt: nam ducenti arboribus laqueo ſuſpenſi, totidem alii denaſati, ac labia præciſi in urbem remiſſi ſunt. Quorum fœdo, miſerabiliquc exemplo exterrita civitas, ſtatim conflato magno argenti pondere, reliquos captivos à ſimili pœna, & in poſterum pacem redemit: qua confecta Fridericus nullius alterius moleſtia tentatus, in Germaniam penetravit.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER IX.

EPITOME.

Friderico Italia digreſſo, Papienſis Guilielmi à Monteferrato, & Obizonis Malaſpinæ ſocietate auctus, contractis ad Viglevanum copiis, Mediolanenſem in ſe excitat: nec modo populatione vexatur, acieque vincitur, ſed etiam Viglevano exigitur: adeoque affligitur, ut erigere ſe denuceps non audeat. Hac quiete parta, Mediolanenſis per otium reſtaurat oppida, & munitiones ſuæ ditionis bello labefactata, populo ad ſuſtentandos ſumptus vectigalibus onerato. Animo inde ad Laudenſem converſo, fidelitatis ab eo ſacramentum exigit: & præſtare recuſantem, ne perjurus in Cæſarem fieret, demorum compilatione, vinculis, & prope altera urbis vaſtatione multat. Hanc Cæſaris, patrisque ac Numinis injuriam non diu impune tulimus. Etenim non multo poſt Fridericus, aſſumpto Boemiæ Rege, ingentis cum exercitu per Tridentinas fauces in Italicum ſolum iterum erupit: perque Veronenſem ac Brixianum agrum ad Addua ripam delatus, primum Cornelianis vadis, deinde Caſſianenſi ponte in Inſubrium trajicitur: & Tricienſi arce, ne hoſtem haberet a tergo, expugnata, ad Lambrum in Caſtiraqi, Salarianique campis conſiſtens Laudenſium expoſtulationes audivit: nec modo novam ipſis urbem ponere permiſit; ſed ipſe propemodum auſpicatus eſt, & inſignibus atque immunitatibus donavit. Finitimarum interim civitatum auxiliis auctus in Mediolanenſes converſus urbem undequaque circumſedit, oppugnavitque, donec incolumis libertate ſe dederet. Meguntiam digreſſus Septenſis agri, & Martefana Proceres qua muneribus, qua præclaris dignitatum nominibus, qua ingentium præmiorum pollicitatione adeo ſibi conjunxit, ut eos poſtero bello hoſtes experti ſimus omnium infenſiſſimos. Inde Roncaliam iterum profectus, cum eo frequentes principes, & civitatum legationes convenîſſent, adhibitis jureconſultorum peritiſſimis, docere voluit, quid quiſque ditionis quo jure ſibi vindicaret: Genuenſes, niſi ubi aperto latrocinio advenæ violarentur, omnino ſui juris eſſe permiſit, & Monaco ad Corvum promontorium libere dominari, fidelitatis tamen ſacramento per legatos exacto, qui Intemelienſium à Genuenſibus defectionem occupata arce adjuverunt: tota Longobardia Poteſtates cum ſummo imperio conſtitutis, pleroſque Germanos homi-

homines: anno vertente Montem Ferratum hyematum conceſſit, unde opulentiores Longobardiæ civitates, ad extorquendam pecuniam, belli ac vaſtitatis denunciatione terrebat. Sed Placentini tamen ſua urbis munitiones labefactare, & Mediolanenſes Cæſaream Poteſtatem acceptare juſſi adeo recuſavere, ut a legatorum injuria non temperaverint. Ergo Bononiam profectus Mediolanenſem populum ſacri hoſtem Imperii, ac perduellem ſolenni more pronunciavit: qui, ut factis nomen impleret, Tricienſi arce, quo ingentes opes Fridericus conſiderat, expugnata, ſuum inde aratrum ditavit: & ſocio Cremenſi dilectam Cæſari Landem invaſit. Sed & tunc repulſus eſt; & paulo poſt fraude à Cæſare circumventus eladem accepit. Crema vero diu obſeſſa & acriter oppugnata eandem deditionem facit: & exactis incolis, ad exſtinguendas inſurgentes ex prada partitione diſcordias, ex ſui nominis omine uno incendio concrematur. Nos interim Placentinis ac Brixianis conjuncti, illo cum Hadriano Pontifice fœdere, non falluros nos pacem cum Cæſare, niſi annuente Pontifice, impetravimus, ut Hadrianus Cæſari interdiceret ſacris, niſi intra quadrageſimum diem res componeret. Sed Hadriani obitus mutam paeanda Italia rationem intercidit. Schiſmate enim ab Octaviano adverſus Alexandrum verum Pontificem excitato, cum Ænobarbus in Papienſi concilabulo ad id ſedandum indicto, rejecto Alexandro, qui intereſſe & cauſam agere indignum putaverat, Octavianum appellatione Victoris verum Pontificem renunciaſſet; Alexander vero per Legatum Cardinalem ipſum Victorem, & Fridericum, ſimulque utriuſque aſſeclas Romana Eccleſia hoſtes, & Schiſmaticos Mediolani declaraſſet; Mediolanenſis populus religionis cauſa eum omnes, tum vero Laudenſes propinquos bello perſequendos putavit: quod Fridericus fœda Mediolanenſis agri populatione, & Ponturoli ac Farræ expugnatione compeſcuit.

INTEREA Papienſes, & Gulielmus Marchio Montiſferrati, nec non Obizo Malaſpina, qui jam in diverſas partes tranſiverant, non mediocres copias circa Viglevanum contraxerant: quæ multitudo cum Mediolanenſibus ſuſpecta foret, cauſam eis præbuit mittendi exercitum trans Ticinum fluvium hyeme quamvis aſpera, & nivoſa ſubeuntis anni quinquageſimi ſeptimi. Tranſitus autem
A. C. 1057. fuit per pontem, quem ſupra cœptum diximus, nunc autem mirando opere abſolutus erat; & ſine mora ad hoſtem profecti, eis ſpectantibus populari Viglevanenſium agros cœpere: & Ducem habebant Guidonem Comitem Blandratenſem, cujus ſupra mentionem habuimus. Is vero tripartitam agebat aciem: commeatus, & impedimenta cum præſidio præmittebantur; ipſe cum Brixianis auxiliis ſubſequebatur; tertium agmen Mediolanenſes tenebant, cum quibus haud congredi hoſtis auſus eſt. Ex quo illi circumflectentes Gambolatum, tribus inde milliariis diſtans oppidum, pervenere; & non ſine labore captum, ſpoliatumque deſtruunt. Dum redeunt eum præda, temperare ſibi Papienſis nequivit, quin fortunam tentaret: & mœnibus Viglevani egreſſus commeatus invadit: verum facile repulſus eſt. Mediolanenſis autem præſentem favorem ſequutus, oppidum ipſum obſidet, & diſpoſitis cuſtodiis curat, ne quis intro extrave eat. Ita cum arctiores intus jam res eſſent, & fames obſeſſos urgeret, nec ſpes auxilii aliunde appareret, menſe Junio ad pacis conditiones deſcendunt. Conceſſa ſalus eſt duobus Marchionibus Montiſferratenſi, & Malaſpinæ Obizoni, cæterique Principes incolumes abire permiſſi. Arx ipſa dedita eſt cum ducentis obſidibus ex nobilitate lectis. Cætera arbitrio Magiſtri Guintelmi remiſſa, addito jurejurando, ut quicquid is cenſuiſſet, obſervarent. Potuerunt tunc penitus ſubigi Papienſes, adeo afflicti hoc bello viſi ſunt, ſi perſequi bene cœpta victores voluiſſent: ſed hi ſola arcis Viglevanenſis demolitione contenti, & præda, domum gaudentes revertuntur. Nec diuturna ea pax fuit, occaſionem belli quærente Papienſe, qui nec exſequi declarata per Guintelmum arbitrum volunt, & Cremonenſem in auxilium ſuum excitavit. Ita quinque portarum juventus confeſtim trans Ticinum miſſa, urere hoſtium agros, & late populari cœpit, & Laumellum oppidum à Papienſe everſum reficit, atque inſtaurat. Eodem tempore exercitus Papienſium, ut adventanti Cremonenſi conjungeretur, Landrianum petebat. Huic ergo incommodo providendum Mediolanenſi fuit: unde unus ex Conſulibus cum militia portæ Ticinenſis, quæ ſola ad cuſtodiam urbis relicta fuerat, celeriter profectus, Papienſi primo occurrit, quem fine magno certamine fudit, & fugavit. Cremonenſibus vero eodem die non longe ab Addua exiſtentibus, conſpecta ingens pulveris nubes, quam præcurrentes armentorum greges excitaverant, terrorem fecit, quaſi hoſtium agmina adeſſent: ac ita ſponte cedens turpiter aufugit. Hæc menſe Auguſto acta: quieti dehinc Mediolanenſes, per autumnum, hyememque inſtaurandis compluribus oppidis, arcibuſque operam impenderunt: reſtituntaque in Laudenſi ſunt Malcum, Cornu, Cavacurta, & in Novarienſi Laumellum, quod ſupra ab antiquis ſcriptoribus Gaumellum vocitatum fuiſſe docuimus, Galiatum, Trecatum, Mons Marius, & Mons Oldradus. Urbs quoque ipſa Mediolanenſis exterioribus foſſis repurgata: ingens ubique pecunia impenſa; nam ſupra quingenta millia marcharum argenti abſumpta referuntur: quibus cogendis mira vexatione affecti populi, quibus & nova vectigalia impoſita, & inter cætera interdictum, ne quis paternum fundum diſtraheret inconſulto, & non annuente Præſide Mediolanenſe; & ea gratia non exigua pecunia redimebatur; ſecus facientes re pretioque mulctabantur: ſi quis extra finem efferre rem quampiam voluiſſet, aut dimigrandi conſilium eodem initio ſuſcepiſſet, bonis omnibus ereptis, exilio damnabatur. Vectigal antiquum, quod *fodrum* vocitabant, ſolito acerbius exactum; oportebatque ſemper præſentaneas eſſe pecunias; aut vincula & ſupplicia intentabantur. Aliorum domus immiſſo ſatellite diripiebantur: quidam abſentium etiam portionem perſolvere compellebantur.

Inſuper Conſules Mediolanenſes per menſem Januarium anni quinquageſimi octavi Laudem pro- A. C. 1118.
fecti, cum populum in verba ſua redigere conati ſunt: dubitabant non parum de fide ejus: Laudenſes vero coacto conſilio reſponderunt: *Se quidem paratos in omnibus obſequi; ſed excipi oportere ſacramentum Cæſareo nomini paulo ante, permittentibus ipſis Mediolanenſibus, dictum.* Quo reſponſo attoniti Conſules pariter & victi, aliud injungunt, jubentque ut ſe Mediolanum ſequerentur ſexaginta viri Landenſium primarii, ſeque coram Uberto Pirovenco Archiep. ſtatuerent. Iverunt duo Lanfranci unus Epiſcopus, alter Præpoſitus Eccleſiæ Laudenſis; tum Abbas Cerreti, & Albertus Prior Pontiæ, ac reliqui honeſtioris tituli Sacerdotes; & poſt eos complures juvenes, qui ſocietas Circaclunea nuncupabantur. Hi genibus Uberti Antiſtitis advoluti, eum eadem peterentur, in lacrymas ſoluti rogitant, ne in manifeſtum perjurium vocarentur. Uberto ex petitionis honeſtate & religionis reſpectu obortæ lacrymæ ſunt: ſed neque ejus auctoritas tanta erat, ut ſolus compotes vori dimittere vel poſſet, vel auderet; aut ut rogatu ſuo Conſules de ſententia decederent: itaque perſeve-

rantibus profano propoſito animis, domum ſine effectu illi redeunt.

Forte haud ita multo poſt ab urbe Roma duo ſupervenere Cardinales Arditius Rivoltella, & Otho Brixienſis, qui trans Alpes à Pontifice mittebantur. Hos circumſiſtunt Laudenſes homines, rogant, obteſtantur ſui miſereantur, cauſam ſuam Mediolanenſibus, per quorum civitatem iter facturi erant, commendarent, iſtiuſque ſacramenti neceſſitatem omnino à ſe deprecarentur. Pollicti operam Mediolanum tendunt, & poſt aliarum rerum ſermones, mentionem rei Laudenſis inferunt: leniter & blande cauſam, pro qua jus, fas, piumque ſtaret, commendant; pertinaces ſeverioribus verbis increpant, & argumentis convincunt, atque Apoſtolica auctoritate obſtringunt, ut obſtinatam mentem exuant: obtemperavere demum Magiſtratus; ſed tantiſper, dum in Longobardis Cardinales ſtetere. Nam eis digreſſis, inſurrexere aſperioribus modis noſtri Conſules; & quamvis alieniſſimo tempore, hoc eſt, ob Chriſti Paſſionis memoriam reverendo, & quo etiam Barbari remittere operas & dare inducias hoſtibus ſolent, ad conturbandos Laudenſes proficiſcuntur: inſtant, urgent, bonorum publicationem, exiliaque eis indicunt; niſi quamprimum juxta formulam, quæ tum exhibebatur, jurarent: octo dies ad deliberandum præſcripti: diu anxii fuere cives, quid potiſſimum facerent: demumque rationem religionis, ne temere modo in has, modo in illas partes tranſire viderentur, & fidem utrinque amitterent, tum Cæſarei adventus ſpem cuicunque fortunæ anteponendam ſtatuerunt. Qua re perſpecta Mediolanenſes, etiam ante tempus eos damnant: tum accitis militibus arma inferunt, undecunque territant, tum plauſtra & jumenta inducunt, frumenta, vaſa, veſtes, & quicquid ſupellectilis reperiebatur tollunt, hominibus ipſis vincula injiciunt, ac fœdum in modum trahunt captivos. Quod ut multitudo vidit, ſtatim in diverſa fugam arripuit: pars magna Piziguitonum Cremonenſium oppidum petiit. Mediolanenſes vero deſertas domos, & vacuam cultoribus urbem ſuccendunt, ac denuo exſcindere Laudem viſi ſunt. In vicinis quoque locis Monticelli, Caſtillioni, Sancti Viti, & Camairagi turres, & munimenta demoliuntur: eadem ad Cavamcurtam tentantes, diſturbantur adventu Laudenſium, qui adjunctis Piziguitonenſibus, & non paucis Cremonenſibus ad ulciſcenda aliqua ex parte tot damna acceleravunt. Cum vero caſtra ad Salvamterram poſita fuiſſent, nulla alia re memorabili geſta, ſoluti exercitus ſunt.

Jam forte fama de novo Friderici adventu aures pulſabat, qui habito Heroum Germanorum concilio, aſſumpto Boemiæ Rege, per Tridentinas fauces circiter Kalendas Julias in Veronenſem agrum deſcendit, & inde in Brixianum: ubi cum militaris turba licentius vagaretur, rapinis & agreſtium contumeliis non temperaret, populos irritarunt: & ut ſparſi per vicos erant, facile pauciores à pluribus pulſabantur, equis, armis ſpoliabantur, donec in ordines ſuos coacti incedere turmatim didicerunt: tuncque ſine periculo longe, lateque palantes, quotquot voluerunt, ad arbitrium quindecim dierum ſpatio vexavere: & Brixiam urbem, quam Mediolanenſibus amicam & fœderatam noverant, in verba ſua jurare coegerunt; inde in Inſubres feſtinantibus ſuadetur, ut ad Caſſianum oppidum, ubi ponte Addua jungebatur, properarent, pontemque ipſum occuparent: ſed is jam Mediolanenſium cuſtodia tenebatur. Itaque ea ſpe fruſtrati ad ripas divertunt, quærentes loca opportuna, quibus vadari fluvius poſſet: qui cum vorticoſus admodum ſit, & ſaxorum molibus frequentes habeat gurgites, multos in præceps traxit: denique circiter ducenti abſorpti undis fuere, prius quam tranſmeabilis alveus inveniretur: poſtremo juxta Cornelianum vicum tranſmiſſi non pauci vagari, diſcurrereque, & prædari obvios cœperunt. Quibus procul conſpectis, Caſſianenſis cuſtodia credidit univerſum tranſiviſſe exercitum: ac propterea territi, nec ſe adventantium vim ſuſtinere poſſe arbitrantes, & pontem, & oppidum ipſum pariter deſerunt, ac Mediolanum variis itineribus reverſi, metu & trepidatione omnia complent. At Fridericiani oppido potiti, ſignis, clamoribuſque ab adverſa ripa vagantes ad pontem revocant; quorum præ lætitia tantus concurſus fuit, ut præ multitudine urgentium degravatus pons ſubſederit, ſiſtque cum multorum pernicie ſolutus. Mox tamen refectus, quicquid copiarum fuit, tranſportavit; & interim evagati longius præcurſores intercepere nobiles Mediolanenſes Ardengum Vicecomitem, Alcherium Vicomercatum, Robacaltellum, & Monacum Abonios, Tancredum Baſabelletam, & nonnullos alios: proximum inde Tricium, quod in peninſula Adduæ ſitum, natura opereque munitiſſimum eſt, oppugnari Fridericus jubet, & brevi in poteſtatem redactum præſidio munit: inde jam tuto progredi poſſe exiſtimantes, ad Lambrum amnem veniunt, & in pratis Caſtiragi, Salarianique conſtitere, pridie Kalend. Auguſti.

Quo in loco Friderico frequentes viri Laudenſes adeunt, nova querela aures ejus pulſant; avaritiam incxplebilem, injurias inauditas, tyrannidem intolerandam, quam ſub Mediolanenſibus pertulerint, deplorant; nihil amplius contumeliis, calamitatibuſque ſuis addi poſſe, finem aliquem ærumnis, carceribus, vinculis, quæ omnia extrema miſeria preſſos ſequuntur, optare, petereque; neminem id niſi Cæſarem dare poſſe. Mixtæ lacrymæ verbis, tum veſtes horridæ, & impexi capilli ſqualor, ſpectantium omnium animos permovere: & interroganti Principi, quid facto opus ei foret; *Loco*, inquiunt, *munito, in quem veluti certam in urbem, tuto res noſtras conferre, lares conſituere quandoque liceat, ne ſemper vicatim ſparſi, & caſulis quibuſdam diviſi, ut ovium greges vagantibus lupis, ſic homines noſtri incurrentium hoſtium furori pateant: coaleſcere multitudo, & civiles mores ſortiri facile poterit, ſi in unum contrahatur, & ſic firmetur, ne quemvis vicinum inimicum, ut antea, pertimeſcere habeant. Id vero præſtare muneris Cæſares eſſe, à nemine alio quam à Cæſare peti, cujus honorem, nomenque ſimul, laudeſque apud nos ſemper manere, & in ſtar numinis haberi æquum ducimus. Te auctore patriam immutare, & certas ſedes facere cupimus.* Annuit his Cæſar lætus, lubenſque, & quoniam locorum peritiores ipſi indigenæ forent, eos, quem mallent inſpicere, eligereque juſſit: tum unus ex iis ſubjunxit: *Doſtat ab antiqua Laudis fundamentis quatuor milliaribus mons Ghezonus, quem à duabus partibus Addua, à cæteris paludes, & ſylva Græca muniunt: in eo, puto, optime manebimus, cum ad agri commoditatem fluminis etiam opportunitas accedat, futura perutilis negotiationibus noſtris.* Annuente Cæſare, & auſpicia ſua, quo novæ urbis primordia auguſtiora herent, pollicente; (ſe enim in locum præſentem venturum dixit) poſtero die, inſtructis ordinibus, & prælato vexillo Cæſareo rupem Ghezonam aſcendunt, & late colluſtrantes, urbem deſignant; foſſas, mœnia, portas conſtituunt: foro, templis, palatio, tum privatis domibus condendis certa ſpatia deligunt: quibus intenti dum ſorent, ecce repentinum imbrem inexſpectata nubes effudit: quo etſi paulo humectior terra facta fuerit, tamen quia agentes opus ab incœpto minime ceſſarunt, pro bono, fauſtoque ſigno acceptum eſt. Erant tunc Conſules Laudenſium Ramphus Mu-

rena,

rena, Archembaldus Summaripa, & Lotherius Abonius: his Cæſar vexillum, quo perpetuo uterentur, tradidit, & jura civitatis concedens, locum ipſum legitime teneri Diplomate declaravit, & portum, ac navale, & pontes in toto Addua fluvio eos ſolos, & neminem alium, habere, decernit. Tum per cuncta Longobardorum flumina immunem navigationem à vectigalibus eis ſervari jubet.

Dum ſic nova Laus exſurgit, Fridericus copias Mediolanum verſus emiſit, quæ latius per campos effuſæ agreſtium opes populando ad Nocetam pervenerunt: is exiguus nunc quoque vicus porta Romana haud amplius duobus milliariis diſtat. Quod perindigne ferentes Mediolanenſes denſis agminibus crumpunt, certaminaque fiunt non minoribus viribus, quam animis: & fortiſſimus quiſque cadebat. Longe tamen plures ex Barbaris deſiderati ſunt; & inter eos vir illuſtris Adelpertus Comes: ſed ea elade nihil deterritus Fridericus, caſtra ad ipſam urbem movet, & ſignis ante portam fixis, ſtationem ſuam fecit in hortis Brolu nuncupatis, in quibus omnium Sanctorum tunc celebrabatur memoria: & ad Celſi Rainaldus Colonienſis Archiepiſcopus, Rex vero Boemus ad Dionyſii conſedit; & reliqui Proceres intermedia occupavere ſpatia, & mixti peregrinis Itali ex Papia, Laude, Novaria, Brixia, tum Vercellis, Bergolio, Gumundio, Marengo, & remotioribus urbibus Parma, Cremona, Ferraria, Verona, Vicentia, Patavio, Ravenna, Bononia, quibus medius fere urbis Mediolani ambitus à Ticinenſi, Romanaque & Tonſa ad Orientalem, Novamque portam claudebatur. Cæterum extra Romanam Arcus antiqui operis exſtabat, ab aliquo triumphali viro erectus, qui totam viæ latitudinem complexus, quatuor ſubtus fornicibus, portiſve aperiebatur: egregia moles ſpeciem marmoreæ arcis præbebat; juxtaque eam poſteri ædem Divi Lazari ſtruxere, quæ dicta Morbonia fuit; & nunc etiam inopis turbæ Hoſpitalis Arcus Romani nomen tenet. Hanc molem veluti excelſam quandam turrim defenſoribus ſuperne impoſitis Mediolanenſes compleverant, & inde propugnantes multa hoſtibus damna impune inferebant. Hanc ergo Fridericus ante omnia tollendam decernit, & ſubmiſſa validorum juvenum manu, oppugnari acriter jubet: ſed facile ex ſuperiori parte inferiores obterebantur. Itaque ſæpius ſubmoti hoſtes rem majoris opinione difficultatis eſſe didicerunt. Fridericus autem exercitum armat, & tot, tantoſque ſubire pugnam jubet, ut ſupereſſent, qui ſaucios integri, & ſeſſis recentes ſuccederent, hoſteſque continuato labore conficerent: ſicque ad deditionem, qui arcem tenebant, compulſi ſunt; eaque ipſi poſtmodum hoſtes ad oppugnandam civitatem uti ſunt. Machinam arte Mechanica in ea conſtruxerunt; quam à jactandis ſaxis *Petrariam* illi vocabant. Hinc enim complures ſimul emiſſi lapides imbrium modo infeſti tectis, hominibus pariter pluebant, multoſque ex improviſo opprimebant: ſed contra hanc duas oppidani erigunt, crebroque lapidum jactu perticam illius eliſerunt, & mox reliqua compage perfracta inutilem penitus reddiderunt. Interim ab averſa urbis porta erumpens globus juvenum caſtra Boemorum, Papienſiumque invadit, pugnamque acerrimam facit, vallumque ipſum complures adſcenderunt, & parum abfuit, quin caſtris potirentur: ſed celeriter accita Germanorum turma, intentum jam prædæ hoſtem, impeditumque oneribus jam raptis retardat, atque perturbat, atque omittere ea cogit: moxque toto exercitu gravius urgente, Mediolanenſes intra urbem fugantur, non ſine multorum peroicie. Inter quos deſiderati ſunt virtute & nobilitate clari Gerardus Vicecomea, & Tatius Mandellus: nec ita multo poſt porta Tonſa (nam tunc quoque ſic vocabatur) altera eruptio fit; ſed tumultus major quam clades ex ea facta eſt. Germani namque, adjunctis Longobardis, mature arma corripientes prælium excepere, commodeque ſuſtentavere, donec cæteræ cohortes inſtruerentur; quæ cum numero Mediolanenſem longe ſuperarent, cum ad mœnia uſque repulerunt, multitudoque ipſa cum pontis angustias introire non poſſet, in foſſas præcipitabatur. His peractis, experiri tertio rem Mediolanenſibus placuit: & porta Romana egreſſi, Germanis, Laudenſibuſque occurrunt, indignantibuſque animis certamen ineunt; in quo cum multi utrinque perierint, tres agniti ſunt nobiles Laudenſes, Petratius Puſterlæus, Joannes Judæus, Hugo Conomus. Interea hoſtes latius per agros evagati, omnia populabantur; domos agreſtium ſpoliare atque incendere; vites ſuccidere; nuces, alias frugiferas arbores grandiores, quas nimii operis fuiſſet incidere, decorticabant, ut perirent, arva conculcabant, ſegetes immaturas in pabulum defecabant. Ita illud omne ſpatium, quod Seprii & Marteſanæ nomine protenditur (nam etiam tunc ea nomina exſtabant) evaſtatum. Quibus cognitis Mediolanenſes, cum omnem ſpem annonæ ſublatam cernerent, ſimul fames intra urbem augeretur, ad pacis conditiones venere: quæ nec iniquæ admodum proponebantur: priſtina libertate civibus ſervata, Imperatori vetera jura, & quæ conſuetudines centum ab hinc annis inoleviſſent, præſtare jubebantur: quidquid captivorum apud eos ſupereſſet, reddere; tum præſenti pecunia novem millia marcharum argenti perſolvere; & trecentos obſides ex nobilioribus adoleſcentibus dare: hoſtes vero, ſi conditiones acciperentur, intra tertium diem finibus Mediolanenſium excederent. Quæ cum placuiſſent, ſexto Idus Septemb. egreſſi agminatim Ubertus Piroveneus Archiepiſcopus, & Primarii Sacerdotum cum infulis, crucibus, & ornamentis Eccleſiaſticis, tum cives nudis pedibus nudos enſes manu præferentes, (quod deditionis ſignum erat) ad Fridericum acceſſere, atque propoſitas conditiones firmavere. Cæſar vero cum eos nutu, geſtuque, nonnullos oſculo excepiſſet, univerſos abſolvit, & civitatem Romana Aquila donavit. Tum relictis, qui ſuo nomine cætera conficerent, Moguntiam divertit. Cives autem in urbem reverſi, & Aquilam protinus in ſumma arce, (ea autem erat turris Eccleſiæ majoris, omnium, quæ in Longobardis eſſent, pulcherrima & maxima) ſtatuerunt; & captivos circiter mille reſtituerunt.

Agentem Moguntiæ Fridericum circumſtetere non ſolum peregrini, ſed domeſtici quoque hoſtes. Hi erant agri Seprii & Marteſanæ Proceres, qui complurium caſtellorum domini varios honores ac titulos, nonnulli etiam pecuniam ab eo retulere, alii promiſſionibus & ſpe ingentium præmiorum onerati abiere. Uni tamen Conſiti Gozolino natione Germano utriuſque regionis præfectura delata eſt. Seprienſis autem fines, uti illis temporibus deſcriptos legimus, erant à Padregnano, Parabiago, Caronoque vicis, ac Seveſo fluvio ad uſque Ticinum, & lacum Verbanum, & Trexiam fluvium, quem ſupra docuimus ex Lugani lacu in Verbanum influere. Et ejus caput video fuiſſe Caſtrum Seprium, ab antiquis Inſubribus fortaſſe nuncupatum, ſitum in monticulo vaſtis vallibus circumciſo, vix uno aditu acceſſibili in ripa Olonæ amnis, qui medius intra ſupraſcriptos labitur: nam quale in ea fuerit oppidum, ruinæ docent, & ædes, quæ ſola integra manſit, teſtatur. Nec longe ab eo ſunt Caſtillionum jam ſupra à nobis celebratum, & Cariatum, utraque juxta eandem Olonam ſita oppida. Marteſanam vero dicimus planitiem, quæ

Lambrum inter & Adduam, ac montes à Brianza olim oppido uuncupatos interjacet: cujus caput eſt Vicus Mercatus Moguntiæ finitimus. Cæterum hi noſtri adeo illis ecu incomparabilibus Cæſaris beneficiis allecti ſunt, ut renovato bello, nullos pertinaciores, magiſve infeſtos hoſtes patria ſenſerit: nam ea pax haud diuturna fuit.

Ex Moguntia Fridericus Cremonam, Roncaliamque, quo ad tertium Idus Novembris conventum indixerat, conceſſit. Convenere frequentes Principes, & civitatum Legationes: quibus injunctum, ut docerent, quo jure quid poſſiderent, ſeu Romano ab Imperio recognoſcerent. Eique curæ præfecti quatuor clariſſimi ea tempeſtate Jureconſulti è gymnaſio Bononienſi, Bulgarus, cujus ingenii monumenta adhuc exſtant, Martinus Goſſia, Jacobus, & Hugo de Porta Ravegnana: quibus additi bini ex ſingulis Longobardis civitatibus pariter legum prudentes: factuſque cœtus eſt duorum & triginta Juriſperitorum, quibus omnibus ad judicia ejuſmodi expedienda aſſignata manſio eſt Contrebiæ, qui nunc exiguus vicus eſt non longe à Trebia Placentinorum fluvio. Tunc Fridericus Oratores Genuenſes audit. Hi erant Ido Gontardus Conſul, Capharus auctorum noſtrorum unus, Ubertus Spinula, Gulielmus Cigala, Guido de Laude, Ogerius Becoronus, Otho Judex, & quidam Albericus: ac primo gratias egerunt, quod ſuperiori anno Cæſar privilegium miſiſſet, quo ſcudi nomine habenda Reip. Genuenſi concedebatur omnis ora Liguſtica à Monaco ad Corvum, quo quidem promontorio portus Lunenſis, ſeu Veneris, includitur: quod item Guido Guerra Comes Vintimilienſis in jus civitatis Genuæ veniſſet, atque oppida, juraque illi reſignaſſet, quæ mox ſub feudi vinculo aſſumpſiſſet: inde cum à ſe pecuniam deſiderari ſentirent, & ipſi daturi non forent, compoſita oratione ſuadere Cæſari cœperunt: *Nihil eſſe, quod à Genuenſi populo magis expetiſceretur, quam ſingularis quidam amor, & fides, devotio, obſervantia: propterea quod eo loci ſita Genua ſit, ut quo nonniſi magno cum labore, induſtria, ſudore partis rebus vitam ducant: ſaxoſi hinc montes, & ſcopuli, incultaque Apennini juga nos claudunt: unde vaſtum & jactabundum mare unertia ſerit littora: ita ſive terram reſpicis, ſive aquas, non niſi procul convellis veſcimur frugibus, veſtibuſque induimur, aut altis utimur opibus: & quidem majora nunc nobis pretio ea omnia veniunt, quam olim patribus, aviſque noſtris, quibus propter ſingulare meritum (maria enim, quacunque navigabamus, libera à prædonibus, barbariſque præſtabamus) communi quodam conſenſu, & ſpontanea gentium liberalitate conceſſum erat, ut immunes ubique haberentur: tantum Cæſari exiguum quiddam honoris gratia pendebant. Nunc vero avaritia, neſcio, majore, an malignitate hominum, portoria paſſim exiguntur, vectigalia maxima Regibus, Populis, Principibus, quorum ex ditione promercale quidquam evehimus, danda ſunt, indigenaque diſpendia patimur. Ita undique imminuti, tibi magna dare, aut polliceri, Cæſar, non poſſumus; fidem, ſtudium, virtutem, maximam induſtriam, & operam abunde offerimus.* Quibus auditis cum & ſpeciem veri ea haberent, & Ligurem magnis, difficillimiſque montibus exeluſum, & propterea nulla vi tentandum Fridericus non ignoraret, pactione mille & ducentarum marcharum argenti contentus, nihil gravius eis injunxit, quam ut fidem erga ſe colerent; ipſe eorum protectionem teneret; cujuſquam querelas contra eos non audiret; jure, an injuria quicquam poſſiderent, non quæreret; niſi ubi aperto latrocinio advenæ violarentur.

His conſtitutis Rainaldus Colonienſis Archiepiſcopus, & Guido Blandratenſis Comes ad exigendum à Genuenſi populo ſacramentum & pecuniam accipiendam proficiſcuntur: pariter alii Savonam & ad reliquas maritimas urbes dimittuntur.

Qui Intemelienſium ſponte Genuenſi infeſtos animos nacti, incentivo addito, facile ad defectionem pertraxerunt; atque ipſi nuntii Cæſarei arcem occupavere. Quod permoleſte tulerunt Genuenſes, novamque ad Fridericum legationem expoſtulandæ injuriæ gratia decernunt: & quo honeſtius cauſſa probaretur, ab origine rem ſic exorſi ſunt. Intemelienſes, quorum ingenia locorum natura efferavit, cum ſæpe aliàs vivere rapto, tum maxime regnante Conrado Secundo, ſpoliare peregrinos, publica ex via graſſari conſueverant: cum multos in vincula duxiſſent, & ingentem pecuniam pro ſalute paciſci coegiſſent; & complures die conſtituta pecuniam non præſentantes occidiſſent, mandavit nobis Conradus, ut prædones inſectaremur, & tolleremus, fines tutos, juſque ipſum gentium præſtaremus. Genuenſes dicto Cæſaris audientes, exercitum ſcribunt, claſſem comparant, vicinos, & qui damna paſſi fuerant, in ſocietatem belli vocant, atque Intemelium obſident: nec ita multo poſt oppido potiti, prædones omnes in poteſtatem redactos in crucem ſuſtulerunt: atque exinde oppido dominati ſumus: quod nunc neſcimus, quomodo, ex quo miniſtri tui eo acceſſerunt, perduellionibus noſtris repletum eſt. Sed priuſquam eis reſponſum daretur, retulerunt à Contrebia Jureconſulti ea, quæ ſuper controverſiis comperant: & in ſumma, rerum Italicarum arbitrium Cæſari ſpectare affirmabant. Opponebant ſeſe in multis, & non pauca confutabant Ubertus Archiepiſcopus, & Conſules Mediolanenſes, & cæteri aliarum civitatum procuratores: ſed Cæſar juſſit, ne quid amplius ſimul, communiterve agerent, ſed ſeorſim unuſquiſque de ſua re loqueretur: ſic deterriti ſunt omnes à proſequendis cauſſis, quia non audebant ſinguli, quod univerſi. Cæterum & pax confirmata eſt, & in quæcunque optabat Cæſar, cuncti tranſierunt.

Inter hæc Fridericus Longobardis civitatibus novos Magiſtratus dedit, qui à ſummo rerum imperio Poteſtates vocabantur: duratque in hodiernum diem appellatio, & ex longo uſu ex fœmineo in maſculinum articulum *Poteſtas* pro Prætore poſita tranſivit: præfuitque diu rebus publicis, & Princeps exercitus in bella prodibat, donec invaluere Tyranni; quorum metu à publicis negotiis ad jus dicendum relegati Poteſtates fuere. Merula noſter, quem ſæpe diximus rationem temporum non tenere, quique cum in aliis, tum in Friderico Ænobarbo infans eſt, credidit, poſt pacem demum Conſtantiæ, & non ante eam Poteſtates Italis urbibus datos: cujus dicto, ut paucis agam, opponо duos Murenas noſtros, patrem, filiumque; quorum uterque eo vocabulo abundans longe ante pacem Conſtantiæ, de qua ſuo loco dicemus, deceſſit: & cum eis Placentini Annales concordant, ut ſuo loco oſtendemus: eoſque ex Germanis fere legere ſolebat Fridericus: tribus tantum Papiæ, Laudæ, Cremonæ ex merito, & vice magni muneris conceſſit, ut ex ſuis civibus eos crearent, & Poteſtates Cæſareas vocitarent.

Eodem tempore petente Petro Epiſcopo Papienſe cœnobium Cariati (quod juxta Caſtrum Seprium eſſe docuimus) recipit in tutelam Cæſaream, Fridericus ampliſſimas immunitates donavit: quarum diploma integrum, omnique injuria illæſum vidimus: dimiſſo Roncaliæ conventu Ænobarbus Cremonam, & inde trans Padum conceſſit: ad Boſcum Derthonenſis agri oppidum cum veniſſet, Oratores Genuenſium iterum audivit: à quibus cognovit, & domi populum magno conatu, ſtudioque conſtruendis civitatis muris intendere, & foris montana loca, perviosque colles armatis hominibus muniviſſe; paratoſque qui vim facerent, ac fortiter reſiſterent; ſi quis invitis patribus in-

ingredi Apenninum auderet. Itaque rata Fridericus habuit, quæ ante conceſſerat, & in Muntemferratum hybernatum abiit.

Cæterum idem Capharus, rerum Ligusticarum ſcriptor, pro inſigni portento memoriæ prodidit, à Kal. Majı hujus anni ad uſque extremum Martium ſubſequentis vix ſemel, aut iterum pluiſſe; & tanta ſiccitate animantes laboraſſe, ut cum plerique fontes, putei que exſiccati ſint, vix qui neceſſitatibus quotidianis ſufficeret, humorem homines iovenirent.

Deinde menſe Januario anni quinquageſimi no-
A. C. 1191. ni agens Ociminni Montisferrati oppido Fridericus, mente que agitans varios in ſe Italorum populorum affectus, eis, quibus majores opes adeſſe audiebat, atrocia minabatur. Placentinis ſignanter imperatum, ut turres eminentiores ad viginti brachiorum altitudinem deprimerent, & foſſas urbis implerent: quibus exſequendis dum moram innectunt, par mandatum Cremæ promulgatur: ſimul fama invaluit, ingentem pecuniam, id eſt, quindecies mille marchas argenti dono Cæſari, ut id fieri juberet, datas à Cremonenſibus; propterea quod ægre ferrent, propinquum oppidum copiis, opibuſque augeri. Quocirca oppidani adeo graviter, moleſteque illud tulerunt, ut tumultu facto parum deſuerit, quin nuntios Cæſareos trucidarent: ſaluti fuga eis fuit.

Eodem tempore Mediolanum venere Rainaldus Colonicoſis Archiepiſcopus, & Otho Comes Palatii, qui hoſpitium in Cœnobio Ambroſiano honorifice ſortiti, vocatis præſidibus conſilii civitatis, ſuadere eis nixi ſunt, ut ipſi quoque Poteſtatem Cæſaream, quemadmodum aliæ urbes fecerant, acciperent. Id vero novum erat, & manifeſte cootra conventa proximæ paciſ apparebat. Quare ſtudioſi libertatis Actius Bultrafius, Caſtellinus Ermenulfus, & Martinus Malopera ingenti animo ſeſe opponentes, multitudini ſuaſeruot, ne omnino huic jugo colla ſubmitterent, manifeſtæque ſervituti ſeſe addicerent. Quorum oratione adeo incenſi, inflammatique ſunt odio peregrini Magiſtratus civium animi, ut ad ejiciendos ab urbe legatos concurrerint, & tumultu ipſo illi pene obtriti fuerint. Hi ad Fridericum reverſi, illatam injuriam retulerunt; nec mediocriter conceptam in Mediolanenſes indignationem auxerunt.

Iuterea appetente vere ex Monteferrato Fridericus movet, & Cremonam profectus ſexto Idus Martias, Diploma dedit, quo univerſos homines de Mandello in protectionem ſuſcipiebat, exceptis Tarranorum familiis, qui fortaſſe diverſæ factionis vel principes, vel fautores erant. Ex Cremona Bononiam tenuit, ubi & ſacros Paſchæ dies tranſegit, & in Mediolanenſes conceptas iras expandit, rebellem populum, & ſacri Imperii hoſtem ſolemni mure declaravit. Qua denuntiatione Mediolanenſes haud ſegniter agendum cenſent, & primo quidem de Triciana arce deliberant, cujus cuſtodiæ præerant Cooradus Macen, & Rodegerius cum lectis peditibus probatæ virtutis, à quibus haud quieti vicini accolæ permittebantur. Huc itaque omiſſis copiis Mediolanenſes, quanta maxima vi poſſunt aggrediuntur. Condiderat autem eo loco Ænobarbus ingentem vim auri; & propterea ejus obſidionis nuncio accepto, quam maximis potuit itineribus, ad opem ei ferendam contendit, Laudemque pervenit; ſed prius expugnatam arcem, ſublatoſque theſauros, & ductos in captivitatem ſuos intellexit, quam auxilii quidquam ſubmittere potuerit. Mox haud magna manus Mediolanenſium ad laceſſendos Laudenſes profecta, jacturam fecit paucorum quorundam, inter quos Arnaldus Cacatoxicus interfectus, & quatuordecim vivi capti fuere. Quam pro ingenti victoria ducentes Laudenſes, dignam judicavere, quam Friderico abſenti non ſolum litteris, ſed viva eorum, qui interfuiſſent, voce, & ſignificarent, & gratularentur: magoaque voluptas & lætitia in tota aula ex eo fuit. Et poſtquam Fridericus eſt in urbem reverſus, populum pro concione ejus rei nomine laudavit, & captivos Papiam cuſtodiendos miſit.

Interim Mediolanenſem inter & Cremenſem actum eſt, ut uno tempore Laudenſem urbem diverſis ex partibus invaderent, & ancipiti certamine diſtractum populum trucidarent. Nec ita multo poſt conventa exſequuntur. Cremenſes primi ad ripam Adduæ accedentes, pontem, quo fluvius jungebatur, noctu aggreſſi ſunt: ſed haud fallere cuſtodias potuere. defenſus enim fortiter locus eſt. Interim à ſilva Græca Mediolanenſium cohortes proſilnere, & muros urbis à parte ſua oppugnant. Tum tot ſimul ſtrepitibus excitati cives, arma omnes corripiunt, & prælium ſubinde excipientes in lucem, & inde in meridianam horam pugnavere, quoad ſponte hoſtes, multis ſuorum delideratis, receptui cecinere. Quibus peractis Fridericus nova init cum amicis ſuis conſilia, & arte petendum Mediolanenſem conſtituunt. Itaque Cremonenſibus injungunt, ut ipſi Cremam obſiderent, Cæſar & alii Mediolanenſibus inſidias tenderent: quarum ignari Mediolanenſes, ut poſita ad Cremam caſtra audivere, juſſerunt unum ex Conſulibus Manfredum Dugnanum ei opem ferre, eique quatuor centum pedites dedere, in quibus eminebant clari viri Obizo Matregnanus, Oldratus Baſilicapetrus, Squarciapartes Buſnatus, Gaſpar Menclotius: quos adventantes ut Ænobarbus cognovit, operam dedit, ne oppido appropinquarent.

Cæterum Laudæ erat ſocietas hominum ultimæ ſortis, & qui nullo diſcrimine vitæ vel necis habito, in præſia ruebant: his caſtrorum cura maxime commendata eſt. Inde Fridericus reliquas copias partitus, Papienſes Septezanum, alios ad Vicum majorem, & Gazanum ire juſſit: ipſe cum Bertoldo Azarengo Duce, & trecentis veteranis militibus Landrianum ſe contulit. Tum præcurſores Mediolanum verſus pergere, ac portas ipſas urbis petere, irritareque cives dictis, factiſque ad pugnam, & ſimulare fugam, ut quam longiſſime pertraherent, jubet. Hi mandata ſtrenue peragunt. Itaque nuncii ad cives convolant, vaſtari quacunque agros, igni ferroque cuncta fœdari, & prædas undique agi; feſtinarent cuncti, nec patcrentur, impunitam eſſe apud hoſtes tam temerariam audaciam. In re tam gravi & ſubita trepidatio magis quam conſilium fuit: diſcurrentes ad arma eques, pedeſque ſine Duce, ſine ordine prodire; mox tamen in unum convenientes, hoſtem præda oncratum comprehendunt, ac remorantur, & ſpoliant: ingens numerus erat, & diu certatum eſt. Fridericus nuntios ad horas conſtitutas non redire conſpicatus, ac propterea de ſuorum fortuna ſolicitus, copias bifariam partitur, & cum duæ viæ Mediolanum verſus ducerent, altera Papienſe agmen ire jubet, altera ipſe cum reliquo exercitu incedit. Forte Papienſes primi hoſti occurrere, & ex certamine maximam cladem accepere: ſed admonetur Ænobarbus, commiſſas eſſe acies, & rem gladio geri, feſtinato opus eſſe. Is haud cunctatus advolavit, & quamvis jam finito certamine advenerit, tamen cum adhuc in præda colligenda occupati Mediolanenſes forent, invectus in eos jam feſſos & onuſtos perturbavit; & pulcherrimæ victoriæ honore privavit: circiter enim quadringentis equis, & trecentis viris captis, cæteros

in

in fugam vertit. Inter captivos nominabantur Codemalius Pusterla, Passaguadus Septala, Guido, & Henricus Landriani fratres, Paganus Burrus, Niger Burrus, Ambrosius Palearius, Hugo Crusta, Manfredus Bandus, Ardericus Nasellus, & nepos Milani Marcellini.

Ex ea clade satis fractas Mediolanensium vires, & disturbata consilia cum Fridericus arbitraretur, ad obsidendam totis copiis Cremam proficiscitur, transque Serium amnem ipse constitit. Conradus Comes Palatinus Rheni, Fridericus Conradi Regis filius, & Otho Palatinus Comes, & Robertus Palavilla ad portam Umbrianam, alii ad Planengam, & ad Magolam castra posuere. Cremonenses è regione portæ, quæ Ripaltam respicit, turrim ingentem ex trabibus ædificarunt: lata erat brachia triginta, & bis eo alta: duos item aretes, & tres machinas jactandis faxis, quas *Manganos* vocant, erexerunt.

Quæ dum aguntur, supervenit ex Germania Beatrix Augusta cum Henrico Saxono, & Guelfo Bavaro Ducibus, qui etiam magnum armatorum numerum trahebant. Fuit autem Beatrix, ut apud Germanicarum rerum scriptorem, recentem tamen legi, Rainaldi Comitis Burgundiæ filia, quæ unica patris superstes, & propterea ampli dominii & magnarum opum hæres, diu in vinculis à Gulielmo patruo, bona ejus intervertere cupiente, habita fuit; demumque effractis carceribus impias illius manus effugit, & Friderico Cæsari propolita, adeo illi ex formæ & ingenii venustate placuit, ut altera conjuge dimissa, hanc duxerit: post autem salutatum in castris virum, Laudem, XI. Kal. Augusti venit; ubi universi populi lætitia, & pompa, ac matronarum concursu excepta est.

Interea obsessi haud quiescere, dies, noctesque ea moliri, quæ eludere, frustraque hostem possent: interdum in Cremonensium Castellum eruptiones facere, & illi ignem supponere, sed prohibiti prælia incunt, & pauciores à pluribus sæpe fugati; tum aretes adinoventur, quos quoniam latitudo fossæ muris applicari non sinebat, & vorago impleri non poterat, ratem ex colligatis vasis vinariis faciunt, quam virgultis, & sarmentorum fascibus multa humo ingesta consternunt, qua veluti certo solo incedentes, machinas promovent: his vero arcendis oppidani incumbebant. Manganos enim, & ipsi quinque, & petrerias complures fecerant, quibus ingentia saxa jaculati, non magistros, defensoresque tantum, sed machinarum ipsarum hostilium latera, & juncturas elisere: tunc Ænobarbus jussit captivos & obsides eis alligari, & qua maxime ictus patebant, exponi; fretus oppidanos, ne eos interficerent, à jactu cessaturos: sed non ea pietas tunc viris fuit, ut ob paucorum salutem, & quidem dubiam, patriæ propugnationem intermittendam censerent. Itaque non delinentibus illis jaculari, miserandum in modum expositi affligebantur: alii capite, pectoreve, alii brachiis, aut tibiis elisi interficiebantur: perierunt eo modo Codemalius Pusterla, Henricus Landrianus, Pagnerius Lampugnanus, Henricus Bonatus, & tres alii: supererant adhuc novem vivi varie mutilati, quorum casum miseratus hostis, detrahi jussit, & pariter castellum reduci, ut confractæ partes instaurarentur. Oppidani autem, ut pro hujusmodi suorum supplicus vicem reponerent, captivos, quos ex Germanis, Italisque habebant, laqueo muris suspendere: quorum horrendo spectaculo irritatus Ænobarbus, reliquos Mediolanenses rapi ad necem jussit: sed circumstetere amici, & pro insontibus orantes, ne plus novem occiderentur, impetrarunt.

Dum sic Crema obsidetur, Brixia, & Placentia cum Mediolanensibus arctius in fœdus eocunt: & communi trium civitatum nomine ad Hadrianum Pontificem legationem mittunt. Is tunc Ariani deprehensus est nppido Etruriæ ab urbe Roma viginti millibus passuum distante, condito, ut Blondus ait, tempore Divi Gregorii in prædiis Theodoræ nobilis Romanæ, & ab Ara nuncupato. Cessérat autem Hadrianus furori populi, & insaniæ Consulum, qui imaginem priscæ libertatis restituere conabantur. Ibi igitur ictum fœdus, non facturas pacem Civitates cum Ænobarbo, nisi consulto & annuente Pontifice: & Hadrianus sacris Fridericum interdiceret; nisi intra quadragesimum diem res componerentur. Quo cognito Cremonenses studia mutarunt, & in societatem Pontificiam transierunt: quorum favore spes erigi in melius cœpere; nisi, ut sæpe accidit, ex novo & inopinabili casu aliorsum vota cecidissent: namque proximo Septembri Hadrianus mortuus est; cujus obitus, non solum his civitatibus & Italiæ, sed universo orbi Christiano maximam rerum mutationem attulit. In quibus, etsi paulo remotiores à proposito nostro videantur, tamen quia vulgati hactenus scriptores, & ii maxime, quorum propria farrago erat, parum felices in his fuere, haud importunum putavi modice immorari.

Sublato ex humanis Hadriano, Cardinales, qui tunc Romæ erant duo & viginti, Conclave ingressi sunt novi Pontificis creandi causa: triduum variavere suffragia: tandem in Rolandum Senensem Sancti Marci Cardinalem, & tunc Ecclesiæ Cancellarium concordarunt, & Alexandrum Tertium dixere, qui infirmitatem humanam cum tanto rerum culmine conferens, nec ad id accedendum sine cæremonia & humilitatis confessione ratus, tanto, ut fit, se munere indignum dixit, & inter accipiendum honorem rogari, ut acciperet, velle visus est. Quod conspicati Guido Cremensis, & Joannes Sancti Martini Cardinales, & verbum illius arripientes: *Si tu minus*, inquiunt, *hoc idoneus eris*, ostendentes Octavianum Romanum * genere, & titulo Sancti Clementis Cardinalem, simulque is pallium, quod prior Diaconorum Alexandri collo jamjam imponebat, rapuit, & fugiens abstulit; nisi per quendam ex senatorio ordine recuperata vestis fuisset. Tunc Octavianus de manu adstantis clerici aliam extorsit, & sibi induit tam propere, ut præposteram posuerit, sicque vestitus ex conclavi proruperit, atque risum pariter & indignationem moverit prospicientibus Apostolicam dignitatem tam irreverenter, tamque impudenter haberi ab iis, qui religionis principes aliis exemplo colendi sacerdotii esse deberent. Cæterum Octaviano favebant Otho Palatinus Comes, & Guido Blandratensis, qui tum forte Romæ Friderici nomine agebant, aderantque armatorum catervæ, quibus se immiscens propudiosus Pontifex, sese Victorem Tertium nuncupat. Tunc Alexander vim veritus, & qui justum cum Pontificem existimabant, in penitiores ædes se recipiunt. Inclusis Victor custodiam apponit, ac novem dies obsedit. Demum populo tumultuante, & necem custodibus minitante, producti quidem in præsens fuere, tanquam liberi; sed mox trans Tiberim alterum in carcerem ducti sunt; id vero Romani longe indignius ferre, & jam arma furibundi intentare; donec liberum Alexandrum viderunt, quem publico plausu & campani æris tinnitu passim edito excepere: locum in urbe Roma ex antiqua memoria *Nymphum* vocant: hic congregati Cardinales Sabinensis, Hostiensis, Portuensis, Albanensis, Signiensis, Terracinensis, ac complures alii Sacerdotes, & frequens populus, & Nobiles Alexandrum, ut legitimum Pontificem, consecravere: & diademate Pontificali impolito coronavere. Inde Terracinam Alexander abiit. Victor autem, etsi potentia & armis in Urbe præstaret, alioque pecunia & pollicitationibus

* *Infra Cremensem dicit.*

allice-

allicceret, alios metu & Cæſarei nominis opinione territaret; tamen qui conſecrationi ſuæ intereſſent, manumve admoverent, alii reperti non ſunt, quam duo ſupra nominati Cardinales promotionis ejus auctores, & Epiſcopus Ferentinas, à quibus in ædem deductus, neque ſanctum locum profanare, neque Apoſtoli Cathedram temerare deſiit: atque hæc ex *Epiſtola* Alexandri ipſius ad Archiepiſcopum & populum Genuenſem de origine ſchiſmatis, quo diu agitati populi ſunt, ſumpta.

Fridericus autem, cui ea controverſia permoleſta erat, tollere eam, & naſcentis incendii principia opprimere per legatos primo nixus eſt: ſed majus negotium erat, quam quod per miniſtros componeretur: itaque utrumque ad ſe litteris evocat, & ut Papiam veniant, hortatur. Hic ſe diſceptatore, & Primoribus religionis cognoſcentibus, certamini perniciosiſſimo finem impoſituros: ſperanſque neutrum eorum id detrectaturum, eodem tempore ex omnibus Provinciis clariſſimum quemque Theologiæ conſultum in menſem Martium invitat.

Quæ dum aguntur, apud Cremam res ſumma vigerebatur; jamque ingens muri ſpatium ab arietibus apertum latus denudaverat, & Cremonenſium caſtellum inſtauratum, & ſarmentorum faſcibus, ac corio, & lancis globis tectum, quæ materia ictibus cedens, minus violentiæ inferri ſolidis partibus patiebatur: in hanc machinam, ceu in Equum Trujanum, cum ad muros promoveretur, omnium oculi converſi ſunt; & ab oppido immania ſaxa, & genus omne telorum conjecta; nec minus operæ obſtruendo muro impenſum: trabes, crateſque objectæ, ac novum vallum exſtructum: ſuffoderant etiam cuniculum, quo ad hoſtiles machinas clanculum accederent, atque everterent: ſed conſpecti ſunt à caſtello: nec ſolum in eo opere diſturbati; ſed jaculis à caſtello in omnes urbis partes emiſſis, paſſim configebantur, nullo fere loco tuti, cum hoſtium adſpectui omnia paterent. Et quamvis tot ſimul malis Cremenſes premerentur, haud tamen unquam animo defecere: par quoque in hoſte obſtinatio fuit: qui, quamvis ſæviente hyeme, in obſidione perſeveravit, bellumque ſub pellibus & tentoriis per intoleranda frigora continuavit; nive interim & pruinis obrutus. Cum enim dies Epiphaniæ, qui poſtridie Nonas Januarias agitur, anni ſexageſimi ſupra mille & centum à Chriſto illuxiſſet, nova moles ab oppidanis nudato lateri objecta apparuit; vaſa picc, oleo, ſulfure plena congeſta in eum locum fuere, & additi virgultorum faſces, quibus, dum hoſtes ingredi niterentur, ſuppoſito igni, flamma incredibilis repente emicuit, & favillæ, carboneſque in hoſtium munitiones volarunt, quibus non minori damno quam admirationi id fuit; improviſa namque flamma multi correpti perierunt, & Cæſar quoque ſub aricte deprehenſus, non ſine periculo ſalutis fuit: & ne latius vagaretur incendium, uni ejus reſtinguendi operi univerſum occupavit exercitum. Cæterum & alii arietes alias murorum partes labefactaverant, & repleta foſſa, commoditatem pugnandi in pomerio præſtabat, multumque ſpei adhuc tolerandæ obſidionis ſupereſſe videbatur, cum repente columen virtutis & fomentum totius rei defecit. Marcheſius erat Architectus machinalis ſcientiæ peritiſſimus, & qui, ceu alter Archimedes Syracuſanus, moles hoſtium contrariis machinamentis eludens, victoriam Marcelli moratus eſt. Is, ſeu tædio longioris obſidionis, & deſperatione victoriæ, ſeu auro corruptus, noctu à muris delapſus, ad hoſtes tranſivit, & à Cæſare comiter exceptus, pecunia, equo, veſtibus donatur. Tum brevi machinam fabricavit altitudinis, quæ muros ſuperaret, & ex ejus ſummitate pontem emittebat in muros ipſos, per quem milites facile in oppidum tranſgrederentur: ea perfecta, & opportuno loco ſtatuta, ingentia præmia tranſituris proponuntur: & cum multi alacriter in id nomen darent, ſatiſque præmii ducerent, vel emori in conſpectu Cæſaris, ſignum pugnæ datur: & protento ponte, Conradus Friderici frater cum ſignifero primus adſcendit, atque in oppidum delapſus eſt: ſecuti cum pauci alii ſunt; alii hæſitantes ab oppidanis uncis ferreis rapiebantur, vel longioribus perticis de muro & ponte deiciebantur; demumque pons ipſe revulſus eſt. Ita ſignifer & commilitones Conradi circumſiſtente multitudine obtriti ſunt; ipſe enim cum maxima difficultate, cum nonnullis vulneribus debilitatus foret, ad ſuos ſe recepit.

Hic oppidani ſeſe colligentes, cum affectas res ſuas eſſe cernerent, nec appareret, unde auxilia ſperarent, de dedituone agendum decreverunt. Miſſique ad Cæſarem legati referunt, ita demum pacem habituros, ſi peregrini militea ſine armis, & oppidani ipſi eum iis tantum rebus, quas ſecum ferre poſſent, exituri forent. Hæc dura conditio erat, patria, domo, focis, laribus cedere, cuncta hoſti relinquere, ipſos in ſummam inopiam abire: vicit tamen neceſſitas; ne ſimul corpora quoque perirent. Itaque ſexto Kalen. Februarias utraque ex parte jurata pacificatio eſt, & poſtero die exeuntibus incolis, Barbari ingreſſi refertas variis rebus domos nacti, ingenti præda ditari poterant, ſi civiles etiam mores pati bello aſſueti didiciſſent: ſed cum primi occupatores omnia ſibi arrogarent, neminemque in partem commodorum accipere velleot, videreturque ea diſcordia haud dubiam contentionem in exercitu factura, cunctos uno modo tractandos Ænobarbus decrevit; & quidem eo, quo invidia omnis tolleretur: immiſiſſque incendiariis, qui pluribus locis ignem ponerent, omnia combuſſit, atque ita univerſa Crema eſt concremata. Cujus in poſterum reſtituendæ, ut ſpes quoque intercideretur, muri, qui adhuc integri ſupererant, disjecti ſunt, & ſacræ etiam ædes ſolo æquatæ: præterea machinæ omnes, & tormenta bellica, quonism amplius uſui futura non videbantur, ambuſta pariter dedita opera fuerunt.

Ænobarbus autem quinque dies ibi moratus, Laudem & Papiam ad conventum peragendum conceſſit. Eo namque evocati ob ſummam ſacerdotii cauſſam, jam accedebaot clariſſim ex Italia, Tranſalpiniſque Provinciis Theologi, principeſque religionis, & noviſſime Victor ipſe, qui in cauſſa erat. Alexander autem venire omnino neglexit, ac ne legatos quidem, qui huic intereſſent, miſit; indignum ratus, ſe, qui humanum culmen legitima electione ſupergreſſus fuerat, extraque omnem exceptionem poſitus eſſet, imparium judicium ſubire, pariter & inimicorum arbitrio ſe exponere.

Igitur eo abſente, tertio Idus Februarias ad hunc ferme modum res tranſacta Papiæ eſt. Sederunt pro tribunali Fridericus Cæſar Ænobarbus, ceu Minos, aut Rhadamanthus Inferorum animas judicaturi; à dextra, ſiniſtraque præcipuus quiſque dignitate Sacerdos, & principes Regni ordine ſuo: tuncque introducti teſtes, qui aſſeruerunt, cum Romæ eligendus novus Pontifex foret, viginti tantum Cardinales aſſuiſſe: nam ex duobus aliis, quorum alter Vinculorum Petri, alter Sancti Martini titulum tenebat, cum alter Anagniæ ægrotaret, alterum ad illius votum explorandum acceſſiſſe: atque ſic Conclavi abfuiſſe duos: ex viginti autem, novem prudentiores Octavianum prætuliſſe, & eundem trina promulgatione facta, confirmatum, acclamatumque Victori Tertio felici, & fauſto, ſulemneſque hymnos in choro cantatos; Rainaldo Senenſe ſpectante, pallium Apoſtolicum eundem accepiſſe, infulis, cæteriſque inſignibus Pontificis ornatum

inceſſiſſe, in Petri cathedra ſediſſe, à templo in palatium tranſiviſſe : Rainaldum ipſum à Principibus Romani Cleri interrogatum, eſſet, nec ne, deferendus honos Victori, dixiſſe, illi eſſe parendum, & ſibi numquam fuiſſe delatum pallium ; atque id poſtea in terræ Siculæ ignobili loco ſumpſiſſe. Hæc jurati affirmarunt Petrus Chriſtianus Decanus, duoque ejuſdem fratres proprio & collegii Beati Petri nomine, cujus publicas litteras exhibuerunt. Idem octo alii Præſules Romani, qui agendis rebus interfuerant, & negotia tractaverant, depoſuerunt: & vir illuſtris Petrus urbis Romæ Præfectus, & complures alii adſtabant idem confirmaturi ; niſi ſatis ſuperque ea ad præſentem rem eſſe Judices dixiſſent. Tunc Hermanus Verdenſis, & Daniel Pragenſis Epiſcopi, atque Otho Palatinus Comes in medium prodeuntes teſtantur, ſe juſſu Cæſaris iviſſe ad utrumque Pontificem Papiam accerſendum, terque per legitima intervalla monuiſſe Rainaldum, ut veniret : ſed eum, aſſeclaſque ejus aperte recuſare in judicium deſcendere. Quibus ſic probatis, Patriarcha Aquilejenſis, novem Archiepiſcopi, octo & triginta Epiſcopi, tres laici Duces Henricus Saxonus, Bertoldus Turingus, Fridericus Rotemburgenſis, & totidem Palatini Comites, Rhenenſis, Saxonus, Bavierius pronunciarunt, Victorem habendum, adorandumque Pontificem ; atque equo albo impoſitum per urbem cum populari plauſu deduxere. Dimiſſo inde Concilio Saxonus & Turingus Duces in Germaniam redieruut. Cæſar & Beatrix trans Padum diverſantes, longi jejunii dies contrivere ; nihilque faciebant execrationes, quas ſubinde Alexander in eos repetebat : cujus nomine etiam Mediolanum venit Joannes Aragnius Cardinalis, qui adventus ſui cauſſa cum Uberto Archiepiſcopo communicata, aram majoris templi adſcendit, palamque deteſtatus eſt Octavianum Cremenſem, qui adulterato nomine Victorem tertium ſeſe nuncupabat, & Fridericum Ænobarbum, qui Cæſarcum regnum uſurparet: coſque, corumque aſſeclas hoſtes Eccleſiæ, religioniſque Chriſtianæ rebelles declaravit: eorundem crimini nominanm adſcripti ſunt tres Circumpadani Epiſcopi Cremonenſis, Mantuanus, Laudenſis, & Marchio Montisferrati, & Guido Comes Blandratenſis, rectoreſque, & Conſules civitatum Cremonæ, Papiæ, Novariæ, Vercellarum & Laudæ; tum Septii & Marteſanæ Comites, & Ludovicus arcis Baradelli Præfectus : inibique cuncta Cæſaris acta Apoſtolica auctoritate reſcidit : tum Concilium Papiæ habitum inane fuiſſe docuit; quod non auctore Alexandro Pontifice, neque celebrantibus aliis Regibus, Principibuſque Chriſtianis indictum foret. Quibus rationibus populus adeo permotus eſt, ut ſtatim arma ceperit, impios, neſarioſque homines, quacumque exagitandos ſtatuerit: nec temperavit, quin ipſis ſacræ hebdomadæ diebus, quibus aliàs parcere laboribus, & dare quietem etiam inimicis in bello ſolemus, infeſta ſigna Laudenſium finibus inferret, atque cædibus & populatione vexaret.

Quibus Friderico nunciatis, cis Padum copias miſit, & mox ipſe ſubſecutus, in agrum Mediolanenſem ſub Idus Majas excurrit; populatuſque eſt omnem eam oram, ſecus Lambrum fluvium, quæ à Medilio ad uſque Brioſchum, & Veranum, & Vertematum pertinet; & tranſiens in Seprienſem, Nervianum, Legnanum, Polianum, Venzagum, & Raudem evagatus, frugiferas quaſcumque arbores vel ſuccidendo, penitus exſtirpandove, vel decorticando corrupit, nec uſquam ſiſtere cum, quamquam magnis copiis inſequeretur Mediolanenſis potuit, quam ad Quintum & Sanctum Romanum ventum eſt. Hic caſtra demum poſita, & explicatis aciebus copia pugnandi facta. Quadriſariam vero partitus eorum exercitus erat: primo centum falcati currus leves & expediti, novo tunc invento Guintelmi artificis eximii; tum Carrotium cum ſagittariis, peditatuque prævalido ; ſequebatur eos equitatus cum Signiferis, deinde Placentina auxilia cum ducentis equinbus. Quorum adventum ut ſenſit Ænobarbus, per noctis ſilentium vaſa colligit, præmiſſis impedimentis, Baradegium, Morimuudum & Papiam abiit. Mediolanenſes autem cum diu in acie ſtetiſſent, cognito demum hoſtium receſſu, converſis ſignis in urbem reverturtur.

Nec ita multo poſt Laudem profectus Fridericus, & laudata ejus populi fide, & virtute, tranſadduanam expeditionem ſuſcepit, ubi adhuc nonnulla oppida Mediolanenſi Imperio obtemperabant: primaque cura fuit pontis intercipiendi, quem Mediolanenſes magno ſumptu juxta Pontirolum oppidum conſtruxerant. Nec difficile fuit utrumque uno impetu capere, propterea quod remota ab hoſtibus, ac ſuſpicione belli negligentius cuſtodiebantur; & pons ſtatim confractus fuit: circa templum, in quod oppidani, ceu in aſylum, confugerant, plus operæ fuit, & cum expugnari aliter non poſſet, accerſita à Laude machina muralis eſt: qua procul conſpecta, tum quod jam fame inclufi laborabant, deditionem fecere. Inde Farra non ſine prælio cruento capta eſt : cujus auxilio eum miſſæ à Mediolano cohortes circa fluvium ſcrutandis vadis errarent, indignationem Germanis fecerunt, qui amne intereluſi, nulla ratione ad eos tranſire poterant: deterriti exemplo Riccii Sacci Laudenſis, & Uberti Vetuli Cremonenſis, qui amnem tentantes obruti vorticibus fuere. Nec aliud memorabile geſtum in ea Provincia fuit; repetenſque Ticinum & Novariam Fridericus exercitum diſſolvit.

TRI-

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER X.

EPITOME.

At Mediolanenſis acceptas à Friderico clades finitimis ejus ſocius de more remetiri. Laudenſem ſæpius adorti id effecimus, ut jam non luteas munitiones nobis, ſed murum objiceret. Ergo aliorſum in Carcanum oppidum urbis infeſtiſſimum converſi, duce Archiepiſcopo, dum geminas arces milite ac machinis premimus, à Cæſare arctiſſime intercluſi per tela, per hoſtes viam feceramus ad victoriam glorioſiſſimam, prædamque opulentam, niſi utrique ſe Cæſar fuga ſubduxiſſet: quam poſtero die interceptu commeatibus, & auxiliis Laude, Cremonaque ad Cæſarem miſſis, cumulavimus. Obſidione ob ejus difficultatem digreſſi, Herbenſis & Urbiniceenſes, quorum opportuno ſubſidio patrata victoria fuerat, jure civitatis atque immunitate donavimus. Dum Fridericus Papiam dilapſis nova in ſequentem annum auxilia amicis civitatibus imperat, noſtra interim magnam partem incendio ex privatis ædibus erumpente conflagravit. Ergo milites in propinqua oppida hybernatum deducitur: nec interim vacat; ſed refecto ad Pontirolium ponte, Laudenſem vexat, Placentino adjuvante. Incunte vere Caſtilionum obſeſſum habuimus, donec Cæſar ſubſidio illi veniret: qui novis copiis ac Ducibus ex Germania auctus caſtra Mediolano admovit; & milite late circumdato, quidquid uſquam frugiferum erat, ferro, pedibus concidit, obtrivit: quo tempore octodecim in urbe annona præpoſiti ſunt, qui magnis ex ejus caritate incommodis occurrerent. Cæſar exercitum in circumpoſita oppida partitus, indictum in cauſa Alexandri & Victoris concilibabulum Laude celebravit, in quo Mediolanenſis Archiepiſcopus, aliique veri Pontificis aſſertores ſchiſmatici judicati ſunt. Inde caſtra ad urbem movens erumpentes ad pugnam cives partim cecidit, partim captos Laudem in cuſtodiam miſit. Diuturnis belli & obſidionis incommodis pacis nobis amorem conciliaverant: ſed Oratores ad Cæſarem profecti hoſtiliter cæſi, fugatique ſunt; & urbs obſideri arctius cupta, barbare obtruncatis, qui annona aliquid inferre tentarent. Ergo fame intus uſque ad parricidia ſæviente, poſt tentatas eruptiones ac prædas, primum legati ad petendam certis conditionibus pacem miſſi; deinde his rejectis, Conſules, ac primores civitatis ad Cæſarem ſupplices adivere; ac præter alia deditionis argumenta, dedere fidem, imperata ſe facturos, futura, ſine dubio, opinione ſua longe duriora: poſtremo magna equitum ac peditum manus ad ejus pedes provoluta, delatis elavibus, ac Carrotio religioſo quodam civitatis pignore, ſolemni deditione Imperatoris ſe arbitrio permiſere: qui quadringentis amplius obſidibus acceptis, reliquorum vero civium (præter Archiepiſcopum, aliosque non paucos fuga jam elapſos) fido ſacramento ſibi virtutis obligata, cum tantum muri ad ſingulas urbis portas ejus jam edicto diruti eſſet, quantum ſufficeret exercitui quadrato agmine ingreſſuro, horrendum tandem intenuit, cives ut omnes urbe intra octiduum emigrarent. Quantus tunc Mediolani gemitus? qua complorato? quibus diris ac furiis barbarum Imperatorem devoverunt? Sed populi, militiaque principibus partim dilapſis, partim in obſides datis, movere lacertos, tutarique diutius patriam ignobile vulgus, ut maxime vellet, non valebat. Ergo in agrum ſuæ quiſque regioni proximum ſub extemporales caſulas immigrarunt, ut, quatenus ſervare non poterant, occidentem patriam lacrymis proſequerentur. Imperator enim ingreſſus, tametſi anguſtiſſima urbis aſpectu mitigatus parcendum innoxiis ædificiis judicaret, finitimis tamen hoſtibus noſtris urbem ad vaſtitatem & incendium depoſcentibus tandem permiſit: quorum machinis, manibuſque (ſicubi flamma non profiteret) verſus, quam Barbarorum aratro, ſaliſque ſatione Mediolanum fundatus everſum eſt. Fama de Angleria Comitibus, & origine Vicecomitum Mediolani ruinis obruitur. Fridericus, ceu tota Longobardia in uno Mediolano tandem ſubacta, Longobardorum Rex Papæ coronatur. Inde Brixia, Placentiaque per legatos in deditionem acceptis: & ſua Poteſtate tum Mediolanenſibus aliquot jam vicos circa veterem urbem colentibus, tum etiam in reliquis Longobardis civitatibus relicta; novo etiam cum Genuenſibus illo fudere, Flaminiam ingreſſus viam Bononia, Faventia, Imolaque exeipitur. Turiſendum Gardenſis arcis Dominum parere recuſantem bello per legatos ſubigit: quod dum geritur, ipſe Veſontionem ad indictum de vero Pontifice Concilium revertitur. Ex itinere, Taurini Genuenſium ac Piſanorum diſcordus per legatos expoſitis induciis imperat. Diſſoluto reinfecta Concilio, ex Gallia in Germaniam excurrit, Longobardia ſuorum magiſtratuum intolerandis rapinis permiſſa.

MEDIOLANENSES autem minime quieſcere, Laudenſemque in primis agitare, cui hujuſmodi inſidias tendere: cohortes validas ad populandum agrum miſere, quarum pars Corneliani ſubſtitit, reliquæ ſub urbem miſſæ, ut irritarent civem; & pugnando, interimque fugam ſimulando, quam longiſſime à mœnibus pertraherent. Igitur Laudenſes audito ſuorum clamore, & repentino hoſtium ſtrepitu, erumpunt, & prædatoribus apprehenſis, pugnas miſcent, illoſque cædendo multos ſuorum recuperant: jamque viginti numero à Laudenſe tenebantur, cæterique urgebantur, nec ſimulare fugam poterant, cum ex deſperatione virtutem ſumentes, modicum morantur, ſeque in ordinem colligunt, deinde vim, impetumque facientes propellunt loco hoſtem, in fugamque avertunt, nec paucis in foſſas impulſis, octo omnino ex Laudenſi nomine captivos adduxere, in quibus cogniti fuere Vitus Trexenus, Bernardus Bagnolus, Albericus Lomellinus, Othobellus Cacamuſtus, & Otho Mediusparens: ex Mediolanenſibus autem conſtitit quatuordecim intra urbem Laudem ductos, Codeguerram Vicecomitem, Monachum Palatinum, Brunum Concoretium, Obizonem Paganum, & Burri filium, Othonem Bellabuccam, ac reliquos.

Reverſi inde Mediolanum, quia tentata haud pro-

proſpere ſucceſſerant, novos dolos excogitarunt. Profecti iterum ad eandem partem, præmiſere non multos equites, qui à Corneliana via præter portam Cremonenſem excurrentes, elicerent alios Juvenicum verſus, ubi intercluderentur, caperenturque, qui inſequi eos auſi forent: peractis omnibus, ut conſtitutum fuerat, jam multi Laudenſes palantem circa portas hoſtem deſequebantur; cum ex ſpecula turris Imperialis viſa eſt nubes denſi pulveris, & interlucentia ſigna, armorumque fulgor: quæ timens cuſtodia ſtatim receptui cecinit, atque in urbem ſuos revocavit.

Hac quoque ſpe fruſtrati Mediolanenſes, nihilominus tertiam ſuſcipiunt expeditionem, in quam & Carrotium, & machinas, ac tormenta bellica miſere. Quarto decimo Kal. Auguſti fixa ſigna ſunt in tumulo ex adverſo portæ Imperialis: & cum reliquæ copiæ circa reliquas urbis regiones conſtitiſſent, unoque tempore oppugnare cœpiſſent, tamen fortiter ſeſe tutati ſunt oppidani, pluresque ex hoſtibus miſſili telo interficiebant, quam ipſi vulneribus afficerentur: & quamquam à Placentia novæ copiæ advenerint: tamen quia fama increbreſcebat, Fridericum Cæſarem cum Papienſi adventare, ſoluto exercitu, Mediolanum redierunt.

Laudenſes vero, qui hactenus urbem foſſa, & aggere tumultuario, cratibuſque, & tabulatis munito cinctam habuerant, circumdare muro tunc cœperunt, & Albricus Merlinus urbis Epiſcopus ſolemni more primum lapidem depoſuit in fundamento portæ Cremonenſis. Univerſi operis Præfectus fuit Tinctus Muſa Cremonenſis, cognomento de Gatta, nobilis ea tempeſtate architectus: ac ſimul miſere, qui pontem juxta Gropellum à Mediolanenſibus fabricatum in Adduam ſubverterent; quem à paucis cuſtoditum facile diſſolverunt.

Ab his in averſam regionem verſa vis omnis belli eſt. Diximus in Larium lacum mediam percurrere peninſulam inter Comenſem ſinum, & quo Addua effluit Leucenſem, eamque Incinatem præfecturam, & montes Briantiæ complecti. Horum radicibus complures, iidemque piſcoſi lacuſculi ex proximis oppidis nomina ſortiti Montorphani, Herbæ, Mongutii, Puſiani, Annoni adjacent: unicum Plinius judicavit, Eupilm vocat, qui Lambrum amnem emittat: forte cum imbribus augentur, vt ſæpe faciunt, in unum conjunguntur, & naſcenti ex montibus fluvio mixti ortum præſtare videntur. Eum Blondus Umbronem vocans ſe minime Plinianæ lectionis obſervatorem fuiſſe oſtendit. In hac regione Carcanum oppidum duas bicipiti in colle arces habuit, quas profunda vallis inacceſſas facit: idem refugium diu fuit his, qui adverſus Mettropolitanam urbem, & communem patriam Mediolanum arma inferebant; & nunc quoque quotiens in Papienſem, vel Laudenſem exercitus mittebantur, tergo inhærentes procurrebant, agroſque vaſtando, aut commeatus avertendo, conſilia perturbabant. Ergo familiarem hoſtem tollere nunc demum civitas decrevit: & Julio menſe trium portatum armatam juventutem eo miſit; ſtatimque imperata fecerunt. Paravicinum, Herbam, Urſinicum petunt, quorum locorum opportunitate Carcanum medium circumſident; & quo arctius premerent, aliarum portarum militiam evocant: tum lignеum caſtellum & varias machinas fabricant: quibus perſpectis, oppidani nuncios ad Fridericum mittunt opem petentes, ac rogantes, ne locum natura & opere munitiſſimum in manus præpotentis populi cadere ulla ratione permitteret: illud eſſe frænum hoſtium, quod quamdiu duret, bene ſperare de communibus rebus liceat; eo amiſſo, nullum in Comenſi oppidum, quod non Mediolanenſium partibus accedat. Haud multum rogari ſe paſſus Fridericus copias ab amicis civitatibus accerſit, Papia, Novaria, Vercellis: venerunt vero Proceres Dux Boemiæ Bertoldus, Dux Turingiæ, Conradus Bellanuces, Marchio Montiſferrati, Guido Blandratenſis. Bertoldus autem, quia privatam ob cauſam in Italiam redierat, pauciores, quam dignitati ejus conveniret, habuit milites.

Cum juſtus jam foret exercitus, profectus Ænobarbus qua periti locorum oſtendebant, poſtridie Nonas Auguſti in valle Texaria, quæ ſubtus Urſiniculum eſt, conſtitit, coegitque hoſtiles copias concedere inter eandem Texariam & Carcanum: quo factum eſt, ut intereluſi commeatibus, & ſpe auxilii, obſeſſis, quam obſidentibus ſimiliores Mediolanenſes forent: apud eos autem ſummam negotii adminiſtrabant Ubertus Pirovencus Archiepiſcopus, Milo Cardanus Archipresbyter, Caldinus Sala Archidiaconus, & Algiſius Pirovencus Cimeliarcha; ita quatuor primatu Sacerdotum exercitui præerant. Hi cognito diſcrimine, in quo ob adventum Cæſaris conſtituti erant, habito conſilio, decreverunt, nullum niſi in dextra ſalutis remedium eſſe; in virtute ſpem omnem ponendam; & quam unuſquiſque pro magnitudine animi, viriumque facere poſſet, aperiendam viam eſſe. Itaque per noctem ea, quæ morituri ſolent, faciunt, corpora, animoſque corant: & mane re divina peracta, arma induunt, & ſe invicem cohortantes, quaſi ultimo prælio ſe accingunt aciem ſtruentes; partem peditum cuſtodiæ caſtrorum, ne qua vis à Carcano ingrueret, relinquunt. Jam Signiferi & Carrotium in apertum prodeunt, & præcurſores laceſſere hoſtem incipiunt. Ex adverſo Fridericiani pariter inſtruuntur, & ordinibus diſtincti pugnam excipiunt, crebreſcenteque Marte, ſævo tumultu, fœdoque cruore omnia complentur: & cum non eadem ubique fortuna foret, alibi victores, alibi vincebantur: ſed qua Fridericus verſabatur, illic hoſtium acies ſternebantur. Jamque ad Carrotium ipſum pervenit, & fugatis ejus cuſtodibus, boves ſolvit, vexillum detrahit, Carrum in proximam foſſam devolvit. In altero vero cornu Sacerdotes Mediolanenſes rem fortiter ſuſtinebant: moxque ecu impendentes nubes ab Urſinico, ubi ducenti Brixiani milites collocati fuerant, & Herba auxiliares cohortes admixtis oppidanis per dorſum montis defluxere: quorum adſpectu conturbati primo Fridericiani ſunt: tum vero propius accedentibus, & manus conferentibus, adeo affecti, ut nec pedes, nec eques ſat ſunm exſequeretur officium. Jam nec Germana cohors tuto conſiſtere, nec honeſte fugere poſſe videbatur. Interea Ænobarbus tergendi ſudoris cauſſa in tentorium ſe receperat, & varios ſtrepitus, clamoreſque ſentiens, *Victimus ne*, cuidam ex aſſtantibus ait: at ille reſpondit: *Immo quidem victi ſumus: nonne vides ut undique hoſtes noſtris inſultant, ut ſpoliant, ut cædant, ut omnia nobis infeſta ſint?* Ducenti autem integri adhuc circa Cæſarem ſtabant, quibus aſſumptis fugam capit, ac per Urſinici & Montorphani vallem evectus, non ante conſtitit, quam Comum pervenerit. In qua urbe cum nec tutum ſe exiſtimaret, arcem Baradelli, quæ præcelſo in colle ſita eſt, aſcendit. Marchio autem Montiſferrati, & complures alii Angleriam & reliqua Verbani lacus oppida petivere, quibus in alteram ripam tranſmiſſi evanuere. Mediolanenſes autem eorum fuga cognita, caſtra invadunt, & incredibili rerum copia potiuntur. Cætera militi præda permiſſa, regiæ gazæ diligentia habitæ, & in ærarium relatæ. Quinto Idus Auguſti geſta ea ſunt.

Sed ut plenior, abſolutiorque victoria fieret, contigit, ut poſtero die novas copias ab Laude, Cremonaque profectas (trecenti equites erant præſidio commeatibus inde miſſis dati) ad Marianum oppidum perveniſſe, atque inde ad hoſtes iturас

gre-

gregarius miles Conſulibus exercitus renunciaret: his auditis, ſtatim equitatum Canturium verſus Conſules præmiſere, qui agmen retardaret: ſed jam prima pars præterierat, & ad Aquam nigram (ita vocatur palus ſub Baradello monte) penetraverat: cum ſtrepitum à tergo cuncti ſenſere, ac perturbari ſequentes, & onera jumentis detrahi: ex quo facta à militibus fuga, integra præda Mediolanenſi relicta eſt. Et eum hæc proſpiceret ab arce Ænobarbus, continere ſe non potuit, quin cum pauxillis illis, quæ eum aſſecutæ fuerant, reliquiis deſcenderet: ſervatique ſunt nonnulli ejus adventu, & quidam Mediolanenſium capti: reliqui victores in caſtra reverſi obſidionem Carcani obfirmant; & mox difficultatem negotii metuti, cum etiam ambuſtæ machinæ fuæ fuiſſent, receſſerunt duodecimo Kal. Septembris. Domum reverſi, fidei & virtutis eorum, qui ſe fortiter juviſſent, habendam rationem cenſuerunt; ac propterea Herbenſibus, Urſinicatibuſque ampliſſimas immunitates conſtituere, eoſque, omnemque eorum poſteritatem civitate Mediolanenſi donaverunt eodem jure, quo urbana plebs & intramurani cives cenſentur. Exſtat diploma archetypon, cum præfatione, laudeque, quod eorum ſtudio & diligentia nono Auguſti victus, ſuperatuſque fuerit Fridericus Ænobarbus, ejuſque caſtra omniſariam præda plena capta: confirmatumque id eis à ſucceſſoribus Principibus in hanc diem integrum beneficium, & honor civitatis illorum poſteris manet.

Interea Fridericus ex Baradello Papiam ſe recepit, ubi de re geſta ad amicos, ut eos in fide confirmaret, ſcripſit: hortatuſque eſt Epiſcopum Novarienſem, Vercellenſem, & Aſtenſem ac Marchionem Montiſſerrati, Obizonem Malaſpinam, Guidonem Blandratenſem, & Nobiles Guaſti & Buſchi, ne quid deſperantes ad ſe venirent, & quantum quiſque poſſet copiarum in futuri anni principia pararent. Tum ex Ticino claſſem in Padum deduxit, navigaturus Placentiam, everſuruſque pontem, quo ituri in auxilium Mediolanenſium tranſibant: ſed eo conſilio cognito Placentini pontem ſolvunt, ac navea & tabulata in tutum recipiunt. Fridericus autem Cremonam proficiſcitur, atque exitinere Bagagnatam famoſum latronem ſuſpendio afficit.

Interea Mediolani graviſſime civitas affecta: ex domo Lanfranchi Canis excitatus ignis ingentem fumi nubem emiſit: tum flamma proximas quaſque contignationes & ædificia comprehendente, maximum emicuit incendium, quo tertia pars urbis abſumpta eſt: à porta enim Comenſi, ubi cœpit, in Vercellinam, & Ticinenſem, ac Romanam diffuſum malum ad ipſas uſque urbis foſſas pervenit, & cuncta pene proſtravit. Ex quo deficientibus in urbe ædificiis, militarem turmam proxima oppida, & vicos hybernatum mittere oportuit: & cum alii Aplanum, Indunum, Arciſatum ſeceſſerint, Ubertus Archiepiſcopus cum ecntum viris Variſium ſe contulit.

Inſtauraverant interea Mediolanenſes pontem Pontiroli, & aſſumpto Comite Henrico cognomento de Crema, in Laudenſem agrum excurrunt; & conſtituris circa Doariam oppidum inſidiis, quoſdam eo pertraxerunt: captique ſunt Bernardus Bagoolus jam altera ex captivitate redemptus, Airaldus Arſagus, qui paulo ante Mediolanenſem civitatem cum Laudenſi mutaverat, & Manfredus Murena auctoris noſtri filius.

Fridericus autem ex Cremona reverſus Laudem, familiæ Mandellæ jus totius oppidi Mandelli ſcudali diplomate obſignavit, & inde bycinatum Papiam conceſſit. Mox appetente vere anni ſexageſimi primi, Placentini cis Padum tranſmiſſi in ſylva Puſignana delituerunt, parte Laudem verſus ad irritandos cives miſſa: & quamquam non latuerint inſidiæ, capti tamen ſunt Petracius Puſterla, Maldotus Vignates, Zanucallus Guaſcus, Bonioannes Turrianus, & alii complures, & juxta Foſſadoltum Prætor ipſe Laudenſium Tricaſolia Puſterlæus, & Hugo ejus propinquus.

Mediolanenſes autem expeditionem adverſus Caſtillionum Seprienſis regionis oppidum ſupra à nobis memoratum ſuſcipiunt; propterea quod eo adhue domicilio infeſti patriæ viri utebantur: præcipua autem cura fuit, ut aquatione oppidanos prohiberent: id quod ſane difficile erat propter Olonæ amnis, cui imminet, propinquitatem: ſed arietes quoque, & aliæ machinæ muris admotæ; contra quas cum oppidani audacter erumperent, ignem majori ſuppoſuerunt, atque concremarunt: cujus tanti momenti jactura fuit, ut fruſtratus hoſtium conſilius, ſpatium Caſtillionæi habuerint mittendi nuncios ad Fridericum Cæſarem, ac remedia malis præſentibus petendi. Et ſtatim quidem ille ad Lambri ripas comparuit cum Comite Bareinonenſe, qui paulo ante ad eum ſalutandum venerat, ſexaginta equitibus ſociatus, & interim litteras ad amicas civitates Papiam, Novariam, Vercellas, Laudem, Bergomum, Cremonam, Parmam, Rhegium dederat, ut ad ſe militares copias mitterent: ſed Mediolanenſes, antequam ii convenirent, obſidionem ſolverunt.

Præterea eum novas copias ex Germania acceriſſiſſet, per hæc tempora in Italiam venerunt Conradus Palatinus Comes Rheni Ænobarbi frater, Fridericus patruelis ejuſdem Conrado patruo natus, & Lantgravius eorum cognatus, Rainaldus Colonienſis Archiepiſcopus, & Cancellarius Imperii, qui quingentos; Dux Rotemburgenſis, qui ſexcentos; Dux Bocmiæ, cum filio Regis, qui trecentos armatos ductabant. Quibus copiis auctus Ænobarbus tertio Kal. Junii caſtra ad urbem Mediolanum movet; agroſque evaſtat ad ædes uſque altera ſtatione jam notas omnium Sanctorum, & Barnabæ, & Calimeri portæ Romanæ, nec non & Dionyſii Orientalis: inde ad Comenſem, & Vercellinam, & Ticinenſem ſeſe transfert: ubi quidquid frugiferum intra decimum milliarium exiſtabat, ſuciſum, vel vagante milite conculcatum, obtritumque ſuit. Quamobrem cum inopia commeatuum jam premeret obſeſſos, & inde pretia rebus majora fierent, tum uſuris multi abſumerentur, adhibendum modum ex publico conſilio ſtatuerunt; vocaruntque ex omnibus Parochiis binos viros, quibus rerum neceſſitate expoſita, decem & octo elegerunt, videlicet ternos ex ſingulis portis, quibus ea cura demandata eſt: è quibus unum ſe fuiſſe nominatum inter auctores noſtros Syre Raul ſcribit: cujus cognominis raritate excitatus, obſervavi in æde Portiana tabulam marmoream ad hunc modum inſcriptam:

IOANNES RAVLE DE BVSTI ARSICIO OBIIT M. CCC. XI. IANVARII.

Cum vero ſatis omnia evaſtata Ænobarbus cenſeret, dimiſſo exercitu in ſuburbana oppida, Laudem proficiſcitur celebraturus Concilium, quod Victor Pontifex indixerat. Jamque convenerant Pelegrinus Patriarcha Aquilejenſis, Guido Ravennas, Rainaldus Colonienſis, ac item Trevirenſis, ac Viennenſis Archiepiſcopi, & complures alii principes Sacerdotum, à quibus acta ſuperiori anno Papiæ collaudata ſunt; & inibi recitatæ litteræ Regum Daniæ, Norvegiæ, Bocmiæ, Pannoniæ, & ſex Archiepiſcoporum, viginti Epiſcoporum, & aliorum multorum Præſidum Eccleſiæ, quibus abſentiam ſuam excuſantes, Provinciarum etiam ſuarum nomine Victorem comprobabant: ſimul publice ignominia notati, proſcriptique ex numero Chriſtianorum Ubertus Pirovencus Medio-

diolanenſis Antiſtes, & Epiſcopi Placentinus, Brixienſis, Bononienſis, & earundem civitatum Senatus, Conſules, Magiſtratus: & qui vim intulerant Moguntino Archiepiſcopo, qui per eos dies ſuerat per proditionem interfectus. Patavino vero, & nonnullis aliis conceſſum ſpatium intra Kal. Auguſti in fœdus veniendi: dimiſſo Concilio Ænobarbus Cornariam arcem, quam ducenti viri defendebant, expugnat: & Gozolinus Comes Baldronem vicum combuſſit.

Jam annua dies venerat Carcanenſi prælio notata. Ea die à Melegnano caſtra Mediolanum verſus promoventur, & præmiſſis, qui laceſſendo cives extra mœnia pellicerent, cogitata ſucceſſere; effuſaque adverſus prædatores multitudine, juſta acie pugnatum eſt: ſenſim vero Ænobarbus ipſe ſubſequebatur, ſed ſignis procul conſpectis, retro ſe recepere cives. Tunc vero hoſtes magis inſtare, &, quod conſilii erat, fugam exiſtimare. Igitur in conſertos ſigna infert Fridericus Rotemburgenſis Cæſareus Vexilliſer, fugientesque cedit. Ænobarbus quoque ipſe ſucceſſibus inſtans, & faventi plaudens fortunæ, ad Arcum uſque Romanum pervenit, quem locum caſu ſuo ſignavit: namque ibi prolapſo equo cecidit, provolutuſque in terram ambiguus ſalutis fuit, niſi quod confeſtim à ſuis ſublatus, & in equo repoſitus incolumis receſſit. Ab eo certamine trecenti amplius capti, & Laudem in cuſtodiam perducti.

Nec ita multo poſt iterum hoſtilis ad mœnia exercitus rediit, & magno prælio certatum eſt. Quibus continuis laboribus, vigiliiſque, tum urgente fame affecti Mediolanenſes pacem optabant, & quaſcunque in conditiones deſcenſuri videbantur. Habito conſilio idoneos interpretes, intercelloreſque ſtatuerunt Lantgravium Ducem Boemum, & Comitem Palatinum: ad quos miſſi nuncii fidem impetrarunt, ituros ſine noxa in caſtra Oratores, qui rem conficiant. At hi cum proficiſcerentur, occurrere equitatui Archiepiſcopi Colonienſis, & ex itinere intercepti ſunt. Qui vero fidem, & inducias datas eſſe ſciebant, eos ab injuria vindicare conantur; ſimul Archiepiſcopo ſuccenſent, quaſi ejus dolo violatum jus gentium foret; & cum undique obſtreperent, vim veritus Rainaldus in tabernaculum Cæſaris confugit innocentiam ſuam expoſiturus: ſed jam res propior certamini, & pugnæ, quam verbis erat. Audito tumultu Fridericus, haud operæ tunc eſſe dicens querelas audire, in medium prorupit, Rotemburgenſem, & alios Duces cohortatus, ne communi rei deeſſent. Dum ſic certamen gliſcit, Mediolanenſes inter tela & Barbaros ſine dolo ſuo poſitos ſe intuentes, referre pedem cœperunt. Tunc ceu in hoſtes invecti Germani, multos cæcidere, octoginta equites, peditum vero ducentum ſexaginta ſex cepere. Ænobarbus ipſe, quadiſcrimen rerum vocabat, intrepide verſans ſuſſoſſo equo cadit, & vulnus quamvis exiguum cepit: clamque ea pugna periculo Auguſti ſunt. Ita diſturbata pacis mentione, ad bellum convertuntur: & collatis ad urbem ipſam caſtris, omnem meridionalem, orientalemque regionem populantur: & quia adhuc non nihil commeatuum à Brixia, Placentiaque importabatur, diſpoſitis ad loca opportuna cuſtodiis intercepterunt, caſtigatis ſeveriſſime eis, qui advehere auderent: nam deprehenſos quinque & viginti uno die obtruncatis manibus domum remiſere. Cæterum in alios variis etiam modis ſeviebant; alios enim imbribus diu noctuque expoſitos, & frigore & terreſtri cœno maceratos, ad paciſcendam redemptionem quantacunque pecunia cogebant; alios aliis terroribus, tormentiſque affectos in urbem remittebant: nam ſex exoculatos unus oculo ob hoc ipſum condonatus, ſed alterius oculi vice naribus præciſus, longa ſuneal-

A ligatos domum reduxit.

Cum vero ſatis affectum agrum Mediolanenſem Fridericus cenſeret, neque vim à populo pertimeſceret, Laudem reverſus eſt, & miſſionem conceſſit equitatui Lantgravii Ducis Boemiæ, & Rainaldi Colonienſis: & cum in ejuſdem partes tranſiviſſent Joannes cognomento de Sancto Victore, & quidam nuncupatus Bragamayta, obſedit Ripaltam Siccam, ac vallo & aggere circumdedit, quia adhuc aliena ſtudia fovere videbatur. Cæterum Mediolani res frumentaria perangusta erat: fame, inopiaque cuncti urgebantur, vir uxorem, ſocrus nurum, frater fratrem, pater filium ſtrictis gladiis inceſſebat, quod pane fraudarentur; paſſimque domeſticæ diſcordiæ, & privata jurgia audiebantur: alii in Conſules communa retorquebant, quaſi per eos ſtaret, quo minus pax iniretur. Quare ex publico conſilio eliguntur peritiſſimi illius temporis Jureconſulti Oſſa de Oſſis, Albertus ejus filius, & Anſelmus Hortus, quibus formandarum pacis conditionum cura delegatur.

B

Interea Fridericus cum Beatrice conjuge Cremonam petit, eumque ſecuti ſunt Conradus frater, Guilelmus Marchio Montiſferrati, Fridericus Rotemburgenſis, Rodulphus Lindonenſis Comes, & filius Ducis Guelfi: per quod tempus Guido Blandratenſis arcem montis Brionis captam munie-
C bat, & Marchoardus Grumbach arci Sancti Gervaſii non procul Tricio præfidebat. Quingenti quoque equites Mediolanenſes ad urbem Laudem profecti, ingentem prædam retrahebant. Jamque ad ſilvam Pulignanam pervenerant, cum eos aſſecuti Laudenſes cum peregrino milite retardarunt, illaturique maximum detrimentum eis fuerunt, niſi ex ſilva repente proſiliſſent recentes cohortes; quarum auxilio ita reſtaurati ſunt Mediolanenſes, ut ſine detrimento domum redierint. Hæc Decembri menſe acta.

Cum vero annus ſecundus & ſexageſimus iniviſ- A. C.
ſet, mittuntur ad Cæſarem Oratores, qui pacem 1162.
D peterent, Poteſtatem in primis admiſſuros Mediolanenſes, murum, foſſamque civitatis ſex partibus æquaturos dicerent, & ſi quæ alia juberet Cæſar, facturos: obaudivit primo iſta Ænobarbus indignationem oſtendens, quaſi victi victoribus conditiones ferrent. Unam tantum ſperare eos oportere, reſponſum eſt, ut quicquid imperaretur, ſine exceptione facturos ſe reciperent. Quæ domi ſignificata, dura admodum & nequaquam admittenda viſa ſunt iis, qui vim verbi ex vera ſignificatione metiebantur. Alii vero, ut aliud, ſi poſſent, ipſi remedium afferrent, reſpondebant, extremam urgere neceſſitatem, nec ſupereſſe trium dierum cibaria. Vicit igitur hæc ſententia; quæ etiam clementiorem fore Cæſarem augurabatur, ubi ejus arbitrio ſumma rei relinqueretur. Et Kal. Martii Conſules Otho Vicecomes, Oſſa, & Anſelmus Jureconſulti, Amicius à Porta Romana, Anſelmus Mandellus, Ardericus Caſſina, Gottofredus Gattonus, Heripprandus Judex, Ardericus Bonatus, & octo alii equeſtris ordinis viri, Laudem, quo paulo ante reverſus Ænobarbus erat, proficiſcuntur: admiſſi in conſpectum, cauſſam adventus, quæ ad pacificandum ſpectaret, exponunt; ſimulque nudos enſes, quod ſolemne deditionis ſignum
E erat, porrigunt: tum ſacramento adacti, quæcunque dixerat, facturos jurant: eum his domum reverſi benignitatem, liberalemque Cæſaris clementiam palam prædicant, concedendumque in ejus vota autumant. Igitur quarto inde die trecenti equites ſingula vexilla manibus præferentes eodem acceſſerunt, & advoluti genibus Imperatoris pedem exoſculantur. Guintelmus Architectus portarum claves obtulit: omnia hilari vultu accepta melioris
F fortunæ ſpem faciebant. Cæterum poſtulatum ab

eis

eis eſt, ut cuncti mitterentur, qui tribus ante annis Conſulatum geſſerant, quique pedeſtrem militiam exercuiſſent. Ita mille pedites acciti; Carrotium etiam advexerunt pergrandi vexillo conſpicuum, nam minora ſigna ſex & nonaginta circumſtabant, & duæ æreæ tubæ, quæ univerſi populi ſupremum conſenſum ſignificabant: ex omni autem eo numero Ænobarbus centum & octoginta ſex delegit, quos obſidum nomine retinuit: reliqua turba domum dimiſſa, jubet tot inſuper alios ex nobilitate mitti, ut prioribus adjuncti quatuor centum numerum explerent. Poſtquam autem ducentos & quatuordecim alios recepit, imperat, ut tantum muri ad omnes portas, turreſque demolirentur, & foſſas implerent, quantum ſufficeret quadrato agmine ingreſſuro exercitui: ſimul ſex viri Germani totidem Italis adjunctis in urbem à Cæſare miſſi, qui bini per ſingulas regiones dimiſſi, ab univerſo populo jusjurandum viritim exigerent, inter quos Acerbus Murena rei ſcriptor, & Laudenſi Prætura inſigni electum ſe fuiſſe memorat; ac ſibi pariter & Friderico Aſiano Auguſtæ aulico portam Novam; Romanam Conrado Bellanuei, ac Gerardo Cornazano; Comenſem Hugoni Alemano, & Guidoni Sancto Nazario; Orientalem Tetrico Germano, & Rodulpho Judici Mantuano obtigiſſe; ſicque alios alias ſortitos; quatridiumque ſcribendis nominibus Notarios laboraviſſe.

Quæ dum aguntur, principes Sacerdotum Ubertus Archiepiſcopus, Milo Caldinus, & Algiſius, ſeu manifeſtam patriæ deſolationem, ruinamque imminentem cernentes, ſeu iratiorem ſibi fore Cæſarem ominati, urbe cedunt, ſeque Genuam, quo ſuperioribus menſibus adnavigaviſſe Alexandrum conſtabat, conferunt, ſeque unam cum eo ſortunam habituros oſtendunt: nam injurias ſibi illatas haud amplius ferendas ſtatuens Alexander, in Galliam migraturus eo diverterat; & ampliter ac officioſe à populo, Cleroque Genuenſi exceptus, ut obſequii gratiam aliquam referret, Eccleſiæ eorum Epiſcopatum Albingauneníem adſcripſit.

Satis vero ns, quæ imperata ſuerant, Mediolani peractis, Ænobarbus, & Beatrix, & reliqui Duces, tum Fredericus Marchio Saxonus, & Ulricus Lantburgenſis Comes, qui paulo ante ad Cæſarem venerant, Papiam conceduot: ubi horrendi carminis lex conſtituta, ut Mediolanenſes univerſi laribus cederent, novaſque domos extra urbem facerent; in eas afferrent quid quiſque vellet; urbem vacuam Cæſari, militique intra octavum diem venturo relinquerent; alioquin male parati mulctabuntur. Quibus Mediolani expoſitis, horror omnium mentes accepit: obſtupuere cuncti, & lacrymis undique ortis, miſeriam temporum deplorabant: alii hoc ipſum ex feritate, inclementiaque barbarica dubitaſſe ajebant: alii proditionis & perfidiæ Conſules Magiſtratuſque notabant: ſed quid agerent inopes, inconſulti, ultima miſeria acti, quorum Duces, & rerum prudentes, vel bello capti, vel obſidum nomine apud hoſtes detinebantur? Cum ergo ſuprema dies advenifſet, quæ fuit ſeptimo Kal. Aprilis, inſtaretque miſeris compulſos barbaros, tota urbe magnis agminibus demigratum eſt; & qui quidem affinitates & clientelas in vicinis urbibus, oppidiſve habuere, ad amicorum opes ſeſe contulerunt: ignavum vulgus, & craſſa multitudo circa patriæ mœnia hæſit, novis tabernaculis ex ſtorea, crate, tabulis ſarmentoque excitatis apud ædes ſuæ cujuſque regioni propinquas, ut Dionyſii, Celſi, Simpliciani, Vincentii, Victoris, & Syri ad vepram.

Affuit mox Ænobarbus, & circumvectus nobiliores urbis partes, haud quidem ulterius ſævituri animi ſigna oſtendit: ſed circumſtetere vicini noſtri latrantes, commemoratoſque injurias præteritas; & affirmantes, nunquam certum illi imperium in Longobardis futurum, donec potentiſſima civitas ſtaret: eorumque importunitate victus, annuit, ut quod quiſque vellet, ageret. Tunc furori datæ habenæ, & catervatim diſcurſum in regiones, raptiſque ignibus, & mille per tecta, domoſque injectis, tum cremia materia accumulata, quale à Græcis Troja, aut à Nerone Romæ exuratum incendium eſt. Firmiora ædificia, quæ violari igne non poterant, ſecuribus, raſtriſque diſſipata: ſeptemque dies in eo laboratum eſt. Ceſſationis, quietiſque concedendæ inſtans dies Palmarum, Olivarumque cæremonia religioſus admonuit, qui eo anno Kal. Aprilis contigit: tulitque ſacros ramos Fridericus è templo Ambroſiano, a quo ſacrilegam manum abſtinuiſſe hoſtes, indicio eſt Angilberti Archiepiſcopi lamina aurea argenteaque multis ante ſeculis altari circumdata. Cæterum contemplatus ruinam Murena, vix bimeſtri ſpatio eam fieri potuiſſe judicavit, & vix quinquageſimam partem immunem manſiſſe: tanta fuit rabies, libidoque ulciſcendiuio, explentiumque antiquæ ſitis ardorem. Nam Laudenſes in primis, Papienſeſque notati; qui cum Ticinenſem & Orientalem aſſumpſiſſent, in auxilium Cremonenſium ad aurendam Romanam, avidiſſime ſe contulerunt: reliquas confecerunt, Comenſes ad ſe verſam, Novarienſes Vercellinam, Sepienſes, & Marteſani Novam: ex mœmbus autem, turribuſque centum ob materiæ duritiem & cæmenti ſoliditatem non multum diſjici potuiſſe, & Murena affirmat, & reliquiæ diu declararunt. Theatrum, Circum, & alia priſcæ magnificentiæ opera tunc quoque corrupta fuiſſe colligo ex Raule meo, qui pulpura, cum fortaſſe voluerit dicere pulpita, labefactata meminit. Turrim major ædes habebat quadrato ſilice ſubſtructam, omnium, quas Italia ſpectaret, nobiliſſimam: hanc invidere maligni in inviſa urbe ſtare: quare ſic eam ſuffoderunt, ut ejus caſus duplicem ruinam faceret; cadens namque ſupra ædem, illam quoque confregit: jacuerunt diu immania ſaxa, donec centeſimo poſt anno, eruto ſubterraneo ſpecu, in proxima area, quam tunc quoque *Arengh* nuncupabant, congeſta ſuerunt. Ab his Ænobarbus ſoluto exercitu Papiam abit. Et hæc Mediolani everſio, quæ omnium litteris atque linguis famigerata, paucis tamen nota fuit: cum nihil amplius ignari homines traderent, quam per ſeptem annos obſeſſam urbem, & cum fame, tum proditione captam, proſciſſam aratro, ac ſale etiam, ſi Dis placet, ſparſam traderent.

Hoc loco multa prætereo eorum, quæ noſtrorum aliqui commemorant de Comitibus Angleriæ, vel (ut elegantius dici quidam exiſtimant) Ingleſii, qui inter cæteros Longobardos nobilitate, opibus, honore, potentia clarucrint; & quoties Germaniæ Reges Mediolanum diverterent, Præſuli aſſidentes ferream coronam illorum capiti impoſuerint; & in præſenti bello à patriciis proditi duo & viginti juſſu Friderici Ænobarbi ſecuri percuſſi ſint, uno ſuperſtite & profugo Viviano, qui deinde reverſus reſtituendæ patriæ, & vindicandæ libertatis, tum inſtaurandæ ſtirpis auctor fuerit; progenitique ab eo filii, & nepotes ad extenuandam veteris gloriæ invidiam non novo quidem cognomine, ſed ex vetere, nobiliqueſamilia, quaſi adoptione mutuato, Vicecomites ſeſe appellaverint. Quamquam nihil vetat Angleriæ Comites ex eadem fuiſſe Vicecomitum gente: ſed interim, quod ſæpe fit, non communem totius familiæ, ſed propriam ab dominatu appellationem uſurpare ſolitos, quo deinde depulſi, communem revocaverint.

Ab

Ab hac narratione ſolo nomine diſcrepat, quod litteris quoque mandatum inveni. Galvanum Angleriæ Comitem, Mediolanenſium Procerum facile principem, ac prope urbis Dominum, in Germaniam in cuſtodiam deportatum: indeque non multo poſt elapſum Mediolanenſibus, aliiſque fœderatis civitatibus auctorem fuiſſe repetendæ libertatis, ac belli adverſus Cæſarem renovandi, quod poſtea perſcribemus. Adjuvat ejuſmodi famam non parum allatum non ita pridem ex Germania teſtimonium, quod Vicecomitis cujuſdam ſub Friderico cuſtodiæ fidem facit: ſic enim habet: *Fridericus Romanorum Imperator Primus, filius Hermani generoſi Ducis Sueviæ anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quingenteſimo. Imperavit triginta ſex annos: anno Imperii ſui decimo deſtruxit Mediolanum: in qua deſtructione ſororius Vicecomitis, qui erat in poteſtate Federici, propter liberationem fratris ivit ad Reverendum Patrem nomine Rodulphum, & Dominum Archiepiſcopum Colonienſem, & oſtendit corpora trium Magorum*, &c. Potuit enim hic Vicecomes eſſe ille ipſe Galvaneus, ſeu Vivianus; & à ſorore non impetratus, cuſtodiam tamen poſtea fefelliſſe.

Addit vero Merula, jura quoque Feudorum auctores habuiſſe Angleriæ Comites. Horum ego, ac ſimilium, quamquam non modo privatim Vicecomitum familiæ, ſed etiam publicæ rei Mediolanenſi dignitatis afferre plurimum poſſint, facile tamen omnium patior jactiram; maloque penes auctores ipſos, quam penes me fidem eſſe. Iis enim me, quominus omnino acquieſcam, duo potiſſimum impediunt. Alterum eſt quod apud alios auctores, qui noſtris de rebus ſcripſerunt, nullam cernimus Comitum Angleriæ mentionem, qui vel Reges coronaverint, vel Friderico præter cæteros ſint adverſati. Nec Blondus in tota hiſtoria, nec Dantes Aldigherius, nec Fatius Ubertus Poetæ Florentini, viri priſcæ eruditionis, & plurimæ in recenti memoria lectionis, cum in operibus ſuis plurimos Italiæ Heroas, claroſque viros recenſuerint, nullius Angleriæ Comitis Viviani, aut Galvanei Mediolani Domini, aut civis meminerunt. Alterum quod qui iſta tradiderunt, alia non pauca litteris mandavere non ſatis teſtata; in quibus approbandis ipſorum non immerito poſteri requirant prudentiam. Narrant enim Mediolanum prius dictum fuiſſe Albam, & Meſapiam, & Pucentiam: & urbem Genuam in principio cum parva eſſet, dictam fuiſſe Janiculum; & propinquum ei vicum Seſtrium, Saturniam: & Francos Gallicam gentem deduxiſſe, & genus, & nomen à Francone Trojani Hectoris filio: Sapientem quendam ex Græcia Romam veniſſe exploratum, an hi digni eſſent, quibus leges Athenienſium communicarentur: & illi Romanos oppoſuiſſe virum inſanum: qui cum ovibus inter ſe agerent; Græcus uno digito elato innuit, annum Deum crederent Romani: ſtultus vero timens ſibi ejus oculum, duos extendit, indicem & medium, & cum eis pollicem, quaſi illi duos oculos erupturus. At Græcus putavit ex tribus digitis ſignificari Trinitatem. Præterea illum extendiſſe manum, quaſi ſignificaret plana & aperta omnia Deo eſſe, ſtultum timuiſſe alapam ſibi dari, & pugnum ſtrinxiſſe, ut repercuteret; ſed Græcum intellexiſſe Deum ab illo ſignificari, qui omnia manu contineret; & ſic exiſtimaſſe dignos munere, quod petebant. Hæc; & ſimilia, non modo fidem ipſa non merentur, ſed auctoritatem quoque approbantibus abrogant. Quia tamen eorum vitæ ratio, qui de Comitibus Angleriæ ſcripſere, minime perſuadet, ea ab ipſis finxiſſe conficta; ſed ex privatis potius ejus gentis monumentis eruta nonnulla, quorum publica omnis memoria intercidiſſet: præſertim in tanta rerum omnium perturbatione, tot civium cladibus, totius urbis incendio, & vaſtitate: minimeque rationi conſentaneum eſt, aliarum gentium annales res noſtras adeo diligenter attigiſſe, ut quidquid in ipſis perſcriptum non eſt, falſum illico, aut dubiæ fidei habeatur, rem totam in medio relinquentes, ad inſtitutum noſtrum revertamur.

Papiæ agens Fridericus, ſolemni die Paſchæ coronam Regni Longobardorum, quod non ante ſubactum Mediolanum facere animo firmaverat, ſumpſit; Beatricemque conjugem pariter ornavit: ſicque inſigniti Reges, & Epiſcopi, Abbateſque mitrati convivium celebravere; cui interfuere Conradus Cæſaris frater, & Henricus patruus Dux Auſtriæ, & Gulielmus Marchio Montiſferrati, & Obizo Malaſpina, & duo Guidones Blandratenſis, & qui è Sancto Nazario Papienſi familia cognominatur; item Gilius Doarius, & Otho Perſicus, & Acerbus Murena, quoniam is Magiſtratus, hoc eſt, Poteſtas Laudenſium foret: larga fuit potatio, & abundans epularum copia, quippe in lætitiam & gratulationem præſentis victoriæ multa profundebantur: his triduo indulſere.

Tunc adverſus Placentinos bellum decretum fuit, quod ne in ſe mox verteretur dubitarunt Brixiani: atque officio iram hoſtis prævenunt: nam ſicut olim victa Carthagine, vinci neminem illorum temporum puduit; ita hic, everſo Mediolano, herbam dare, collumque jugo ſubmittere tutiſſimum unicuique viſum eſt: miſſi itaque Oratores primarii civitatis nudos enſes, ut tum mos erat, dextris manibus præferentes, ſeſe, patriam, aras, focos fidei & arbitrio Cæſaris abſque conditione dediderunt. Accepti in gratiam, ita domum dimittuntur, ut turres, mœniaque deſtructuros ſe pollicerentur; foſſas æquare; Poteſtatem Cæſaream recipere; pecuniam omnem à Mediolanenſibus mutuo ſumptam cauſſa belli faciendi, ac inſuper ſex millia veteris monetæ repræſentare; cunctis arcibus, locisque munitis decedere; nomen in militiam, quoties Cæſar in Longobardis, Romæve, aut in Apulia gerere vellet, dare. Hæc tum Brixiam.

Soli dehinc reſtabant Placentini, quibus victoris ira formidini ex merito eſſe deberet; neque ipſis id diſſimulandum erat; ſed cujus opera aditum pararent, inſinuarentque ſe, non habebant: ſubit demum memoria beneficiorum olim in Conradum Cæſaris fratrem publice collatorum. Hunc igitur, & veteria meriti jure appellant, & novis muneribus conciliant; tum interceſſore uſi, veniam primum impetrant, deinde miſſis Conſulibus, & nobilibus legatis quinto Idus Maji, evaginatis enſibus porrectis, deditionem fecerunt: ſex millia marcharum argenti daturos, muros, foſſaſque ſolo æquaturos, arces dedituros, Poteſtatem accepturos pollicentur.

Sic univerſa Longobardia Fridericus Ænobarbus potitur: Poteſtateſque cunctis civitatibus datæ; & quidem Placentiæ Aginulphus primo, & mox Arnaldus Barbavaria, qui in ſeptennium continuavit; Brixiæ, Bergomoque pariter Marcoaldus Grumbat, cujus ferme ſtatio Tricii fuit; Ferrariæ Conradus Bellanuces; Parmæ Ætius; Como Magiſter Paganus, qui arcem Baradelli pro domicilio habuit; & alii alibi. Mediolano autem præfectus fuit Henricus Leodienſis Epiſcopus; qui ſparſam vicatim multitudinem quatuor veluti in ergaſtula corgit, pauloque remotius ab urbe, quam ſibi ipſi ante elegiſſent, ſedes conſtituit; his Vigentini, illis Nocetæ, quæ non longe à Caravalle eſt; aliis Lambrati; aliis ad Cararam; aliis ad Syri Vepram deſignatis: terminabaturque ejus juriſdictio Seveſo fluvio, Legnano, & Buſto Garulpho oppidis. Papienſibus autem, ut ſupradiximus, nec non & Cremonenſibus, ſuis uti Magiſtratibus permiſit: & quanquam idem etiam Landenſibus conceſſum foret, tamen dehinc præfuiſſe eis legitur Henricus Suevus.

In-

Interim moniti Genuenſes, negotia eſſe Cæſari cum eis communicanda, miſerunt, qui ea intelligerent, duos Conſules Gulielmum Buronum, & Grimaldum, tum præſtabileaviros Gulielmum Ventum Marchionem Voltæ, Henricum Auriam, Ogerium Guidonis, Obertum Spinulam, Philippum de Juxta, Bonvaſallum Bulfericum, quibus Papiæ honorifice exceptis ſignificatum eſt, oportere Genuam cæterarum civitatum exemplo, novo ſacramento, arctioriquefœdere Cæſareum Imperium recognoſcere, multaque alia dicta ſunt, quibus libenter aequieturam civitatem reſponſum eſt: ſed quoniam ipſi mandatum non haberent, non poſſe fidem ejus obligare. Igitur conſeſtim datæ novæ litteræ, ut altera legatio omnium conficiendorum cauſſa inſtrueretur. Veneruntque paulo poſt duo alii Conſules Ingo Volta, & Nivelonus, quos ſex primarii cives comitabantur; atque in hæc juraruntː quoties Cæſar voluerit bello perſequi populum Saracenum, Hiſpanorum Regem, & item Regem Balearium inſularum, exacto octennio, quo cum Baleario pax durabat, ſe adjuturos navibus, viris, armis, bona fide, ſine fraude: ſi vero malnerit in Siciliam trajicere, & Gulielmum Normannum Campania, Calabria, Apulia exigere præſto futuros, neque pacem, induciaſve, non conſentiente Cæſare, inituros, hæcque viritim affirmaturos cunctos eives ætatis maturæ à decimo ſexto anno ad ſeptuageſimum: poſthæc privilegia civitatis eis, & Bonifacio gentis Carretæ viro illuſtri diploma Marchionatus Savonenſia detulit.

Ab his Friderieus iturus in Flaminiam, ex obſidibus Mediolanenſibus, qui Papiæ cuſtodiebantur, cæteris dimiſſis, centum tantum retineri juſſit; & eos ſubinde per ſingulos menſes demutari. Cum autem ad Rhenum Bononienſium fluvium veniſſet, occurrerunt quatuor illi, quos ſupra memoravimus, legum interpretes diſcernendis juribus Imperii, & populorum admotos. Horum gratia, qua apud Ænobarbum plurimum pollebant, freta civitas edoceri eum curavit, quamvis diverſarum partium aliquando ſtudioſi Bononienſes viſi fuerint, tamen à belli conſiliis ſemper abſtinuiſſe, & litterarum ſtudia omniſariam colendo, plus doctrinarum diſciplinis, quam armorum certaminibus indulſiſſe; petere veniam erroribus, vel ſi multi in Cæſarem peccarint. Evictus eſt eorum ſermone, & commendationibus irati Principis animus hactenus animadvertere contenti, ut pecunia & neceſſitate accipiendæ Poteſtatis res componeretur, & quantum muri, & foſſæ juberet, complanaretur. Inde Imolam & Faventiam itum, quæ ſine difficultate imperata fecere.

Sed ſupererat adhuc unus in Veronenſi Turiſendus, qui areis Gardæ Benaco lacui adjacentis dominus, loci opportunitate, munitioneque confiſus Ænobarbo conſtanter adverſabatur. In hunc decretum bellum eſt, & id geri per Legatos placuit; contractuſque exercitus eſt ex milite finitimarum civitatum, Brixiæ, Bergomi, Veronæ, Mantuæque, quibus ſortiter reſiſtens Turiſendus, in annum obſidionem ſuſtinuit: demum, & amicis, & commeatibus deſtitutus, deditionem fecit.

Inter hæc Alexander Pontifex ex Genua in Gallias tranſiverat, ſecutique ſunt eum Sacerdotes Mediolanenſes, & qui nobiles exilium magis pati, quam fœdiſſimam ſervitutem, & patriæ miſeriam ſpectare ſtatuerunt. Poſita vero querela eſt apud Regem de adulterino Pontifice; & Friderieo Ænobarbo, qui malorum omnium fons, & fomentum, temerare Eccleſiam Dei, & Chriſtianam religionem, cujus ſummi protectores ſemper Galli fuere, perdere non ceſſaret: ac propterea, ſi unquam aliàs, nunc maxime conſilio, manuque Gallica, communi ſaluti conſervandæ opus fore. Rejecta res ad Concilium eſt, quod brevi legitimum, frequentiſſimumque indiceretur. Veſontio metropolitana & ampliſſima Sequanorum civitas ad id electa; quamvis alii Divionum ſcribant.

Quo dum Ænobarbus proficiſcitur, Taurini apprehenditur duabus ſibi invicem infeſtis legationibus Genuenſium, & Piſanorum, quorum diſcordiæ cauſſam & originem paulo altius repetere operæ pretium eſt. Nam multis ante annis cum hi populi bello ſeſe varie afflixiſſent, in eandem demum compoſitionem devenere, ut pax in cæteris orbis partibus inter eos eſſet, nulla vis, nulla fraus fieret: ſolum in Sardinia bellum duraret: cujus inſulæ Imperium ſibi arrogantes Piſani, haud contentabantur dimidiam tantum partem recipere: ſic dinſalvis ubique rebus, jure belli abſtinentes, ſi qua controverſia orta eſt, judiciis certarunt: non temperabant tamen Piſani ſcurrilibus probris Ligurem, quotiens occurreret, laceſſere: demum Conſtantinopoli, cum magni ex utraque natione mercatores verſarentur, plures Piſani, quippe circiter mille, in pauciores Genuenſium (trecenti fere non amplius erant) uno tempore impetum fecere; atque à ſole orto ad occaſum inexſpectato tumultu oppugnavere: ſub noctem ceſſatum; & data fides, ne qua poſthac vis tentaretur: ſed illuceſcente poſtera die, majore conatu, & Venetis, Græciſque adjunctis, denuo Piſani ſtationes Ligurum invadunt, effractiſque foribus, quidquid mercium, opumque fuit, diripiunt: nec ſine cæde tanta rixa patrari potuit.

Indignari ſupra modum Genuenſes, quam primum in patriam reverturitur, injuriam, vim, perfidiam, damna, cædes tota urbe prædicant: non ferendam ignominiam, & quocunque modo quærendam ultionem, & perſequendos infidos homines, veteſque hoſtes, clamare: non multis conciendi cives fuerunt, quorum nemo fere expers Conſtantinopolitanæ cladis fuit. Igitur brevi duodecim triremes armatæ, quibus in portum Piſanum ex improviſo delati, turrim expugnant, ac demoliuntur; naves opulenta merce refertas capiunt, & rebus ſpoliatas incendunt: quatuor aliæ triremes in Sardiniam miſſæ alteram prædam de Piſanis egerunt: & Otho Ruffus, ob interfectum Conſtantinopoli filium adoleſcentulum, quoſdam ex nobilioribus captivis ultimo ſupplicio mulctavit.

Hinc nova odia, vindictarumque ſtudia inter utrumque populum exarſere; & cum alter in alterius perniciem armaretur, forte ſupervenit Rainaldus Colonienſis Archiepiſcopus, qui Cæſarea auctoritate pollens, tantiſper, ut à vi ſuperſederent, hortatus eſt, dum Cæſarem adirent, eique cauſſam omnem exponerent. Ergo ab Genua eum decem Oratores veniſſent, in quibus Grimaldus Conſul, Lanfrancus Piper, Simon Auria, & Boldizonus Uſuſmaris fuere. Hi ita rem ſuam abſentibus adverſariis egerunt, & vacuis hominum auribus, animiſque impreſſerunt, ut mox ſupervenientes Piſani, quorum capita erant Henricus, & Petrus Conſules, Rainerius Cajetanus, & Marzochus, & Gerardus Guſredi, toto atrio, totiſque ædibus exſibilarentur, explodcrenturque perfidi, impii, deteſtabiles vocitarentur: demum tamen auditi ſunt: ſed feſtinans Cæſar trans Alpes, judicium in aliud tempus diſtulit, inducias interim inter eos induxiſſe, contentus.

Inde Veſontionem profectus, jam freqnentes adveniſſe Heroas comperit, Regem Francorum, Alexandrum, & Victorem, innumeramque Principum, & Heroum multitudinem, cauſſam omnium maximam, & hactenus ſine exemplo inter duos Pontifices de ſummo in terris honore audituri. Cui expediendæ hæc ratio adinventa eſt; ut uterque quinos expertæ fidei & religionis Epiſcopos daret, quorum judicio res deciderctur: ſed mox id periculum ſubire Alexander renuit, urbeque diſceſſit.

Ita ſine effectu dimiſſo Concilio, Ænobarbus cum Beatrice Germanism, Victor Italiam repetiit, Cremonæque hiemavit. Henricus quoque Leodienſis Præſes rerum Mediolan. Cæſarem trans Alpes ſecutus, curam urbis reliquit Petro Cuvin avariſſimo homini, & in emungendis pecuniis nulli non arte abutenti: nulla fides, nulla pietas illi erat. Nec ita multo poſt Colonienſis Præſul, ſumma cum auctoritate reverſus, Longobardiam, Picenum, Etruriamque peragravit, civitates amicas in officio confirmando, novas ad obſequium alliciendo, demum nonnullos ſacerdotum, qui Victori refragabantur, ſacerdotiis & opibus mulctavit. Subſecutus illum eſt Hermanus Saxonus Verdenſis Epiſcopus, qui cauſſas civiles, appellationeſque, Regia auctoritate finiret: ſed ſub ſpecie iſta oves lupis objectæ ſunt.

Nam primo Petrus Cuvin permutari captivos, ut Cæſar inſtituerat, non permiſit; morientium ſine liberis opes ſibi arrogavit; quantum ex quocunque genere vini, tritici, aliarumque frugum libido inceſſiſſet, ſine diſcrimine, ſine ſpecie coegit; creditoribus pecuniam in numerato dari vetuit; & cum ex antiquis vectigalibus nullum remiſſum ſit, nova etiam addidit; nomine porci per hiemem, ſubeuntibuſque Paſchalibus diebus titulo agni, hædorumve miranda extorquebantur. Vomeris item, & quæſitorum duæ partes ex tribus omnium redituum, item ſœni, nucis, & caſtaneæ tertia exigebatur.

Et cum hæc communis eſſet omnium populorum conditio, differentius Mediolanenſes habiti; quibus tertia tertiæ, hoc eſt, nona tantum pars relinquebatur. Præterea, quæ in fundis noſtris aliena in juriſdictione exiſtentibus naſcebantur, varii carpebant Præſides: quæ in Laudenſi Henricus Suevus: quæ circa Tricium ultra Molgulam Marchoaldus: quæ in Martefana & Seprio Gozolinus Comes, & Oſtienſis Advocatus: quæ in Comenſi Paganus Baradelli Præfectus. Sed non minor vexatio & importunitas ex ædificiis fuit: cum & turrim apud Nocetam pro ærario, & Palatium Viglentini, & Moguntiæ, & Landriani; & in Laudenſi ad montem malum, varias arces exſtruerent; ad quæ loca cogebatur Mediolanenſis turba deportare ex ruinis propriis ſaxa, trabes, & gratuitas operas præbere. Interea Leodienſis Epiſcopus, cognito Vicarium ſuum Petrum Cuvin avare nimis ſe geſſiſſe, ineunte jam Septembri menſe anni ſexageſimi tertii cum abrogavit, alterumque dedit nomine Fridericum Clericum à ludo litterario, Grammaticeſque profeſſione petitum: qui & præſenti inopia & recenti dignitate impulſus, brevi diteſcere nexus, nihilo melior Petro fuit; quæ ille reſidua fecerat, quæ tertiæ, quartæve nomine miſeris relinqui ſolita erant, nova Charybdis integra abſorbuit. A.C. 1163.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XI.

EPITOME.

Ænobarbus veritus, ne Longobardum, in primis vero Mediolanenſem, ſervitutis pigeret, puderetque, & recentis adhuc memoria libertatem ſe abſente repeteret, in Italiam propediem revolvitur. Laudem appulſus, dum S. Baſſiani Leipſana in novam urbem ex vetere deferuntur, humerum ipſe pia ſarcina ſupponit. Inde Papiam progreſſus, accepta ob eam rem à populo pecunia, alterum Derthona mandat excidium. Confanenenſes ob egregiam in bello fidem atque operam feudis ac vectigalibus remunerat. Moguntiam proficiſcens per Mediolani ſuburbia, exorari ſe paſſitur, ut datos obſides diuturno carcere macerates liberos abire patiatur. Parma poſtmodum agentem Genuenſes à Bariſone Sardiniæ Tetrarcha legati rogant, eam ut inſulam eidem Regis nomine tenere liceat. Ille Bariſone ad ſe accedere juſſo, adverſus Veronenſes, Vicentinos, ac Patavinos defectionem ordientes movet: ſed illis intrepide occurrentibus, detrectata pugna, Ticinum refugit. & Bariſonem eo nuper appulſum, Piſanis nequidquam obſtrepentibus, Sardiniæ Regem dicit, non abſque præſenti pecunia; cujus cauſa Bariſon a Genuenſibus, qui eam numeraverant, in cuſtodia habetur, donec eam repræſentet. Papienſe etiam novis juribus ornato, in Germaniam novas in Veronenſem copias contra Ænobarbum moventi ſignet. Genuenſis hoſte fuga dilapſo, acceptam in continenti eladem in Sardinia vindicat, Piſano nomine inſula tota exulto. Alexander igitur Victore quidem vita, Ænobarbo autem Italia digreſſis, ad Gulielmum Siciliæ Regem confugit: Romamque ab eo honorifice tranſmiſſus, ſumma omnium ordinum gratulatione excipitur. Uberto autem Pirovenco in illiuere vita funſto Caldinum Salam nuper Cardinalem ſufficit. Cum interim Fridericus Italiæ quartum ſigna infert infeſta. Ab Tridentinis ſaltibus ingruens Brixiano ac Parmenſi ſolo ſtatim incumbit; & evaſtatis agris, & obſidibus, ne moliri res novas poſſint, imperatis, Laude ſubſiſtit. Interim Genuenſium ac Piſanorum diſcordia ſuo vitio renata ſedare negligit: ac pleriſque Longobardis civitatibus de Magiſtratuum rapinis expoſtulantibus nullum ultra verba ſolatium præbet. Inde rurſus Alexandro infenſus via Æmilia ad urbem movet: & aliquibus populatis, alias urbes incuſſo terrore, pecunia emungit. Ea deinde Ancona obſidione diſtenta, Canonanorum civitates nupera conjurationis exorſa palam, conſtanterque pertexunt: ſublatoque ad libertatem ſigno, Inſubres etiam in fœdus adducunt. Initium reſtitutionis ab ipſo capite Mediolano ducitur, ejus ruinis tum privatis, tum publicis in ædes ac mœnitiones reformatis. Deinde Laudenſis nemen in fœdus dare, quia recuſat, vexatione cogitur: ſubinde Tricienſi arce Cæſaris avario in poteſtatem redacta, pecunia omnis Mediolanum avehitur. Cæſar interim Ancona obſidione ſoluta, caſtra propius urbem admovet: & Romana acie primo congreſſu daſſella, eadem potitur. Alexandro fuga dilapſo, Paſchalem aſſerit Pontificem: a quo Imperii decora iterum accepit. Exercitu poſtilentia pene confecto, & Roma-

nis

mis fidelitatis ſacramento obligatis, Papiam in ipſius fide perſeverantem per avia revertitur: & lacertos adhuc movere fruſtra conatus, in urbibus ultra Ticinum ſitis identidem ſedes quaſi latebras mutat. Caldmus Mediolanum ab Alexandro dimiſſus mittum inter Longobardos ſœdus, cauſamque Alexandri fovet, Landenſibus, ut ſchiſmaticum Epiſcopum urbe pellant, perſuaſis. Denique, dum non modo alia in dies civitates, ſed etiam finitimi Proceres Cæſaris amicis fœderi accedunt, Guidone Blandratenſe excepto, cujus ampla ditio hoc nomine fœderatorum populationibus vexatur, Ænobarbus per Taurinas Alpes Italia tota more fugientis excedit. Fœderati, ac Papienſes cum Guilelmo à Monteferrato, qui adhuc à Cæſare ſtant, coire poſſint, & mutuis ſe auxiliis confirmare, novum trans Padum urbem quaſi coloniam collocant, qua ab Alexandro, quem Pontificem coluit, dicta eſt Alexandria: alia etiam ad commune bonum ſpectantia in Landenſi conventu decernunt. Alexander Beneventi agens legatos audit tum Graci Imperatoris opem ad Romani Imperii reſtaurationem deferentis, tum Regis Anglorum cadis Thomæ Cantuarienſis crimen ab ſe removentis. Bariſon in Sardiniam deportatus conſtituta ratione repræſentanda Genuenſibus pecuniæ, Genuam in cuſtodiam reportatur. Mediolanenſes otium nacti veteri urbi inædificant novam, ambitu undequaque laxato.

Dum ſic Itali populi lapidantur, Fridericus tertio ex Germania reverſus cum Beatrice conjuge per Octobrem ejuſdem anni menſem Laudem ſe contulit, novumque inrer Proceres adduxit Moguntinum Archiepiſcopum Conradum Othonis Palatini Comitis fratrem. Eodem mox acceſſere Victor Pontifex, Aquilejenſis Patriarcha, & Abbas Cluniacenſis: jam commodum incrementum tam publicis, quam privatis in ædificiis ea civitas acceperat; viſaque idonea ædes, in quam ex veteri urbe oſſa Divi Baſſiani transferrentur; ſuppoſuereque humeros ſacro oneri Pontifex, Cæſar, & cuncti Heroes, donavitque in fabricam Ænobarbus triginta libras denariorum, & Auguſta quinque.

Tum ſemi exacto Novembri Papiam itum: ubi ingentem pecuniam conferente populo, cœnceſſum eſt, ut Derthona, ceu in communem cootumeliam inſtaurata, denuo diruerctur: miſſis exemplo foſſoribus cum præſidio, ſine labore capta, & ſoloæquata fuit. Venit inde in ſuburbana noſtra Fridericus, & tertio Nonas Decembris tranſeunti per Viglentinum obtulit ſeſe multitudo ſqualida, inops, ſœda imbri, obvoluta cœno, denudatiſque capitibus, pauca audire rogavit; ut finem miſeriæ, modumque afflictis rebus imponeret. Reſpondit Cæſar, nec locum, nec tempus competere, ut quidquam deliberaret: ſequerentur ſe pauci Moguntiam, ubi commodius foret, quæ optarent decernere. Profecti calamitatem edocent, inopiam oſtendunt: ſed maxime omnium duram conditionem cenſent eorum, qui carceribus adhuc macerantur. Igitur, quod humani Principes inſtantibus Chriſti Dei natalibus noxiis interdum concedere ſolent, iis ut impertiretur rogant, qui non ſua culpa, ſed forte quadam lecti, obſidum nomine jam diu detinerentur. Annuit his Cæſar, & ex vultus hilaritate viſus eſt etiam gratuito concedere: ſed mox Raimaldus Colonienſis Præſul, & officio Cancellarius, nec non Comes Blandratenſis duodenos ex ſingulis ſuburbiis ab urbe evocavere, & blandis allocuti innuunt, honeſto aliquo munere recognoſcendam Cæſaris gratiam, quo & in poſterum magis propitium reddant; hortanturque, ut ipſi ſponte proponant, quantum daturi ſint: jucundius fore, quod ultro, quam quod impulſi fecerint. Admirati cives tergiverſantur, advolvuntur pedibus, & in gemitus reſoluti oſtendunt, nihil præter uberes lachrymas, & bonam mentem ſupereſſe, quod dare, quod offerre poſſint: ſit loco pretii animus, quem etiam in ſervili & victa perſona non contemnendum eſſe ſapientes prædicant. *Omittamus iſtam ſapientiam*, inquit Colonienſis, *pecunia enim opus eſt*; & brevibus agendo, juſſit eos, antequam recederent, cavere ſolvturos intra Kal. Februarias octingentas octoginta libras Cæſareæ monetæ.

Inde cum ſtructuram Landriani Palatii viſitaret Ænobarbus, recognovit merita & fidem egregiam Aloni Papienſis Vexilliferi, cumque, & Guilelmum fratrem, ac Joannem nepotem, & bona in protectionem accipit, legitimumque decernit, quidquid poſſiderent in Caſſiolo, Cerano, Candia, Cottio; & item vectigalia ibidem pendi ſolita, præter collectionem auri Viglevanenſis, & vinarium cenſum à mercatoribus inter Padum & Ticinum exigi ſolitum: duratque in hanc diem eorum genus, Candiæ adhuc, & propinquæ illi Villatæ, cujus ædificia Seſſites amnis abraſit, domini: & à ſigno ſerendo Conſanonerios poſteritas nuncupavit.

Hinc profectum in Piccntes Fridericum lego; & Februario menſe anni ſexageſimi quarti apud Fanum urbem cum Legatio Genuenſium apprehendit, cujus principes erant Balditius Uſusmaris, Corſus Sigiſmundi Conſules, Bonvaſſallus Antiochiæ, & Guilelmus Jordani, qui venerunt ſciſcitaturi, quid vigore fœderis junĉti à ſe agi Cæſar vellet, moturus arma adverſus Guilelmum Normannum Siciliæ Regem: ſed tunc perpaucos ſuorum Fridericus habebat, cauſatuſque abſentiam eorum, quorum uteretur conſilio, reſpondit ſe certiora in Longobardis declararurum: reverſuſque Parmam dixit, ſe trans Apenninum iturum, cupereque propterea adiri ſe pro dignitate a frequenti Ligurum nobilitate Serzanæ, vel quocunque alio circa portum Veneris oppido: ſed nondum Parma digreſſo ſopervenium duo alii Genuenſes Legati Philippus Juſta, & Bonvaſſallus Bulphericus, & cum iis Hugo Epiſcopus Sanctæ Juliæ, (quæ civitas in Sardinia poſita aliquid priſci nominis ſervat, ſiquidem Julio lam Ptolomæus deſcribit) qui Bariſoni Judici Arboreenſi novum titulum quærebant. Etenim quatuor in præfecturas tunc Sardinia dividebatur, quas *Judicatas* vocabant, & earum Magiſtratus Judices: duarum antiqua nomina durant Calaritana Colonia, & Turris Libiſſonis Plinio, Ptolomæoque memoratæ: reliquæ Arborea, & Caluris: in qua re Metula bis deceptus eſt, qui & tres tantum Inſulæ partes exiſtimavit, nec eas diſtinxit; & qui non Calurim, ſed Galluram, ſecutus vulgarem ſermonem, ſcribit: nec partem Inſulæ, ſed cognomen nobilis Piſanotum familiæ arbitratur.

Bariſon ergo Arboreenſis, tantum fortaſſe tunc opibus & potentia æqualibus ſuis anteccdens, ambiendum ſibi nomen Regium duxit: & cum non ignoraret Cæſarem circa Padum obverſari, duoſque invicem populos æmulos, quibus ob ingentes mercaturas obnoxius ipſe eſſet, Piſanum & Genuenſem, plurimum apud illum pollere, diuanceps fuit, per quem potiſſimum inſinoaretur: tandem placuit Genuenſium opera uti, miſſiſque ſimul Legatis, mentem Cæſaris exploravit: demum pro honore adipiſcendo quatuor mille marchas argenti paciſcuntur: datiqoc ex aula Cæſarea, qui pariter cum Oratoribus ad Bariſonem ex inſula deducendum proficiſcerentur, Guido Guerra Intemelienſis, Obizo Malaſpina, Obertus Olevanus, & Burgundius Sanctonazarius Papienſes.

Interim Ænobarbus, omiſſo Lunenſi itinere, Laudem & Papiam venit, cognoſcitque conſilia nova agitari Veronæ, Patavii, & Vicentiæ; & pecuniam à Venetis ſubminiſtrari; timebatque quorſum ea tenderent; promptaque metus cauſſa erat, inhumanitas pluſquam barbara, avaritia iocxplebilis, ſævitia intolerabilis, cum cæterorum omnium ejus miniſtrorum, tum Comitis Palatioi, cui poſt ſublatum Turiſendom, donata Garda fuerat: veritus inque Fridericus, ne latius id malum ſerpe-ret, præmiſſis eo Ducibus cum parte copiarum, qui, ſi poſſent, & præſentia ſua & fama affuturi Cæſaris male cogitantes territarent, ipſe à dediti ſſimis civitatibus Cremona, Laude, Papia, Novaria Magiſtratus, & primarios cives evocat, humanoribuſque verbis compellans, ut in fide perſeverent hortatur, ſi qua injuſte patiantur, querelas ad ſe deferant, quoniam vel jure, vel compoſitione rebus conſuleret, adeo conſcientia ſua terrebatur, ut etiam de horum fide dubitaverit. A quibus cum bono animo eſſe juberetur, & tuta omnia, & officii plena eſſe reſponderetur, in Veronenſes iter init, & quoniam perexiguas ex Germanis copias habceret, quotquot poſſint, Longobardorum ſe ſequi jubet. Et jam præmiſſi Duces Rivulum & Aſpendium permunitas tunc arces (nuoc vix earum oomina exſtant) occupavere. Quarum defectione, vel majeſtate jam adventantis Cæſaris nihilo territi conſpirati, magno illi animo, paribuſque viribus ſe oppoount; explicatiſque aciebus oſtenderunt, quibus cum res ei futura eſſet. Quibus perſpectis, diffiſuſque pauitate ſuorum Ænobarbus, non ſine ignominia detrectati certaminis recepit ſe retro, & ſilentio collectis vaſis Papiam rediit.

Quo tempore pariter reverſi ex Sardinia Legati Bariſonem adduxerunt: & conſtitutis, quæ ad rem neceſſaria erant, tertio Nonas Auguſti in majori æde ſacris rite peractis, coram Cæſare in ſolio ſedente ſtatuerunt, cui Fridericus coronam impoſuit, & reliquis oruamentis decoratum Regem Sardorum pronunciavit: inde triduum ludis, venationibus aſſumptum; & interim menſæ, epuliſque Cæſareis Bariſon adhibetur: id quod ægre tulere Piſani; quia in eo negotio poſtpoſiti Genuenſibus erant. Itaqoe non temperavere, quin Cæſari ipſi factum ut iniquum exprobrarent, ſuamque eſſe vetuſtiſſimo jure, poſſeſſioncque, Sardiniam aſſerentes, Bariſonem ipſum non ſolum vectigalem ſuum in Arborea regione, ſed ruſticum quondam inopem paulo ante ab aratro productum caſu ignoto emerſiſſe in dignitatem, quam nec integram teneret, objecerunt. Non tulere probrum, indignaque convicia legati Genuenſes: & jam relicta Bariſonis cauſſa, quem pernobilem ac prædivitem Tetrarcham probarunt, & ex illius ditione quotidianum victum quærere Piſanos dixerunt, his congrediuntur: *Veſtram, ô Piſani, vos jactatis eſſe Sardiniam, & id coram Cæſare, nobis ſpectantibus, audientibus? quo jure, quo merito, quibuſve armis, aut quo tempore parta vobis inſula eſt? an ignoratis, obſcurumve apud exteras nationes eſt, Ligurem Tyrrheni maris dominum late imperiſſe aquarum, inſularumque potiri? &, ut de hac ipſa terra agamus, nonne ſatis exemplo eſt Muſſayius Caralitanus promontorio tyrannus, quem avorum memoria adita inſula nos prohibere conantem, & navigantibus omnibus inſeſtiſſimum piratam aperto bello perſecuti ſumus, victumque, & in poteſtatem redactum duximus in triumphum, ac inde in Germaniam ad Romanum Cæſarem miſimus; ex qua victoria non ſolum pax nobis, & quies in Sardinia fuit, ſed conſenſu etiam gentium hoc tributi genus nobis conſtitutum eſt, ut quotiens peregrinus mercator in Sardoe mari occurrat nobis, ſponte offerat, &, ut accipiamus, hortetur, clypeum pane plenum, binas piperis pixides, & totidem vini amphoras: id quod fecere Itali, Siculi, Afriqne homines, atque in primis Calabri, Apuli, Neapolitanique negotiatores, qui centum abhinc & quinquaginta annis noſtra maria verſarunt. Adde quod ſub feſtum Reſurrectionis Dominicæ Judeæ Caralitanus Genuenſi multitudini, qua in inſula ſit, quotannis tantum caſei tribuit, quantum duo junctı boves carro vehere poſſint. Præterea magna reditnum pars, quibus Eccleſia noſtra prædives eſt, in Sardis ſita eſt.*

Quibus auditis, parantes reſponſum Piſanos ultra non tulit Fridericus, ac iis tacere juſſis, ornando, ampliandoque novo Regi intenderunt; triduoque jucundis rebus exacto, declaratur Bariſoni, numerandam eſſe Cæſari pecuniam: fatetur is debitum, obnoxiumque ſemper Cæſareo numini ſe futurum dicit: ſed propter inopinatum ſuum ab inſula receſſum, & factas expenſas, non eſſe ſibi in præſenti facultatem: fidemque obſtringit, ſe quamprimum omnia ab domo miſſurum: ſed ſurdis auribus fabulam canebat; affirmatur enim, cum Papia non digreſſurum, donec argentum repræſentetur. Inops re, conſilioque ad Ligurem convertitur: & quos auctores dignitatis habuerit, iidem ut conſervent, rogat: demiqoe mutua conceditur: qua perſoluta, Genuam petit, ampliterque acceptus gratias collati, cumulatique in ſe beneficii agit: tum de pecuniæ cautione tractatum, quæ cum præſens nulla ratione eſſe poſſet, inſuper adjuncta eſt impenſa claſſis, qua oovus Rex ad inſulam tranſportaretur: ſed injuncta Præfecto cura eſt, ne prios in terram cum exponeret, quam ſatisfationem accepiſſet: nam non parum ſuſpicionis ex eo Rex ipſe fecerat, quod Piſanum ſcribam officii cauſſa forte Genuam ſecutum ſecreto à Patribus in colloquium admiſerat. Nec vana eorum ſuſpicio fuit; ſiquidem poſteaquam ad inſulam perventum eſt, crebris ouncis io terram dimiſſis, non niſi verba & procraſtinationes numerandæ pecuniæ renuntiantur: mox cognitum ex indoſtria necti moras, pararique inſidias; propterea quod & in proximo nemore frequentes convenirent armati, & non procul in mari viſa fuiſſet Piſana claſſis, quæ ſi propinquaret, haod dubie vim faceret. Adeo ingenioſi fuerat ot Piſani, ut quem pugnando deprimere non potuerant, obſequendo, demulcendoque, & qua ratione Genocnſem pecuoia intervertere poſſet, inſinuando, reconciliaverint. Sed non proceſſere doli. Ligur enim ductor ut ea cognovit, ſublatis anchoris Genuam renavigat, & creditoribus regem vinctum tradit.

Inter hæc Victor Pontifex Lucam profectus moritur, cui aſſeclarum ſuffragiis, intercedenteque Rainaldo Colonienſi Præſule, ſufficitur Guido Cremenſis, quem Paſchalem tertium vocavere.

Eodem tempore Fridericus ut Papienſiom animos magis ſibi obnoxios redderet, novum privilegium dedit, quo & Conſules ſuos tam publicis rebus, quam juridicundo eligerent; & ex flumioibus aquas pro irrigandis prædiis ducerent, Ugonia, Tordubio, Ticino, Olona, Barona, Coirono, Staphola, Cadrona: additum, ne quiſquam in Ticino Plumbiam uſque pootem fabricaret: qua ratione Mediolanoeſem jure amnis excludebant, cujus longitudinem Plumbia fere terminat: item ſancitum, ne Laumellum oppidum unquam in poſterum inſtauraretur.

Tum memor acceptæ in Verooenſi ignominiæ Cæſar, per Septembrem menſem io Germaniam ad comparandas majores copias contendit; ſecutique ſunt Piſani Oratores, quos Sardinienſis caoſſa angebat: nec deſtitere ambiendo, obſecrando, pecuniam maximam pollicendo, dooec totius inſulæ ditionem impetrarunt. Exſtat diploma quatuor, quas ſupra retulimus, præfecturas complectens.

Interea Mediolani novis vexationibus, noviſque tributis populus exagitari: nomine manſionis quotannis

annis viritim tres ſolidi exigebantur; in ſingula boum juga nummi duodeni; & in ſingulos ſocos totidem; ex molis frumentariis, quæ navigabili amne verſarentur, viginti quatuor; ex aliis tres ſolidi veteris monetæ; piſcatores, maxime inops hominum genus, tertia piſcationis parte intervertebantur; aucupes & venatores tota præda & gravi ære mulctati, flagris inſuper cædebantur.

Auxit temporum calamitatem rei ſacræ longe omnium eminentiſſimæ jactura. Erant trium Magorum, qui Chriſtum Deum recens natum adoraverunt, corpora in ſuburbana Divi Euſtorgii æde prægrandi ſepulchro, quod & exſtat, clauſa. Quorum excellentiæ admonitus Rainaldus Præſul ea, ſimul & oſſa Naboris & Felicis, quarto Idus Junii ſuſtulit, & in ſuæ Diœceſis Metropolim tranſtulit, ubi adhuc ſumma populorum veneratione coluntur.

Auguſto mox menſe Henricus Leodienſis Epiſcopus Papiæ moritur, cui in Præfectura Mediolanenſi ſufficitur Marchoaldus Grumbrach, & illi Ruynus in Triciana: bimeſtri poſt pervenit ad Nocetam Marchoaldus, cui ob recentem honorem prægrandis ſcyphus pecunia plenus dono à populo Mediolanenſi datur: æſtimatio argenti fuit quatuordecim millium librarum. Tunc omnibus in verba ſua adactis, Vicarium poſuit Abbatem Cœli Aurei Papiæ, cui ſocios exigendis tributis addidit Henricum Arbelam, Nordanum Scacabarotium, Anſelmum Hortum, & Aliprandum Judicem, qui miſerorum reliquias vorantes, verbis inſuper illudebant; & nova vectigalia excogitabant, ut in prata jam ſecta, & nemora inciſa, & terras infra viginti annos cultas; librumque confecere, qui à re ipſa, *Triſtium* nuncupabatur: in eo relata debitorum nomina, & quid quiſque pendere teneretur. Præterea mille lignorum plauſtra exacta, quingentique porci, & fœnum, & pulli, & coacti gratuitis operis trabes, ſaxaque etiam Papienſium (quod maxime erueiabat) condendis domibus, palatiis, villiſque convehere.

Idem annus inſignis fuit bis ſexto & defectu lunæ, quamvis duodecima tantum eſſet, poſtridie Nonas Junias. Egelida quoque hiems fuit, & notatum ab Idibus Decembris duodecies cumulatam
A.C. 1165. nivem, incubaſſe terris, in Idus uſque Martias ſubſequentis anni ſexageſimi quinti; ad eamque diem nullos coli agros potuiſſe: atque inde in Julium uſque menſem nulla res memorabilis acta.

Tunc Marchoaldus duodenos ex ſingulis Mediolani ſuburbiis viros Moguntiam evocat, & coactos in concionem docet, oportere intra viginti dies quadringentas nummorum libras expediant: à quibus etſi difficultates allegarentur, mox tamen traditæ ſunt: reliquorum tributorum viriles portiones qui in tempore non pendebant, in duplum damnati; alii totis prædiolis mulctati ſunt.

Tunc quoque Arnaldus Barbavaria Placentinorum Poteſtas deceſſit, non ſine opinione inſiniæ, quam brevi congeſſiſſet, pecuniæ; cum à duobus tantum civibus Hugone Speronis, & Alberto Malnepote undecies mille marcbas argenti extorſiſſe fama ſenerit; & Divi Antonii templum tunc donarns opulentum ſpoliaverit; & in implendis foſſis urbis, & condendis turribus, quas omnes ad altitudinem viginti bracbiorum depreſſit, multa alia exegerit.

Cæterum Piſani privilegia Cæſarea tumidi, quinque & viginti triremes armant: & improviſi Albingaunum petentes, eam urbem diripiunt, atque ſuccendunt, & præda navibus impoſita abeunt. Genuenſes ea re audita, confeſtim duplo majorem claſſem armant, atque eodem navigant; ſed jam digreſſum hoſtem, qui altum petiverat, & fumanta tecta invenere. Inde ergo in Sardiniam veladirigunt, & capta Arborea præfectura, ad Caralitanam tranſeunt; cujus Judex Petrus imperata facere coactus, decem millia nummûm perſolvit, ac tributum annuum centum librarum argenti Fiſco Genuenſi, & unius menſæ Archiepiſcopali pollicitus eſt: tuncque Piſanum omne nomen tota ditione exactum.

Ineunte mox anno ſexageſimo ſexto Alexander Pontifex per mortem Victoris, & abſentiam Ænobarbi, oblatam ſibi occaſionem cernens rei gerendæ, ad Italos redire conſtituit: atque ex mediterraneis Galliæ urbibus præmiſſis ad Narbonenſis Provinciæ littus Cardinalibus ſuis, & Mediolanenſibus exulibus, parata navis oneraria eſt ad Magalonam urbem, quam ex ſitu & nomine affinitate opinor à priſcis Agatham, & interim Agathopolim vocatam. Cum mox Pontifex navem adſcendiſſet, proſpectæ procul ſunt advenientes Piſanæ triremes; quibus viſis, referri in terram ſe Alexander juſſit; & illi accedentes, cognito illic non eſſe Pontificem, ſine injuria receſſerunt. Tum iterum conſcendit Alexander, & proſperam navigationem precatus, oram ſolvit, brevique Meſſanam Siciliæ urbem delatus eſt: quod ut Gulielmo Regi nunciatum eſt (is tunc Panormi agebat) ſtatim legationem ampliſſimam cum muneribus miſit, quæ adventum gratularetur; ac deinde quinque triremes expedit, quibus Alexander Salernum, & inde ad Tiberim tranſmiſſus Romam ſubvehitur: ubi ſumma populi, Clericique lætitia exceptus, & ceu novum ſidus adoratus, in ædes Sancti Pauli diverſatus eſt. A.C. 1166.

Interim magna pars peregrinorum, & in primis Mediolanenſes ſacerdotes maritimum iter pertæſi ab Salerno Beneventum tranſiverant: hic Ubertus Archiepiſcopus ſenio, morboque ſolutus naturæ conceſſit; ibidemque in Sophiæ templo tumulatus. Et Alexander decimo tertio Kal. Majas rogatu omnium, qui aderant, ſucceſſorem dedit Caldinum Salam Archidiaconum, multis virtutibus & doctrina præditum, & quem paulo ante ordine Cardinalium ſub titulo Sanctæ Sabinæ donaverat. Ita exiguo intervallo duos ampliſſimos honores calamitatis & exilii ſolatia Caldinus accepit. Eo eodem tempore Mediolani Præſes Marchoaldus moritur: cui Henricus Diſce Comes Poteſtatis nomine ſubrogatur; eique ſtatim mille & quingentas libras enumerari oportuit.

Alexandri vero adventu multi ad ſpem rerum novarum erecti ſunt. Et Ænobarbus Longobardorum rebellionem veritus, quam primum ad eos contendit. Veniens igitur per Tridentinos ſaltus, Beatrice uxore comitante, Novembri menſe quarto in Italiam deſcendit: ex itinere Brixianorum; Parmenſiumque agros evaſtavit; & quod de eorum fide dubitaret, ſexaginta obſides imperavit. Laudæ conventu habito, de petenda Roma, pellendoque iterum Alexandro deliberavit. Interim populi, quibus ſuperbe avareque nimis imperabatur, circumfuſi expoſtulant injurias, deplorant verbera, cædes, extorſiones, vitamque qualibet morte deteriorem. Mirari ſe iſta Fridericus, & nova videri, & ſi vera ſint, præter voluntatem ſuam fieri, reſpondit: daturumque ſe operam, ne quis impune auctoritate abuteretur. Mitè reſponſum ſpem hominibus dedit, acta caſtigaturum: ſed nulla re mutata, nullo admonito, ut ſæltem in futurum humanius agerent, opinio invaluit, in victoria Barbaros nihil minus, quam ſubditorum commoda curare, nulli magis rei, quam pecuniæ ſtudere: nam nihil poſtea injuſti, nihil impii fuit, quod non licere ſibi arbitrarentur; quod admittere non auderent. Miranturque temporum illorum ſcriptores, tantam hominibus patientiam fuiſſe, ut taciti omnia ferrent, ut nemo ferrum in prædones illos verius,

quam Magiſtratus, ſtrinxerit: nemo biſcere audebat, nemo à terra tollere oculos, cum & pauciſſimorum colloquia ſuſpecta forent, nocturni conventus prohibiti adeo, ut ſi quis ultra crepuſculum domo exiiſſet, ſuſtibus cæſus, pecunia inſuper mulctaretur: teterrima ubique ſervitus erat.

Cæterum Gulielmi Marchionis Montiſferrati ſoror, nupta præpotenti cuidam Saraceno in Hiſpania fuerat: ex ea natus nepos eodem nomine Gulielmus jam adultus, per hæc tempora ad ſalutandum avunculum venit, non paucorum equitum manu comitatus. Hujus adoleſcentis præſentia, & vicini Cæſaris opinione Gulielmus Marchio inſolentior factus, tum proditionibus fretus Palodium Genuenſis ditionis oppidum invadit, & brevi potitus eſt. Detulere Genuenſes querelam ad Cæſarem, qui nihil aliud decrevit, niſi ut Palodii pretium Marchio perſolveret. Quo reſponſo indignati Ligures, ne id quidem accipere voluerunt. Hic Piſani ſubjunxerunt, ut Cæſar juberet, illos Sardinia decedere, qui infenſi jam eſſent, & ubi amicos ſe oſtendunt, nihil niſi verba afferunt; ſe vero & gratia aliàs multa officia exhibuiſſe, & noviſſime, quia Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus Auguſtali nomine dominos inſulæ nuncupaverit, ſacramentum exegerit, tredecim millia marcharum argenti perſolviſſe: æquumque cenſere, ut id Cæſar ratum haberet. Aderat Moguntinus, affirmavitque omnia.

Quare converſus ad Ligures Ænobarbus, ut de cætero Sardinia abſtinerent, monuit: ſed minime æquis auribus accepere Ubertus Spinola, & Simon Auria, quibus quamvis calor animi graviora ſuggereret, mox tamen compoſita mente ſic locuti ſunt: *Sine fraude liceat coram Cæſare verba facere, & conceptum animi exponere, aqua præſertim & juſta petenti: contraria qui fovent, qui appetunt, erubeſcant penitus, & ab aula recedant. Non deſinunt Piſani & tibi, & nobis pariter moleſti eſſe; favore tuo recuperare Sardiniam nituntur, quam & civili, & belli jure amiſerunt: nam noviſſime etiam quæſita à nobis tota in inſula, inventa non ſunt: certe aut fronte cefferunt nobis, aut ubi ſigna noſtra fulgent, comparere non audent: nam quod recens conventa cum Moguntino Præſule pretendunt, habeant ſane, utantur diplomate, ſi à nobis te cum ipſo inita non anteponenda ſunt, ſi nihil Cæſaris fides, & juſjurandum valet: adhuc in viridi littera eſt, qua te nullam pacem, nullum compoſitionis genus cum Piſanis initurum recepiſti, niſi conſulta, aſſentiente que civitate Genuenſi; & niſi Piſani quingenta millia librarum perſolverent: & do Sardinia ipſa Bariſonem propria manu coronaſti; alios nunc dominos nuncupare æquum non videtur: & à majoribus accepimus, non ſolere Cæſarem duobus eodem de re privilegium conferre: nec jactandi gratia dictum ſit, multa ſæpe nobis oblata fuiſſe, que cum Piſani juris eſſe cognoſceremus, accipere noluimus, ne bonis vicini aliena uſurparemus, quemadmodum jam tandem eos facere decuit: nam ſi jure contendunt, tolle Cæſar edictum, nec verbo tuo præjudicium feceris, & quibuſvis Aulæ Heroibus cauſſam judicandam committe, aut ute ipſe cognoſcas.*

Surrexit ad hæc Cæſar, & dextera pileum tenens, *Vera te, Uberte*, inquit, *fari arbitror, & conventorum inter nos memini, & propterea inſula non pello; verumtamen que Piſanorum ſunt, vobis tribuiſſe nolim, nec, ſi quid Bariſoni datum eſt plus, quam jus, faſque ſit, intelligi oportet.* Victi hac oratione Piſani, haud tamen quievere; ſed probris Ligurem lacerare non ceſſantes, fidem ſuam, devotionem, adita pericula ob nomen Cæſareum jactitabant: denique facta oblatio eſt, ut armis altercationem finirent, pari modo pugnantes: jus victoriam ſequeretur: tractata res diu verbis evanuit: mox decretum, ut Colonienſis Archiepiſcopus utramque civitatem aditet, reſque componeret; quod ille nec exſecutus eſt.

Peracto Laudæ conventu, Fridericus tertio Idus Januarii anni ſexageſimi ſeptimi, quamvis inſolita frigora prodigioſæ, id eſt, duorum cubitorum altitudinis nives induxiſſent, iter tamen Romam verſus capit. Bononiamque profectus, cum civium fidem nutare dubitaret, illorum fines populatus non ante reliquit, quam centum obſides acceperit, quos Parmam in cuſtodiam miſit; item ſex mille libras Luceuſis monetæ exegit: tum per Flaminiam incedenti, ut à maleficio abſtineret, pecunias dabant Forum Cornelii, quæ jam inveteratu vocabulo Æmilia dicitur, Faventia, Forum Livium: inde obſidendæ Anconæ cura implicatur. A.C. 1167.

Interea in Longobardis varii rumorea, arcanique ſuſurri novarum rerum circumferebantur, quibus territus Henricus Diſce Mediolanenſis Poteſtas ceutum ex primariis viros deſcribit, quos ire in carceres Papiam jubet; ſimul ingentem pecuniam imperat: perſolutæque quingentæ libræ: mox cum certior fama inſonaret auribus, circa Venetiæ & Cænomanorum civitates fœdera jungi, excrcitua ſcribi, ad pilcum, ad libertatem ſervos vocari, ex iiſque omnium animi nova exſpectatione ſuſpenderentur, Henricus, ut Mediolani cœtus cohiberet, & ab his ſtudiis territaret, diverſos viros Papiam captivos mittit; mox centum alios imperat; ignem tectis rebuſque minatur.

Verum induſtria & ſimulatione quorundam procraſtinata res eſt tantiſper, dum omnia in apertam mutationem venerunt: namque brevi ex Tranſdduanis regionibus advolarunt armatorum agmina, quæ pulſis, cæſis, captis Friderici Cæſaris nomine agentibus, Italiam fœdo Barbarorum jugo liberarunt. Conſpirationis auctores fuerunt exules Mediolanenſes, & civitates Brixia, Bergomum, Cremona, Mantua, Ferraria. Cum quibus ita cautum eſt, ut quoniam Mediolanum caput, & emporium univerſæ Longobardiæ foret, illud in primis reſtitueretur; plebes ſuæ reducerentur, præſidia non prius inde recederent, quam ipſimet ſe undique tutos judicarent: idem erga reliquos ſocios futurum, & mutua fore auxilia, quacunque hoſtis ingrueret.

Igitur, quod fauſtum utileque fuit, quinto Kal. Majas diutino magis quam longo poſtliminio iis adjuti copiis cives noſtri in urbem revertuntur; notos quiſque lares repetunt, quamvis informes, ſqualidos, muſcoſos ſubeunt, rudera moliuntur, tecta obducunt; dumque privata reficiunt, minime negligentes in publicis ſe præbent: ſiquidem foſſas repurgant, vallum erigunt, ac cætera gnaviter peragunt, quæ præſenti neceſſitati conducere viderentur. Nam & Laudenſium vicinitas, quanti referret in primis æſtimata; laboratumque eiuxe eſt, ut hi quoque in ſocietatem venirent: & quia perdifficile id futurum non ignorabant, eam curam ſuſcepere Cremonenſes, quibus vetus amicitia & multiplex neceſſitudo cum illis intercedebat; ac proinde major fiducia tentandi eos inerat.

Profecti igitur Oratores vocatia in concionem Laudenſibus, quid actum nuper ſit à Longobardis populis, & quæ civitates nomina dediſſent, quæque propediem exſpectarentur, exponunt: & quibus Præſidum injuriis, contumeliiſque coacti ipſi cocuntibus in fœdera acceſſerint; amare ſe Laudenſes, pro quibus & ſæpe arma tulerint, & cum boſtibus pugnaverint; cupere nunc quoque ſe eis utiles ſocios eſſe, ac propterea, hortari, rogare, ut & ipſi tranſirent in partes; non tam quidem Cæſari repugnaturi, quam cum aliis non paſſuri, injuſte, indigneque à barbaris hominibus & ſe, & vicinos populos amplius lacerari: obteſtantur inſuper, ne com-

communi libertati deeſſe velint; ne ob aliqua unius civitatis odia univerſæ Longobardiæ ſtragem, calamitatemque nutriant: hoc uno merito poſſe cuncta præterita aboleri; non ſemper eadem tempora eſſe; nec æterna inter homines emanare odia certum eſt.

Abhorruere ſtatim, abominatique ſunt iſta Laudenſes, & increpantes propoſita, mirari ſe admodum hæc à Cremonenſibus non ſolum dici, circumferrique veteribus ſociis atque amicis, ſed vix cogitari potuiſſe, qui tot ſacramentis adſtricti, innumeris beneficiis aucti, benignum, clementem, liberalem Cæſarem experti eſſent: proinde faceſſerent, & prudentia magis, utilioraque cogitare dominos ſuos juberent.

His auditis Cremonenſes non dubitavere iterum idem experiri, ſecundamque in eam rem legationem miſere: ſed his multo acerbius à Laudenſe reſponſum eſt. Quæ ſociis civitatibus ſignificata, commoverunt omnium animos, ut decernerent, aut ſtatim babendam amicam Laudem, aut inimicam nocere non poſſe. Terreſtres, navaleſque copiæ undique accerſuntur, machinæ expediuntur: mittitur interea tertia legatio, quæ, & dicta prius repetat, & excidium urbis denunciet, niſi propoſito cedant: expoſita hæc Laudenſibus mœſtam quidem multitudinem fecere: ſed cum inſideret animo Cæſareum nomen, à quo & novæ ſedes datæ, nova civitas condita, libertas conſtituta, dimoveri ſententia non potuere: juvat gratos eſſe, juvat extrema quæque tantis pro meritis ſubire.

Interea Lambertus Cæſaris Procurator, & Comes Lantelmus Cremenſis, & Manſredus Murena, quatuorque alii equeſtris dignitatis viri Papiam ad explorandos ejus populi animos proficiſcuntur. Longobardi vero deſperata Laudenſium pace, bellum eis quarto Idus Majas inferunt; totis agris hoſtiliter diſcurſant; tum propius urbem copias contrahunt: erumpunt in hos oppidani, multaſque ſtationes obſidentium perturbant; quin & pontem in Addua fabricant, quo ab altera ripa juvari commeatibus poſſint: confugerat autem intra urbem ingens agreſtium turba, & omnis generis pecora, jumentaque congerat, quæ jam deficiente pabulo moriebantur: eademque neceſſitas jam homines comprehendebat, cum tandem impulſi fame, ſimul quia nondum reverſis Oratoribus à Ticino, Papienſem in partes tranſviſſe quodam rumore vulgatum eſt, animo flectuntur: mittunt ad Duces hoſtium, qui dicant, ſe optata facturos: benigne recepti conficiunt tabulas, quarum formula adhuc exſtat: *Socia civitates Mediolanum, Cremona, Brixia, Bergomum, agrum Laudenſem ab omni injuria tutum præſtarent: civitatem ipſam qui defenderent, ubi vis ingrueret, mille & amplius viros armatos propria impenſa darent; maxima ejuſdem latu duo, alta duodecim brachia conſtrui adjuvarent; decima olim Mediolanenſibus præſtari ſolita, amplius non peudatur; libera quoque foret terra, quam tenent trans Adduam Mediolanenſes à ponte Fanzagi ad Caſtrum Epiſcopi Cremam verſus, & à Juvenico veteri verſus Cremonam liberos commeatus, liberamque mercaturam a veſtigalibus civitatum, liberamque Padi navigationem aque ac Papienſes haberent; & ante omnia pax à Pontifice impenſa ſociorum redimeretur. Contra Laudenſes ſocios non laderent, nec eteam Mantuanos; bello & pace adjuvarent Venetum, Veronenſem, Vicentinum, Patavinum, Tarviſinum, Ferrarienſem, Parmenſem, Placentinum, & ſi qui alii nemus in fœdus darent; & id quidem ſalva fide Friderico Cæſari dictu.*

Quibus conſtitutis, obſidionem ſolvunt; & ſine intermiſſione Tricium ducunt: cujus arcem muro craſſiſſimo Germani munierant, & turrim altiſſimam immanibus ſaxis quadratis inædificaverant.

A Durat adhuc mirandum opus, in quo Cæſaream gazam Ruinus Præfectus aſſervabat: hanc obſidione cingunt, muralibus machinis quatiunt, ponte Adduam jungunt, & in altera ripa neceſſaria expediunt. Inanes tamen conatus omnes ceſſere, quoad quæ mandi poſſent, ſuppeditarunt. His deficientibus, victa arx eſt, & tandem decimo Auguſti die dedim. Ruinus, & Germani, pauciique Longobardorum cum pecunia multo ſtudio & diligentia congeſta Mediolanum perducuntur.

Dum hæc in Longobardis aguntur, Friderícus circa Anconam in Julium menſem fruſtratus deſidet: mox pactus pecuniam, & quindecim obſidibus acceptis, Romam verſus pergit. Præmiſſi Anteſignani duo Arebiepiſcopi Colonienſis & Moguntinus; tum Robertus Baſavilla, Andreas à Rupecanina, Macharius Comes, & alii Proceres Tuſculum pervenerunt, majore longe fama, quam res foret, adventantis exercitus Romam uſque tranſmiſſa: vix enim mille bellatores equites cum forent, ſupra decem millia eſſe jactabantur: diſcordabant tunc forte à Romanis Tuſculani ob tributum, quod ſolito gravius petebatur: idque tanto conſtantius pendere hi recuſarunt, quo præſentiorem opem ex propinquitate peregrini exercitus, alioqui Romanis ob receptum Alexandrum Pontificem infenſi, ſenticbant: ergo Romani, ut bis occurrerent, quantas maximas poſſunt copias contrahunt, (ad triginta millia armatorum coiviſſe, proditum eſt) quæ Tuſculanorum fines incurrunt: objicit ſe his Germanus exercitus, diuque ancipiti Marte pugnatum eſt. Cumque jam multi utrinque cecidiſſent, & Romanus multitudine prævaleret, haud cunctandum diutius ratus Colonienſis Præſul, Aquilam de manu ſigniferi rapuit, & clamans, *O Commilitones hac iter nobis eſt*, medios in hoſtes irrupit: ſecutique eum robuſtiſſimi juvenum tanto impetu ſunt, ut irruentes nemo ſuſtinuerit: repente fuga facta, memorabilem cladem Romani accepere: nam ſupra duo millia interfectorum, & tria captivorum deſiderata fuiſſe referuntur, qui Viterbium in carceres ducti: nec mora Alexander relicta Roma, Beneventum ſe contulit.

Ænobarbus autem audita ſuorum victoria, Tuſculum nono Kal. Auguſti ingreſſus, Romam lætus acceſſit: ſimul ad amicas civitates, Piſas, Genuamque ſcribit, ut quamprimum auxilia pro viribus mitterent, quibus deficientium ſuorum numerum ſuppleret. Et Piſani quidem ne rivalem Ligurem haberent, integrum ipſi numerum polliciti ſunt. Cæterum Friderico quamvis nonnulli adhuc ſeſe opponerent, tamen potitus urbe, Paſchalem introduxit; & ab eo circulo primum anreo, deinde diademate amplo, gemmis margaritiſque fulgente, ſimul cum Beatrice coronatur: tum in urbem procuratores dimittit, qui à populo ſacramentum exigerent: quæ dum fiunt, nubes atra clariſſimam matutini cæli lucem infecit, & ex ea denſiſſimus imber effuſus, ſubſecuta iterum ſerenitate repentina, peſte aerem contaminavit: maxime noxius peregrinis morbus fuit, adſtrictiſque vitalibus, ſine mora homines moriebantur: ac tam frequentes cadebant, ut vix officium veſpillonum ſepeliendis cadaveribus ſufficeret. Invaſit quoque exercitum Friderici pernicialis lues, nec in gregario ſolum milite perbacchata eſt, ſed in Proceres etiam, & honeſtos viros deſævit: ſupra duo millia Nobilium in rationem Labitinæ venille memorantur: inter quos Fridericus Rotemburgenſis Ænobarbi ipſius patruelis, Guelphus Guelphi Ducis filius, Colonienſis Archiepiſcopus Rainaldus, Carolus Conradi filius, Henricus Leodienſis Epiſcopus, & complures alu, quorum nomina litteris non ſunt tradita.

Acerbus quoque Murena ſcriptor noſter diu febri affli-

afflictus, tandem juncta duobus eqoia lectica in patriam redire conſtituit: ſed Senas non exceſſit; ibi namque prægravante morbo, defecit XIV. Kal. Novembris, viaque Æmilia ſepultus, quæ quidem ſacra recipiendis peregrinorum cadaveribus habetur. Vir ſuit honeſtiſſimi ingenii, induſtria, & probitate Cæſari gratus, & ut olim Mediolani, ſic nunc quoque Romæ inter procuratores exigendi à populo ſacramenti delegatus.

Jam nimia ſuorum clade deterritus Ænobarbus, infeſto cælo cedere conſtituit: relictoque Viterbii Paſchale cum iis, qui pauci ſupererant ſqualidi, macilenti, abraſi capite, Piſas & Lucam contendit: ad Macram amnem cum appropinquaret, clauſtra Pontremuli oppidi ab inimico populo occupari intellexit, quominus Apenninum tranſiret. Igitur adſcendit montana Ligurum, & per difficillimos calles erranti præſto aſſunt Obizo Malaſpina, qui propriæ ditionis per oppida ductum, equis, pecuniaque adjutum, Papiam perduxit pridie Idus Septembris: ad quem ſtatim Gulielmus Marchio Montiſferrati, & Guido Blandratenſis convolavere, rerumque ſtatu cognito, quantaſcumque poſſunt copias, contrahunt; quibus in agrum Mediolanenſium emiſſis, qua ad Ticinum campi patent, populantur. At ſociæ civitates promiſſa auxilia Mediolanenſi ſubmittunt, quibus adventantibus copias Fridericus Papiam revocat, & trans Padum in Placentinos ducit: ſed ibi nulla re memorabili geſta, eis Padum reverſus Mombrionem adurit: nec aliud per eam hiemem egiſſe traditur, quam ſubinde veluti mutando latebras diverſatum Novariæ, Vercellis, Aſtæ, & in Monteferrato; cum paucitate ſuorum diffiſus, & magnitudine virium adverſariorum uno in loco conſiſtere non auderet.

Interea ad confirmandos amicorum animos, & novos concihandos, erigendumque ſtatum religionis ab Alexandro Pontifice Caldinus Mediolanenſium Archiepiſcopus dimittitur. Is navigio Venetias delatus, inde mutato habitu ad urbem venit: cujus in ingreſſu ſumptis inſignibus ampliſſimi Sacerdotii, ſumma omnium lætitia & gratulatione accipitur. Nonis Decembribus in ædes Ambroſianas deductus eſt, ubi admiſſis Reipublicæ Præſidibus, & quo in ſtatu res ſorent, & quæ agenda ſupereſſent, dixit. Satiſque pro tempore his compoſitis, ad Laudenſem Eccleſiam animum dirigit: mittit, qui docerant Paſchalem illegitimum, adulterinumque Pontificem eſſe; Ænobarbum quoque impium & deteſtabilem, qui vitio creatos Sacerdotes foveret; Albericum pariter Melinatem, qui pro Epiſcopo à Laudenſibus colitur, indignum eſſe, qui ſacra tractet. Quibus auditis, Laudenſes frequenti concione Albericum Epiſcopatu dejeciunt, acta reſcindunt; & Albertum Ripaltæ Siccæ Præpoſitum, qui magna virtutum opinione vir, in Bergomatibus tunc agebat, deligunt; accerſitumque, & auctoritate Alexandri inſtitutum in ſede locant. Quibus peractis confirmata pax Laudenſis eſt pridie Kalendas Januarias ſubeuntis anni ſexageſimi octavi, auctoritate decem Mediolanenſium Conſulum, Manfredi Soreſinatis, Petrotti Marcellini, Arialdi Cribelli, Alberti Carati, Malfiotti Hermenulphi, Gerardi Cacapiſti, Oldradi à Baſilicapetri, Andreoli Crucci, & duorum aliorum. Subinde Novaria, Vercellæ, Parma, & Obizo Malaſpina cernentes novam Longobardorum ſocietatem in dies validiorem fieri, & Ænobarbum inopem ludibrio populis eſſe, in partes conceſſerunt.

A.C. 1161.

Unus infenſum ſervabat animum, cujus auctoritas & potentia formidabilis erat, Guido Blandratenſis. Nam Cæſareo diplomate ejus ditioni attribuuntur ſeptem & triginta Novarienſium oppida, è quibus clariora referre haud incongruum judicetur: Blandratum ipſum, Guilengum, qui nunc Vicus Longus dicitur, Cavalianum, Berenzagum, Olegium, Briona, omnes accolæ Seſſitæ amnis, quem jam diu vulgus *Sicidam* vocat, Comitatus Oſſolæ vallis Magiæ, quæ non longe à Verbano lacu Alpes Germanicas attingunt, tum Maſſinum, Camodegia, Mons Acutus, tota Ticini ripa à Verbani oſtio, uſque Ceredanum; & in adverſa ripa Caſtanum, & Lonatum. Igitur tam potentem, & io viſceribus conſtitutum inimicum noo ſic ferendum decernunt. Incunte vere contractis copiis caput ipſum, & domicilium Guidonis Blandratum appetunt, & obſidione cingunt; reliqua populando vexant. Quibus cum nullam opem ferre poſſet Ænobarbus, ne diutius dedecora ſua ſpectaret, Italia ceſſit; perque ditionem Uberti tunc Sabaudiæ Comitis, cui pater Amadeus fuerat, profectus, menſe Martio in Germaniam penetravit. Nam & paulo ante Paſchalem morte amiſerat; & illi quamquam infauſto Joannes Sirmienſis e Pannonia Tuſculanorum tunc Epiſcopus ſuffectus fuerat. Ænobarbi autem receſſu cæteræ Longobardæ civitates Aſta, Seguſio, Comum, Comites Sepricnſes, & Belſortenſes fœderatis acceſſere.

Et quia Monsferratus adhue, & Papia alienum, implacabilemque animum oſtendebant, providendum cenſuerunt, ne facile communicare conſilia, opeſque, & proinde minus nocere poſſent, interponendo propugnaculum munitiori loco, & injuriæ, repentinuſque incurſionibus minus obnoxio, quam Derthona bis diruta ſoret; delectuſque locus fuit in confluentibus Tanari & Burmidæ, octo millibus paſſuum à Pado recedens, viamque Æmiliam juxta Bergolium vicum interſecans, medio fere itinere Derthonam inter & Aſtam Coloniam. Hic ergo deſignata urbe, ſeptem confluxere vicina oppida Gamundium, Marengum, Roboretum, Ovilia, Caſtellatium, Solerium, Quarnietum: & ad quindecim millia hominum in eam commigraviſſe creditum eſt. Quare & eo ipſo, quo ædificari cœpta eſt anno, ſolla, aggere, valloque cincta eſt. De nomine aliquandiu inter populos certatum eſt, alius Cæſariam, aliis Civitatem Novam appellantibus: fuere & qui in honorem Pontificis, quem legitimum colebant, Alexandriam, quod poſtea invaluit, dicerent. Papienſis in contemptum Paleam nuncupavit: duratque apud nonnullos cognomen Alexandriæ Palearis. In cujus ſtructuram, cum cæteræ urbes plurima conferrent, Genuenſes maluerunt mille ſolidos in præſenti, & totidem proximis Conſulibus pollicieri, quam in communem ſocietatem, prout invitabantur, nomen dare.

Ergo coaleſcentibus hoc modo animis, cum vera eoocordia, & una voluntas in Longobardis eſſet, ad eam confirmandam, ſtabiliendamque in urbem Laudem convenere Conſules, & Legati civitatum Mediolani, Cremonæ, Bononiæ, Patavii, Veronæ, Mantuæ, Parmæ, Placentiæ, Brixiæ, Bergomi, Comi, Novariæ, Vercellarum, Aſtæ, Derthonæ, & nuper conditæ Alexandriæ, nec non Obizo Malaſpina. Et paulo poſt Placentiæ alio conventu habito, Mediolanum, Brixia, & Cremona promiſerunt foſſas ipſius urbis ex quatuor partibus repurgare, quintam oppidani ſibi retinebant. Promiſſa eſt etiam damnorum refectio, ſi quis quid detrimenti ab Ænobarbo pateretur.

Interea Alexander Beneventi agens, Legatos Regum Gallorum, Britanniæ inſulæ, & Græciæ audivit. Britannorum cauſſa fuit cædes recens patrata in Thomam Cantuarienſis Eccleſiæ Præſulem, virum virtutibus & ſanctimonia notiſſimum; à cujus culpa quamquam Henricus Rex ſe procul abeſſe aſſereret; tamen quia publice patratum ſcelus fuerat, publica expiatione luendum Patres decrevere. Ita Britannia vectigalis & tributaria

Roma-

Romani Pontificis facta eſt. Et Alexander exploratis miraculis, quæ interim ad ſepulchrum Thomæ ſpectata fuerant, eum divinis honoribus donavit.

Græci autem Oratores fuere Stephanus Cunto, Munitus Coſta, & Doxa Patri, ab Emmanuele Conſtantinopolitano Imperatore miſſi, redintegrationem Romani Imperii, ut Platina memorat, quærentes, & ſubinde quæcumque optaſſet, adverſus Fridericum Alexandro pollicentes: ſed ſive hæc, ſive quæcumque alia cauſſa fuerit, certe ſine effectu dimiſſi, propterea quod ſimulationum & mendaciorum plane circumferre credebantur, Genuam ſe contulerunt, ubi paratam navim redituri in patriam conſcenderunt.

Bariſon quoque per coſdem dies pactus cum Genuenſibus, apud quos hactenus in vinculis manſerat, & ſe, & uxorem, & liberos, & quos alios voluerint obſides daturum; præterea totam regni ſui adminiſtrationem eorum arbitrio, donec mutuatas pecunias recuperaſſent, permiſſurum, iterum ad inſulam tranſmittitur; & evocatis Magiſtratibus, Procuratoribuſque, impoſitoque Almerico Porta, qui ærarium, arceſque, & vectigalia univerſa curaret, ſimul cum liberis & uxore Genuam in alterius quadriennii careerem reducitur.

Sequenti biennio nihil penitus, quod ad rem A. C. noſtram faciat, ſcriptum inveni. Septuageſimo 1172. autem primo ſupra mille & centum à Chriſti dinumeratione anno, idem urbi Mediolano, quod olim Athenis, Græciæ urbi clariſſimæ, accidit: quæ à Perſarum Rege Xerxe diruta & incenſa, cum mox reficeretur, longe pulchrior, & prolatis mœnibus amplior facta eſt. Nam publicis tabulis conſtat, eas ædes, quæ nunc intramuranæ ſunt, ante tempora Friderici extra urbem fuiſſe; quæ celebrantur titulis Ambroſii, Laurentii, Nazarii, Euſebii. Tantumi enim animi, viriumque acceſſiſſe ſibi hoc ſpatio cives exiſtimavere, ut antiquo termino neglecto, novam foſſam, novaque mœnia, quibus ſuburbana ædificia includerentur, condiderint. Exſtat novi operis memoria, prægrandibus litteris ſaxo in limine Portæ Romanæ inciſa, cum verſiculo, ut illa ferebant tempora, neque inepto, neque inauſpicati hominis:

Fata vetant ultra procedere; ſtabimus ergo.

Habentur & nomina decem Conſulum, qui tunc Reipub. præerant, & opus fieri fecerunt:

Paſſaguadus Septala.
Ardericus Turrianus.
Pinamontes Vicomercatus.
Ubertus Hortus.
Malconventus Cotta.
Arnaldus Maripola.
Adobaldus Bultraphus.
Malagallia de Aliate.
Malfiocius Ermenulphus.
Rogerius Marcellinus.

Qui propria impenſa Emiſſarium ejuſdem foſſæ cum turri protegente, *Cluſiam* vulgus vocat, exſtruxere. Quibus faciendis opes non ſupererant, ut longe materiam quærerent, & ſaxa abunde ſuppeditabant, veteres ruinæ, & deſita exerceri Theatrum, Circus, Balneum, & jam labefactatus Arcus Romanus: cernimus adhuc quadratos lapides, & in aliud, quam nunc locati ſunt, opus inciſos: Caldinus Præſul Epiſcopale Palatium, quod ad ima fundamenta erutum jacebat, ſibi reſtituendum deſumpſit: ex quo à re ipſa repercutitur Merula noſter, qui invidiam in Caldinum colligit: quaſi is pulcherrima opera, ſingularia vetuſtatis monumenta, quibus etiam Barbari & ſeræ gentes pepercilſent, demolitus ſit: debuit certe Merula rei præſertim ignorans, prudentius de Principe tunc religionis noſtræ, & poſtea divinis honoribus affecto loqui. Veterum locorum nomina adhuc durant ſacris ædibus inædificatis Divi Victoris ad Theatrum, Mariæ ad Circum, Lazari in Arcu Romano.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XII.

EPITOME.

Dum Longobardos Cæſareo excuſſo jugo, ceſſantibus armis vires facit, Cæſar Etruſcos ac Lagures in fide retinere per Legatum ſtudet, eorum rebus in Lucenſi conventu compoſitis, Sardiniaque Genuenſibus adjudicata: incolumis tamen jure Bariſonis per idem tempus ære alieno ac cuſtodia liberati. Jam vero refectis biennio viribus, ab Taurinis Oſtia Italiam quantum ingreſſus Segnionem & Aſtam brevi ſubigit. Inde caſtris Alexandriæ, qua tum primum Epiſcopum ab Alexandro obtinuit, ſtatim admotis, obſidionem inſtituit: & per gelidam hiemem ad ſextum menſem bona fide producit: tandem ad fraudem converſus ſub religioſiſſimum Paſchatis tempus, quo induciarum dederat fidem, validam militum manum cuniculo per noctem in urbem immiſit. Sed oppidani ab excubinis exciti caſis graſſantibus, & cuniculi faucibus obſtructis, eruptione facta, ſecurum in caſtris hoſtem aderis cade & incendiis obſidionis armamas abunde ulciſcuntur. Cæſar cum ſuis Papiam dilapſus, veritus ne includatur, ſimulat pacem, donec fœderatorum exercitus ſolvatur; ipſe vero evocatis ab Germania auxiliis invaleſcat. His vero eis Verbanum jam expoſitis dum occurrit cum reliquis copiis, fœderatorum exercitus ad Ticinum, qua Buſti campus præterfluit, intercedit: collatiſque utrinque ſignis, hoc tandem gemino prælio Fridericum debellat, direptis caſtris, & miſere internecione deleto. Is enim Comum incluſus clade ac belli difficultatibus aſtimatis, Legatos ad Alexandrum mittit, qui pacem ac veniam exorent. Alexander imperatis induciis, convenire illum Venetiat jubet, ac per ſe veniam contumacia ab Eccleſia deprecari. Eo igitur delatus Alexandri plantis collum frendens, Petrumque interim reputans calcandum, ſubmittit: & poſt ſolemnem expiationem, ipſe Auguſtus, Henricus vero filius Cæſar appellatur. Demum Pontifico Romam dedullo, & in Petri ſolio collocato, iterum expatus in Germaniam concedit. Hæc foris. In urbe Caldinus Archiepiſcopus, dum Catharos Hæreticos è

ſuggeſtu ardentius exagitat, ſub concionem labore confectus natura concedit: cui Algiſius Pirovencus ſuffectitur.

Reddita pace, Ticini pars navigabilis alveo ad urbem derivatur. In Germania Henricus Saxo perduellis à Friderico pronunciatur. Conſtantinopoli Emmanuele, Roma Alexandro, Hieroſolymis Guilelmo Longaſpata vita ſimilis, Imperium Alexius filius, Pontificatum Lucius III. Regnum Balduinus V. & mox Guido Luſignanus Rex Cypri inennt. Ferraria Eſtenſes Marchiones fortunis & potentia augentur. Demum Italia pax triennio poſtea quam parta eſt ſtipulantibus Longobardarum civitatum Oratoribus, ſpondentesque Cæſare, certis perſcriptis legibus, Conſtantia primum celebratur: deinde Friderico in Longobardis agente, iterum Placentiæ, quod quidem ad nos attinet, conditionibus paullo melioribus. Algiſio interim mortuo, Ubertus Cribellus Archiepiſcopatum init: inde ſtatim ad Pontificatum Urbani nomine evehitur, Milonem Cardinalem Mediolanenſibus præfert. Fridericus pacata Italia, & Henrico filio commiſſa, Germaniam petit.

Saladinus Ægypti Rex duello in Syriam exercitu, Hieroſolymis, cæteriſque urbibus potitur. Tyrum Montiſferrati Marchio Conradus periculo eximit. Sicilia Regnum Tancredo junioris populi ſtudio deceritur: ſed Cæleſtinus Pontifex III. jure feudi ad ſe devolutum contendens, Henrico VI. Romanorum Regi defert, Conſtantia Rogeris Regis filia in juris ſubſidium conjugio eidem copulata. Fridericus terra, Gallia & Britannia Regos mari in Syriam adverſus Saladinum Pontifice auctore movent. Friderico in Armenia fluminis, in quem refrigerandi cauſa deſcenderat, undis abſorpto, primum ejuſdem nominis filius tenerrimus copiis adjutus, deinde eo quoque ſublato, cæteri Duces bellum urgent: ſubactaque Syria, Hieroſolymitanum Regnum una cum Iſabella Balduini IV. ſorore obtinet Conradus à Montiferrato. Interim Henricus in Italiam deſcendit utramque Siciliam armis vindicaturus. Ex itinere Longobardis aliquot civitatibus, & Proceribus, itemque Piſanis multa indulget: ſed Genuenſes potiſſimum in bella ſocietatem ingentibus promiſſis allicit. Sed morbo in Neapolis obſidione contracto, in Germaniam ſe recipit. Biennio poſt mortuo Tancredo, reſumptis armis, Genuenſium claſſe adjuvante utroque Regno potitur: multiſque profanis, pariter & ſacris in Sicilia crudeliter obtrunca-tis, Genuenſibus vero promiſſis, ac ſpe falſis, anathemate inſuper à Pontifice ictus, in Germaniam concedit: indeque Friderico Rogerio Conſtantia genito in Imperii ſocietatem adſcito, in Italiam reverſus eundem in avunculi regno collocat. Nobis interim cum fœderatis civitatibus ſuborta diſcordia; & Milone exſtincto, Ubertus Tertiagus præſulatus eſt.

DVM ſic confirmantur Longobardorum opes, unumquemque omnes retinent conſervandæ libertatis ſtudium, Ænobarbus, quem ignominia amiſſarum rerum, & perſeverantium in fide amicorum pericula urgebant, haudquaquam animo quieſcere, Chriſtianum Moguntinum Archiepiſcopum ad ſollicitandos Ligures, Etruſcorumque populos mittit. Is hoc tempore ſuperatis Alpibus, Padoque, Genuam profectus, honeſte ab eo populo excipitur; peractiſque, quæ ſibi agenda erant, Lucam tranſmittitur; inde Senas pergit, haud dubia ſigna præbens res novas, novumque bellum in Italia procurantis. Longobardi autem inter cætera, quibus illius conſilia cluderentur, frumentum & alios commeatus trans Apenninum portari communi decreto prohibuerunt: & Obizo Malaſpina cum Maruele filio ex propinquitate locorum varia incommoda Liguri inferebat. Eodem tempore, cum exacta in Sardis pecunia debitum omne Bariſonis abſolviſſet, is in novi regni poſſeſſionem dimiſſus eſt.

Ineunte mox anno ſeptuageſimo ſecundo, evocati à Moguntino Senas Itali Heroes convenere, Præfectus urbis Romæ Conradus, Marchio Montiſferrati, Marchiones Anconitani, Guido, & Aldebrandinus Comites, Oratoreſque ex civitatibus Piceni & Umbriæ; tum à Piſis, Luca, Genua: quid actum haud quidem reſciri potuit: tantum contentiones Piſanorum cum Genuenſibus innotuere. Prævaluitque favore Ligur; atque ut Piſanum bello agitare liceret, obtinuit: quin Moguntinus ſpopondit captivos Lucenſium, qui Piſis detinebantur, liberaturum: contra Piſani, quod maxime optari ab adverſariis ſenticbant, id maxime negare. Eorum vero contumacia irritatus Moguntinus litteras hujuſmodi Genuam ſcribit: *Explorata fidei veſtræ, meritorumque veſtrorum erga Cæſaream dignitatem magnitudo me admonet, ut pro cunctis Italiæ populis vos amem, ornarique curem. Nuper in ampliſſimo conventu Piſanos cum Oratoribus veſtris altercantes audivimus; quorum tam ſuperba & impudens oratio fuit, tam aliena ab æquo auribus peritis, ut tota concione exploſos, indignos judicaverimus, quibus promiſſum ullum, privilegiumve ſervetur. Interdiximus ergo eos omni beneficio Cæſareo, privavimus jure Sardiniæ, littorum, maris, libertate, fide, vectigalibus patrimonii, & eo, quod ex ditione Comitis Ugolini, & Regiæ Matildæ percipiebatur. Denique eos, ſpes, opes ſervitia, præda, injuria omnimodo expoſuimus. Licet, quantum in nobis eſt, unicuique perfidos, abominabiles Imperatoris hoſtes perſequi, agitare, vexare: ſocii, fœderatique veſtri Lucenſes, qui interfuerunt, uberius hæc omnia enarrare poterunt. Unum ſupereſt, ut, quod à vobis deſideramus, minime differatis; quinquaginta triremes ut armetis, quibus vos mari, dum nos terra, eorum urbem oppugnemus: præterea pecuniam nobis promiſſam expediatis: neque in claſſis impenſam deducendam cenſeatis.*

Lætis favore Genuenſes, impigre claſſem, quantam maximam poſſunt, ornant. Cujus apparatu deterriti Piſani, flexere animos, & ad pacem deſcenderunt, quam Lucæ contractam mille viri ex quatuor urbibus Genua, Piſis, Luca, Florentia jurejurando ſanxere. Ita imminens periculum Piſani declinavere. Verum dum poſtea arma vertunt in oppidum Miniatenſe, quod Germanico præſidio tenebatur, novas inimicitias, novique in ſe belli molem concitarunt.

Mediolani autem quid interea, & quid ſequenti anno geſtum ſit, nihil præter nuda Conſulum nomina legi: iſti fuere duodecim: Rogerius Vicecomes, Jacobus Maynerius, Paganus Turrianus, Manfredus Puteobonellus, Lanterius Curtius, Prævedus Marcellinus, Leo Curtius, Oldrevandinus Canevefius, Tatius Mandellus, Heriprandus Judex, Adobadus Bultraphus. Et item leguntur nomina octo Præfectorum annonæ, qui pretia rerum, ponderaque moderarentur, Ceredonus Hermenulphus, Aliprandus Morigia, Petrus ab Aliate, Amizonus Coleonus, Guiſcardus Ghiſulphus, Jacobus Perniſius, Oldradus Medicus, Paganus Biſatus.

Cum autem ageretur annus ſeptuageſimus quartus Guilelmus Normannus Siciliæ Rex diem obiit, filio ejuſdem nominis quinto ſuperſtite relicto; cum quo Genuenſes reconciliati, bellum, quod cum patre geſſerant, pactionibus finierunt. Idem & cum Obizone Malaſpina, Manueleque filio factitatum; emptaque ab his duo Portus Veneris oppida, cæu Reipublicæ ſuæ incommoda, Illicem, quem Ptolomæus Hericem appellat, & Petram tectam ſubrucre.

Octobri

Octobri deinde menſe Ænobarbus quinto in Italiam venit: per Taurinos ſaltus iter fuit; ſubitaneoque adventu Seguſionem & Aſtam oppreſſit; & octavo die ad officium redegit. Inde ad nuper conditam urbem ducit, cujus coloni cum ſponte libertatis cupidi, tum crebris ſociorum litteris, nunciiſque admoniti, portas claudunt, & ſine intermiſſione auxilia expediebantur. Exploratum quoque erat, quæ copiæ cum ex Tranſalpinis ſequebantur; & quidquid Monsferratus & Papienſes efficerent, exiguum fore tantæ ſocietati collatum. Præterea inſtabat hiems, incommodiſſimum anni tempus bellum ſub dio geſturis. Nihilominus Fridericus quarto Kalendas Novembris obſidionem inſtituit; opera, munitioneſque circumdat; tabernacula continuando per frigora bello ædificat. Interim nivibus, & pruinis obrui, glacie aduri.

A. C. 1191. Perſeverarunt in fide oppidani, & in ſubſequentis veris principia rem extraxerunt. Quo demum tempore ſuppetentibus abunde ſociorum auxiliis, caſtra collata ſunt inter Claſtidium & Viqueriam, unoque omnes animo Mediolanenſium Carrotium ſequebantur. Illud Prætorium erat; caſtrenſis inde teſſera petebatur; conſilia dabantur. Auxit quoque obſeſſorum animos Alexandri Pontificis munus, qui Epiſcopum dedit, & exinde urbi nomen Alexandriæ invaluit.

Jam ſemiacto Aprili dies Reſurrectionis Dominicæ inſtabat: qui cum maxime religioſus ſit, & cunctis laboribus parcere ſoleamus, hoſtibus quoque induciæ in bello dantur: & Fridericus quietem certam illo die pollicitus eſt: ſed fallax homo inſidias molitur: actus erat cuniculus mediam in urbem ductos; per quem intromiſſi ea nocte ducenti delecti viri ſunt: ſed oppidani, ne qua fraude caperentur, integras noctes qui vigilarent, conſtituerant. Hæ igitur excubiæ impetum à cuniculo exeuntium excepere, ac tamdiu ſuſtinuerunt, donec excitata multitudo illos oppreſſit: ſimul obſtruſo cuniculi oſtio, portas aperiunt, ultroque erumpentes caſtra invadunt, caſtellum ex trabibus compactum adurunt, hoſtem nihil tale timentem cædunt, commeatus & impedimenta diripiunt. Ænobarbus fuga ſaluti conſuluit, & trajecto Pado cum iis, qui ſuperfuerant, Papiam ſe contulit: ac ne hic ab hoſtibus circumveniretur, pacis mentionem propoſuit: cujus conditiones dum tractantur, & ſerio ſe agere ſimulat, exercitus adverſariorum ſolutus eſt.

Interim Ligurum & Etruſcorum Legationibus auditis, diſcordias Genuenſium & Lucenſium, cum Piſano, Florentinoque pace compoſita, ſopivit, dimidia Sardiniæ ditione Genuenſi adjudicata.

A. C. 1176. Vertit ſe inter hæc annus, & ſeptuageſimus ſextus ſubiit Caldino Antiſtiti fatalis. Diximus ſupra, varia Hæreticorum genera ex variis hominum ſtudiis exorta apud Italos eſſe. Quibus magnum fomentum dedere bella & continentes diſcordiæ. Sed Mediolani in primis Cathari invaluere. Hos Caldinus, ut à pravo ſenſu recederent, ſæpe monuerat, obſtinatos terruerat; ac pro auctoritate & jure Eccleſiæ acerbius taxaverat: nec pauci ad ſæviora conſilia reverſi ſpem uberioris in futurum fructus fecere: quare ardentius in cæteros invehi cœpit. Sed cum jam ſenio & longinquis peregrinationibus affectus, vehementiam ſuam non toleraret, in ſudorem ſolutus ipſo in pulpito repente deficit, atque accurrentibus miniſtris, inter manus attollentium, refocillantiumque, reclinato capite expiravit. Ut olim clarus inter ſeptem Græciæ Sapientes Bias Prienæus, qui poſt peroratam pro amico cauſſam, jam vetulus & labore feſſus in gremio nepotis ſui conquievit; & dum Judices ſententiam in favorem dicentis ejus ferunt, ipſe animam efflaviſſe compertus eſt. Deceſſit autem Caldinus ſui Archiepiſcopatus anno decimo, die anniverſaria, quartodecimo Kalendas Majas: cui ex more ductis Parentalibus, ſufficitur intra menſem Algiſius Pirovencus Uberti, qui Caldinum anteceſſit, conſanguineus. Ita Caldinus inter duos Piroveneos ſumma in dignitate cum interceſſerit; & interim alterius eorum alumnus, alterius in omni fortuna æqualis, & negotiorum particeps, peregrinationumque ſocius fuerit, ex eo natum errorem apud poſteros arbitror, qui Caldinum non Sala familia, ut etiam Murena loculpes teſtis eſt, ſed Pirovenea ortum perhibent.

Cæterum Ænobarbus ſub prætextu tractandæ pacis, novas ex Germania copias accerſivit. Quæ per Diſertinæ ſaltum deſcendentes ad fauces Bellinzonæ, Oſſulæque ſupra lacum Verbanum venere. Longeque majoris numeri, quam res foret, famam vulgaverant: quippe qui vix mille equites erant, eos ſupra decem millia fama erat: ſic credebant fama iſta terreri adverſarios poſſe: ſed per exploratores brevi cognita veritas eſt; & adventantibus audacter occurſum; & cum tranſitu Verbani prohiberi non poſſent, ea opera in primis acta, ne cum Cæſare conjungerentur: nam de eorum adventu certior factus, à Papia ipſe non exiguam manum trahebat. Igitur Mediolanenſes inter utroſque caſtra ad Legnanum, Dairagum, Buſtum, Burſanum Seprienſis agri vicos contulerunt: ex quibus locis ad ripam uſque Ticini patentes campos proſpectabant. Neutri, ubi in conſpectum venere, certamen detrectaverunt. Mediolanenſis quam latiſſime aciem explicavit; ac proinde minus validam ad pugnandum fecit: utilem vero præſenti negotio, ne circumvenmretur. Carrotium in medium cum robuſta juventute animos & vires cunctis dabat. In altero cornu auxiliares copiæ militabant: in quas invecti hoſtes, fugam, trepidationemque fecerunt; ſed edocti ad Carrotium redire, reſumpto ſpiritu, poſitoque pavore in hoſtes converturtur. Jam totis campis certabatur, junctuſque viro vir, proximi cujuſque ſanguine cruentabatur. In altera acie, quæ à tergo imminebat, pugnabant Papienſes: inter quos adhortator ipſe Fridericus, & Ducis, & militis officio fungebatur, & dum acrius inſtat, ſignifer cadit: occubuerunt & multi cum eo. Tunc Germani terga vertere; & Comenſis debellatur: reliquo exercitu diſſipato, caſtra hoſtium Mediolanenſes invadunt, & cuncta diripiunt. Fridericus cognito jam quo in periculo conſtiturus eſſet, per devia abreptus cum paucis Comum incolumis evaſit. Hæc illius clades finem tandem malis attulit: nam & magnitudine detrimenti accepti deterritus, & inopia rei pecuniariæ affectus, quæ nunc ex Germania ſuppeditabatur, & Papienſem pergravabat, & hoſtium deſperatione, qui extrema omnia prius pati, quam priſtinam ſervitutem amplius ſubire, decreverant, perſpecta; & accedentibus diſſuaſoribus magnis viris, quibus jam diu nec bellum ipſum, nec belli cauſa probabatur, quod non jam adverſus homines, ſed Deum ipſum geri videbatur, animum compoſuit, cogitationeſque omnes ad pacis conſilia contulit.

In primis conciliandus Alexander erat: ad hunc ergo amplifſimam legationem decernit; cujus principes fuere Chriſtianus Moguntinus Præſul, qui vice Colonienſis defuncti Cancellarium Imperii agebat, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Electus Vormacienſis, Protonotarius Auguſtalis. Hi Anagniæ Alexandrum convenerunt, ſalutatum reverenter adorant, Cæſaris novum animum, novamque mentem edocent; jam deſerbuiſſe iras, & calores ætatis, quibus interdum meliora cernentes deteriora ſequimur; præteritorum omnium ſum-

mopere pœnitere: videri cæleſti quodam fidere affiatum, qui ſic penitus à belli propoſito diſceſſerit: petere veniam, rogare pacem. Ea oratione lætatus plurimum Alexander, quæ ſummo Paſtori convenirent, reſpondit: amplecti ſe bonam mentem ejus, & petitioni aſſenturi; ſed ex diuturnitate belli, & magnitudine injuriarum, non ſibi quidem, ut homuncioni, ſed Deo ipſi, & Eccleſiæ, & tot Populis illatarum, tot, tantaſque difficultates ineſſe, quæ niſi à præſentibus purgari, expiari, emendarive poſſint. Quare deligeretur locus, in quem tuto convenirent. Venetiæ, Bononia, Ravenna, & Flaminiæ urbes nominatæ fuerunt: ſed dum ſuper his deliberaretur, interim induciæ dantur, arma ubicumque ſuſpenduntur; & Alexander Ubaldum Epiſcopum Oſtienſem, atque Rainerium Cardinales remittit, qui & propoſitorum gratias agerent; & ſimul animum ejus certius explorarent.

Tum ſupervenere à Juniore Gulielmo Siciliæ Rege Romoaldus Secundus Salernitanus Archiepiſcopus, Rogerius Comes Andriæ Magnus Comeſtabilis, & Magiſter Juſticianus Apuliæ. Quibus comitantibus Pontifex ab Anagnia Beneventum conceſſit: ubi Natales Chriſti dies, & Epi-
A. C. phaniam incipientis anni ſeptuageſimi ſeptimi agit.
1177. Inde Trojam, Sipontum, & Veſtam petit, Veſticem aliàs nuncupatam Blondus ſcribit: ipſe Veſtiam appellat: ea ſita eſt ad radices Gargani montis, qua Orientem adſpicit, & Adriaticum mare attingit: hic reliquum hiemis moratus, alteram legationem ad Fridericum mittit Gulielmum Portuenſem Epiſcopum, Hiacynthum Sanctæ Mariæ de Silva Græca, nonnullosque alios Cardinales, & Moguntinum ipſum, qui jam Ravennam profectum Cæſarem invenere, & confirmata undique benevolentia, Alexander ſeptimo Idus Martias claſſem à Gulielmo Siculo per Ionium mare tranſmiſſam adſcendit, & cum eo Manfredus Palæſtinus Epiſcopus, Joannes Neapolitanus, Hugo Bononienſis, Buſonus, & Cincius Capellus Cardinales, tum Siculi Legati: undecim vero fuere triremes, quibus tunc Eccleſiæ lumina alto ſeſe crediderunt. Nec ita multo poſt intumeſcentibus undis ad littus Illyrici impulſi laderam tenuere: ubi ceu totidem numina cælo demiſſa à Populo Cleroque accipiuntur. Inde reliquam Dalmatiam, Hiſtriamque prætervecti, nono die, ex quo à Gargani littore digreſſi fuerant, Venetias appulere: nec urbem quidem ingreſſi tunc ſunt, ſed in littorali cœnobio Divi Nicolai pernoctaverunt.

Poſtero die apparata civitate, & ut in tanta re decebat, in omnem pompam effuſa, cum incredibili navium numero acceſſit Sebaſtianus Cianus Dux, Patriarcha Aquilejenſis, & Senatus Venetus, Alexandroque ſalutato, adoratoque reverenter, eum in urbem deducunt; inque æde Divi Marci quam magnificentiſſime ornata locavere.

Transfretavit eodem mox Ænobarbus. Ita duorum ſummorum in orbe Chriſtiano Principum hoſpitio nobilitatæ tunc Venetiæ fuere; eoque illuſtriores redditæ, quo diuturnior eorum mora fuit: ſiquidem in IX. Kalend. Auguſtas extracta variis diſputationibus res fuit. Tandemque exauctorato Adulterino Pontifice, inducæ in ſex annos Mediolanenſi populo & ſocis civitatibus datæ: tum cæteris compoſitis, amphiſſima concione ſpectante, ſubmiſit ſe ad genua Alexandri Ænobarbus, humique ſtratus, calcandam cervicem illi præbuit: cui impoſito pede inſultavit Alexander, illud identidem divini Vatis repetens: *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Non continuit linguam Ænobarbus, ſubjecitque: *Non tibi, ſed Petro.* Et Alexander iterum impreſſit plantam, repercutiens verbum verbo: *Non Cæſari, ſed Friderico.* Ita dignus venia judicatus, expiato ſcelere Auguſtus, & Beatrix Auguſta, & Henricus filius Cæſar, Romanorumque Rex ejus nominis ſextus renunciatur. Cianus Dux, qui interpres & arbiter moderandis conditionibus interceſſerat, longeque diſcrepantes ad concordiam perduxerat, ornamenta, quibus deinde ipſe & poſteri Duces illuſtriores inceſſere, retulit. Rem præclaram, & ſine dubio ſeculorum memoria dignam, in atrio Veneti pinxere: ſed quoniam rei ſeries non fuit litteris explicata, variarum fabularum occaſionem poſteris dedit: aliis interpretantibus certatum navali prælio fuiſſe, & captum Othonem Friderici filium, ejuſque opera contractum pacem: aliis adſtruentibus, Pontificem ipſum parva navicula, diſſimulato habitu, & quidem ad coqui ſpeciem, ut videantur etiam minuta didiciſſe, Venetias navigaſſe, & cum diu ſic latuiſſet, paulatim ſe cognoſcendum præbuiſſe; multaque alia his ſimilia, vix ſatis digna, quæ dormitantibus pueris aniculæ decantent. Nam rem, ut ſupra expoſuimus actam ſuiſſe, non ſolum apud Genuenſes, & Siculos Annales, ex quibus ea excerpſimus, conſtat; ſed noſtrates quoque illorum temporum æquales conſentiunt. Placuit enim ob lectionis raritatem paulo uberius comperta explicare. Ergo & integra eſt gloria Mediolanenſium perpetrati belli, & Venetorum tractatæ, conſectæque pacis: liligat vero Merula adverſus Sabellicum de re, quam neuter noverat; utriuſque errores ſatis ex narratione noſtra colliguntur.

Digredientem Venetiis Pontificem Fridericus Romam uſque deduci; & in Sede Petri locat, exoſculatiſque de more pedibus, integram delictorum abſolutionem meruit. Inde cum jam age-
A. C. retur annus ſeptuageſimus octavus, divertiſſe Ge-
1178. nuam cum Beatrice Liguſtici Annales memorant; atque aliquot dierum mora facta pro urbis magnificentia & dignitate donatum abiiſſe; profectum vero in Germaniam, quamquam quo itinere hactenus non repererimus, liquet. Idem annus inſignis eſt obitu Ciani Venetorum Ducis, cui ob compoſitam inter ſummos Duces pacem, illud Epitaphio additum eſt: *Binos conjunxit gladios.* Nec aliud eo anno factum lego.

Pauca quoque in ſequenti nono & ſeptuageſimo
A. C. video. Jam enim depoſito armorum ſtudio, popu-
1179. li ad muniendas urbes, concinnandaque ædificia converſi, pacem colebant: & Mediolanenſes Incilem Ticino fluvio jam multo ante derivatam, & Ticinelli nomine Papienſium agros irrigantem, novo alveo juxta Abbiatum oppidum excavato, Gazanum, Corſicumque deduxere; ac mox ad urbem ipſam uſque navigabilis facta eſt: nec ſolum pluribus rivis aridos quondam campos uberrimos fecit; ſed etiam incredibili compendio Verbani lacus, Alpiumque opes civitati conjungit.

Octogeſimo autem anno agens in Germania Fri-
A. C. dericus, conventum Magdeburgæ habuit, quo
1180. Henricum Saxoniæ Majeſtatis reum, Imperii hoſtem declaravit; & altero inde conventu in Gheleuſem idem judicavit, & continuo contra contumacem arma ſumpta: nec vim is exſpectavit; ſed regno cedens cum uxore & liberis ad ſocerum Henricum Britanniæ Inſulæ Regem confugit. Jam enim Helenardam illius filiam in matrimonium duxerat, & Gulielmum genuerat, atque Othonem, qui poſtea auguſtiori fortuna uſus, quartus fuit, ut infra docebimus, Romanorum Rex.

Per Septembrem menſem Emmanuel Græcus Imperator Conſtantinopoli deceſſit, ſuperſtite Alexio filio: quaſi ſeculum illud curreret fatale mortibus Regum, ſubſequenti anno Alexander moritur, cui ſuffectus eſt Lucius Tertius genere Lucen-
A. C. ſis. Huic pax in primis, & quies populorum cordi
1181. fuit;

fuit : obiit item Hierosolymis Gulielmus Longa Spata Marchio Montisferrati , relicto successore Balduino Quinto Hierosolymorum Rege , quem puerum mox Guido Lusignanus avunculus, vir genere Pictavus , opibus & Regno circumvertit : sed non multo post & ipse inde ejectus , in Cyprum demigravit ; & opulentae Insulae imperium stirps ejus in tempora nostra , quibus in Venetorum ditionem transmissum , retinuit.

Ferrariae quoque dominium ad Marchiones Estenses delatum hoc modo fuit. Gulielmus Marchesellae nuncupatus , vir erat in ea urbe ditissimus. Huic cum nulla proles foret , moriens Marchesellam neptem ex Thedelgrado fratre haeredem ex asse nuncupavit : ea octavum aetatis annum agebat : interim apud Salinguerram virum ea tempestate inter Ferrarienses potentissimum educabatur : ejus vero inimici tantam illi accessionem opum fieri invidentes , favente etiam Petro Traversario Ravennate , puellam furto subtraxere , atque Actio Estensi factionis suae longe Principi obtulerunt. Ea recepta , Actius haereditatem aditurus Ferrariam se contulit : & quo titulis ornamentum potentiae praetenderet , Capitaneum se alterius factionis creari curavit , in qua plurimum poterat Gulielmus puellae patruus : sed intercesserunt fata virginem. Intestatae haereditas nobilibus Ferrariensibus , quibus Jocu-
C lis cognomen erat , spectabat ; sed hanc illi appetere non ausi , Actio cessere. Ita his opibus aucti , tum conjunctis tot amicorum studiis , potentissimi deinde Ferrariae Estenses Marchiones fuere.

A. C. 1181. Proximus annus sine ulla memoria transitur. Se-
A. C. 1183. quens autem , qui tertius & octogesimus est , illustratur stipulatione pacis , quae ab urbis nomine , in qua confectae tabulae sunt , Constantiae cognomen tenuit. Ejus summa ad hunc modum se habet : *Longobardi , qui hactenus adversati fuerunt , fruantur quiete perpetua ; Legibus , consuetudinibus suis utantur ; salvum societatis privilegium servanto ; Urbes & oppida , ut libet , fossa , vallo muniunto ; nulla sit in alterutram partem injuriarum , damnorumque actio. Mediolanum solitam jurisdictionem in agro Seprio , Martiana , Burgaria , aliisque regionibus exerceto ; tantum abstineto ius , quae inter Adduam & Ollium Bergomates obtinent , & item Romano vetere , Barriaeque. Firma item habento foedera cum Laude , Bergomo , Novaria : qua vero Hugo Episcopus in Castro Arquato , & Placentini in portorio pontis Padi innovarunt , irrita sunto. Caeterorum pontium , fluviorumque , viarum jura , immunitatesque salva sunto. Unum de Proceribus , qui conventus peragat , lites cognoscat , jus sine provocatione dicat , Caesar dato : idem quinquennio quoque sacramentum a Populis nomine Caesaris exigito ; civitates solita Consules ab Episcopo accipere idem in posterum servanto : caetera a Caesare recipiunto , qui principem Magistratum ineant , fidem Caesari juranto. Actiolinus , qui aliquando Caesari adversatus sit , deinceps amicus , & extra suspicionem esto.* His apud Caesarem tractandis interpretes adhibiti Gulielmus Episcopus Astensis , Henricus Marchio Savonensis , Theodorus ejus frater de Silva Benedicta inscriptus , & Rodulphus Caesaris Cubicularius. Nomen vero in has conditiones dedere Mediolanum , Novaria , Vercellae , Laus , Placentia , Parma , Rhegium , Mutina , Bononia , Faventia , Mantua , Verona , Vicentia , Patavium , Tarvisium , Brixia , Bergomum , Obizo Malaspina Marchio ; & in diversa parte Caesar , Papia , Cremona , Comum , Asta , Alba Pompeja , Derthona , Caesaria. Excluduntur vero penitus Imola , Feltrium , Bellanum , Ceneta , Bobium , Castrum Sancti Cassiani , & plebs Grabadonae. Item Ferraria , nisi haec intra bimestre , ex quo Legati in Italiam redierint , in partes transeat. Nam Mediolanensium Legati ea perpetravere Guido Landrianus , Pinomontes Vicomercatus , Adobadus Bultraphus , Gulielmus Burrus , Guercus Bussola , Aldericus Bonatus , Rogerius Marcellinus , Lanterius Medicus.

Noster Merula credidit , & in *Epistolis* contendit , ex hoc primum tempore datos civitatibus eos magistratus esse , qui *Potestates* vocantur ; sed satis ex superius expositis , & vel unius Murenae jam pridem defuncti scriptione redarguitur.

Eodem tempore Cistercienses religiosi jam quinquaginta annos ante ad Insubres traducti , fortique agros in Ticini ripa , templum formarunt , adjuncto coenobio , cui de vici appellatione Morimundi nomen est. Id à posteris subinde locupletatum , omnium opulentissimum Sacerdotium est.

Anno octogesimo quarto , cum Alexandrini gra- A. C.
tiam à Caesare inivissent , (nam & in superiore con- 1184.
tractu in parte ejus nomen illorum describitur) Oratores in Germaniam miserunt Anselmum Gonzanum , & Theobaldum Vasconum , qui Fridericum patrem , & Henricum filium in conventu Nurimburgensi allocuti , hujusmodi foedus quinto Idus Martias inivere. Cives suos omnes quandocumque Caesar vellet , urbe exituros , tantisperque extra eam moraturos , donec Caesareus nuncius solemni more eos introduceret , ut actu istn & ille dare , & hi accipere de manu Caesarea patriam , lares , focos viderentur ; novumque veluti exordium , ac nomen Caesariae , quae adhuc varie appellata fuerat civitas , fortiretur. Annui Consulei honorem à Caesare , quando in Italia ageret , acciperent ; si secus , ab ejus nuncio ; vel quinto quoque anno in Germaniam mitterentur , qui id peterent ; bellum & pacem ex nutu Caesaris facerent , praestoque amicis essent : contra Caesar non patietur urbem cujusquam imperio subdi ; nuncium in ea constituet , qui cum Consulibus magnarum causarum judicia exerceat ; rerum publicarum curam gerat ; Portorium pontis Tanari , reliquaque vectigalia exigat ; & ubi aliqua ope indigeat , eam
D petat à finitimis amicis civitatibus Papia , Derthona , Asta , Alba , Aquis , quas Statielas antiquitus vocatas noster Merula docet , tum Casali , & Marchionibus Guaschis , Boschi , Ocimianique.

Subsequenti hieme Fridericus ad Italos sexto profectus est : & XI. Kal. Februarias anni octo- A. C.
gesimi quinti Placentiae Longobardarum civitatum 1185.
legationem audivit. Coiverant ad eum frequentes , affirmandae pacis Constantiaeque gratia. Inter Mediolanenses habetur Petrus Vicecomes ille ; cujus cognomine offensus Merula , nescit , quomodo purget antiquitatem Comitum Angleriae , ut tam cito potuerit ab eorum interitu & exilio Viviani enasci nepos novi cognominis , & personae ad hanc legationem idoneae. Itaque valeant , qui adhuc opinionem Angleriorum retentant.

Ex Placentia Parmam , Rhegiumque progreditur Fridericus. Hic assecuti quatuor Consules Mediolanenses Pinomontes Vicomercatus , Heriprandus Judex , Adobadus Bultraphus , Hugo Camerarit , & cum his sex alii honesti cives , Rogerius Vicecomes , Arnoldus Majirola , Gulielmus Ossia , Adericus Bonatus , Otho Credendarius , & Alcherius Bonvicinus , novam gratiam ab eo retulerunt , ut salva paratica , id est , iis , quae Caesaribus. praestari solita sunt quoticns Mediolani , vel Moguntiae coronantur , redintegrentur jurisdictione totius tractus sui à Ticino ad Adduam cum statione Leucensi , & transadduanis oppidis ad Ollium pertinentibus. Item Caesarem instructu Papiensium non facturum amplius bellum Mediolanensi , neque Papiensi pariter gratia Mediolanensium ; sed potius curaturum finire discordias eorum compositione , vel jure , & si Papiensis alienam opem invocaverit , Caesar pro Mediolanensi stabit. Neque ipsum , neque Henricum filium socieratem ,

fœduſve cum ullo Longobardo, aut Flaminiæ, Picentiumve populo facturum, inſcio, inconſultove, & non aſſentiente Mediolanenſi Magiſtratu: paria ſe quoque facturos Mediolanenſes recepere.

Per idem tempus Algiſius Piroveneus Archiepiſcopus Mediolani tertio Kal. Aprilis moritur, ſepultoque in majori æde, ut moris eſt, ſufficitur Ubertus nobili & vetuſta Cribellorum familia Mediolanenſi oriundus.

A. C. 1185. Subeunte anno octogeſimo ſexto, Ubertus Vicecomes genere Placentinus Præturam Mediolani inivit, primus externorum, qui Poteſtatis titulo in hac urbe jus dixerit: cum interea Conſules Rempublicam adminiſtrarent, Marcheſius Vicecomes, Guercius Hoſtiolus, Baldicionus Stampa, Hugo Caſtaneanega, qui & nuncius Friderici Imperatoris nuncupabatur.

Februario menſe Fridericus Papiæ agens, Guidoni Rogerio Nobili Parmenſi contulit Felinum, & nonnulla alia oppida, quæ poſtea Rubeorum familia in Parmenſibus præpotens in noſtra uſque tempora tenuit. Junio deinde menſe Caſtrum Manfredum Cremonenſis agri Cæſar adiit, atque ibi juriſdictionem Mediolanenſibus ampliavit, integra auctoritate conceſſa oppidorum omnium, quæ ab Addua ad Ollium pertinent: mox abiens in Germaniam Henricum filium Italiæ præfecit, in qua is ſtatim novi belli ſemina jecit.

Eodem tempore Lucius Veronæ moritur: cui in Pontificatu ſuffectus eſt Ubertus Cribellus, ſecundus ad eam diem, qui urbe Mediolano oriundus, Romani ſacerdotii culmen conſcenderit. Urbanum Tertium vocavere. Ei vero in Mediolanenſi Archiepiſcopatu ſucceſſit Milo Cardanus ex ordine Cardinalium ejuſdem Eccleſiæ.

A. C. 1187. Anno octogeſimo ſeptimo, menſe Junio, Saladinus Ægypti Rex potentiſſimus, ex diſcordia noſtrorum nactus occaſionem pellendi omne nomen Chriſtianum ex Syria Provincia, eam maximis cum copiis invaſit, profligatiſque Guidone Luſignaneo, qui paulo ante Hieroſolymitano Regno circumverterat Gulielmum Seniorem Marchionem Montisferrati, cepit Solymas ipſas, Sidonem, Beriton, Aſcalonem, & cunctas fere alias ampliſſimæ Provinciæ urbes, excepta Tyro: cui ſaluti fuit Conradi Montisferrati pariter Marchionis adventus; qui per eos dies deſponſatæ Conſtantinopoli Curſaci Imperatoris ſorore, inde Lugulticæ nave vectus, eo mature appulit, & urbem alioquin ſitu inexpugnabilem, ab imminenti periculo ſervavit; ſimul ad Occidentales Reges ſeripſit de clade accepta, & miſeranda omnium conditione: aliquam tamen ſpem reſtituendæ rei adhuc ſupereſſe, ſi protinus ſubveniretur.

Affecit hic rumor univerſos immenſo mœrore: mirifice in primis doluit Urbanus Pontifex, quem ea maxime cura urebat, quia ob importunitatem Henrici Sexti nullum illis remedium ab Italia ferri poſſe cernebat. Nam ipſe quoque ab ejus inſidiis parum tutus Veronam ſe contulerat. Atque hic cum adiit vir divini ingenii, & vaticinandi peritus Joachim Siculus Abbas ex Calabria profectus: ſed mox Ferrariam conceſſit: ubi Syriacæ litteræ redditæ certius omnia aperuerunt; adeoque earum lectione conſternatus animi eſt, ut languore preſſus, brevi vita exceſſerit, Pontificatus ſui biennio nondum expleto. Is autem, ut poſteritatis ſuæ opes ex ſacerdotio in patria firmaret, cœnobium condidit in Ticini ripa juxta vicum Brinatum, quod ex mandato ejus in familiæ Cribellæ tutela manſit ad noſtra uſque tempora, quibus ad aliorum adminiſtrationem traductum eſt. Ei in Pontificatu ſucceſſit Gregorius Octavus: ſed eo intra bimeſtre Piſis abſumpto, Clemens Tertius creatur: per cujus tempora genus Normannorum Regum in Sicilia defecit, & novi Imperii acceſſio rebus Friderici Cæſaris facta.

Diximus ſupra, ejus inſulæ Regnum per exilium Rogerii Quarti, & Tancredi junioris devenisſe in Gulielmum Quartum, & inde in Quintum, qui poſtremus ſine liberis deceſſit. Perierat & Rogerius in exilio. Ergo amici Tancredum ex Græcia devocant, & Regem declarant. Id vero Clemens indigne ferre, quod Regnum jure feudi ad Eccleſiam ſpectans, ſe inconſulto traditum foret homini etiam natali macula laboranti: qui concubina progenitus minime capax rei foret. Igitur jura ſua vindicaturus, arma in eum paravit: ſed mox ſupersedit, ne conſulentes rebus Orientalibus Principes bello ſorte iſto interturbarentur.

Mors deinde Clementem eripuit, & ad Cæleſtinum Tertium ſumma rerum delata eſt: qui haud intermittendam. Sicularum rerum curam ratus, cum abſque externa ope nihil ſe proficere poſſe cerneret, ad florentem tunc Henrici Sexti gloriam conjecit animum: nec ita multo poſt Rex Siciliæ, ejuſque terræ Italiæ pronunciatur, quæ Apuliæ, Calabriæque nomine cenſetur: & ut publico privatum fœdus prætenderetur, Conſtantiam ampliſſimi patrimonii hæredem Panormitano clauſtro ſubtrahit, religione ſolvit, regalibus ornamentis reſtitutam, quamvis jam natu grandiorem, & fere conſuetos pariendi annos egreſſam, connubio tamen adoleſcentis copulat. Ætas Mediolani nuptias quibuſdam in *Commentariis* legt, & cohoſpitatos in Ambroſiano cœnobio: pater, ni fallor, ſocerque Fridericus utrumque coronavit, hunceque Regem, rurum Reginam Romanorum dixit. Forte hujus matrimonii conficiendi cauſſa, & pacis inter Longobardos conſtituendæ ad Italos ſeptimo redierat. Nam & à Pontifice miſſus Cardinalis Petrus Dianus, genere Placentinus, ejuſdem pacis gratia Placentinos cum Parmenſibus & Obizone Malaſpina reconciliavit: & Henricus Albanenſis Cardinalis, & Hieroſolymitanus Legatus in Gallias & Germaniam profecti, complures Principes, Regeſque ipſos ad ſumenda pro defenſione Orientis arma impulerunt: quin & Ænobarbus ipſe, ſeu iſta cum Alexandro, ut quidam opinantur, expiandi ſceleris gratia convenerat, ſeu recenti deliberatione ſacræ expeditioni ſeſe devoverit, nomen profitetur. Dum neceſſaria comparat, Oratorem præmittit Henricum Deytze, qui Saladino adventum ſuum nunciet; & ſuadeat, ut Chriſtiano ſolo decedat: alioquin abruptis fœderibus bellum indicat. Henricum quoque filium ex Italia revocatum, rebus Imperii præficit: is autem jam prole auctus ex Conſtantia erat: puero avi avunculique nomen inditum, uſque Fridericus Rogerius vocatus eſt.

Copiæ & commeatus ad Ratisbonam & confinia Pannoniæ contracti ſunt: jamque ſatis omnibus paratis, ſubeunte anno octogeſimo nono, iter ingreditur: filium ſui nominis Fridericum * Suevorum Ducem cum Anteſignanis præmittit: ipſe cum cohorte Principum & robore militum ſubſequitur. A. C. 1188.

Pacato per Pannonias & Tazirgas, qui nunc vulgo Poloni dicuntur, inceſſere. Thraciam ingredientes præmiſerunt Conſtantinopolim Epiſcopum Monaſterienſem, & Robertum Maſchen, qui expediri itinera curarent. Sed Curſacus Imperator contraria jubet, retentiſque Oratoribus, quicquid poteſt, impedimentorum objicit. Itaque cum Fridericus Cæſar Philippopolim perveniſſet, claudentem portas urbem invenit; ſed vi adhibita expugnavit. Inde Adrianopolis petita tertio menſe, ex quo domo digreſſi fuerant. Utraque civitas ad Hebrum fluvium Thraciæ nobiliſſimum

* Alii *Conradum*. Vide Urſperg. Naucleram, Sigonium, Gordonum ad an. 1190.

ſita

ſita eſt; ſed Adrianopolim duo ex diverſis in Hebrum confluentes, & lapideis pontibus junĉti amnes illuſtrant, ac longe opulentiorum naturali quadam amœnitate reddunt. Dum mora hic fit, reciverunt à Conſtantinopoli Oratores pacata omnia referentes, & patere iter ad Helleſpontum per Gallipolim urbem: eoque profectus Fridericus in Aſiam trajecit.

Interea Philippus Franciæ, & Ricardus Britanniæ Reges, Dux Burgundiæ, aliique Heroes in Italiam tranſmiſſi, ubi ſatis de ſumma rerum collocuti ſunt, Genuæ, Piſiſque parata navigia conſcendere: in Syriam incolumes delati *, intelligunt terreſtres copias jam Cilicia & Armenia ſuperata non longe ab Iconio eſſe. Sed jam inſtabat Friderici fatum: pervenire, quo tendebat, non potuit: varia fama, ſpontene exemplo Alexandri Magni, qui in calidum corpus frigido flumine ablueret, in Cydnum Ciliciæ fluvium deſcendit; an coactus in amni Saleph † merſus, adſtrictis ſubito vitalibus enectus eſt. Mortuum ſui Tyrum pertulere; atque ſolemni more tumulatus eſt, ut Germanici Annales habent: nam noſtrates, quibus non æque crediderim, ibi ſepultum, ubi mortuus ſit, ferunt.

Imperatoris obitu, etſi jactura non mediocris facta ſit, tamen cæteri Principes minime à propoſito deterriti ſunt; nam propinquo præſertim laboris fine, & quominus amiſſum videretur, perſonamque tantum, non etiam nomen mutatum gentes exiſtimarent, Fridericum filium ſupra à nobis memoratum copiis præficiunt: mox Gallis, Britanniſque adjunctis Acrim, quæ olim Ptolemais fuit, per vim capiunt, Aſcalonem obſident. Hic inopinata vis morbi Fridericum novum Ducem oppreſſit ‖; ejuſque interitum ſecuti ſunt Philippus Flandriæ, Theobaldus Bleſenſis, & Stephanus Sacri Palatii Comites, aliorumque nobilium non parvus numerus. Cæteri continuata obſidione urbem expugnant, & naves, quas Saladinus ſerpentibus oppleverat, mergunt.

A.C. 1190. Anno nonageſimo ſupra mille & centum ab ortu ſalutis noſtræ nihil aliud actum Mediolani lego, quam circa Kal. Januarias per Conſules Conradum Judicem, Alcherium Bonvicinum, & Jacobum Sextium renovatam ſocietatem cum Laudenſibus ita, ut alterius amici pro amicis, & inimici pro inimicis haberentur; & quod tribus Laudenſibus civibus Petratio Puſterulæ, Zenario Habono, & Gundoto Guzigo nóxæ non foret, quod partes Mediolanenſium ſequuti fuiſſent; permittiturque libera Laudenſium juriſdictio Cavacurtæ, Montis Mali, Sancti Columbani, Grafignanæ, Valeriæ, Sogotii, Somazani, Gardellæ, & Ronchadelli.

A.C. 1191. Anno nonageſimo primo Rodulphus Conceſſus, quæ familia Brixienſis eſt, Secundus Poteſtas Mediolani Magiſtratum inivit. Per quod tempus Henricus Rex animo ad res Siculas adjuncto, ex Germania cis Alpes venit, Conſtantiam Reginam, & infantem filium adduxit. Dum Mediolani diverſatur, privilegia à patre Papienſibus olim data affirmavit. Mox per Laudenſes tranſiens, eorum pariter diploma confirmat: & Bonifacio Marchioni Montiſferrati ob ſingularia ejus & parentis merita, donat Gamundium, Marenghum, & Forum oppida, ex quibus conditam non exigua ex parte urbem Alexandriam ſupra diximus. Affuere officii cauſa Milo Archiepiſcopus noſter, tum Gulielmus Ravennas, Sicardus Cremonenſis; tum Novarienſis, Aſtenſis, & Tridentinus Præſides, ac item Ubertus Blandrati, ſorte defuncti Guidonis filius, & Guliclmus Laomelli Comites. Mox Piſas profectus Kal. Martiis fœdus cum eo populo, & rationem belli adverſus Tancredum pariter & Genuenſes gerendi init; & diplomate, quale nulli ante Cæſares fecerunt, conceſſit, quidquid de rebus Imperii hactenus occupaſſent, tum Cerviam, Portum Herculis, Barbiallam, quicquid inter Tignoſium montem, & Ebulam, & Burrianum interjacet; tum vicos numero ſexaginta circa portum Matronum, & fines Lucenſium; item inſulas Iluam, Caprariam, Gorgoniam, Planuſiam, ipſamque Corſicam; & decernit, ne qua arx ædificetur Piſanis invitis, ab oſtio Arni ad uſque Corvum, qui Liguriæ terminus eſt. Romam inde perrexit, ubi à Cœleſtino jura Imperii & Auguſtalia inſignia accipit: ſimul quia ſine Ligurum ope irritos futuros omnes conatus cernebat, Oratores, qui ab iis claſſem, claſſianoſque milites peterent, mittit. Haud ita facile, quod petebatur, præſtitum: ſed erant, quæ Genuenſes quoque ipſi à Cæſare deſiderarent. Itaque cum Germanis Legatis Oratores quoque ipſi remittunt, qui neceſſaria tranſigerent. Profecti jam obſidentem Neapolim inveniunt, ſine mora, ſine difficultate fœdera tertio nonas Junias ſcribuntur: quibus & paternæ immunitates confirmatæ, & novæ conceſſæ. Præterea promiſſa Promontorium Monachum, Gavium in Apennino oppidum, & Syracuſæ Siciliæ civitas longe clariſſima, & vectigalia vallis Noti, & Marchia, & Comitatus. Quibus Genuæ renunciatis, ſtatim inſtructa claſſis trium & triginta navium longarum Ducibus Bellobruno Caſtello, & Rolando Carmadino: qui Tuſco mari enavigato, cum littoribus Neapolitanis oberrarent, audiunt, Henricum adverſa valetudine correptum, belli conſilia intermiſiſſe: aſſuetus Germanicis nivibus calores Neapolitani cæli ferre non poterat: ſemivivus Capuam relatus gratias Genuenſibus agit exhibiti officii, bonamque eorum voluntatem laudat; ſed quoniam fata nunc ſibi inviderent, alio tempore eorum opera uſurum: in præſenti ſe patrium ſolum repetere. Ita illis dimiſſis, ipſe quoque circiter Idus Novembris Genuam venit, & inde Germaniam repetiit.

Quæ interea in Longobardis fuerint, præ inopia ſcriptorum in obſcuro ſunt. Nam ſequenti quoque anno nonageſimo ſecundo nihil aliud invenio, A.C. 1192. niſi quod Conradus Marchio Montiſferrati, rebus in Syria bene geſtis, Regnum Hieroſolymitanum nactus eſt per nuptias Iſabellæ Balduini Quarti ſororis, & hæredis. Alterum jam virum Unfreonem Turonenſem matrona habuerat; ſed cum nihil liberorum ex eo ſuſcepiſſet, ſecunda vota ſecuta eſt. Verum cum vix gravida effecta fuiſſet, hunc quoque virum gladio confoſſum amiſit: maturo poſtmodum ventre puellam edidit nomine Mariam. Inde ipſa tertias nuptias amplectitur, junĉta Henrico Trecenſi, Ricardi Anglorum Regis nepoti: quo etiam ſatis erepto, quartum matrimonium fecit cum Alynaerico Luſignanco fratre Guidonis, qui interea Cypriorum regnum adeptus fuerat.

Tertio vero & nonageſimo anno, video ingens D.C. bellum exarſiſſe inter Mediolanenſes, & fœderatas civitates Papiam, Laudem, Cremonam, Comum, Bergomumque. Quarum factioni accedens Bonifacius Marchio Montiſferrati Papiam venit: ibique in concione jurejurando ſe adegit, futurum ſe vel acerrimum Mediolanenſium hoſtem, nec paſſurum quidquam mercaturæ ab Genua, Savona, aliisve Liguriæ urbibus, tum Tranſalpinis quoque regionibus ad eam urbem deportari. Proximo Decembri idem Marchio ab Henrico Sexto in Germania agente ditionem oppidi Cæſaræ impetravit cum vectigalibus, & quidquid juris Imperatori ex ea ſpectaret.

Interea

* Non tamen prius quam anno 1191. vide Gordon.
† Alii *Serram* dicunt, annumque ſignant 1190. vide Gord.
‖ Sed juxta aliorum Chronol. an. 1191.

Interea defuncto Tancredo Siciliæ Rege, ſuperſtes uxor cum filio impubi, & proinde injuriæ cuilibet obnoxio, fuit. Quam rem cognoſcens Henricus jam valetudine confirmatus, Neapolitanam expeditionem iterum ſuſcepit, incunte anno
A. C. 1194. nonageſimo quarto. In qua cum in primis neceſſariam ſibi duceret Longobardorum concordiam, componere diſſidia eorum curavit. Ejus tunc nomine Legatum in Italia agebat Druſardus, qui accepto pacificandi mandato, conventum Vercellis auctore Alberto Epiſcopo habuit; in quo Mediolanenſes fuere Conſules Bertramus Scacabarotius, Rogerius, & Albertus Lampugnani, Guido Vicecomes, Paſſaguerra Prælonus, à Placentia item, & Cremona, & Cæſaria, & Grabadona miſſi Oratores ſimul juraverunt, ſe in pace, inducis, & rerum reſtitutionibus facturos, quidquid Cæſar Henricus Sextus, & Druſardus Legatus juſſiſſent.

Quibus peractis, Henricus in Italiam venit per Junium menſem, Genuamque profectus, hortatur cives, ut pro vetere inſtituto, & fide ſua claſſem parent, ſecumque feſtinent ad eas oras, quæ titulo, nomineque tenus Cæſaris, uſu vero, & re ipſa eorum ipſorum futuræ eſſent; nec in eo negotio difficultatem ullam metuerent; cum morte Tancredi regnum in manu viduæ & pueri relictum ſine adverſario inventuri ſint. Haud multis opus fuit in excitandis ſponte currentibus: ſtatim naves expeditæ; viri, arma, equi impoſiti; conſcendere Duces Marchoaldus Cæſaris procurator, Bonifacius Marchio Montiſferrati, Ubertus Olevanus genere Papienſis, honore Genuenſium Poteſtas. Hisacceſſere nonnullæ Piſanorum triremes. Datis in altum velis, Cajetam primo deſeruntur, quam ſponte dedentibus accolis ſine tumultu recipiunt: pari facilitate Neapoli potiuntur. Comes Alielmus eam tradidit. Inde Henricus dum Salernum obſidet, reliqua claſſis ſparſas Tyrrheno pelago Inſulas Æoliam, quæ jam tunc Iſella vocabatur, Capreas, Prochytam, & Gironam recipit. In Siciliam mox navigavere, & ad Meſſinam, Mamertinorum infamia olim celebratam, deſcendere: atque hic Olevanus Prætor fato functus: cui ſtatim Navarchorum ſuffragio ſuffectus Otho Carretus. Tum juſſis abire Piſanis, propterea quod ex eorum invidia & æmulatione diſcordiæ metuebantur, Catanam Genuenſes proficiſcuntur, quam à Saracenis cum fautoribus Reginæ obſeſſam liberarunt: mox Syracuſæ illæ ſitu nobiliſſimæ, & ſpeciem quatuor urbium præbentes in poteſtatem venere: quarum exemplum reliquæ civitates, excepta Panormo, ſunt ſequutæ.

Quæ dum in inſula aguntur, Henricus terreſtres copias ducens Apulia, Calabriaque potitur: tum Meſſanam transfretavit, eoque revocatis Genuenſibus, nullas non preces adhibet, & quidlibet pollicetur, dum ſe non deſtituant, & bene geſtam provinciam non deſerant. Unam ſupereſſe Panormum ad integram victoriam, ſoludumque Siciliæ nomen obtinendum. Nec multa Ligur exſpectavit: terra, marique obſeſſam urbem brevi ad deditionem compulerunt.

Confecto bello, Genuenſis præſtari promiſſa à Cæſare petit: ſed is ad excludendos Regni ſocios acuta tergiverſatione uſus, dixit, non videri quidquam legitime confici poſſe eorum Prætore demortuo: nam hunc, qui ejus loco ſuffectus ſit militari ſuffragio, cum de voluntate & mandato civitatis non conſtet, publico nomine confecrre tabulas non poſſe: ſic eis dimiſſis, convertitur in fautores Tancredi, ſturpiſque ejus, in primiſque nonnullos Epiſcopos & Sacerdotes ſuſtulit; quos ſine ulla religionis reverentia violatos, & per omne tormentorum genus excruciatos interimi juſſit: bonaque eorum, ac templa ipſa diripi. Id quod ægerrime ferens Pontifex, vehementer corripuit: nil timentem diris exſecrationibus perſequitur, Chriſtianoque nomine privat.

Parum iſta curans Henricus res Siculas ad arbitrium componit; & cum theſauris in Longobardos revertitur, ſub annos quinque & nonaginta. Pa-A. C. 1195.
piæ agentem, & Salvatoris Cœnobio diverſantem apprehendit nova Ligurum legatio: cujus principes fuere Bonifacius Archiepiſcopus, Jacobus Mainerius Poteſtas Mediolano oriundus, Fulco Caſtellus, Joannes Advocatus, Anſaldus Bufferius, qui reverenter Rege Henrico ſalutato, gratulantur victoriam celeriter, feliciterque partam: tum ad fœderis & conventorum mentionem deſcendentes, ex ſcripto etiam publico, ne quid diſſimulare poſſit, memoriam illi renovant. Satis eorum meminiſſe ſe Henricus reſpondit: *Sed vultis-ne nunc mecum ponere rationes, & ad calculum cuncta redigere? ſcio deſiderium veſtrum eo ſpectare, ut angulum aliquem in Sicilia habeatis: ſed fallimini, ſi creditis ullum vobis mecum eſſe poſſe in ea conſortium: ſemper, ut noſtis, improbata fuit apud ſapientes regnorum ſocietas: neque prudens quiſquam diviſerit, quod integrum habet. Novi præterea ego multum mores: nulla unquam erit pax inter meos Germanos, & veſtros Italos; ſemper ex propinquitate nova certamina, nova rixa committuntur, quæ ſæpe à privatis ad Principes, Regeſque tranſeunt, & Reſpublicas evertunt. Quare cogitate, ſi qua alia in Provincia extra Siciliam, Calabriamque, & Apuliam, commodo vobis eſſe poſſim, & ope, auxilioque meo ad arbitrium utimini. Digna ſunt merita veſtra, qua liberalitas Cæſarea recognoſcat. Et ut minus ſpes ad terram Siculam penatis, etiam vos iis interdico, qua olim concedente Rogerio, patentibuſque duobus Gulielmis poſſediſtis.* Fidem pluſquam Punicam in Cæſare ſpectantes Ligures, cum ſic aperta ratione abnueret, detrectaretque conventa præſtare, domum abeunt, identidem repetentes, maxima quæque beneficia, maxima ſolere rependi moleſtia, ingratitudineque.

Hinc trans Alpes euntem Henricum ſeptem Mediolanenſes Conſules Comum uſque deduxere Adobadus Bultraphus, Paſſaguerra Judex, Albertus Lampugnanus, Guido Vicomercatus, Manfredus Puteobonellus, aliique duo. Sequens vitum uxor Conſtantia, in Cœnobio Medæ pernoctavit. Ab Henrico autem Mediolanenſes tunc in tranſitu Larii impetraverunt, ut pacem cum Laudenſibus inire liceret.

Ineunte ſexto & nonageſimo anno Conſulatum A. C.
Mediolani ſortiti ſunt Gulielmus Puſterleus, Con- 1196.
radinus Landrianus, Ghizo Burrus, Lanfrancus Septala, Martinus Turrianus, Robacomes Mandellus, Albricus Carcanus, Gaſpar Menclotius, Albertus Camerarius, & Guido Medicus: qui Idibus Septembris pacem cum Comenſibus fecere: ex qua remiſſæ utrinque injuriæ, rapinæ, cædeſque, & nominatim ædes Conradi Biragi, qui ſorte per eos dies interfectus fuerat. Additum fœderi, ut ſeſe invicem mutua ope adjuvarent, ſi qua vis aliunde alterutri intentaretur. Et quoniam provenerat inter eos cauſſa finium & ditionis quatuor Populorum; ita cautum eſt, ut Mandellum, & Cuvia vallis, & Mercuriola, & Doveda, & Laveno, & reliqua ea vallis à Treſia amne Seprium verſus, nec non & Montorphanus Mediolanenſi accederent: Comenſis vero Finum, Ogiatum, Gruviaſcam, Grabadonam, & Domaſium obtineret. Neque his fraudi foret, quod Mediolanenſium partes ſecuti fuiſſent. Eodem anno, defuncto Milone Archiepiſcopo, Ubertus Tertiagus ſufficitur.

Anno deinde nonageſimo ſeptimo Conſules Me- A. C.
diolani leguntur Albertus Moguntiacus, Aſtulphus 1197.
Cotta, Monachus Villa, Arnaldus Canturius, Albertus Septala, qui & Judex ac nuncius Friderici Imperatoris inſcribebatur.

Dum

Dum autem Henricus in Germania moram trahit, Fridericum Rogerium Conſtantia genitum Cæſarem dici, conſortemque Imperii decerni ab Herotibus curavit. Mox eundem in Italiam adducit, Neapolimque, & inde in Siciliam profectus, ibi eum veluti legitimum avunculi hæredem, ſucceſſoremque coronat, & populis imperare jubet. Ipſe Meſſanam reverſus, prudie Kal. Octobris moritur, ætatis tempore florentiſſimo, quippe quartum & trigeſimum annum non excedens: quorum duos & viginti cum patre, ſeptem ſolus regnaverat: quidam ibidem ſepultum, alii Neapolim translatum ferunt. Eodem tempore Drudus Marcellinus Mediolanenſis Præturam Genuæ biennio geſſit, continuatus in Magiſtratu opinione probitatis, & propter Rempublicam bene & prudenter adminiſtratam.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XIII.

EPITOME.

Philippo I. & Othone IV. de Imperio dimicantibus, Longobardæ aliquot civitates nobiſcum fœdus jungunt amiciſſe pace & bello, undecumque hoſtis ingruat, conſervandæ. Papienſis contra & Cremonenſis communicato conſilio diſtrahendæ, infringendique vires noſtras, ab ſua quiſque parte bellum pariter nobis inferunt. Sane primus cum Papienſe congreſſus parum nobis feliciter cedit: ſed iterum laceſſiti Vigelevum capto, in fœdus venire compellimus. Dertbonenſis item & Alexandrinus in Aquenſem Dioceſim conſpirant.

Balduinus Flandriæ Comes, & Bonifacius à Monteferrato pulſo Alexio Græcum invadunt Imperium, Venetis adjuvantibus: prædamque adeo opimam ſtatim dividunt, ut Theſſalonica Regnum Bonifacius, Inſulas toto pelago frequentiſſimas Veneti capeſſant; Balduino reliquum Imperium reſervetur: quod eo in expeditione extinto, brevi ad Henricum fratrem pervenit. Genuenſes Syracuſas à Piſanis occupatas in priſtinum aſſerunt ſtatum. Mediolani Galiardorum ſocietate pulſa, abrogatiſque Poteſtatibus, reſtituitur Conſulatus: & Ubertus Pirovenus hoc nomine II. Archiepiſcopatum ſua excipit purpura. Apud Germanos Philippo interempto, regnat Otho: qui Mediolanenſium amicitia literis & aliquorum civium opera conciliata, in Italiam ſecundus deſcendit: & Medeolani primum ferro, deinde Roma auro redimitus, audit Imperator ejus nominis IV. Sub idem tempus Mediolani ſtatuta recuduntur, & Henricus Septala Ubertum excipit. Otho Pontifici recuſanti Patrimonio Eccleſiæ & Matildæ legato cedere, fit inimicus: ideoque Neapolitanum Regnum, quod illo una cum Friderico Rogero adhuc impubere in clientelam acceperat, invadit. Quamobrem hoſtis Eccleſiæ declaratus, Imperio movetur, eodem Friderico promoto: qui in Germaniam movens ad id capeſſendum, quamquam Papienſium ac Cremonenſium præſidio ſtipatus, agre ſuibus noſtris excedit, Othone, Calabria expeditione deſerta, eodem feſtinante. Nos interim cum Cremonenſibus, Papienſibuſque haud ſane impune conſligimus, ſimulque civilibus diſcordiis æſtuamus, quas reſtinctas Prætor externus ſedat. Othone una cum novo ſocero Ferdinando Flandriæ Comite à Philippo Francorum Rege debellato, Fridericus Rogerius Aquiſgrani Cæſar ſacratur. Syria rebus magis in dies laboranibus, Innocentius primum, deinde Honorius ſacrum in Europa Cleſſicum canit: & Henrico Conſtantinopolitano Imperatore mortuo Petrum Altiſſiodorenſem ejus generum ſuffecit: cui in eam expeditionem comes profiſcitur Archiep. noſter Septala, læta bellatorum manu ſuccinctus. Sed nec apud Longobardos ferro ceſſatur: nos cum Papienſibus varia fortuna congredimur: & noſtras interim leges unum in volumen digerimus. Hæreſes primum S. Dominici prædicatione, deinde legibus ac judicio perſequimur. Fridericus in Italiam reverſus, Papiæ ac Derthonæ adminiſtrationem ordinat, ſimulque jura & dationes à Medeolanenſibus & Placentinis adempta reddi jubet. Roma omnium ordinum gratulatione excepto, & Auguſtalibus inſignito Hieroſolymorum Rex Joannes Iſabellam filiam Regno dotatam deſpondet. Tam proſpero fortunæ afflatu in Siciliam delatus Genuenſium nobis jura & opes accidit: Henricum filium Romanorum Regem inungendum curat.

Mediolanenſes vacationem ab externis hoſtibus nacti, civili bello profana inter ſe odia exercent: plebe adverſus Nobiles, quorum honores & munia appetebat, ferrum ac flammas corripiente. Nec aliis conditionibus, quam ſacerdotiorum communione tempeſtas deſavit. Cæſar deinde Cremona agens Savonenſes adverſus Genuenſes expoſtulantes rejicit: qui repulſam paſſi una cum Albinganenſibus Sabaudo ſe Comiti dedunt. Sed brevi ſub jugum iterum mittuntur. Mediolanum deinde, aliaſque Longobardas civitates Imperii perduelles judicat, quibus etiam ab Legato Pontificis interdicitur ſacris. Inter hæc Archiepiſc. Septala ex Syria redux Mediolanum appellitur, & ſuffraganeos, qui per abſentiam defecerant, Præſules ad officium reducit: nec multo poſt vita degredienti Uberto Ruzolo loco cedit. Hoc Præſule media urbe Prætorium Palatium exſtructum eſt: & S. Franciſci ſtellatoribus ædes Naboris & Felicis attributæ: & clandeſtinum fœdus cum Henrico Friderici filio initum. Sed Fridericus ab Azzolino Patavii Tyranno in Italiam evocatus, noſtris exercitus cæde, & Vicentia incendio, conſpirationis flammam in Longobardis & in Germaniam advolans fomitem ipſum Henricum exſtinguit: Conradoque minore filio Germaniæ gubernaculis admoto, in Italiam reverſus Mantuæ in deditionem accepta, duplicem nobis intulit cladem; exercitum cæſi, agrique populati. Salinguerra ejus præſidio inſolens, Ferrariæque Tyrannus, Pontificis Legati, Italorumque Procerum conſpiratione in ordinem, carceremque redigitur: demumque adverſus Fridericum Eccleſiæ hoſtem Crucis ſublato vexillo, Cleſſicum canitur.

MORTE Henrici, qui propter cæſos in Sicilia ſacerdotes, & templa ſpoliata, hoſtis Eccleſiæ declaratus, legitimum Imperii titulum amiſerat, magna in Chriſtiano orbe orta ſunt de ampliſſima dignitate certamina: nam Friderico Rogerio, cum ob puerilem ætatem, abſentiamque, tum ob paternam maculam poſthabito,

T

habito, Germani Proceres Franchfordiæ de more congregati ſub annum nonageſimum octavum ſupra mille & centum ab ortu Chriſti, eliguot Philippum Sueviæ Ducem Henrici demortui fratrem, ut in ſtirpe Magni Friderici Auguſtale decus continuaretur: duo tantum ex eis diverſa ſentientes Adulphus Colonienſis, & Theodorus Trevirenſis Præſules in Agrippinenſi Colonia Othonem Pictaviæ Comitem Henrico Saxono genitum promovent, ac eidem per Legatum Apoſtolicum tunc in Germania agentem Pontificiam prærogativam deferri curarunt.

A. C. 1198.

Id vero factum indigne Electores tulere, Legatumque ipſum, quaſi qui alicoum uſurpaverit, & perſona ſit abuſus, coram Innocentio Tertio, qui Cæleſtino ſucceſſerat, poſtulant: audita controverſia Pontifex, juſtum, rectumque Cæſarem Othonem pronunciat; averſatus Philippum, quia ad cum quoque pertineret contagio infamiæ, & exſecrationis in Henricum fratrem effulminatæ: ſic Otho Aquiſgrani coronam & alia Cæſarum inſignia ſuſcipit, & quartus à tribus illis, qui ducentos ab hinc annos regnaverunt, hujus nomiois Auguſtus appellatur. Nam priſcus ille Otho Salvius, qui inter duodecim Cæſares apud Antiquos deſcribitur, in hunc ordinem à poſteritate receptus non eſt.

Philippus vero hac repulſa, ceu inſigni contumelia notatus, furore excandeſcit: iratus, minarumque plenus, quidquid poteſt copiarum contrahit, amicos quibuſcumque modis, donando, pollicendo, preces interponendo comparat; Duci Boemiæ coronam, nomenque Regium defert. Contra Otho, & eoſdem ſollicitat, & alios conciliat.

Cum ſic Germaniæ res fluctuarent, & in earum eventum Italorum animi erecti nutarent; ſeptem Longobardiæ civitates communi ſaluti conſulentes, Veronæ conventum indixere; eumque celebraverunt: à Mediolano Martinus Turrianus; à Brixia Henricus Confanonerius; à Mantua Bonaventura Judex; à Vercellis Jacobus; à Novaria Philippus Seſiua; à Tarviſio Madius; & civitatis ipſius Veronenſis ſummus Magiſtratus: & IV. Kal. Majas hæc fœdera junxere: ſeſe futuros mutuo auxilio tuendis iis opibus, quarum in poſſeſſione de præſenti eſſent, adverſus vim cujuſcumque in contractu noo nominati: & ſi cui ex ſociis bellum inferatur, conſurgent omnes bona fide, ſine fraude ad propulſandum hoſtem atque injuriam. Non pacem, non inducias, non genus ullum compoſitionis etiam cum Cæſare ipſo facient, niſi ex communi conſenſu: quæ ab hoſtibus in cujuſquam perniciem tractari quiſpiam ſociorum audiet, ea in commune conferet, & nota faciet. Comenſi ſpatium intra Kal. Decembris datum accedendi in ſocietatem.

Interea Mediolani locus publici conſilii, quoniam hactenus certus non fuerat, conſtituitur, in quem magnis de negotiis tractaturi convenirent. Credentiam Divi Ambroſii nuncupavere. Spectatur adhuc media urbe Turris, & titulo celebris, & diu pro Curia habita fuit. Eodem tempore creati Conſules Martinus Turrianus, Gufredus Puſterula, Obizo Cuminus, Conradus Judex, Obertus Oſſa: & geſtum prælium atrox & eruentum inter Vercellas, & propinquum oppidum Sulugiam lego; ſed inter quos, & qua ex cauſa, non traditur. Et defuncto Uberto Tertiago, ſufficitur in Archiepiſcopatu Philippus Lampugnanus, qui annos decem, & quatuor menſes in eo lacerdotio vixit.

A. C. 1199.

Sub Idus Januarias anni nonageſimi noni, pax cum Laudenſi inita: confecerunt eam Joannes Ruſca, Comenſis genere, tum Mediolani Prætor, & Conſules Juſtitiæ, Credentiæque, & Mercatorum. Tum menſe Majo ſuſcepta expeditio eſt adverſus oppidum Sanctum Donninum in Parmenſi: junxereque communiter arma cum Mediolanenſibus Placentia, Brixia, Comum, Vercellæ, Novaria: ab Aſta quoque & Alexandria nonnihil auxiliorum miſſum. His adverſabantur Parma, Cremona, Rhegium, Mutina. Certavere acies magnis viribus. Demum victi, qui oppugnabant, fuſique, & fugati ducentorum & eo amplius equitum jacturam paſſi, obſidione abieruot.

Deinde pridie Idus Junias Mediolani conventus fit. Hunc celebravere Magnum Conſilium ipſius civitatis, Placentia, Vercellæ, Aſta, Alexandria, Bonifacius Marchio Montisferrati, & Guhelmus ejus filius: fœdus his conditionibus inivere, ut ſalvi ubique communes ſubditi haberentur; mutua ope ſeſe invicem adjuvarent, ſiquod bellum aliunde oriretur, vel ipſi inferre alicui decreverint, præterquam iis, quos nominatim excipiebant. In quibus eum finitimi fere omnes deſcripti fuerint, exceptis Papienſibus & Cremonenſibus; haud dubie adverſus ſe hæ duæ civitates iniri conſilia cogitarunt. Permiſſumque eſt onus deliberandi ſupra rebus futuris Conſilio Mediolanenſi & Placentino, quidquid hi duo intra Kal. Januarias decernerent, id ſe obſervaturos cæteri jurarunt. Nomine autem Mediolanenſis civitatis ſtipulati id ſunt, Ruſca Prætor, Conſules Telmus Landrianus, Traverſius Valianus, Algiſius Vicomercatus, Jacobus Peluchus, Arnaldus Bombellus. Præterea nobiles cives Martinus Turrianus, Beltramus Scacabarotius, Rogerius Lampugnanus, Balditonus Stampa, & complures alii.

Moxque anno ſæculari milleſimo & ducenteſimo, bellum, quod gravidis animis parturiebatur, exarſit à Papia, Cremonaque: Papienſes vicinos Ticino Mediolanenſium agros invaſere, ac populando late evaſtavere. Cremonenſes ab Soncino alterum negotium moliebantur: ſic dividere copias Mediolanenſes coacti, adverſus alterum minus virium habuere; infelicique circa Ticinum pugna facta, utramque expeditionem intermiſere.

A. C. 1200.

Inter Ferrarienſes quoque & Ravennates eodem anno aliud prælium geſtum lego, & Argentam oppidum iterum captum, combuſtumque, & ingentes catenas, quibus Padus claudebatur, effractas, Ferrariamque delatas pro foribus Epiſcopalium ædium, ubi adhuc viſuntur, in trophæi morem ſuſpenſas.

Anno ſequenti Mediolani tres Poteſtates juri dicundo præfuere, Albertus Mandellus, Rainerius Cotta, & Drudus Marcellinus; & ſocietas validiſſimorum juvenum facta, qui à virium vi & ſignificatione *Galiardi* nuncupabantur.

A. C. 1201.

Cæterum Parmenſibus oppidum Donnini mutatis ſtudiis obſidentibus, miſſa fuere à Mediolano auxilia, id quod ægre ferens Papienſis, in agrum Mediolanenſem excurrit. Irritati Mediolanenſes Ticinum ponte jungunt, traduciſque ad XI. Kal. Junii copias, Viglevanum obſident: trium portarum eo militia ducta; à fœderatis quoque civitatibus Como, Novaria, Vercellæ, Alexandria, Placentia ſubmiſſa auxilia: munitus erat locus muro, foſſaque utrinque vallata; & propugnatores impigri inerant: quibus fortiter ſeſe defendentibus, reliquarum portarum juventus à Mediolano accerſitur, tormenta, machinæque murales adhibentur: unius & dimidii menſis labor fuit. Demum expugnatur oppidum, & diripitur: captivi Mediolanum ducti. Ab ea victoria iterum feliciter cum Papienſe pugnatum, profligatiſque hoſtibus, cum multi capti fuerint, alii cum ſingulis veſtimentis domum remiſſi, alii cum Placentinis captivis permutati, cauſa fuere, ut tandem pax, fœduſque cum Papienſe jungeretur.

Nam

A. C. 1202. Nam ſequenti anno conſociati Mediolanenſibus Adduam tranſivere, & undecim dies populati ſunt agros Bergomenſium.

Sicut ſupra Drudum Marcellinum diximus biennium in Prætura Genuenſi continuatum; ita hic occurrit memorandus Gufredotus Graſſellus, qui triennium eandem Præturam cum ſumma laude geſſit.

A. C. 1203. Anno milleſimo ducenteſimo tertio externus Poteſtas creatus eſt Saccus de Saccis Laudenſis: ſed eo mox abrogato, ſex ejuſdem tituli Magiſtratus creantur, Tacius Mandellus, Dominicus Burrus, & Manfredus Oſſa ex collegio Credentiæ: tres alios Galiardorum ſocietas dedit. Per Martium menſem pontem in Ticino ſtruxere Mediolanenſes juxta Morimundum cœnobium, quem Reginæ cognominaverunt. Et Tranſpadani populi, Derthonenſes, & Alexandrini in mutuam defenſionem conſpirantes fœdus jungunt; quo etiam invaderent, & ea nominatim, quæ dicerentur eſſe Epiſcopatus Aquenſis; & quæ acquirerentur, æquis portionibus dividerent.

Per idem tempus Mediolani deceſſit Petrus cognomento Bullerus, qui ſacellum Mariæ Montanæ ſeptuaginta annos Archipresbyter curaverat: & Imperium Conſtantinopolitanum à Græcis ad Gallos traductum. Nam duo illuſtres Proceres Balduinus Comes Flandriæ, & Sancti Pauli, adjuncto Bonifacio Monteferratenſe per Longobardos Venetias delati, claſſem conſcendere: ex itinere Jaderam expugnarunt, Venetiſque ex compacto tradiderunt. Conſtantinopolimque inde navigantes, ejecto Alexio, Regni tres partes fecerunt, urbem Byzantium cum titulo majeſtate Balduinus, Marchio Bonifacius Theſſalonicenſe, Veneti inſularum imperium ſortiti ſunt.

A. C. 1204. Anno ducenteſimo quarto ſex iterum Poteſtates Mediolani creantur, Gulielmus Puſterlæus, Tacius Mandellus, Daneſius Cribellus, Dominicus Burrus, Manfredus Oſſa, & Oldrevandus Canevefius. Quo tempore Liguſtici Annales habent, Arragonum Regem Genuam veniſſe: & Genuenſes adjuvante Henrico Piſcatore Comite Inſulæ Melitæ, Syracuſas Siciliæ urbem de Piſanorum piratarum tyrannide recepiſſe, ac urbis Epiſcopo & fratribus ejus reſtituiſſe.

A. C. 1205. Anno MCCV. Galiardorum ſocietas Mediolano eſt pulſa, & gliſcente civili diſcordia bellum inter eos & plebem urbanam conflatur; & prætermiſſo Poteſtatum Magiſtratu ad Conſules civitas redit. Eodem anno Amizo Bultrapbus Mediolanenſis Præturam Alexandriæ geſſit: quo auctore, & ſtipulante Gulielmus Marchio Montiſferrati pro magno munere remiſit portorium, quod pendere Alexandrini negotiatores ad Felicianum tranſeuntes conſueverant; & ejuſdem pater Theſſalonicenſium Rex perſecutus Alexium res novas in Peloponneſo molientem profligavit, & Corinthi cum uxore & filio cepit, navique impoſitos Genuam, & inde ad filium in Montemferratum miſit: ſimul filiam accerſivit, quam matrimonio Balduini jungeret. Sed dum ſponſa Ligurum triremi advehitur, Balduinus ad obſidendam Adrianopolim profectus eſt, atque ibi cum trecentis nationis ſuæ militibus interfectus: cujus morte Conſtantinopolitanum Regnum excipit Henricus frater.

A. C. 1206. 1207. Fluxere dehinc anni duo, ſextus, & ſeptimus. Quibus Præturam Mediolani geſſit Ubertus Vicecomes genere Placentinus. Et defuncto Philippo Lampugnano, Ubertus Pirovenus hujus nominis ſecundus, jamque Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Archiepiſcopatui Mediolanenſi præficitur. Et Gulielmus Monteferratenſis, annuente Bonifacio patre, vendidit Papienſibus oppidum Valentium, quod in Padi ripa ſitum Forum Fulvii dictum fuiſſe eruditis placet.

Cum vero jam ſubiiſſet annus octavus, & Philippus ad Imperium Germanicum adſpirans, bellicis victoriis claruiſſet, excipitur inſidiis Bertolphi Vintilimbacenſis Palatini Comitis, cujus miſeranda cædes maximum auctori odium paravit apud cunctos Germanarum civitatum Proceres. Nec ita multo poſt ſurgentibus in eum ultoribus, patriis finibus ejicitur, & ab Henrico Calatino obtruncatur. A. C. 1208

Otho autem ſolus Imperio potitur: qui ut opes magis firmaret, atque opinione matrimonii validius cuicumque reſiſteret, nuptias filiæ defuncti adverſarii pollicetur *. Tum ad rem Italam animum adjicit: Mediolanenſium in primis amicitiam ſibi neceſſariam ſtatuit: ſed cum eam difficilem fore ſibi arbitraretur propter veteres & prope inexpiabiles inimicitias, quæ cum priſcis Cæſaribus interceſſerant, interpretum operam adhibuit. Hi fuerunt Gallinus, Burgundius, Petrus, & Ruffinus fratres de Aluate, quorum auctoritas non contemnenda, neque mores ingrati civibus erant. Horum igitur induſtria uſus Otho, fœdera cum Mediolanenſibus jungit, atque in memoriam meriti, his fratribus, eorumque nepotibus, privilegium dedit, quo ſoli Notarios, & Tabelliones crearunt, cæteris omnibus, qui eandem auctoritatem haberent, interdictis; eoſdem titulo Comitum Palatinorum Mediolani donat. Item eidem Gallino, & Alberto Mandello feudi nomine Forum Novum & Mozanicam eodem jure, quo Epiſcopus Cremonenſis à Cæſaribus obtinere ſolebat, & Gudum, & Antebiagum, & Villam Lanterii, & quicquid ibidem, atque in juriſdictione Mediolanenſi Cœnobium Cæli Aurei Papiæ poſſidebat; ſed propter ſuborta bella, & temporum mutationes, nihil eorum, miſi creandorum Notariorum auctoritatem, obtinuerunt. Et ut poſteri ſtirpem recognoſcant, hi juvenes alterius Petri filii fuere; ipſi vero filios genuerunt. Gallinus Baſianum & Conradum; Burgundius Hectorem; Petrus Bonacurſium Juriſconſultum & Petrum Canem.

Exploratis Mediolanenſium animis, Otho Volfgerium Patriarcham Aquilejenſem eoſdem ad confirmandos, & aliorum ſtudia tentanda, præmiſit. Is Martio menſe litteras Cæſaris Poteſtati, qui tunc forte erat Albertus Auricus Fontana Placentinus, ac Conſulibus, & populo Mediolanenſi reddidit in hæc verba: *Si veſtra erga nos amoris & ſtudii oblivionem nobis obrepere unquam pateremur, profecto honori noſtro, rerumque noſtrarum incolumitati parum cautum fateremur; nam & ipſi ingrati nomen, quod maxime alienum a Principe eſſe debet, ſubiremus, & cæteri populi exemplo deterriti alii animos averterent: ſed abſit, ut quos officioſiſſimos ſemper ſumus, & dictorum, factorumque noſtrorum ſummam conſtantiam tenuimus, meriti cujuſpiam immemores videamur: veſtrum nomen, atque devoto nobis inſixa corde hæret: qui maximis noſtris perturbationibus atque periculis nullo hoſtium terrore, nullis minis ab amore noſtro demoveri potuiſtis; ac propterea, ut cunctos, ſingulaſque veſtrum unice diligamus, & pra cunctis ſacri Imperii populis claros, honeſtoſque faciamus, jura, libertatem, conſuetudines veſtras ſervemus, meremini. Nam Legatio ampliſſima cum pretioſis muneribus ad nos miſſa, quando ſatis digne a nobis laudabitur? certe, quo ſapius eam animis revolvimus, gratior, acceptiorque fit; nec unquam nulla eſt in nobis deletura oblivio: cæterum virum clariſſimum Volfgerium Patriarcham Aquilejenſem totius Italiæ Legatum mittimus, qui vices noſtras idemidem obeat: optamus, ut vos quoque hunc æque reverenter ac nos ipſos accipiatis, ope, auxilio juvetis; ut & ipſe dignaſe, digna nomine noſtro agat, & vos ab inſtituto veſtro diſceſſiſſe non videamini.* Hæ litteræ ex Augusta Germaniæ urbe menſe Januario ſcriptæ fuerant. Quibus Mediolani perlectis, nihil eorum prætermiſſum, quæ ad honeſtandum, ornandumque tanti viri adventum pertinerent.

* Juxta alios, jam duxerat anno ſuperiore.

Tum Papiam, Placentiam, Cremonam, Brixiam, cæteraſque urbes adiens Volſgerius oſtendebat, quid auctoritatis ſibi datum à Cæſare in Longobardia foret, Tuſcia, Umbria, Flaminia, Piceno: denique eum prona omnia votis haberentur, digreditur Germania Otho, quem ſequuntur Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Ludovicus Bavariæ, Bernardus Carinthiæ, Otho Hamurræ Duces, Hemardus Goriciæ, Artemannus Vertembergenſis Comites. Jam plana Italiæ tenenti ſeſe adjungunt Lotharius Piſanæ, & Henricus Mantuanæ Eccleſiæ Præſules, Actius Eſtenſis Marchio, Salinguerra Ferrarienſis, Actiolinus cognomento de Romano, qui tum apud Tarviſanos magnis opibus florebat. His aſſociatus Otho, Mediolanum accedit, ubi maximis ſtudiis, maximiſque honoribus accipitur. Traditum litteris eſt, miſſam illi obviam fuiſſe multitudinem puerorum, ad prima urbis limina, qui linteis induti non injucundum Cæſari præbuere ſpectaculum. Hic illuſtri die Reſurrectionis Chriſti Dei anni MCCX. operante rem ſacram Uberto Pirovenco Archiepiſcopo, adſtanteque Volſgerio Patriarcha in æde Ambroſiana, ferrea corona Otho inſignitur. Aſſiuit & vir inclytus Gulielmus Puſterlæus, qui jam Alexandriæ, Placentiæ, & Mediolani magna cum laude Prætoræ munere functus fuerat. Hunc Otho equeſtri Parazonio accinxit, & Aſtenſis urbis ſcudo locupletavit: quibus peractis Mediolano ſub Kal. Majas digreditur; Laudem novam, & Placentiam tranſmeat; ubi Ligurum legatio, Piſanorumque Oratores cum alloquuntur. Durabat exitiale bellum inter eos. Otho his auditis ſuſpendi arma jubet, & captivos, qui utrinque eſſent, ſibi tradi. Paruere utrique; ita hos Alexandriæ cuſtodiri, illos in Sancto Miniato & Frixeto Etruriæ oppidis aſſervari jubet: mox Parmam progreſſus, conventum Italorum Procerum habet. Inde Ferrariam itum, ubi Actii Eſtenſis Marchionis, & Salinguerræ præpotentis viri diſcordias ſuſtulit. Tum in Bononienſes movet: ad Rheni ripas agenti adſtiterunt Comites Blandratenſes, Conradus, Guido, & Obizo filii Rainerii; item Ubertus, Gotifredus, Gazolinus, & Otho filii Uberti, & nepotes magni Guidonis, qui ſub Friderico Ænobarbo claruit, confirmationemque veterum privilegiorum impetrarunt: pergens reliquum iter Otho, Romam pervenit, ubi magna celebritate ab Innocentio Tertio coronatur. Eodem anno petitum veneno Vercellenſem Epiſcopum à nonnullis civibus ſuis lego: & quia is eſſet ex gente Vicecomitum, ejus cadaver in Caſtro Seprio ſepultum.

A. C. MCCXI. Subeunte anno MCCXI. Gulielmus Landus Mediolani Præturam ſortitur; ſub quo leges Municipales & ſtatuta populi reformantur; ratificataque ſocietas Credentiæ Sancti Ambroſii, & item mercatorum; quæ vulgo *Mota* cognominabatur. Item ſancitum, ne ullus umquam Magiſtratus jus diceret Ugoni Rogerii, & Conrado, & Henrico Rodulphi è gente Vicecomitum: deliquerant hi fortaſſe neſcio quid, publica animadverſione plectendum, ac propterea etiam eorum rationes, quæ erant ſuper piſtrinis exercendis, & furnis, ac ſextariis ſignandis, in ærarium redactæ fuerant. Conſultum vero rei Capitaneorum de Arſago, quorum impenta maximi compendii pons in Addua ad Vaprium vicum exſtructus fuerat, expoſitumque in id opus fuiſſe conſtabat pretium trium millium & ducentarum librarum: itaque eis in emendationem conſtituuntur bini ſolidi perpetuo ex ſingula libra pendendi.

Interim Mediolani moritur Ubertus Archiepiſcopus; cui ſufficitur Girardus Seſſius Apoſtolica legatione tum in Longobardis fungens: ſed is Cremonæ brevi raptus, in Sacerdotio noſtro non pernavit. Ergo illud excepit Henricus Septala ordinarius Cardinalis, & Cimiliarcha Mediolanenſis, & tum litteris operam Bononiæ impendens.

Inter Othonem quoque & Innocentium haud diuturna gratia ſtetit: ſuborta controverſia eſt cauſa ejus terræ, cui Patrimonii inveteratum jam cognomen eſt: id quod pertinere ad Imperium Otho, ceu minus legitime donari per fœminam Eccleſiæ potuerit: contra Pontifex, & donari à Matilda Regina potuiſſe, & jam centum annorum poſſeſſionem prætendebat: qua ſententia cum divelli non poſſet, irarum plenus Otho Roma digreditur; & Campanos petens, ſtatim dedente urbem Petro Celani Comite, Capua potitur. Tum Neapolim recepit: nec multo poſt cuncta Apulia, atque Calabria, ac Tarentum ipſum ejuſdem dicto audientes fuere.

Cujus ſucceſſu offenſus Pontifex, Othonem Eccleſiæ hoſtem pronunciat; ſimul ut eidem parem potentiam opponeret, Fridericum Rogerium ex Conſtantia Sicula natum excitat, atque ad avitum Imperium capeſſendum hortatur, ac prærogativa ſua firmat, omnemque opem, quam præſtare Pontifex valeat, pollicetur; penetret modo in Germaniam, (nam tunc in terra Sicula adoleſcens agebat) & quæ cum Heroibus tranſigenda forent, expediret: namque ab Othone ſuaſu Pontificis deficiebant Lantgravius Dux Lotharingiæ, Rex Boemiæ, Dux Auſtriæ, duo Archiepiſcopi Trevirenſis, & Moguntinus: haud ſpernenda propoſita amici ſuadebant, & comparatis per hiemem itineri neceſſariis, quatuor triremes conſcendit, & Kal. Majis anni MCCXII. adnavigavit Genuam, ubi in A. C. Idus Julias moratus eſt, ſcrutandis Longobardorum animis, qui ſuſpenſi exitum fortunæ ſpeculabantur. Demum ſuperato Apennino in Alexandrinorum agrum deſcendit: feſtinantem ad Padum Papienſes primi excepere, & in urbem ſuam ductum ampliter habuere: trans Adduam ducere animus erat, ut inde ad Alpes expeditius properaret; ſed eorum ſtudiis adverſabantur Mediolanenſes; jamque copias, quæ aditum præcluderent, ſecus Lambri ripas diſpoſuerant: verum inuſitato modo Fridericus ad umbilicum uſque merſus, amnem tranavit. Inde Cremonenſes, & Eſtenſis Marchio trans Adduam & Alpes uſque incolumem perduxere. Fruſtrati iſta ſpe Mediolanenſes, præſidio Papienſium occurrere, atque ad conſerendam pugnam compulere: diſpari Marte res tranſacta. Nam Mediolanenſes ſeptuaginta ex hoſtibus captis, ipſi dimidium ejus numeri ex ſuis deſideraverunt.

Mox Novembri menſe Actius Eſtenſis moritur, ſuperſtitibus duobus liberis Aldrovandino & Actio Novello: tranſitu Friderici in Germaniam cognito, mutantibuſque Heroum factionibus, Otho eodem feſtinandum ratus, Apuliam, Calabriamque deſerit. Nam & Piſana claſſis quadraginta triremium auxilia, & commeatus ei comportans cum Neapolim perveniſſet, & expoſitis in terram exploratoribus nuſquam terrarum enim compenſſet, integris copiis domum renavigavit.

Sequens annus quatuor Prætores Mediolani habuit, Othonem Mandellum, Manfredum Buſnatum, Ardigotum Marcellinum, & Buſnardum Incoardum. Eodem anno bellum Cremonenſibus illatum, ſociique habiti Comenſes, Laudenſes, & Placentini. certatum cruento Marte eſt ad Caſtrum Leonem die Pentecoſtes, quæ tunc pridie Kal. Junias fuit. Fuſi Mediolanenſes Carrotium cum quatuor hominum millibus amiſere: ſubinde Alexandrini & Derthonenſes Papienſium fines invadunt; Salam oppidum ſibi propinquum expugnant, ac ſpoliatum incendunt. Mox imploratis auxiliis ab Vercellis, Alba, Aquis, Gulielmo & Conrado Malaſpinis, & ſeptingentis viris à Mediolano,

lano, Caſellis Papienſium oppidum petunt: ubi caſtris imprudenter poſitis, & fugam facere incipientibus Mediolanenſibus, cæteri profligantur, & Papienſis caſtris, incredibilique rerum copia potitur. Anno MCCXIV. Ubertus Vidalta Placentinus Mediolani Prætor declaratur, qui prudenti conſilio vir, ut contentionum cauſſam tolleret, quæ inter Patres & plebem, hoc eſt, inter Capitaneos, Valvaſſoreſque, & Motam, & Credentiam oriebantur, ſanxit, ut urbani Magiſtratus pari deinceps numero utrinque crearentur, & communes dignitates, publicaque munera haberentur.

Interea Otho, qui Germanorum ſtudia in Fridericum manifeſte inclinata cernebat, in Galliam Belgicam ſe contulerat; & opibus Henrici Lotharingiæ Ducis adhærebat; cujus & filiam Mariam, ut certiori fœdere devinctum ſe oſtenderet, uxorem accepit: in Trajectenſi urbe nuptiæ actæ. Mox ambo ſimul auxilium Ferdinando Flandriæ Comiti adverſus Philippum Francorum Regem tulerunt, pugnatumque acie Kal. Auguſti ad pontem Bovinenſis Tornacenſium agri. Ferdinando adverſa fortuna fuit: nam vivus in poteſtatem hoſtium venit: item ex ejus exercitu capti Comes Bononiæ, quæ eſt in Morinis, & Comes Hollandiæ, & Regis Angliæ frater. Otho vero & Henricus ſocer facto ex reliquis cuneo diu vim Gallorum ſuſtinuere: ſed mox & ipſi debellati mutata veſte, abjectiſque Regiis inſignibus, hoſtium manus evaſere: nec ullo deinde illuſtri negotio Otho celebratur. Fridericus vero Regio titulo Franchfordiæ aſſumpto, per Julium menſem anni MCCXV. Aquiſgranum defertur: ubi à Syfredo Moguntino Archiepiſcopo, quia tunc forte Colonienſis Eccleſia vacabat, ſacratur, & Cæſarum corona condecoratur.

Eodem tempore rebus adverſis ex Syria nunciatis, Innocentius Pontifex Crucem prædicari jubet, hortaturque Principes Chriſtianos, ut in ſpem ſalutis æternæ ſacram ſuſcipiant expeditionem. Multi ei audientes fuere: ſed dum inter Heroas ratio gerendi belli apud Lateranum initur, Pontifex Peruſiam proficiſcens, moritur: cui ſtatim ſufficitur Honorius Tertius, nihil eorum, quæ ad peregrinationem incœptam pertinerent, omiſit: ſed cæteris in ſacro propoſito confirmatis Petrum Altiſſiodorenſem Conſtantinopolitanorum Imperatorem deſignat, & Romæ cum Jole uxore coronat. Ei comites acceſſere Joannes Columna Cardinalis Romanus, & Legatus Pontificius, & Henricus Septala Archiepiſcopus Mediolani cum egregia juvenum manu, quorum non inſtrenua opera uſus, poſt longos labores pariter in patriam reductus eſt.

Inter hæc Aldrovandinus Eſtenſis veneno petitus moritur, Beatrice filia ſuperſtite, quam deinde ſucceſſor rerum Actius nuptui Regi Ungariæ locavit. Et circa fines noſtros res minime quietæ erant: nam Mediolanenſis adverſus Papienſem bellum gerens, poſt varias illatas, acceptaſque clades, in agrum Laumellinum profectus Garlaſcum non ignobile oppidum evertit. Inde trans Padum emiſſa quatuor Portarum juventus montem Calvum, Suriaſcum, montemque Othonem ceperunt. Parmenſis & Cremonenſis contra Placentinos, quia cum Mediolanenſe ſentiebant, arma intulerunt, & juxta Nuriam amnem cruento Marte certarum. Ad Cruviacum quoque duo potentes viri Rolandus Nucetus, & Petrus Guidonus Rogerii mutuis injuriis ſe conficiebant. Agebat tunc Prætoram Mediolani Jacobus Malcorigia Placentinus, qui tentatum à Brunaſco Porta Novarienſe de publico civitatis conſilio opus confecit. Adhibitis namque peritiſſimis viris Guffredoto Graſſello, Alberto Marliano, Leonardo Crucio, Gaſpare Menclotto, Vicecomite Rizolo, Othone Horto, ac paucis quibuſdam aliis, redegit in volumen conſuetudines, quæ Mediolani pro legibus ſervantur, eaſque caſte ſervari mandavit.

Anno MCCXVII. ſub Idus Julias Papienſes, qui majoribus hactenus odiis, prope quam viribus cum Mediolanenſe bella geſſerant, neſcio qua cauſa impulſi, in partes Mediolanenſis ceſſerunt, ejuſque & Placentinorum mandatis obtemperaturos jurarunt. Anno MCCXVIII. Poteſtate Mediolani Amizone Sacco Laudenſe, Otho Cæſar Majo menſe fato functus, liberum Friderico Rogerio Imperium reliquit. Mox interceſſione atque auctoritate religioſorum quorundam virorum per Junium menſem pax fuit conciliata inter Mediolanenſem, Papienſem, Placentinum, Derthonenſem, & Alexandrinum, & conjunctis copiis profecti Gibellum, cum Parmenſibus & Cremonenſibus infeliciter pugnarunt: poſt patratam victoriam ſupervenit in auxilium Parmenſium Rhegienſis juventus, qui ludibrio habiti, occaſionem proverbio dederunt, ut cum vellent ſignificare, quempiam poſt actum negotium veniſſe, dicerent, *Rhegienſe auxilium.*

Interea Dominicus Calaguna Hiſpaniæ vico oriundus ad Italos venit: & multiplicibus ſectis labefactatam Chriſti religionem, vir Theologia pollens reſtituere, & declaratis erroribus veram fidem docere cœpit. Ingens erat viri opinio, nova ſanctimoniæ exempla, & dicendi vis prope divina. Quare cum Mediolanum conceſſiſſet, & frequenti populo ſæpius concionaretur, multos ab hæreſi avertit; inter quos clari doctrina & celebres juris ſcientia viri Amicio Solerius, Guidotus Sextius, & Rogerius Vicomercatus magna exempla reliquorum animis præmovendis præbuerunt. Ita pluribus in ordinem venientibus conſtituta brevi ea Fraternitas eſt, quæ album tunicam nigro pallio tegens ex munere ipſo *Prædicatorum* nomen retinet; & cum hactenus uſi eſſent precario hoſpitio ædium Sancti Nazarii, creſcente turba proprium diverſorium paratum illis publice fuit, lectaque ædes D. Euſtorgii porta Ticinenſi, quam tenebant Ubertus Marinonus Præpoſitus, & quatuor Canonici; qui hortatu Ugolini Cardinalis, qui tunc Legatum Apoſtolicum agebat, juſſi commigrare in Laurentianam Eccleſiam, ubi octo Sacerdotes degebant, tredecim deinde collegium conſtituerunt. Et quia res indigebat auctoritate Epiſcopali, hanc adhibuit Hugo Septala Cimiliarcha, & abſentis Henrici Vicarius. Mox Bononiam profectus Dominicus, biennium non ſupervixit, atque ibi ſepultus, celeberrimo cœnobio initium dedit.

Eodem tempore floruit & Franciſcus, genere Piceus, alterius Fraternitatis auctor, quæ cinereo colore veſtita, toto jam orbe diffuſa *Minorum* cognomen ſortita eſt.

Incunte Januario anni MCCXX. Fridericus Rogerius in Italiam venit: quidam Mediolanum divertiſſe ſub ſpe coronæ ferreæ ſcribunt: ſed alias imperiti & mendaces, hic etiam imprudentiæ ſuæ argumentum relinquunt: quod cum haberet nobilitatem ſibi faventem, & non item aſſentiretur plebs cum Conſilio Credentiæ, ab urbe Papiam conceſſerit: & Papiæ agens ei civitati reſtitui juſſit Viglevanum, Pontem Ticini, quem Mediolanenſes occupabant, & montem Donicum, Ulmulum, Martianum, Monticellum, quæ veteri bello ſub Friderico primo geſto Placentini capta adhuc tenebant. Eiſdem civibus Papienſibus paulo poſt mandat, ne ſibi Poteſtatem ullam, ſeu Reip. ſive Juſtitiæ adminiſtrandæ cauſa crearent uſque ad decennium: ſed duodecim viros legerent, quorum ſex militaris Poteſtas daret; reliquos popularis turba proponeret.

Inde Mutinam profectum aſſecuti ſunt Rambertinus Guido, Bonarellus Prætor, & alii nobiles viri

A. C. 1214.
A. C. 1215.
A. C. 1216.
A. C. 1217.
A. C. 1218.
A. C. 1219.
A. C. 1220.

Genuenſium Oratores ; qui petebant confirmari promiſſa de Inſula Sicilia. Reſponſum , nihil poſſe ſatis certi conſtitui , donec in rem præſentem iviſſet ; quare ſe ſequerentur ſaltem Romam uſque. Illi cum Bononiam perveniſſent , augurantes ſe fruſtra ituros , cauſati non longius ſibi demandatam Legationem , domum rediere.

Interim Fridericus Etruria emenſa , Novembri menſe montem Roſillum , & Sutrium pervenit : quod dum obſidet , privilegium maximum Papienſi dedit , quo illi trans Sciſitem amnem , tranſque Tanarum prolata juriſdictione centum & XIII. oppida concedit , quorum nobiliſſima nunc quoque exſtant trans Padum ; Fraſſinetum , Ticinetum , Aquæ , Valentia , Baſſignana , Viquera. Et Derthonenſibus pariter confirmat conventiones initas cum Friderico avo , & Henrico patre , & à ſe conceſſa , cum poſſeſſione rerum , quas tenebant , cum fidem jurarunt Eberardo Lutrio ipſius Cæſaris nuncio ; & etiam , quæ ſexaginta ante annis habuerant ; & donat juriſdictionem , & gladii poteſtatem in facinoroſos , & cauſſarum cognitiones in civitate , & duobus & quinquaginta vicis circa cum poſitis : irritaque facit ea , quæ aliis contra Derthonenſes conceſſerat.

Mox Romam profectus , magnis honoribus à Senatu , populoque accipitur ; & ſub Idus Decembris ab Honorio Pontifice Auguſti corona , & nomine Imperatoris donatur. Cujus rei tanto major celebritas fuit ; quia forte per idem tempus Joannes Hieroſolymitanus Rex eodem venit : ſalutatoque Pontifice , Iſabellam filiam ex Maria poſthuma filia Conradi Montiſferratenſis , & Hieroſolymorum Regis ſuſceptam Friderico deſpondit , & matrimonio junxit cum ampliſſimo regni titulo ; ex quo deinde omnes poſteri , qui Siciliam imperio tenuerunt , Reges Hieroſolymorum ſeſe appellarunt. Et neſcio quomodo Scriptores in nomine mulieris variaverint Jolem appellantes Joannis uxorem , quam nos Mariam in Ligurum Annalibus legimus.

Sic veluti auguſtior factus Fridericus Neapolim & in Siciliam contendit magna cum opinione rerum , quæ mox ab ipſo gerendæ forent. Et haud dubie inſolentiorem factum primi Genuenſes didicere. Nam cum ad eum veniſſent Ubertus Volta , Sorleonus Piper , & Ubertus Novarienſis eorum Legati , & cauſſam rerum Sicilienſium accurate egiſſent ; non ſolum nihil eorum , quæ petebant , impetrarunt , ſed Palatio Margaritæ , quod diutiſſime poſſederant , & reliqua omni immunitate privati , ſuccumbere decimæ cum cæteris peregrinis juſſi ſunt ; & Comes quidam Alemannus Syracuſana gubernatione , & Gulielmus Portus Præfectura maris , quia amici Genuenſium credebantur , ſubmoti ſunt. Interea Parmæ exſtructum Palatium Prætorium eſt , in cujus pariete marmoreum Taurum poſuit in ſui nominis memoriam Taurellus Strata nobilis Papienſis , qui tunc forte Præturam ejus urbis gerebat , & quam etiam ſexto anno poſt iterum fortitus eſt.

A. C. 1222. Cum deinde ſubiiſſet annus XXI. ſupra M. & CC. & Præturam Mediolani gereret Amicejus Saccus Laudenſis , gravis orta ſeditio eſt. Infana plebs , vulguſque profanum raptis populariter armis , Nobilium domos invaſere , & direptis , quæ auferri potuerunt , in ædificia etiam ſæviebant , domos diruebant. Jam ſacerdotum jura violare , & divina humanis permiſcere nullum penſum erat : quin & Henrici Archiepiſcopi jam diu abſentis memoriam invecti , cum publico edicto exulem declarant , bona publicant , & inde cœnobium Carævallis magnum incrementum accepit. Fovebant in his plebem Capitanei & Valvaſſores. At Nobiles Othonem Mandellum Prætorem ſibi creant , & plebeji Ardiotum Marcellinum ; ſub quibus deinde menſe Auguſto reconciliati pacem inivere : ſed ea haud A. C. diuturna fuit , & proximum triennium inteſtinis ar- 1222. mis vexata civitas eſt. Per quod tamen tempus nihil aliud narratum invenio , nudaque tantum Prætorum nomina leguntur ; quorum Spinus Soreſinus Genuenſem Præturam biennium continuavit , adjutus conſilio duorum Juriſperitorum , utique Mediolanenſium , Conradi Oldani , & Opicionis Salæ ; & Mediolanenſem geſſit Paxius Manembius Brixienſis anno MCCXXIII. & pariter Maſſilienſem Car- A. C. nelevarius Ozenus Mediolanenſis. Novarienſes vero bellum quoddam in Verbano lacu habuerunt , quo armata apud Angleriam claſſe Palantiam oppidum bis ceperunt.

Interim quoque Fridericus ex Sicilia in Germaniam reverſus , magna contentione obtinuit à Proceribus , ut Henricum filium Romanorum Regem dicerent , quem mox Aquiſgrani Engilbertus Colonienſis Archiepiſcopus ſacravit , & unxit.

Anno vero XXIV. Avenus Mantuanus Præturam A. C. Mediolani exegit , atque etiam ſequentem annum 1224. continuavit. Interim eo Duce cives trans Ticinum arma tulerunt , & de Papienſi ditione ceperunt Cottium , Candiam , Bremiden , & Lexiam. In Tranſpadanis vero Alexandrini ægre ferentes Capriatam oppidum à Genuenſibus teneri , auxilia ab amicis implorarunt : trecentos milites Mediolanum , Derthona , & Vercellæ alios miſerunt. Impetus primo ad Peretum factus , atque hinc non ſine cæde repulſi ardorem acceptæ contumeliæ in Capriatam verterunt , nonnullaque ædificia incenderunt , agrumque populati ſunt. Mox certiores facti venientium ab urbe Genua copiarum , quibus longe impares numero erant , collectis ſarcinis domum abierunt.

Cæterum continuabant Mediolani ſeditiones , inteſtina bella , & odia inexpiabilia. Quinque autem in partes diviſam tum urbem fuiſſe accepimus , quarum unaquæque ſuum creabat Poteſtatem. Capitanei & Valvaſſores Guidonem Landriantum ; Plebs Ardiotum Marcellinum ; Capitanei Sepriı Obuzonum Puſterulam ; Capitanei Marthefanæ Henricum Ciſnuſculum ; Mercatores , & qui varia negotia tractabant , Buſnardum Incoardum ; qui capita factionum , diuturno jam magiſtratui aſſueti , & propterea in privatam vitam redire neſcii , odia conſovebant.

Avenus autem Poteſtas ſecundo ſui magiſtratus A. C. anno , menſe Julio , ita abrogavit eos , ut in eorum 1225. locum alius non ſufficeretur ; aut ſi vellent Magiſtratum cives , Conſules , ut antea ſolebant , crearentur : deinde etiam hoc decrevit , ut Eccleſiæ majoris honores , qui hactenus intra nobilitatem ſteterant , ſpe tantum Epiſcopalis gradus excepta , Plebejis communicarentur ; ſcilicet , ut locum inter Cardinales Ordinarios ſortiri poſſent : conceſſum item Nobilibus eſt , ut æque ac Plebeji inter Decumanos ſacerdotes admittantur. Cautum quoque eſt ; ut tot alii ſacerdotes ex aliis Eccleſiis in Majorem cum reditibus earum transferrentur , ut cum Decumanis numero , cenſu , ſuffragio Ordinariis æquarentur ? haberenturque nihilominus unum corpus , una fraternitas , unum collegium , & quæcunque agenda dies attuliſſet , conjunctim agerent. Additum fœderi , ut debitum , cujus ſupra mentionem fecimus , ex cauſa pontis Vaprienſis , Capitaneis de Arſago perſolveretur ; Leges , quas ſeditionum fator Ardiotus Marcellinus tulerat , antiquarentur ; damna Archiepiſcopatui , Eccleſiæ Majori , & Capitaneis , & Valvaſſoribus illata prudentum virorum æſtimatione emendarentur. Leucum Tranſadduanum oppidum Larii Emiſſario adjacens , & Canturium Como finitimum , jure , immunitateque Mediolanenſis civitatis , qua donata jam fuerant , fruantur ; & ut rata haberetur pax jam undecim ante annis , auctore Uberto Vidalta , inita.

Poſt

Poſt hæc in Longobardos Fridericus deſcendit, Cremonam, Parmamque adiit, coramque eo Savonenſes inſolentius, quam veteri eorum in Genuenſes obſequio conveniebat, quædam egerunt, nec impetravere, quæ optabant à Cæſare. Igitur ad Thomam Sabaudianum Comitem verſi, ſe ſuaque illi dedunt: Albingaunenſem civitatem in ſocietatem trahunt, quibus non deerat omnium particeps & auctor Henricus Carretus. Nec mora, in oram Liguſticam deſcendens, populos ſacramento in verba ſua adegit. Genuenſis manifeſtæ rebellionis eos damnat, hoſteſque declarat: & dum alia bello neceſſaria pararentur, Bermuſtino Vicecomiti quatuor triremium Navarcho negotium deferunt curandi, ne qui commeatus interea ad illos perferrentur. Eodem anno Gulielmus Marchio Montiſferrati in Græcia fato functus eſt.

A. C. 1146. Subſequenti anno Ardengus Vicecomes ex Ædituo Abbas Ambroſianæ cœnobii creatus eſt; ejuſque cadaver noſtro ſæculo erutum cum Pontificali Lituo fuit, quem eburneæ viperæ adornabant. Guazinus Ruſca Prætoram Mediolani fortitus eſt.

Julio menſe Fridericus ex Parma Burgum S. Donnini profectus inimicas civitates judicavit Mediolanum, Bononiam, Faventiam, Mantuam, Patavium, Tarviſium, Veronam, Vicentiam, Brixiam, Laudem, Alexandriam, Vercellas: eaſque ſic jure omni privat; ſicuti Sanctæ Ruffinæ Cardinalis Epiſcopus Portuenſis Legatus Apoſtolicus ſacris interdixerat.

A. C. 1147. Anno XXVII. Prætoram Mediolani gerente Lanfranco Ponte Carato Brixienſe, cui Buccabarla cognomento erat, Xenodochium ſuburbanum in porta Vercellina à Vepra nuncupatum ædificatur. Et Henricus Septala Archiepiſcopus Hieroſolymitana peregrinatione obita, nono Kal. Februarias affirmavit ædium Euſtorgianæ & Laurentianæ commutationem. Cæterum diuturnæ ejus abſentiæ occaſione nonnulli ex ſuffraganeis defecerunt ab officio ſedi Metropolitanæ præſtari ſolito: ſed eo reverſo cæteri brevi ad obſequium rediere: unus Omnibonus Cremonenſis neque adhortationes, neque præcepta audiit; ex contumacia damnatus, Forum Romanum adiit; ubi magno judicio victus, tandem Mediolanum venit, & in Templo Teclæ ſpectante populo ſeſe ad Henrici genua ſubmiſit, & petita venia admitti in gratiam meruit.

Interea in Liguribus varium bellum gerebatur: ſed Alexandrini, & Derthonenſes, Aſtaque, & Alba civitates controverſias ſuas Mediolanenſi Senatui remiſerunt componendas. Savonam vero Genuenſes acrius premebant, eamque Patris Thomæ auſpiciis tuebatur Amadeus Sabaudianus, qui collem Recordatæ in arcis formam redegerat: ſed Genuenſes Albizola & Stella captis, eam magnis animis, viribuſque aggrediuntur, atque expugnant: certaminis ſpectatores adhibiti fuere Legati Mediolanenſes, & fœderatarum civitatum, qui ad ſedandum tumultum, & Genuam in fœdus accipiendam miſſi erant: tunc Savonam ipſam obſident: obſtinati cives omnia tolerant: in octavum Kal. Junias rem extraxere. Demum coacti inopia rei frumentariæ, emiſſo Amadeo incolumi, deditionem fecere, ſeſe ſine ulla exceptione fidei & arbitrio Genuenſium permittentes. Illi vero publico decreto urbem mœnibus denudarunt, foſſas impleverunt, & portum inter nobilia naturæ opera numerandum, qui in cochleæ morem circumflexus, quamlibet magnas, onuſtaſque naves medium in ſorum deportabat, immerſis molibus inhabilem fecerunt; tum arcem eminentiori in colle condiderunt.

Inter hæc conceditur Mediolanenſi facultas componendæ pacis: qua mox pronunciatum eſt, ut Capriata, Arquatum, & mons Janus Alexandrinis redderentur. Quare eo, qui ſecutus eſt, anno A. C. 1149. XXVIII. Guſredus Pirovencus Mediolanenſis jus ex Prætura Genuæ dicens, eis Apenninum, ut eam publico nomine exſequeretur, venit. Ingreſſus oppidum, efferri, quæ exportari poterant, ut vacuas & inanes domos traderet, jubet. Id vero fraudi eſſe, nec omnino tolerandum Legati Alexandrini ſtatuentes, quantum pro viribus poterant, conquerendo, iraſcendoque, prohibere conati ſunt; & cum nihil proficerent, reverſi Alexandriam poſtero die militarem manum adduxere: ſed jam major, meliorque pars rerum, tum liberi & conjuges in propinquum Gavium traductæ erant. Quare indignatione pleni Alexandrini, quod reliquum illi fecerant, diripuere. At Genuenſes, pace rupta, fœdus cum Bonifacio Marchione Montiſferrati, Aſtenſibuſque faciunt; bellumque inde exarſit circa Albæ Pompejæ fines; quod mox auctoritate Mediolanenſium Oratorum, nova pace inducta, finitum eſt.

Per idem tempus in Mutinenſi agro alterum bellum gerebatur: oppugnabant Bazonum oppidum Bononienſes, magnaque ſociorum copiis adjuti circumſidebant: namque eis auxilia præbebant finitimi Ferrarienſes, Faventini, Himolenſes; tum remotiores Placentini, Mediolanenſes, Brixiani aderant, & nonnulli Florentini: contra oppidum tuebantur Veteres Domini, Mutinenſes, Parmenſeſque adjunctis Cremonenſibus; à quibus poſt diuturnam obſidionem mille equites, & quatuor millia peditum cum Carrotio miſſa fuere, qui via Claudia profecti, Mutinam ipſam, locumque obſeſſum tranſiverunt: ad Rhenum uſque pervenientes, hoſtium agros urere, diripere, ac vario injuriarum genere ultro laceſſere cœperunt. Ita coactis ad ſua defendenda redire Bononienſibus atrociſſimum conſertum prælium eſt; quod ut diutinum, (ab orta enim luce in occiduum ſolem certatum eſt) ita & cruentum fuit. Victi demum Bononienſes vel cæſi, vel capti ad unum cum incredibili rerum copia fuere; cum quibus poſtmodum permutatione facta, non pauci Mutinenſium captivi redempti ſunt. Florentini quoque capti, qui ita Reip. ſuæ donati fuere, ne deinceps Florentinus populus populo Parmenſi bellum faceret. Interea tempus præſcriptum Aſtenſibus ad dandum nomen in ſocietatem Longobardiæ effluxit. Quocirca Præſides ſociorum Prætori & populo Alexandrino ſcripſere, ut illos hoſtium numero habeant, ac per præconem id vulgari jubeant; tum commercia etiam vitantes, hoſtilia omnia in eos exerceant.

Eodem anno Mediolani Prætoram tenuit Aliprandus Faba genere Brixienſis, & ſub eo ſorum mutatum fuit; & novæ leges latæ adverſus Hæreticos, quorum multiplices & inauditis nominibus diſtinctæ ſectæ erant: nam præter Patarenos, quorum ſupra in Arnulpho mentionem, Cathari, Carani, Concoretii, Furſici, Vanii, Speroniſtæ, Carantani, Romulares nuncupabantur: hæcque labes non minus ad fœminas quam viros pertinebat. Ita utrique ſexui interdicta ſuperſtitio eſt: propoſita pœna capitis & domorum deſtructionis iis, qui in ea perſeverarent, aut tecto reciperent, aliquove A. C. juvarent. Et ſubſequentis anni menſe Januario Gu- 1149. ſredus Cardinalis ſub titulo S. Marci Legatus Pontificius Mediolanum ingreſſus lege ſanxit, (de communi tamen Archiepiſcopi, Ordinariorum, & populi conſenſu) ut Prætor damnatos judicio Eccleſiaſtico intra decem dies capitali pœna afficiat.

Habitus dehinc eſt Veronæ menſe Majo conventus celeberrimus ſociarum civitatum: ad quem Oratores miſere Mediolanum, Vercellæ, Novaria, Alexandria, Placentia, Bononia, Ferraria, Brixia, Vicentia, Tarviſium. Statutum inter omnes eſt,

eſt, ne ullum omnino commercium haberetur cum A
Cremona, Parma, Mutina; & diligentem operam Prætores darent, ut id obſervaretur. Et poſtea per Decembrem ædem civitates, & inſuper Comum & Taurinum Prætores ſuos cum nonnullis civibus Mediolanum miſere, ubi annuente Henrico Archiepiſcopo, & Varalla Hiſpano Epiſcopo Brixienſe, & Legato Apoſtolico ex Fraternitate Prædicatorum, confirmavere ſocietatem olim initam in vico S. Zenonis Morii.

Eodem anno è Mediolano in Apuliam adverſus Fridericum Cæſarem profecti ſunt Ubertus Buxerus, & Panmilius Alberius cum centum claris militia viris. Fridericus autem, indigens opera Genuenſium, eos per internuncium monuit, ut ad ſe Oratores mitterent: quibus cum de communibus rebus loqueretur; lecti Gulielmus Maris & Henricus Domuſculta non ante ſubſequentem Februarium ivere.

Interea Alexandrini, indignantes Capriatam, præter conveota in ſententia Mediolanenſi everſam, eam mœnibus, arceque inſtaurabant; ſed ad eos deturbandos miſere Genuenſes quingentos equites, à quibus ita impeditum opus fuit, ut ſequente anno, qui fuit trigeſimus poſt mille & du-
A. C. 1210. centum, Jacobus Tertiagus Mediolanenſis Alexandrinorum Prætor, cum nonnullis ex primoribus C
civium profectus Mediolanum, Placentiam, Bononiam, ac reliquas fœderatas civitates, obtinuerit ab omnibus ſimul mitti Legatos Placentiam; ubi novo inito conſilio copiæ Alexandrinis decretæ ſunt, quibus bellum ubi vellent, facerent: qui cum Genuenſium fines minime tentandos cenſerent, in montem Barrutium Montiſerrati oppidum iras direxere. Id duo obſident, ſupervenit à Genua Prætor Spinus Sorefinas Eques Mediolanenſis cum valida peditum manu; & auxiliares à Papia equites: quibus Aſtenſem jam agrum tenentibus, ſic infracti Alexandrinorum animi ſunt, ut pacis conditiones quæſierint; cujus arbitri conſtituti Sardus Archipresbyter Albenſis, & Gulielmus miniſter Hoſpitalis Sancti Joannis, Capriatam Genuenſi adjudicarunt.

Per idem tempus res miranda apud eoſdem Genuenſes contigit. Quatuor inſignes piratæ Liguſtini infeſtum habebant univerſum mare Tyrrhenum, Durantus, & Recuperus, portus Lunenſis accolæ, & Gulielmus Vintimilienſis, & Rubeus Molinellus: finitimorum querelis diu fatigati Genuenſes, tandem provinciam adverſus eos decrevetunt Anſaldo Buffero. Is armata claſſe, brevi eos capit, ac Spino Prætori puniendos tradit: hic vero damnatos efferri in crucem die feſto properabat; E
nam & ratione Dominicæ, & anniverſario Divorum Nazarii & Celſi religioſus habebatur: ob eam cauſſam ingens ad Prætorem concurſus fit rogantium, flagitantiumque tantiſper differri ſupplicium, dum ſacra dies efflueret: renitebatur Prætor, inſidenſque equo late circa multitudinem arcebat: ſed labente equo crus fregit: nihilo deterritus tolli in crucem maleficos homines jubet. Cæteris jam exſtinctis, duo Recuperus & Gulielmus emori non poruerunt. Quo miraculo Prætori & populo enunciato, ſtatim diſſolvuntur. Cumque indicaſſent ope D. Joannis Baptiſtæ ſeſe adjutos, de publico conſilio liberantur. Prætor vero ipſe, cum ægre a F
vulnere convaluiſſet, eſu anſerinæ carnis enectus eſt. Interea Mediolanenſis quoque Archiepiſcopus Henricus Septala, cum aliquandio æger in vico Brebia fuiſſet, deceſſit. Cui ſuffectus eſt Ubertus Ruzolus.

Per Octobrem vero menſem ingentes pluviæ & perpetui imbres moleſti fuere; aquarumque mole cuncta Circumpadanæ Italiæ flumina plus ſolito inuodarunt, & Ticinus duos etiam pontes abrupit.

Sub exitum anni Friderico Cæſare conventum Ravennæ habente, ad eum Longobardæ civitates Legatos miſere Prætores ſuos, nobilibus civibus aſſociantibus, ad hunc modum: Parma Gulielmum Amatum cum octo viris; Cremona Ferrarium Canem cum XVI. Papia Qualeam Coazanum cum ſex; Mutina Gerardum Albinum cum octo; Derthona quatuor; Genua quoque Ugolinum Robeum cum ſex civibus; qui fœdera & rationes gerendi adverſus hoſtes belli inirent: ſed Fridericus unum ante omnia ſanxit, ne quæ ex ſociis civitatibus Prætorem acciperet ex ullo adverſariorum populo oriundum. Id quod permoleſtum Genuenſi fuit, qui in primum annum ſic obfirmaverant Paganum Petraſanctam Mediolanenſem, ut ejus rationem ſine publica infamia non habere non poſſent. Itaque conati excuſare apud Cæſarem Ugolinus & collegæ fidem civitatis, nihil tamen impetrarunt. Quin Cæſar unum ex Aula dedit Joannem Rhegienſem, qui Genuam proficiſceretur, & quæ decreta forent, populum doceret: ſed ejus oratione populus Genuenſis non modo nihil à propoſito mutatus eſt, ſed confeſtim nuncios Mediolanum dimiſit, qui Paganum ad capeſſendum Magiſtratum adducerent.

Sic inchoato jam anno primo & trigeſimo, litA. C. 1211. teræ à Gregorio IX. qui tunc Reate agebat, affe-
runtur ad Archiepiſcopum Mediolanenſem, & pariter ad electum Mantuanum, quibus hi monebantur, onerabanturque, ut cum populo Mediolanenſi agerent, ſuaderentque, ut pontem in Ticino paulo ante exſtructum demolirentur, & Viglevanum oppidum Papienſi reſtituerent. Quid fuerit reſponſum, haud certe comperi.

Cæterum eodem anno geſtum bellum video in Taurinatibus, Duce Uberto Stricto Mediolanenſium Prætore, & captum Clavaſium; in cujus oppugnatione Ardiotus Marcellinus plebeji agminis ductor cecidit, & multi alii vario telorum genere D
vulnerati.

Per idem tempus Antonius Olyſiponenſis ex ſectatoribus Divi Franciſci, & qui multis virtutibus apud Italos claruerat, mortuus eſt: cui divinis honoribus donato cognomen Patavino ab urbe, in qua ſpiritum reddiderat, ſepulturque fuerat, manſit.

Pagano autem Petraſancta ingreſſo Prætoram A. C. 1212. Genuenſem anni trigeſimi ſecundi, iratus Friderieus, qui tunc in Apulis agebat, juſſit detineri quidquid hominum rerumque Liguſtici nominis in Regno ſuo erat. Ex quo anxia civitas, Oratores ad Longobardos populos miſit, qui animos explorarent, fœderaque ſecum proponerent: ſed mox facti ſui Fridericum pœnituit, allato nuncio ex Syria, exercitum, quem paulo ante eo miſerat, victum, debellatumque fuiſſe; & ſtatim per Mancinum Magiſtrum Curiæ, ac Thadæum Sinuceſſanum ſignificari clementiam, benignitatemque ſuam curavit, & ſi rogaretur, reſtituturum ſe cuncta Liguri ablata: nec falſo ea prædicata fuere, efficaciſſimis litteris in eam rem datis.

Eodem anno Bonifacius Marchio Montiſerrati vendidit Derthonenſibus oppidum Novas ad radices Apennini ſitum: cujus pretium fuere quinquies mille & quingentæ libræ pecuniæ. Ejuſque accolæ ſtatim jure civitatis Derthonenſis donati fuere; brevique turris ampla ibi condita. Mediolani vero interea Prætoram geſſit Petrus Ventus homo Ligur; cujus memoriæ attribuitur inſtauratio portæ urbis Algiſi tunc cognominatæ, quam diu obſtructam noviſſime Ludovicus Sforzia aperuit, & de conjugis nomine, quamvis jam defunctæ, Beatricem nuncupavit.

Per idem tempus concedente Gulielmo Archiepiſco-

piſcopo, Fratres, quos ſuperius nominavimus, Humiliati novum Cœnobium condidere porta Vercellina, cui de primarii ipſorum & Senioris nomine Othacii nomen fuit.

A.C. 1233. Anno tertio trigeſimo Præturam Mediolanenſem ſortitus eſt Oldradus Groſſus Dreſena vetere Laudenſium familia ortus: ſub quo emptus eſt publice locus media urbe ad novum forum faciendum commodum, & æque in omnes reſpondens. In medio ſubſtructa eſt Baſilica, infra deambulatoria; ſupra Prætoris ſtatione, tribunalique frequentata: utrinque arca patet, cujus latera cingunt menſæ Nummulariorum, cancelli Notariorum. Illinc conſulti de jure reſpondent; hinc ſalem cives accipiunt. In Baſilicæ pariete ſtat Equeſtris imago Prætoris Oldradi cum titulo, *quod ultor Hæretica malignitatis, Catharos, ut debuit, uſſit.*

Venerat autem per eadem tempora Mediolanum Frater Petrus Veronenſis ex Dominici ſectatoribus Theologus eximius, quem Pontifex Romanus Inquiſitorem Hæreticorum nominaverat, & cum publicis litteris ad Longobardos miſerat. Eo igitur auctore ſcriptæ in Prætorio Leges, quæ & exſtant: quibus peſſimo hominum generi interdicitur omni uſu, commerciis, opibus, connubiis, & ſepultura; infames, inteſtabileſque declarantur. Et cum plurimi convincerentur, eos ignibus Prætor tradebat.

Hoc etiam tempore in urbem recepti ſunt ſectatores D. Franciſci, quos Fratres Minores vocamus: eiſque non procul Ambroſiana conceſſa ædes Naboris & Felicis.

In Germania vero Fridericus Henricum primogenitum eximiæ indolis juvenem deſignari Romanorum Regem curaverat; atque ad exigendum in verba novi Cæſaris juramentum ab amicis populis venere duo Legati Anſelmus Intigenſis Mareſcallus Regius, & Valcherius Januembrus Archidiaconus Herbipolenſis: ſed hi, neſcio qua prudentia, viri, dum delegatum munus peragunt, aliud effecere: à factioſis arbitror ſubornati, conſpirationem inivere Henrici nomine adverſus civitates Friderici patris amicitiam colentes. Conventus Mediolani actus eſt XV. Kal. Januarias, in quo hæ civitates, Mediolanum, Marchio Montiſferrati, Brixia, Bononia, Laus nova, & Novaria (cujus ultimæ Oratores fuere Petrus de S. Petro, & Ardicionus Cavallacius) ſic ſtipulatæ ſunt: *Cuncti Henrico Regi dedita, fideleſque ſunto: dolo, fraudi, conſilio in ejus perniciem non conſentiunto, ſed pro viribus diſturbanto, aperientoque Regi: tribunum ullum non pendunto: militares copias inviti extra Longobardos fines non mittunto: non obſides, non pignora dunto: Societas, qua Longobardia, Marchia, Romandiolaque nuncupatur, ſalva eſto. Contra Henricum hos omnes, & ſi qui alii præterea fœderi acceſſerint, ab injuriis tueto, nominatimque a Papienſe & Cremonenſe, cum quibus nec pacem, nec inducias inconſultis, invitiſque Mediolanenſibus facito.*

A. C. 1234. Nec ita multo poſt, cum ſubiiſſet annus quartus & trigeſimus, ſocietati acceſſere Patavini & Camniates, qui intolerabiles injurias patiebantur à Tarviſinis, & Actiolino Tyranno nefario, de quo plura ſuis locis referemus. Patavini autem, quo ſinceriorem in his animum oſtenderent, Prætorem iterum accepere Othonem Mandellum, nonminus virtute, quam nobilitate clarum Mediolanenſem, cujus etiam pater Albertus eundem Magiſtratum geſſerat: ſub his bellum menſe Julio exarſit: hinc Mediolanenſes, Placentini, & Brixienſes, illinc Papienſes, Cremonenſes, & Parmenſes inſeſta Carrotia emiſere: ad Zenevoltam exercitus coivere, & ſignis collatis pugnavere: ingens ardor animorum utrinque fuit; & cum cruentum admodum certamen fuerit, par utrinque clades æquavit fortunam. In caſtra cum rediiſſent, illata pacis mentio eſt, brevique ſuſpenſis per inducias armis, domum abiere: manſit deinde quies in totum proximum annum.

Quo quidem tempore, cum unum ſociarum civitatum ſtudium foret, ne Fridericus in Longobardos deſcenderet, unus inquieti animi vir Actiolinus Tyrannus, à Romano in Patavinis oppido cognomentum trahens, in Germaniam tranſivit; hærentemque Cæſarem hortando, docendoque quos amicos in Italia haberet, permovit, ut omnino brevi ſe venturum polliceretur. Erat Actiolinus audacis ingenii homo, & inter Italos ea tempeſtate Tyrannus gravis, & multis formidandus, de cujus origine, quæ apud certum auctorem Rolandinum Patavinum comperimus, omiſſis, quæ vulgati ſcriptores circumferunt, in medium ponenda duxi. A.C. 1235.

Sub Conrado Secundo Actiolinus cognomine Balbus ex Germania profectus non mediocres opes in Patavinis & Honoriam vicum adeptus eſt. Is ejuſdem nominis filium reliquit, qui paternæ ditioni adjecit Baſſianum oppidum; & deinde Romanum, in quod tranſlata ſede cum diutius habitaverit, obliterato Honoriæ cognomen Romani ſumpſit; & ducta uxore Adeleita Etruſca Comitum Mangonum ſorore, ſex liberos genuit, quatuor fœminas, & duos mares, Actiolinum hunc de quo loquimur, & Albericum, quem alii Albertum vocant. Hic autem tertius Actiolinus natus eſt octavo Idus Aprilis anni Chriſtianæ dinumerationis milleſimi, centeſimi, & nonageſimi quarti, qui deinde in famigeratam illam humani generis facem, quæ omnium litteris celebratur, evaſit.

Cæterum hujus anni hiems aſpera gelu, & inſolita nivium magnitudine fuit. Frugiferæ arbores oleæ, ficus, vites exarere: ſubſecuta peſtis in quadrupedibus veterina fere omnia animalia, equos, boveſque nulla apparente cauſa conſecit. Inter aves quoque gallinarum generi pernicioſa fuit.

Subſequente anno MCCXXXVI. Februario menſe, Fridericus inſtitutum iter in Italiam ſuſcepit, & per Tridentinos in Veronenſem agrum tranſmiſit; Gazum & Marcharium oppida diripit: nitebatur favore, Cremonæ, Parmæ, Mutinæ, Rhegii, Papiæ. Et quamquam adverſariorum exercitus ad Nigrizolum uſque Brixianum vicum proceſſerit, ipſe tamen montem Clarum obſedit, ac tormentis admotis expugnavit. Mox Olio pontibus junctо, in Bergomates tranſit. Hic mentione pacis jactata, non abnuit, quin per Magiſtrum domus Sanctæ Mariæ Teutonicorum tractaretur: ſed nimis difficultatibus, quæ proponebantur, offenſus, rem Marti committere maluit; & circummiſſis copiis iter commeatuum Mediolanenſibus intercepit: illi metu deteriorum perterriti, in proximam ſilvam confugiunt: circumfundentibus ſeſe Fridericianis cinguntur, ac cæſi, ſpoliatique atteruntur. A.C. 1236.

Parta ea victoria, Cæſar Cremonam ſe contulit, ubi in autumnum uſque moratus, accerſitur ad capiendam Vicentiam hoc modo. Actiolinus Romanus, & Mantuani exules, qui ob interfectum Epiſcopum ſuum ſulum verterant, quibuſdam civium perſuaſerant, ut gratiam Cæſaris, præſidium ejus intra urbem recipiendo, ſponte compararent. Ergo hujus rei admonitus Fridericus, uno die ac nocte continuato itinere prid. Kal. Novembris eo pervenit, apertiſque portis, intromiſſo exercitu, ſine ordine direpta civitas, & magna pars ædificiorum incenſa eſt, tantaque rerum jactura facta, ut hæc inter raras illius urbis clades numeretur. Cujus defectione abrupta ſocietas eſt Longobardarum civitatum, quæ ex veteri fœdere conferre invicem auxilia tenebantur, & quantamlibet peregrinorum vim repellere ſolebant.

Inde Cittadellam Fridericus petiit, cujus pulchritudinem, & inexpugnabilem ſitum admiratus, ad Caſtrum Francum Tarviſinorum, & Fontanellam tranſmiſit, ratus futuram Tarviſii deditionem: ſed ea ſpe fruſtratus remiſſo Vicentiam Actiolino, ipſe Aquilejam, ac inde Germaniam perrexit, ubi jam pereceperat nova adverſus ſe agitari conſilia, ex conſpiratione Henrici filii legitimi cum Longobardis, & nonnullis Germanis Heroibus, qui Regnum Italiæ ei pollicebantur: repentinoque adventu Fridericus rem oppreſſit: & captum filium in Apulia relegavit: ſed is in itinere defecit, ſeu in carcere confectus, ſeu, ut quidam dicunt, ex alta rupe ſeſe præcipitaverit, deſperatione veniæ. Tunc pater alterum filium Conradum ex Iſabella Joannis Hieroſolymitani Regis filia ſuſceptum, Regem Alemannorum nuncupat.

Hoc anno vir nobilis Mediolanenſis Jacobus Tertiagus Præturam Genuæ ſortitus abundantem plus nimio adulterinam monetam magna diligentia coercuit, & ſuſtulit.

A. C. 1237. Anno ſeptimo & trigeſimo Actiolinus proditione quorundam civium Patavio urbe potitur, eiſque Prætorem impoſuit Simonem Apulum Comitem Theatinum; diviſitque in præſidia arcium quadringentos milites partim Germanos, partim Saracenos. Mox cum familiarius ſe victurum cum civibus ſimulaſſet, & proinde non paucorum amorem captaſſet, docuit nonnullos ſibi ſuſpectos eſſe. Quocirca à quibuſdam obſides fidei pignora accepit, aliiſque, ut ad paucos dies urbe ſecederent, ſuaſit; quos deinde longius patria relegatos ſummovit, proditores Imperii & rebelles ſubinde eos vocitans: exemplo tereiti complures alii, compoſitia clanculum rebus, ſponte patria abiere. At Actiolinus eos revocat, non revertentes hoſtes judicat, eorumque domos & turres evertit: à quo inceepto, eum non deſiſteret, adeo proceſſit, ut dimidia fere pars urbanorum ædificiorum data ruinæ fuerit. Jordanca erat Præſes cœnobii D. Benedicto dicati: penes hunc duarum civitatum Patavii & Vicentiæ ſumma diu ſteterat; & cum nutare res vidit, auctor fuit, ut & Vicentiæ Prætura Actio Marchioni Eſtenſi demandaretur; & Patavii xvt. viri crearentur, quorum conſilio & nutu publica negotia adminiſtrarentur. Hunc comprehenſum abſtrahi, mutarique latebris juſſit ita, ut numquam is poſtea Patavii comparuerit. Arnaldus quoque Sanctæ Juſtinæ Abbas in exilium abiit.

Deinde Julio menſe Actiolinus oppidum S. Bonifacium obſedit; quod ſitu, operaque munitum magno etiam animo tuebatur Leoniſius Comitis Ricardi filios: cumque jam magna pars arcis tormentis muralibus diſjecta foret, ſupervenit rediens è Germania Fridericus Cæſar, ac inceptam obſidionem intermitti jubet, & Mincium amnem tranſit. Ad Godiom agenti adſtitit nobiliſſima Legatio Mantuanorum, & Ricardi Bonifacienſis, qui tunc Mantuæ agebat, urbemque & incolas omnes in fide & obſequio Cæſaris eſſe docuerunt.

Tum inter Actiolinum & Jacobum Carrarium Patavinum civem ditiſſimum rixa ſuboritur, & incalefcentibus ex contentione animis, adeo in iram exarſere, ut gladium Actiolinus ſtrinxerit, haud dubie eum jugulaturus, ni in corporis ſui objectu Cæſar ipſe intercefſiſſet, ictumque avertiſſet. Inde Montem Clarum petiere, vique captum diruere.

Interea Actius quoque Marchio Eſtenſis in partes Cæſaris tranſiverat. Et Mediolanenſes, & Placentini, cæterique ſocii, cernentes vim belli & molem omnem barbaricam in ſe venturam, contracto exercitu obviam eis proficiſcuntur: non longe ab Olio fluvio juxta Curtem novam caſtra locata, commiſſumque prælium atrox eſt admodum, & perinde cruentum. Elati præſentia Cæſaris Papienſes, Cremonenſeſque, tum veteribus odiis ad memoriam revocatis, acerrime pugnabant. Fridericus ipſe alacritate eorum conſpecta, in aciem Mediolanenſium invehitur, cujus impetum excepit Henricus Moguntiacus ejus ſocietatis ductor, quæ à vi & virtute Robuſtorum dicebatur. Aderat item Prætor Mediolanenſium Petrus Teupolus claritate Natalium illuſtris, quippe filius Jacobi Teupoli Venetiarum Ducis, qui ſtrenue pro ſignis pugnantes Barbarum aliquandiu ſuſtinuere. Mox occaſione ſuperfundentium ſeſe imbrium diremptum certamen eſt.

Poſtero die recenſens exercitum Fridericus ſex millia captivorum invenit. Quidam captum quoque fuiſſe Mediolanenſium Carrotium dicunt; alii partem tantum ejus ferunt: opinantes pridie ab Henrico Moguntiaco poſt afflictas opes laceratum, & ornamentis omnibus detractis carrum ibidem relictum, quem Fridericus in trophæi morem ad amicas civitates miſerit. Captum vero conſtat Teupolum Prætorem, & elephanto impoſitum per urbem Cremonam & Laudem circumductum: ſequebatur multitudo captivorum, qui poſt oſtentationem, in Apuliam, partim in Germaniam relegati ſunt. Prætor ipſe excruciatus in cuſtodia perit: ſcribunt nonnulli, eos Mediolanenſes, qui ab ea pugna ſuperfuerunt, ex fuga in Bergomenſium montana ſe recepiſſe; & in Saxina valle opibus & impenſa Pagani Torciani, qui in ea præpotens foret, adjutos incolumes in patriam reduxiſſe; atque ex eu merito non exiguam gratiam apud univerſum populum ei quæſitam. In eadem pugna Actiolinus Romanus luxatus humero eſt, & Patavium rediit.

Anno MCCXXXVIII. menſe Majo Fridericus Cæſar Papiæ agens, petenti Guidoni Comiti Blandratenſi, Magni Guidonis, qui ſub Ænobarbo fuerat, nepoti, affirmavit majorum privilegia, eum in fidem & protectionem ſuam cepit. In Cæſarea Aula tunc fuiſſe lego tres Marchionis titulum præ ſe ferentes, Bonifacium Montisferrati, Manfredum Salucienſem, Manfredum Lanceam cognomento de Buſcha, Thomam, & Bolingerium Romagnani Comites; item Henricum Guidonem, & Bertoldum Valpergenſes Comites. A. C. 1238.

Eodem anno Genuenſis civitas, exiſtente Prætore Paulo Sorcſinate Nobili Mediolanenſe, duplicem Legationem emiſit; unam ad Fridericum, quæ fidem & obſequium populi ei juravit; alteram ad Pontificem, quo auctore pax cum Venetis facta eſt.

Deinde ineunte Januario menſe anni MCCXXXIX. Cremona movens Fridericus Patavium petit, ubi ab Actiolino jam Domino, & primariis civibus paſſim opes oſtentantibus, maximo cum honore accipitur; quin & Matronæ gemmis, margaritiſque perornatæ, equis phaleratis inecſſere. Duorum menſium & eo amplius mora ibi facta eſt; & demum Dominica Olivarum congregato de more populo in prato Vallis, adſtitit Imperator eminenti tabulato coronatus, ornatuſque ſolemni habitu; & quædam proloqui Petrum Vineam juſſit, quæ ad populum in benevolentia & fide firmandum ſpectabant. A. C. 1239.

Erat autem Petrus Vinea vir illis temporibus diſertiſſimus, genere Apulus, & qui ex infima ſorte ad illuſtrem fortunæ gradum evectus, Judex, & arcanorum omnium particeps, & maxime apud Fridericum erat. Inibi is ſubjunxit multa in excuſationem Cæſaris, quem per eos dies Gregorius IX. Pontifex Romæ agens, ignominiæ maxima affecerat; rebellem Eccleſiæ, divinique nominis hoſtem pronunciaverat: conatuſque eſt, id inique & immerito factum, ſuadere. Inde Trevifium profectus

eſt,

eſt, Prætoreque ibi conſtituto Jacobo Mora Apulo, Patavium revertitur, & Vicentiam venit.

Tertio Nonas Junii obortis media die tenebris, Sol Eclipſim duarum pene horarum fecit: quo portento deterritus (multum enim Aſtrologiæ tribuebat, & actiones ſuas ex conſilio peritorum ſideralis ſcientiæ dirigebat) ſolvit exercitum, & in Longobardos proficiſcitur; & bello adverſus Mediolanenſes ſuſcepto pro Laudenſibus, Melegnanum diripuit, atque evertit; & per quatuor ac viginti dies ſolum Mediolanenſe populatus, tandem ad Padi ripas ſe convertit, ubi Octobri menſe, & jugibus pluviis, & repentina fluvii inundatione, vitæ periculum adiit; & impedimentis omnibus, ac lecticulo ipſo amiſſis, Cremonam incolumis evaſit; & paulo poſt Laudem revgrſus, jus cudendæ monetæ civitati ipſi conceſſit: quod maximi muneris loco æſtimatum eſt; propterea quod perexiguus tunc erat auri argentique uſus; unus in menſa ſcyphus, unaque paropſis pro multis poculis uni familiæ ſufficiebant; non candelæ è ſevo, pinguive cera æreis candelabris ſplendeſcebant, ſed ex rudi materia faces arcendis tenebris manibus puerorum ſuſtentabantur: veſtes viris, matroniſque non ſerico, textilive argento, aut auro, & peregrina pelle pretioſæ, ſed ſimplici cannabe, linove, aut laneæ, bombycinæve, ſine ſultura, aut ovino vellere, ſine tegumento; adeo attritæ hominum opes, exhauſtique populi diuturnitate bellorum erant: in ædificiis quoque non elegantiæ, ſed utilitati penitus ſtudebant; nam, & turres prælatas condebant, quarum adhuc pleræque exſtant; aliæ etiam ætate noſtra ponderе laborantes ſuo, Papiæ, Bononiæque corruerunt. Palatia vero illorum temporum invenuſta trabium congeries compacta, ſua illa deformitate cognoſcuntur.

Cæterum erat Ferrariæ iiſdem temporibus vir inter cives opibus & potentia pollens, Salinguerra nuncupatus; qui gratiam Friderici conſecutus, quingentos ab eo equites acceperat: eoque præſidio & favore Cæſaris ſubnixus, gravi urbem tyrannide premebat: cumque magna in invidia apud Italos Heroas ſoret, conſpirant in eum Gregorius Montelongus, Gregorii Pontificis in Ravennate Provincia Legatus; Jacobus Teupolus Dux Venetiarum; Actius Eſtenſis, paulo ante ab Actiolino Romano patriis opibus & oppido Eſtenſi ejectus; & Ricardus Bonifacienſis: quibus acceſſit Albricus Actiolini frater, quaſi illi inimicus, & ex magna cauſa iratus. Ineunteque anno quadrageſimo
A.C. 1240. ultra mille & ducentum, menſe Februario, reliquo exercitu conſcripto, accerſivere etiam auxilia à Mediolano & Bononia, atque aliis fœderatis civitatibus; & triremibus à mari Adriatico ſubvectis, terra, fluvioque Ferrariam circumdant. Nec defuere occaſioni ſuæ patria pulſi cives; & cum diuturnitate obſidionis arctæ jam res in urbe eſſent, Hugo Rambertus, cujus ſecunda inter cives auctoritas erat, ſeu ſponte ſua ad pacis conſilia inclinaret, ſeu clam ab adverſariis ſubornatus, Salinguerram convenit; & parum in urbe virium eſſe ſibi videri dixit ad ſuſtinendos, nedum ad propulſandos, hoſtes, quorum infinitæ copiæ cernerentur: & ſi paterentur ejus anni ſegetes evaſtari, unde poſtea populo, jumentiſque alimenta ſuppeterent? ſed jam tormentis muralibus quaſſata mœnia, & ferè hoſtibus patere aditum in urbem, adjiciebat multa in eum ſenſum, quibus facile ambiguam mentem, & à bello alienam Salinguerra perſpiciens: *Age*, inquit, *quando ſic libet, faciamus: ſed profecto dum mihi genitalia, tute tibi naſum abſcindis, abnuere ego non poſſum, quin, quo velis, ſequar.* Itade pace agere cœptum. Salinguerra ex urbe evocatus, in caſtra ſub fide publica venit, ac magno honore accipitur, ne tamen, ſi velit, effugere poſſit, obſervatur: ſimul præmiſſis militaribus turmis, urbem cuncti ingrediuntur, ecuque victores triumpharunt: in Palatio paratis epulis diſcubuere; adhibitus quoque inter convivas eſt Salinguerra, & poſt varios jocoſos ſermones, Paulus Traverſerius Ravennatium dominus in Salinguerram converſus, eum gravibus verbis compellat, acerbiuſque taxat; tum ſcelera illius recenſendo, criminatur: objecta diluere homo exorſus, tota concione obſtrepente exſibilatur: agnovit tunc, quo ſua res loco eſſet Salinguerra, qui mox ſine diſſimulatione captus, & vinctus Venetias deportatur, ubi reliquum vitæ, quæ illi in octogeſimum annum contigit, in cuſtodia tranſegit: ſupererat illi filius Jacobus Taurellus nomine: is demigrare Patavium juſſus in Actiolini Aula conſenuit.

Compoſitis Ferrariæ rebus, Stephanus Baduerius Prætor datus eſt, & exercitus ſoluti. Inde Gregorius Cardinalis Genuam proficiſcitur; eodemque mox ſubſecutus ab Roma Patriarcha Hieroſolymitanus, crucem adverſus Fridericum & reliquos Eccleſiæ rebelles prædicavere; nec minora præmia datoris nomen in hanc, quam in Judaicam Sepulchri expeditionem, repromittebant. Quibus mota Genuenſis civitas in fœdus Mediolanenſium & Placentinorum conceſſit, & ad ejus obſequium univerſa Occidentis ora, quæ rebellaverat, præter Savonam & Albingaunum, rediit. Alexandrini vero deſecere, atque in partes Friderici tranſeuntes, Vicarium illius accepere Manfredum Lanceam: iſque per Novembrem menſem in oram maritimam tranſgreſſus, Petram, oppidum in confinio Finarii & Albingaunenſium, obſedit: obſeſſis auxilia ferebant Genua, Mediolanum, Placentia. Interim ab Orientali ora Ubertus Palavicinus Vicarium Cæſareum ſeſe agens, ex Parmenſi in Lunenſem agrum tranſmiſſus, perturbare rem nunciatur: ſed is haud magnos effectus addidit, coactus eis Apenninum ad ſua tuenda redire; propterea quod adverſus eum mittebatur Henricus Moguntiacus Genuenſium Prætor, & multa alia in Longobardis parari ſentiebat.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XIV.

EPITOME.

Fridericum Ravenna acceſſione ferociorem, ipſique paritor ac nobis dura denuntiantem Gregorius Pontifex hoſtem judicat: Concilium que Romam indicit. Genuenſes nec Piſanorum legatione ſollicitati, nec eorum Friderico ſtudentium conjuratione territi, in amicitia, cultuque Pontificis perſeverunt: & claſſem, qua Galli Longobardique Antiſtites Romam deportentur, adjiciunt. Sed ea à Piſanis intercepta, Pruſulos, qui vehebantur, in cuſtodia habentur: Francorum Rege apud Fridericum fruſtra expoſtulante. Gregorio facto crepto primum Cæleſtinus IV. è Caſtilionæa Mediolanenſi familia, & mox Innocentius IV. e Fiſca Genuenſi Pontificatum init. Hinc, præter Genuenſes, non pauci Longobardorum Dynaſtarum, & pleraque nobiſcum civitates dant nomea adverſus Fridericum. Et Genuenſes quidem Savonam, reliqui fere Taurinum bello aggrediuntur. Sed utramque urbem Cæſar, ſubmiſſis auxiliis, incolumem præſtat. Et Genuenſes veriſſim Innocentium ab eodem ſpecie reconciliationis Roma evocatum, & jam pene obſeſſum, ſen amore religionis erga Pontificem, ſeu pietatis erga concivem, ſubmiſſa claſſe, periculo, ac prope vinculis eximunt. Fridericus diſſimulata eoaſcientia ſacrilegi conſilii, Piſas delatus, novam de pace ad Pontificem Genua agentem legationem mittit: qui nihilo minus in Gallias iter ſuſcipit, tot, tantiſque Eccleſiæ & Italiæ malis remedium aliquod deprecaturus. Chriſtianorum igitur Regnum ac Principum conventu Lugduni habito, Fridericum anathemate ictum de Imperii culmine deturbat: eoque nihilominus ſua fortuna conſcientiam retinente, ſeque apud Principes, populoſque purgare ſatagente, Henricus Turingiæ Lantgravius Germaniæ Principum ſuffragiis renunciatur Cæſar: & acquiſitam alieno beneficio dignitatem propria virtute tuetur, debellato Conrado a Friderico patre in ipſum immiſſo. Inter hæc Fridericus Papia, & Henricus filius Cremona nobis pariter inferunt bellum: ſed brevi deſperata victoria, finibus accedunt ad opprimenda in Parmenſibus defectionis conſilia, bellumque Genuenſe in Etruria apparandum: ubi Anticorum in Fridericia caput conjuratio detegitur ac vindicatur. Parma ab exulibus Guelphis ope Pontificis legati capta; & Mutina, Rhegio, aliiſque in dies tum oppidis, tum Dynaſtis, Pontificis partibus accedentibus, Fridericus Parmam obſeſſurus novam urbem pro caſtris dimidio a vetere milliario molitur: & de nomine omen ſalturus, Victoriam dicit. Sed & fœderatorum auxilia ſibi, ac commeatibus viam in urbem fecernat; & Cæſare ad incipiendum longius progreſſo, corruptaque in caſtris diſciplina, eruptione facta, victa ipſa eſt a Parmenſibus, & evaſtatu Victoria; & Imperii inſignia in triumphum ducta. Triremes inſuper, qua ducenti amplius Neapolitani pervehiles Savonam Friderici juſſu vehebantur, a Genuenſibus intercepta eſt; & Mediolanenſes aliquot in ea captivi, in libertatem aſſerti. Nec annuli Cæſaris morte diu gavius eſt, Guilelmo Hollandia Comite brevi, admonente in primis Pontifice, ſubrogato. Victoria demum non ſemel fruſtra tentata, in Apuliam concedit: rei Longobarda cura Henrico filio Sardorum Regi commiſſa: qui brevi pro Mutina cum Romanenſibus congreſſus, victus, captuſque è vita citius, quam carcere, emigravit: quem Fridericus non multo poſt ſequitur. Florentini Apulia oppido (quod nomen ſibi fatale gentibus hac hominis denunciatione declinaverat in Etruria) ſanctius multo, quam vixerit, moritur: relicto teſtamento, quo quidquid jurium aut ditionis Romana Sedi ademerat, relaxabat.

C

PER idem tempus vacante Mediolani Pontificia Sede, Archiepiſcopus decernitur Leo Peregus ex Fraternitate Minorum. Et cives in Comenſi bellum gerentes, Lucinum oppidum funditus everterunt. Paulus quoque Traverſerius fato functus eſt; & ex ejus obitu Ravenna civitas in ditionem Friderici conceſſit. Cujus urbis acceſſione auctus Fridericus, ferocia conſilia agitare, Pontificem tollere, & Mediolanenſi civitati cladem, qualem avus intuliſſet, illaturum ſe jactare. Quibus irritatus Pontifex, illom ſolemni die hoſtem, rebellemque Sedis Apoſtolicæ declarat: & quid impius homo in Religionem moliretur, Regibus Hiſpaniæ, Galliæ, Britanniæque perſcribit. Simul Romæ Concilium magnæ deliberationis parat, eique negotio deſtinat duos Cardinales Jacobum Prænestinum Epiſcopum, Othonem Theonengum Diaconum. Et quia iturus ad id obſtabant tota fere Italia Friderici exercitus, vel amici populi, delecta Genua eſt; in quam ab Occidente profecturi convenirent; & poſtmodum navibus tranſportarentur ad oſtia Tiberina. Septem & viginti triremes, præter multa alia minora navigia, ad id inſtructæ fuere. Interea, quæ opponeretur, & conatus infringeret, altera claſſis numero navium & bellatorum virtute ſuperior Piſis armabatur: cui præfectus fuit Anſaldus è Mari cum Andreolo filio Genuæ extorres. Simul excitati Ubertus Palavicinus, & Marinus Ebulus, facere negotium Liguri à terra conati ſunt. Sed nihil deterriti Genuenſes in ſancto & pio propoſito perſeverant.

D

E

F

Tunc Legati à Piſis venere, dicentes, Veterem amicitiam, & confinium terræ, ac maris inter utrumque populum in cauſa eſſe debere, ut idem animus, eademque voluntas ambobus ſit: rogare, quoniam ex novo apparatu adverſari Cæſari velle videantur, ut ab incœpto deſiſtant, irritare Fridericum ceſſent: quia Piſani, & pro veteri ſuo jure & recenti adſtricti, detrectare imperia Cæſarea non poſſunt, quacumque vi & opera ſunt eis ſeſe oppoſituri.

Reſpondere Genuenſes, non negare ſe, quæ de affinitate terrarum, ac maris natura conſtituiſſet, quæque de vetere duorum populorum benevolentia dicerentur: ſed ſe jampridem didiciſſe uno habitu, unaque fide Eccleſiam Romanam colere, & Pontificis præcepta ſervare: opinari ſe eandem mentem Piſanis eſſe; neque eos ad injuriam revocatu-

ros,

ros, ſi Chriſtiani Principes, & religioſi viri religionis cauſa Romam petituri Liguſtico ab littore transfretare ſtudeant. Quos ſi Piſani impedire voluerint, ſciant, Genuenſibus ut voluntatem, ſic & vires ad ea, quæ inſtituerunt peragenda, non defuturas. Cum his dimiſſi Piſani abiere.

Peregrini vero Principes, & Longobardi Oratores, in quibus Mediolanenſes, Placentini, & Brixienſes erant, cum jam frequentes adeſſent, & jam conſcenſuri naves forent, inopinatus caſus pene eunctа oppreſſit. Interceptæ fuerunt litteræ Friderici Cæſaris ad Fridericum Grillum, & Joannem Strejaporcum opulentos cives Genuenſes in hanc ſententiam: *Diuturna & conſtans fides veſtra, multiſque periculis probata devotio gratiſſima nobis eſt: Audivimus ea, quæ Anſaldus Marinus nomine veſtro nobis retulit, non ſine diſcrepantia ab his, quæ nos ipſi ad contundendos hoſtes noſtros in iſta civitate conſtituemus: ſed rem majoribus etiam viribus agendam duximus. Nam mari claſſem paramus haud dubio hoſtili ſuperiorem, & terra ab utroque littore, nobis imbecillis, inferunt Ubertus Palavicinus & Marinus Ebulus noſter in Longobardia Vicarius. Qua dum agimus Faventiam obſidemus, quæ nunc operibus noſtris cincta ſic undique eſt, ut abſque dubio in poteſtatem noſtram brevi ventura ſit. Hinc propinquam Bononiam petemus. Jamque præmiſimus Henricum filium noſtrum Regem Turritanum, & Galluris, ac univerſalem Imperii in Italia Legatum, qui & exercitum ab amicis, fœderatiſque noſtris contrahat, & cætera expeditionis neceſſaria præparet.*

Hæ litteræ ad Prætorem Genuæ, qui tunc erat Gulielmus Surdus civis Placentinus, delatæ, ſuſpectam eorum, ad quos ſcribebantur, fidem fecere. Itaque Prætor, ut ad ſe venirent eos citavit; ſimul comprehendi Mainetum quendam Florentinum eorum internuncium curavit. Sed hunc, eum à ſatellitibus traheretur, Rubeus Volta intercurrens eripuit, & extorſit. Illi vero Magiſtratui minime audientes, nam interceptas litteras ſenſere, ſeſe domi adverſus impetum quantumcumque poterant, munichant; arma, tela, viros congregabant. Nam præter ſupra nominatos conſcii conjurationis erant Gulielmus, & Ingo Volta, & Ingo Grillus, & Thomas Spinula, & nonnulli ex familia Auria. Quos ut pari contumacia teneri Prætor cognovit, ſenioris ætatis, & primores populi, ut armati in ædem Divi Laurentii venirent, monuit. Ubi, quæ de civibus improbis & domeſticis hoſtibus comperiſſet, expoſuit; litteraſque intercepta perlegi jubet. Quibus cognitis una omnium ſententia fuit proditores patriæ ultimo ſupplicio afficiendos. Et præmiſſis Capitaneis populi, atque ſignifera, domum Joannis Strejaporci petunt, quam adorti, transfugiente ad Voltas Joanne, diruerunt, & ſpoliatunt. Inde ad Voltas & Arias converturtur. Hic Fratres Prædicatores & Minores intercedere, aliquantiſper à vi ſuperſederi rogantes, quoniam Auriæ facturi imperata erant. Temperavit Prætor, inhibuitque multitudinem ab impetu. Sed eum denuo vocati non comparerent, juſſit Prætor, juventutem armatam ex triremibus, quæ jam paratæ ſtabant, deſcendere, & domum Spinulæ oppugnare. Nec mora: ſtatim confractæ fores fuere, apertaque domus, & turris; & in ipſo conflictu lapide ictus Thomas interemptus eſt. Expugnatum Palatium Prætor munit; ſuperveniente deinde nocte, vigiles armatos dare operam jubet, ne quid detrimenti Reſp. caperet. Conjurati autem caſu Spinulæ territi, in Prætoris poteſtate ſe futuros dixerunt, & promiſſa fecerunt cuncti, præter unum Joannem Strejaporcum, qui in tanto periculo perſtitit.

Sedato tumultu, ad expediendа reliqua profecturis Romam neceſſaria intenderunt. Repoſitis in triremibus juventute, duo adjiciuntur Oratores, qui ſimul irent Reip. Genuenſis nomine, Othobonus Malonus, & Trincherius Iſmael, ſimul & Petrus Ventus, & Gulielmus Niger. Totius autem claſſis Præfectus, quem inveterato verbo *Admiratum* vocant, fuit Jacobus Malocellus: vit. Kal. Majas Genua ſolventes, portum primo Delphinum, dein Levantum tenuere. Ubi motus Palavicini audientes, in dubio fuere Duces deſcendendi in terram illum perſequuturi, nam ad quattuor millia ſagittariorum præſidii nomine ducebant. Verum metuentibus Cardinalibus, ne ipſis abſentibus hoſti ipſi præda forent, ſubſtitere, & navigationem continuantes, in portum Veneris deferuntur. Hic cognoverunt, & navium, & propugnatorum numero, & virtute validiorem ſua claſſem Piſis armari: quare inſtrui octo alias Genuæ curarunt. Sed ſatis urgentibus, non exſpectatis eis, Cardinales feſtinare voluerunt; ſicque dantes vela ventis, Piſanum littus prætervecti ſunt. Sed procul conſpicatus Andreolus Anſaldi filius, velis, remiſque nixus, apprehendit eos trans Helbam inſulam, ad Gilium ſcopulum, non procul Telamonio Senenſium portu; atque eminus congreſſus, duas & viginti eorum triremes in poteſtatem redigit: nam aliæ quinque cum Malocello Admirato ægre evaſerant. Cardinales, & clariſſimi Sacerdotes, Legatique ipſi Genuenſium capti, & cum his ingens vis auri argentique. Cujus rei fama invulgata, exercitus terreſtres inſolentius agere, & ecu omnia ſibi prona eſſe deberent, ſuperbius finitima oppida ad deditionem cogere. Unum Levantum Palavicini corſum confregit, victoriamque moratum eſt. Afflictis rebus ſolatii loco fuit, quod Romeus Villanova Raymundi Berengarii Provinciæ Comitis Legatus, ab eadem clade ſervatus, declinavit Sardiniam verſus, & in itinere occurrit Piſanæ navi mercibus omniſariam onuſtæ, eam prælio aggreſſus expugnavit, & Nicæam perduxit.

Cæterum rei à ſuis feliciter geſtæ nuntios ut Fridericus accepit, litteras toto orbe diffudit, lætitiæ & gratulationis plenas, cauſam ſuam & Pontificis inde judicari petens.

Genuæ autem major cura Magiſtratum & Præfectos Reip. ſubiit: conſeſtim Mediolanum & Placentiam Oratores miſſi ad nova auxilia petenda; & ipſi die noctuque refieiendæ claſſi intendere, quæ victori & propinquo, hora ſi ingrueret, reſiſtere, & præſidio navibus ſuis, quas mercium plenas ex Orientali negotiatione reverti ſciebant, eſſe poſſent; nam eiſdem inhiare Piſanos, Fridericianoſque milites conſtans fama erat. Sic brevi quinquaginta triremes effectæ, hoſtem ab nova hinc inde moleſtia cohibuerunt, & tuto ingentes opes Genuam perductæ: quin ad terreſtres exercitus converſi, finibus cedere coegerunt. Nam & Mediolanenſis, ut hoſtem ab Genua revocaret, agrum Papienſem auſpiciis & ductu Gregorii Montelongi invaſit. Papienſes autem cum copiis ad ſua tutanda reverſi illi occurrere, & inito certamine haud mediocrem eladem intulere. Capta eſt ingens turba hominum, & copia commeatuum, tubæ, buccinæ, vexilla, & ſigna Pontificia, urbiſque Mediolanenſis; neque tunc ſatis cognitum, qua Montelongus ope evaſerit.

Interea Francorum Rex ſuorum detrimento permotus, ad Cæſarem ſcripſit, dimitti captivos petens, quandoquidem nihil commiſiſſent, qui obedienter, quo Pontifex Romanus petiſſet, iter intendiſſent: præterea antiquam Gallis cum Cæſaribus amicitiam intercedere, quæ ad ſalutem calamitoſorum, non ad pœnam errantium valere debeat. Quod ſi precibus non ſit apud eum locus, ſaltem defutura arma, virefque, quibus offenderetur, Gallicum nomen, dignitatemque, ne à Cæſare quidem

dem ſperni debere. Hic reſpondit Fridericus, nihil eſſe, quod Regem gravet, aut ad injuriam Galli revocent, ſi æque ac Longobardi in vincula conjecti ſint; quoniam ſimul comprehenſi, debellatique, in pari cauſa eſſe cenſentur: & ſi aliena à bello mens eis fuiſſe dicatur, illorum tamen ſpeciem & numerum auxere, qui Cæſari hoſtilia & ignominioſa parabant. Nec ita multo poſt eos in Apuliam, Siciliamve relegavit. Piſani non paucos cum ſuis, qui Genuæ ſervabantur, commutarunt.

Mox potitus Faventia Fridericus, per Piacentes in Romanam terram proficiſcitur, præfecto rebus Longobardiæ cum ſuprema poteſtate Henrico filio notho, Galluris & Sardiniæ Rege.

Libuit ſupra nominati viri titulos repetere, propter mirandam & imperitiæ plenam de nomine ejus varietatem. Nam Blondus, & omnis fere poſteritas, Entium, interim, addita littera, *Rentium*, aliquando *Enitium* vocant. Merula, ut pleraque alia, eruditius pronunciaturum ſe exiſtimavit, ſi à communi uſu recederet, & *Egentium* nuncupavit. At in *Epiſtolis* Friderici patris, quarum bina exemplaria vetuſtiſſima atque incorrupta vidi, & diplomatibus auro obſignatis, quæ adhuc Cremonæ ſervantur, legitur Henricus illegitime natus, ut naturalis maculæ nota ab Henrico legitimo & quandoque Cæſare deſignato diſtingueretur. Eundem autem, cum ingenio & militari exercitatione polleret, & Sardorum regno, quod, neſcio quomodo, in Fiſcum venerat, donavit; & ſæpe exercitibus præeſſe voluit.

A.C. 1440. Subiit inter hæc annus primus & quadrageſimus, cujus menſe Auguſto Gregorius Pontifex moritur. Et diſcordantibus Sacerdotibus, quadrageſimo demum die electus eſt Guſredus Patricius Mediolanenſis è gente Caſtillionea, & tunc Epiſcopus Sabinus. Pontifici nomen indidere Cæleſtinus IV. Vir ſane multiplici laude commendandus, in quo & præſtabilis litterarum doctrina & vitæ integritas probaretur. Sed hunc oſtendunt terris tantum fata. Senex enim & valetudinarius IV. Idus Novembris, qui à Pontificatu decimus ſeptimus dies erat, inter homines morari deſiit. A cujus obitu Sedes deinde pluſculos menſes vacavit.

Eodem anno lego, ſed perparce ſcriptum eſt, IV. Id. Maji certatum prælium fuiſſe inter Mediolanenſem populum, exiſtente Prætore Philippo Vicedomino Placentino, & Papienſem exercitum, ad Pontem Longum juxta ignobilem vicum ad Geneſtas nuncupatum, & multos hinc inde captos: inter quos Manfredus Puſterula Mediolanenſis Papiam ductus, permutatione deinde facta patriæ reſtitutus eſt: detrimento autem Mediolanenſibus fuit mutatio Conſilii, quo tendere inſidias hoſti ſtatuerant, ſed eas poſtea omiſerunt.

A.C. 1441. Anno quadrageſimo ſecundo, Prætore Luca Grimaldo Genuenſe, Mediolanenſes bellum in Comenſi geſſerunt; Belinzonam primo, deinde Mendriſium in Luganenſi valle receperunt: & ad ſuburbana uſque Comenſia populabundi devenerunt.

Interim VII. Kal. Julias Principes Chriſtianæ Religionis Anagniæ congregati, Pontificem Summum creant Innocentium Quartum, qui è Liguribus oriundus Sinibaldus Fliſcus antea vocitabatur. Quod ut Fridericus audivit, non mediocri dolore correptus eſt: nec ſine gemitu converſus ad aſtantes: *Amicum*, inquit, *amiſimus. Non enim ferre poteſt Pontifex Romanus idem, & Gibellinus eſſe:* expertus enim fuerat Sinibaldum Fridericus ſui ſtudioſiſſimum, neque inter Principes Sacerdotum temere alium magis amicum & benevolentiorem habuerat. Compreſſo tamen eo dolore, nobiliſſimam Legationem ad gratulandum honorem mittit, cujus capita fuere, Magiſter domus Sanctæ Mariæ Teutonicorum, Anſaldus à Mari, Regnorum ſuorum & Imperii Admiratus, Petrus Vinea, & Thadæus Sinueſſanus magnæ curiæ Judices, & B. Marcſcallus Decanus Meſſanenſis.

Gibellinum autem & Guelfum, duarum in Italia factionum diverſa & pernicioſi ſtudii nomina, jam invaluerant; & hi Romanæ Eccleſiæ partes, tuebantur, illi à Germano Cæſare ſtabant. Unde orta ea nomina ſint, multa quidem traduntur: ſed, quod probem, adhuc non legi: durat in noſtra tempora feralis & domeſtico furore concomitata appellatio, nec ſine urbium exeidiis, bonorum direptionibus, humani ſanguinis effuſionibus in nepotum animos tranſmiſſa.

Sub ejuſdem anni finem convenere Genuæ Mediolanenſes & Placentini Oratores, & hactenus eorum ſtudius adverſati Bonifacius Monteferratenſis Marchio, & Manfredus Carretus, & Georgius, ac Emmanuel Ceva oriundi; atque ibi reconciliatis populorum animis, pacem facere, ſeque obnoxios Eccleſiæ fore receperunt, atque hoſtes eorum, qui ei adverſari vellent. His conſtitutis reverſus domum Bonifacius, Genuenſem admonet, videri opportunum, ſi nunc pœnas rebellionis Savonenſi civitati irrogarent; ſeque auxilio non deſuturum docet, &, ne quid opis ad inimicam urbem per ditionem ſuam deferatur, curaturum.

Igitur appetente vere anni MCCXLIII. his fretus A.C. Genuenſis, hoſtiliter Savonam petit; caſtra, ma- 1443. chinaſque murales mœnibus admovet; nec minus immiſſa claſſe mari obſidetur; ſimul Legati ad Bonifacium mittuntur, qui promiſſorum obſervationem peterent. Sed is nullo certo reſponſo dato, Mediolanum majoris negotii cauſa vocatus proficiſcitur. Gregorius Montelongus duarum urbium Novariæ, Vercellarumque ſtudia in partes Pontificis, Romanæque Eccleſiæ officium trahebat; ſed confici res abſente Marchione non poterat. Ejus adventu haud cunctanter communi fœderi acceſſere. Bellumque Laudenſibus illatum; quorum in auxilium & Cremonenſes Carrotium miſere, & Henricus Sardorum Rex venit: ſed & ejuſdem diſceſſu, nec ulla alia re memorabili geſta utrinque exercitus ſoluti ſunt.

Tranſlata deinde arma ſunt in Taurinates, quam urbem Præfecti palatio & nonnulli nobiliorum tuebantur, à quibus & favor vulgi ſtabat. Principes vero hoſtilis exercitus, in quibus Gregorius Montelongus Apoſtolicus Legatus, & Leo Peregus Mediolanenſis Archiepiſcopus dignitate eminebant, Vercellas ſe contulerunt, ut ex propinqua & opulenta urbe ſuis facilius neceſſaria ſubminiſtrarent. Summa vero exercitus cura Bonifacio demandata erat, qui dum obſidet urbem atque oppugnat, ſupervenit in obſeſſorum auxilium Fridericus Cæſaris nepos, ſuperiori Longobardiæ Præfectus cum juventute Cremonenſi, Papienſi, Alexandrina, Aſtenſi, à quibus pulſus Marchio eſt, & non pauci ex ejus exercitu capti. Hoc loco Cæſar Marchionem immemorem acceptorum beneficiorum, & affinitatis ſuæ appellat, & reconciliatum Pontifici hæc ingrato erga ſe animo facere dicit; Vercellenſes quoque proditores nuncupat.

Interim multifariam ſollicitati Guido, qui Rainerio patre natus erat, & Ubertus patruus Comites Blandrati à factione Cæſarea ad Pontificiam defeciverunt. Profectuſque Vercellas Guido tabulas publicas accepit, quibus Gregorius, & vinculo excommunicationis, & ſacramento, quo erga Fridericum Imperatorio nomine indignum tenerentur, abſolvit; & ipſos, reſque eorum in fidem & protectionem Eccleſiæ ſuſcipit: nec ullam futuram pacem aut inducias cum adverſariis, niſi ipſis quoque ſalvis, promittit: ac etiam integras

cis

eis pactiones olim inter eos & civitatem Mediolanensem initas; ac praestiturum, ut mille marchae argenti eis debitae à Rep. Mediolanensi, Placentina, Brixiensi, Bononiensi, ac aliis urbibus foederatis persolvantur. Haec III. Idus Maji acta.

Interea obsessis Savonensibus laturus opem Caesar, terra marique copias scribebat: nam & Henricus filius, atque Manfredus Lancea circa Aquas Statiellas (locus est in Liguria celebratus calidis aquis, & omni morbotum generi medentibus, haud procul Alexandria insignis) ex Alexandria ipsa, Derthonaque, Alba, & Papia satis magnum militum numerum effecerant. Et Pisis octoginta triremibus instructis, tantum terroris Genuensi injectum fuit, ut sponte obsidionem solverit, & de rebus suis dubitans, domum redierit.

Simulavit dehinc in gratiam redire cum Pontifice Fridericus, nam incunte anno quarto & quadragesimo, qui bonum animum declararent, ad eum misit celeberrimos ex Aula viros, Robertum Comitem Tolosanum, Petrum Vincam, & Thadaeum Sinuessanum. Et quia Caesar haud tuto in urbem Romam venire se posse existimabat, rogari Pontificem jussit, ut in propinquum aliquod oppidum conferre se non gravaretur, ubi citra suspiciones colloqui ambo & necessaria transigere possent: interea restituturum se quicquid de Ecclesiae rebus, ditioneve teneret, repromittit. Laetatus tali nuntio Innocentius Cardinales quosdam ad eum mittit, qui eam mentem gratularentur, in proposito confirmarent, & restituenda reciperent: nec ita multo post Sutrium ipse concedit. Convenere eodem varii Principes, & legati sociarum maxime civitatum, ceu novum spectaculum visuri. Sed circumducere verbis intempestive nimis Cardinales coepit; nec quicquam eorum, quae promisetat, praestare; & pene in omnibus facta verbis discordare; Viterbii, Tusculi, & in multis finitimis oppidis armatos contrahere: denique agnoscit Innocentius, salutem quoque suam, nisi cito consulat, in discrimen verti. Et, sive redeundi Romam facultas jam non esset, sive omnino longius proficisci instituisset, Bojolum fratrem ex Ordine Minorum propere Genuam contendere jubet; & fuminum ibi Magistratum, paucosque edoceat, quo in statu sit; nec nisi unam evadendi periculi rationem esse, si sine mora classis ad civitatem veterem mittatur, qua sublatus ad ipsos naviget: malle enim se suorum, quam importunissimi tyranni manibus credere: oportere autem diligenter rebus necessariis instrui naves, & optare, ut nepotes sui juvenes è gente Flisea, ac Praetor ipse Genuae, qui tunc erat Philippus Vicedominus civis Placentinus, & honoris & solatii gratia ad se in isdem navibus venirent.

Profectus Bojolus per avia & devia, tandem Genuam pervenit, ac rem Praetori exponit. Is paucissimos ex primatibus, & quibus tuto tanta res committi posset, convocat, & quae allata essent, indicat. Obstupescunt cuncti, & admirantur facinus barbaricum, dolentque vicem Praesulis in terris amplissimi. Tum cunctis viribus enitendum, opesque exponendas in ejus salutem constituunt. Id vero prudenter & occultis consiliis agendum censent; ne qua notitia ad hostes perferatur, & proinde perniciem ei, quem salvum voluot, accelerent. Duae & viginti triremes in portu paratae stabant, ex recenti Savonensium bello, & nondum sedato hostium metu instructae: has, inquiunt, sub praetexiu navigandi adversus piratas conscendemus: sed ut Albertus quoque, & Jacobus, & Hugo Pontificis nepotes absque suspicione, admirationeve hominum accedant, consulto opus est. Fingamus, inquit unus, controversiam, ut coram Praetore quaedam importuna illi flagitent: neget Praetor se ea concessurum: illi pertinacius agant: contumaces jubeat se insicio urbe non recedere. Ita altercatione ex composito facta, creditu sunt serio litigare. Tunc Praetor ceu invitos jubet ad naves perduci: sic adscendentes contrarium quoque iter cepere, Occidentem versus iter dirigunt; atque interim redeuntes ab ora Gallica, mercatorias naves tutas ab insidiantibus hostibus praestitere: tum ad Austrum & Orientem versi, Corsicam praetervehuntur; & ad littus Italiae flectentes, in portum civitatis veteris devenere IV. Kalend Julias.

Eorum optato adventu cognito, Innocentius consestim mutato habitu, ac tribus tantum comitibus assumptis, monitisque sex Cardinalibus, ut se paritter sequerentur, Sutrio noctu digreditur. Nec ita multo post una omnes ad littus pervenere, & in proxima aedicula divertentes, Pontificium vestitum resumpsere; & bonum, faustumque iter precati, Praetoriam triremem adscenderunt Pontifex ipse Innocentius, & Cardinales Sabinen. Episcopus, Guilelmus nepos ejus, Petrus Capocius Romanus, Joannes Toletanus, Joannes Cajetanus, & Petrus Barensis. Qui feliciter oram solventes, ut. Nonas Julii portum Veneris tenuerunt: atque hic maritima jactatione fastiditi, in terram biduum quievere: inde Genuam enavigant, ubi nnn minori admiratione ex inopinato, inexspectatoque adventu, quam laetitia, honoribus, & pompa excepti sunt. In aedibus Episcopalibus Innocentio diversorium fuit. Ad quem statim visendum, salutandumque Principes & Legati ex universa fere Italia confluxere. Bonifacius Marchio Montisferrati inter primores fuit; & Oratores ex Mediolano, Brixia, Placentia, Vercellis, Novaria.

Fridericus vero fuga Sacerdotum cognita, stupore pene dirigunt; nec satis excogitare poterat, quo modo, qua via, quibus adjuvantibus, ex insidiis elapsi forent. Mox re certius explorata, non sine suspirio ad astantes dixit: *Caperam ludere latruncults cum Romano Pontifice, ficque eum circumvenieram, at nullo pacto evadere posset; sed ecce venere Genuenses totius ludi perturbatores, qui injecto alveo manibus, importune nimis me mea spe frustrati sunt.* Et relicto, quod tunc agebat, negotio, Pisas contendit; unde ad dissimulandam conscientiam nuntios ad Innocentium misit, qui dicerent mirari se, quod cum reconciliatio tractaretur, instaretque compositionis dies, tam repente, inopinatoque evanuerit; se vero in pristina sententia, si conficere negotium placeat, permanere. Simul Robertum Comitem Tolosanum proficisci Savonam jubet, qui eadem praedicaret, & pacem brevi conventuram diceret.

Sed obaudivit omnia Innocentius, & transire in Gallias in animum induxit, ubi Christiani nominis Principes edoceret, quae, qualaque in se Fridericus moliri non cessaret. Verum aegritudine correptus id consilium differre cogitur. Febris erat valida, & tanto viro metuenda. Evocati è Longobardia Medici mutandum hospitii locum in primis suasere. Sic in vicum Sextum, ubi spatiosiores campi patent, transit, ac Divi Andreae coenobio colligitur, decubuitque in Octobrem mensem; sub cujus principium, cum remissa vis morbi prosperam in posterum valetudinem polliceretur, Praetorem Genuae & Principes civitatis evocat, gratisque actis de officio, fide, & liberalitate exhibita consilium petendi Lugduni aperit: ita animo insitum erat, ut vel humeris hominum deferri se, si equo insistere non posset, decreverit. Cognita Pontificis mente Genuenses classem offerunt, Massiliam, vel Arelate, & quo longius voluerit, deportaturam. Is vero maritimum iter subiturum se negavit. Igitur Voraginem & Stellam, non ineelebres vicos juxta littus, terra comitantur. Hinc Manfredus Carretus, & Bonifacius Monteferratenſis excepere,

&

A.C. 1240.

& per juga fauceſque Apennini incolumem ad Padum uſque præſtitere. Inde per Taurinas Alpes ingreſſus, Novembri menſe Lugdunum pervenit, ſubſequentibuſque eum cæteris Cardinalibus, quorum pars per urbem Mediolanum iter fecit, tres omnino in Italis manſere, Rainerius Viterbienſis Romæ Pontificius Vicarius, Otho Theonengus in Monteferrato, & Gregorius Montelongus Longobardo bello implicitus.

Cæterum ad Innocentium Lugduni agentem inA.C. 1245. eunte anno XLV. convenere magnæ deliberationis ergo vocati finitimi Reges & Principes Chriſtiani. Fridericus vero ſæpe monitus, cum in Concilio comparere non auderet, ne tamen aperte recuſando contemnere penitus Pontificium nomen videretur, varias nectebat moras: atque ex Piſis cum Parmam veniſſet, ejus deſiderio peropportune accidit, ut conventus Veronæ clariſſimorum Principum haberetur. Scribit Rolandus Patavinus interfuiſſe Imperatorem Conſtantinopolitanum, Moraviæ, Carinthiæ, & Auſtriæ Duces: propeque fuiſſe, ut neptem Auſtrii duceret uxorem Fridericus, niſi interdixiſſet Pontifex, ne cum nefario homine nuptiæ contraherentur.

Dimiſſo eo Concilio, Fridericus Pſpiam petit, Placentinorum agros ex itinere populatus. Hic Alexandrinorum Oratores claves urbis ſuæ attulerunt, ſeque & ſua in ejus arbitrio fore oſtenderunt. Pariter ad eum deſcecerunt Bonifacius Monteferratenſis, Manfredus Carretus & Cevenſes Marchiones. Quorum acceſſione fretus Fridericus Padum trajicit, ſimulanſque trans Alpes proficiſci ad Concilium, quo ſæpe citatus fuerat, Aſtam, & mox Taurinum ſub Idus Julias petiit. Sed hic certior fit promulgatæ, pronuntiatæque in ſe excommunicationis. Quod maximum ignominiæ genus inter Chriſtianos, & maxime tanto Regi, habetur. Et retrocedens Papiam rediit, ubi collecta in unum rerum exactarum memoria, ſic cauſam ſuam tuetur, ut in Pontifices ipſos retorqueret quicquid fraudis & injuriæ ſibi impingeretur, qui nec fidelem operam proficiſcenti ſibi in expeditionem Hieroſolymitanam præſtiterint, ſed ſe abſente regnum perturbaverint, & nuntios ad Soldanum Ægypti miſerint, juncturos fœdus cum eo, atque rationem inituros, qua Fridericus ipſe perderetur: iniquitatis autem in ſe non aliam cauſam agnoſcere, niſi quod affectantibus Italiæ regnum, nunquam eis jus & arbitrium in res Longobardas permiſit, & noviſſime nuptiis neptis Innocentii cum Henrico filio Rege Sardiniæ ſit adverſatus. Sed fremant licet, frendant quantumlibet, jactentque incomparabilem illam ligandi, abſolvendique in terra & in cælo poteſtatem; nuſquam tamen compertum eſſe, ut pro arbitrio Imperium & Regna transferant, non magis quam quilibet alius Sacerdos, qui more majorum ſolitus ſacrare quempiam Regem, ſi forte iratus exſequi officium, perungereque recuſaverit, id facere poteſt, ut quem Heroes elegerint, is Rex eſſe deſinat. Multa alia ad varios ſcribens Principes, in ſui excuſationem addebat. Quæ cum nota orbi eſſent, magna ex parte ficta, commentitiaque habebantur. Itaque eis obauditis perſeveravit Pontifex in concepta indignatione, infamem ac ignominioſum apud cunctos mortales ſtatuit. Et Proceres Germani ſolemni conventu, ceu in vacuum legitimo poſſeſſore Romanorum Regnum, promovent Henricum Turingiæ Lantgravium.

Acceſſit eidem ad moleſtiam ſuga nobilis captivi, quem in cuſtodia Papiæ habebat. Is erat filius Regis Caſtulonenſis, eodem quo Cæſar Fridericus nomine nuncupatus, qui clam effractis vinculis Lactarellam vicum, & inde Mediolanum profugit. Ubi lætis animis acceptus, in ædibus Epiſcopalibus cohoſpitatus honorifice eſt.

Tunc Cæſar, hortantibus etiam Papienſibus, exercitum circa Morimundum & adjacentem Ticini ripam contrahit, proximum Abiatum obſidet: contra Mediolanenſes ne id occuparet, nituntur. Brixiani, Placentini, Novarienſes, Genuenſeſque auxiliares copias miſere. Ad Albairatum ſub Carrotio conſtitere. Ineilis foſſis, quæ Ticino derivata, Ticinellum dicitur, utraque caſtra dirimebat: & ex propinquitate invicem probra, ſcurrilia, & militares gerræ jactabantur. Objiciebantque in primis noſtri Friderico natalium maculam ex Monaca vetula, gibba, Como oriunda. Eundem hoſtem Eccleſiæ declaratum, infeſtoſque devotum, inanes Imperii titulos jactare. Sic viginti & eo amplius diebus aſſumptis, Fridericus caſtra movet, & juxta Buffaloram conſedit, tentans, ſi qua tranſire Ticinellum poſſet. Sed ubique Mediolanenſes ſe opponebant.

Eodem tempore Henricus nothus ejus filius cum Cremonenſium & Bergomenſium manu ad ripas Adduæ conſtitit, novum inde negotium Mediolanenſibus facturus; dumque illi pars copiarum opponitur, Pſpienſes Ticinellum tranſeunt, & Fridericus caſtra ad Caſternum, Cottarumque turrim contulit: quæ duo loca cultoribus fugatis ſubverſa ſunt. Interim Henricus invento juxta Caſſianum oppidum vado, flumen tranſit, & Gorgonzolam ſeſe recipit. Sed hunc confeſtim circumſedit Simon Locarnus, Mediolanenſium ductor, & locum nullis mœnibus foſſiſve munitum facile expugnavit; Regemque Henricum ipſum cepit. Sed nequaquam remiſſum ex eo prælium eſt: inſtitere acrius hoſtes, & quaſi amiſſo Rege victuri amplius non forent, quicquid virtutis & ſcientiæ militaris haberent, effuderunt. Ita vehementius pugnantes, non parvam Mediolanenſium, qui jam victores ſe putabant, ſtragem edidere, Simonemque ipſum cum Præfecto Sagittariorum Genuenſium cepere. Æquata hoc modo fere pugna fuit. Et dirempto certamine, placuit Ducum permutationem fieri. Sic & Henricus, & Simon liberati cum cæteris captivis incolumes rediere. Solis Liguribus illata injuria eſt, quibus alter oculus effoſſus eſt, & dexteræ manus præciſæ fuere. Sic extracta res eſt in hiemis principia.

Et Fridericus cernens, nihil ſibi ſuccedere ex ſententia, agro Mediolanenſi diſceſſit, ac Pſpiam primo, Cremonam Parmamque petiit, ubi res novas agitari audiebat. Nec vana ſuſpicio erat. Bernardus Rubeus Hugone Nobili Parmenſi natus, id moliebatur, ut civitas ad obſequium Romani Pontificis rediret; ſed adventu Cæſaris deſtitit, patriaque cedens, & ſe, & conſilium in commodius tempus ſervavit: deinde in Etruriam ſe contulit Fridericus, & Groſſetum maritimum Senenſium oppidum divertit; unde bello agitare Liguram terra marique parabat.

Cumque jam ſubiiſſet annus XLVI. venerunt Ge-A. C. 1246. nuam Legati Regis Francorum, petentes accommodari naves, quibus exercitus Gallicus trans mare deportaretur; quoniam voviſſet Ludovicus Rex bellum facere Saracenis, Afriſque, & cæteris Barbaris, qui fidem Chriſti non colerent. Impetratis XVI. navibus, quæ ſatis ad vehendam multitudinem viſæ ſunt, idem ad Fridericum Cæſarem proficiſcuntur, exploraturi, daturuſne nomen in eandem expeditionem ipſe foret. Sed eo prætendente indignationem ex eo, quod Genuam prius, quam ſe adiiſſent, ſine certo reſponſo dimiſſi ſunt.

Sed nova cura mox eundem ineeſſit. Thabaldus, Franciſcus, & Pandulphus cognomento Faſanelli, nec non Gulielmus Sancto Severinas, & Andreas Cicala haud poſtremi nominis in Aula Cæſarea, in necem ipſius conjuraverant; ſed detecta cunſpiratione per Comitem Caſertenſem, confeſtim

ex

ex Aula dilapſi, alii Romam, alii alio diffugere. Thibaldus & Franciſcus in Apuliam arci Capacii ſeſe incluſerunt. Hos deſequutus Fridericus, tam diu obſedit, donec diajectis muris, & eiſternis labefactatis, deficiente humore, præ inopia aquæ deditionem facere coacti ſunt. Captos vero ſune illigavit, & ex altiſſima rupe in ſubjectos maris ſcopulos, undaſque præcipitari juſſit. Id XIII. Kal. Julias actum.

Per Auguſtum vero menſem Conradus Friderici filius jam Rex Alemanniæ deſignatus adverſus Lantgravium novum Cæſarem lectum in Germaniam à patre miſſus cum hoſte conflixit. Victus vires reparavit, iterumque juxta Franchfordiam fortunam tentavit; ſed acie profligatur, turpique fuga elapſus eſt.

A. C. 1247. Anno ſequenti qui fuit XLVII. Mediolani Martinus Turrianus primarium in urbe locum ſortitur, titulo Anciani ejus Societatis, quæ Credentiæ S. Ambroſii nuncupabatur. Iſque VI. Kal. Junias convocata concione in templum Theclæ (conveniſſe autem ad quinque hominum millia traditur) leges, quibus univerſi cives viverent, tulit: ſignsnterque cautum eſt, ne quis Tarviſinam Præturam, invitis duobus fratribus Henrico & Guhelmo Burris; & item Lucenſem citra duorum aliorum fratrum conſenſum Guſredi, & Actii, Provenecorum iniret.

Fridericus autem pacem Pontificis appetere iterum ſimulans, ab Etruria in Longobardos revertitur; & nemini nocens Taurinum uſque proceſſit; oppidumque Rivolam Comiti Sabaudienſi benigne reſtituit. Dumque illic, ceu trans Alpes iturus, moram trahit, Gibertus Corrigius à Dente cognomen tenens, & Gerardus Arcilis, & Jacobus Benectus Parmenſes exules Mediolanum veniunt; arcanos ſermones cum Gregorio Montelongo conferunt; deque patria à tyrannide Bartoli Tabernerii, qui eam Cæſaris nomine procurabat, Sacerdotum interim bona delapidando, & cunctos acerbe vexando, qui nomen Pontificis profiterentur, vel litteras afferrent, avertenda agunt: docentque tres potentiſſimas Parmenſium familias idem ſentire, Corrigios, Lupos, Rubeos; inter quos præcipuæ auctoritatis habetur Bernardus Rubeus, Rolando patre natus, cum privatis opibus, tum conjugis, quæ Innocentii Pontificis ſoror erat, claritate illuſtris. Re bene conſtituta, biduo poſt Idus Junias patrios fines cum exercitu invadunt, ad Tarrum uſque (quinque millibus paſſuum ab urbe diſtat) prima incurſio facta eſt. Hic oppoſuit ſe magna pars populi ſub Henrico Teſta, qui genere Arctinus tunc Parmenſem Præturam iterum gerebat. Nec mora pugnæ facta eſt; dumque atrocius dimicatur, & Prætor ipſe, & Manfredus Cornazanus, & Hugo Mangiarotus, & plerique alii ex primariis ceciderunt: eorumque caſu vulgato, reliqua acies terga vertit.

Ingreſſi urbem victores, cunctos contrariæ factionis popularea exigunt. Gerardus Corrigius Præturam occupat; tum amicorum, fœderatorumque copiæ accerſuntur; Gregorius Montelongus mille Mediolanenſes equites; Eſtenſis Marchio, variis ab Actiolino Romano injuriis, fraudibuſque exagitatus, manum Ferrarienſium; Riccardus Bonifacienſis, & Beaguinus Caminas Mantuanam juventutem adduxere; quadringenti etiam equites Placentini affuere. In ſumma crediti ſunt ad tria millia equitum convenisſe: qui & commeatus abunde in urbem, cæteraque futuro bello neceſſaria comportarunt: & ne uno in loco ſua multitudine conficerentur, in ſuburbana loca, & opportunas ſtationes diſpertiti fuere. Nec ita multo poſt ſupervenere à Liguribus, impendio Fliſcorum, ſexcenti ſagittarii. Pontifex quoque mille equites ex Gallia pollicitus eſt.

Eodem tempore Henricus Sardorum Rex Quinzanum oppidum rogatu exulum Brixienſium obſidebat: & nuntio rebellionis Parmæ accepto, maxima cum trepidatione relicto omni bellico apparatu, refugit Cremonam.

Simul Fridericus monitus, obſtupuit ea re audita: deinde Papiam, Cremonamque reverſus, ſtudia, cogitationeſque ad recuperandam Parmam convertit; & ad Blanconeſſum circa Tarrum vicum cum parte copiarum tranſire jubet. Parmæ mutatio magnum quoque aliis in locis momentum attulit. Nam & Mutinæ quinquaginta equites, qui miſſi ab Parma auxilio frumentatoribus Fridericianis erant, intercepti, ſpoliatique ſunt; & adoleſcentes, qui liberalibus diſciplinis operam dabant, capti, & in vincula conjecti. Et Rhegienſes idem fecere iis, qui paulo ante Cæſaris juſſu Cruviacum petierant. Et in Liguribus tractus omnis Orientalis ad officium cum civitate rediit. Et Lunenſes adjuvantibus Grafignanæ incolis Vicarium Cæſareum apud ſe verſantem in carcerem poſuere. Et Otho Malaſpina, quicquid antea amiſerat, recuperavit. Et in Patavinis Actiolinus Romanus duo oppida Eſten & Calaonem de ditione Marchionis Eſtenſis ſurtim occupavit.

Cæterum cum jam menſis Auguſtus ageretur, Mediolanum ampla eum auctoritate & pecunia ad mille & quingentos equites conducendos venit Cardinalis Octavianus, Liguſtici Annales Othonem Avianum habent. Quibus brevi comparatis, Brixellum petiit, rem Parmenſem pro virili adjuturus. Sed huic ſe opponit Actiolinus, qui ex Patavinis, Vicentinis, & Veronenſibus egregiam bello juventutem adduxerat Guaſtallam, cui adjungitur Henricus Rex; & fugarunt copias Octaviani, Brixellumque occuparunt. Et jam cuncta pene circa Parmam, exceptis Colurnio, Vigoleno, Alpeſellis in poteſtate hoſtium videbantur. Urbs vero ipſa valido munita præſidio, niſi magno apparatu, & diuturna obſidione capi non poterat; & oppidanorum animi erant, ut niſi per vim aut alimentorum inopia coacti deditionem non facerent.

Igitur Fridericus caſtrametatus inter Fregnani, Grollæque vias, dimidio ab urbe milliario conſtitit, aggere, valloque munit, & ceu novam urbem conditurus, ambitum aratro ſecit; templa, forum, lateritiaſque domos exſtruxit; derivatoque flumine, rotas etiam frumentarias fabricavit, ut milites ſui haberent, non ſolum quo ſe tuto ab incurſionibus reciperent, ſed etiam ubi commode hiemare, & quævis aſpera frigora tolerare poſſent: loco auſpicatum nomen *Victoria* indidit, quaſi haud dubio ſuperaturus hoſtem: & quo id majoris ſpei foret, aſtra etiam obſervavit, cum urbem novam deſignaret. Jam hinc ceu in regia conſtitutus, & jura populis reddere, & legationes exterarum gentium audire, Senatum cogere, monetam cudere; qui Nummi *Victoriati* ſunt appellati. Non longe ab eo tendebant Papienſes, & qui à Cremona Carrotium adduxerant. Jam eruptiones hinc inde fieri, & levia certamina committi, ex quibus, utri viciſſent, non decerneres.

Interim adverſo Pado ſubvecta eſt claſſis à Venetis, Ferrarienſe, Mantuanoque miſſa; & à Mediolano, Brixiaque ſupplementa ſuis advenere: qui Henrico, Actiolinoque oppoſiti, bimeſtre abſumpſerunt ſpeculando, tentandoque occaſionem omnem vel pugnandi, vel commeatus obſeſſis intromittendi. Interim Fridericus portam Ulmi aggreditur, vallumque magna ex parte laceravit: ſed hanc ſtrenue Bonifacienſis Comes tutatur, hoſtemque multorum cum cæde repulit. Henricus autem Colurnium obſidere cœpit: at Parmenſes nova induſtria uſi aperiunt cataractam fluminis eo ſeſe exonerantis, ac diluvio facto, quo viri pariter & jumenta

mergebantur, digredi coegere. Jam Octobermenſis exibat, cum navalis exercitus pontem, quo hoſtes Padum junxerant ad Brixellum, adoritur: & multis Cremonenſium, qui in cuſtodia erant, cæſis, expugnat; ac diſſolvit. Patuit tunc libera commeatibus via; & hoſtes deſperatione potiundæ urbis imbuti, nihil amplius neceſſariam ab ea parte operam ſuam rati, in hiberna abiere. Actiolinus domum ſe cum ſuis recepit.

Interim de permutandis captivis actum. Parmenſes ſuos, qui per Italiam variis in ergaſtulis ſervabantur, recuperavere. Bergomenſes, quorum nonnulli nobiles in carceribus Mediolani erant, à Friderico impetrarunt, ut quos Mediolanenſis nominis in Apulia haberet, adducerentur. Hi Neapolitanæ triremi impoſiti advehebantur. Sed accolæ portus Veneris eam intercipiunt: compertoſque in ea Guidonem, & Gabrielem, nec non & Guiſcardum illos fratres, hunc vero filium Pagani Petraſanctæ, qui olim Genuæ jus ex Prætura reddiderat, ac ex modeſtia magnam cum ea civitate gratiam iniverat; eos ſtatim Genuam deportarunt, ubi pro veteri Pagani hoſpitio liberaliter habiti, atque muneribus donati, citra ullum redemptionis impendium dimiſſi in patriam ſunt. Cæterum in eadem triremi capti ſuere Robaconus Bergomenſis, qui nuntius ad illos deducendos ex Apulia iverat, & Alexander Genuarius nobiliſſimus Neapolitanus, cum filio ac nepote, & ducenti alii Neapolitani, qui omnes in ſpem novæ compoſitionis ſervati ſuere.

Per idem tempus Jacobus, ex gente Carreta in Liguribus pernobili, duplici munere à Cæſare augetur: nam Genuenſium tunc hoſtis erat. Publicum unum erat, Præfectus, Vicarii titulo, Provinciæ, quæ ſupra Aſtam ad Apenninum & mare pertinet: alterum privatum; nam ei filiam, quamquam illegitime natam, matrimonio locavit.

Supervenit dehinc optatus ex Germania nuntius, Lantgravium Thuringium profluvio ſanguinis exhauſtum expiraviſſe. Quod etſi magno gaudio Friderico fuerit, propter æmulationem ex ejus obitu ſublatam; tamen id haud diuturnum fuit. Namque hortatu Pontificis, qui litteris, nuntiiſque impellere non ceſſabat; & præſertim opera Cardinalis Petri Capotii, Germani Heroes III. Kal. Octobres in demortui locum ſufficerunt Gulielmum Hollandiæ Comitem, viginti non amplius annos natum: quem & Rex Bocmiæ parazonio accinxit, & Coloniæ Agrippinenſis Antiſtes unxit, Romanumque Regem impoſita Corona dixit. Ludi magnifici & hoſtica certamina ob rem feliciter actam edita.

Cæterum dum Genuæ impenſiori cura inſtruendæ claſſi intenderent, qua Galli trans mare deportarentur, Fridericus veritus, ne eorum adventus ſtudiis ſuis maxime officeret, perturbandum Genuenſium apparatum cenſuit: evocavitque ob eam rem à Neapoli Savonam quinque & viginti Siculas triremes, & à continenti infeſtum exercitum immittebat.

A.C. 1248. Sed dum ipſe unum agitat, aliud fortuna interſerit: XII. Kal. Martias (ſunt qui Idibus Februarii ſcribant) anni quadrageſimi octavi, cum Parmenſes ſolliciti admodum de Colurnio eſſent, & Henricus Rex cum exercitu appropinquaret, ſortiſſimorum juvenum manum ad tuendum oppidum miſere. Hos conſpicatus procul Fridericus, alam equitum ad intercludendum iter præmiſit. Ricobaldus Ferrarienſis intentum aucupio fuiſſe tradit: & hic Blondus repertam fuiſſe opinatur artem inſtituendi aves rapaces in venationem infirmioris generis; quod ſeptingentis ante annis in uſu fuiſſe, non ſupra in Majoriann Cæſare docuimus: ſive ergo rei præſens Cæſar fuerit, ſive ſtudio venandi, ut multi opinantur, longius à caſtris provectus foret; & omnia in caſtris per luxum & licentiam corrupta eſſent, Gregorius Montelongus, & Baſalupus Mediolanenſis ſpeculati occaſionem, qua Germani prædabundi à Victoria Parmam uſque venerant, quicquid copiarum in urbe erat, emiſerunt: qui certis diſtincti ordinibus, hoſtes circumvenere, & congreſſi magnis viribus, animiſque acrem pugnam excitavere. Opportune ad certamen accurrentibus Colurnienſibus, ſtragem, qualem nunquam antea viderant, ediderunt: cæſiſque, aut captis plurimis, pauci intra munitiones Victoriæ refugere. Sed Parmenſes una cum eis ingrediuntur. Nec minor ibi cædes edita. Verſabantur in prima acie Epiſcopus Tripolitanus, & Parmenſium Prætor Philippus Vicedominus genere Placentinus, & Genuenſium mercenaria manus; qui in tentorium Cæſaris penetrantes, præſidentem tunc cubiculo Thadæum Sinueſſanum Judicem oppreſſerunt, trucidaruntque; & pretioſam omnem ſupellectilem diripuere. Parmenſis vero quidam, cui de ſtatura corporis Curtipaſſus vulgo nomen erat, Coronam Auguſtalem abſtulit. Sic victores poſt multam prædam ignem ædificiis Victoriæ ſubjecere; cujus fumo procul conſpecto Imperator, prius eam captam dixit, quam nuntius ad eum pervenerit. Re deinde, & magnitudine detrimenti accepti intellecta, haud diutius immorandum ratus, propere Donnini Burgum, & trajecto Pado Cremonam ſe recipit. Ex Cremonenſibus ipſis ad tria millia capti ſunt: & eorum Carrotium, quod *Bertaciola* dicebatur, Parmam perductum, diu in memoriam rei ſervatum eſt: reliquos fugientes ad Tarrum uſque defecutus Montelongus, ſpoliis onuſtos ſuos ad urbem redxit.

Cum vero ſe collegiſſet Fridericus, reminiſceturque non ſolum amiſſam Coronam, ſed & ſcrinia, & obſignandarum litterarum typos, ſcripſit ſtatim ad amicos, ut ab errore & fraude caverent, in quam aſtutia adverſariorum induci per ea ſigna poſſent. Et ad ſolatium cladis acceptæ ſubjecit, aliquam partem reſarcitam eſſe virtute Henrici filii, qui eodem momento occurrit nonnullis Mantuanis navibus, quibus trecenti pedites in auxilium Parmenſium ſubvehebantur, eaſque per vim expugnavit & cepit. Ipſe paulo poſt, collectis, qui à cæde & captivitate ſupererant, novoque milite conſcripto, Parmam iterum petiit, & Victoriam ſuam aggreſſus, quam Parmenſes valido præſidio muniverant, circiter centum ex iis interfecit, ſexaginta vivos in ſervitutem abduxit. Tuncque captus vir inclytus Bernardus Rubeus fuit, & capitali ſupplicio affectus. Cujus injuriæ ſævi ultores cives, quatuor nobiliſſimos Proceres ex Fridericiano exercitu captos, & in eam diem ſervatos publice decollarunt. Quibus cognitis Fridericos, cernens ſibi rem eſſe cum pertinaciſſimis hominibus, & qui extrema omnia ſubituri eſſent, in Placentinos abiit, & diverſarum partium populos infeſtando, Aſtam pervenit; ubi & totam hiemem exegit.

Eodem tempore Actiolinus Romanus trium jam in Venetia urbium dominus, duas alias imperio adjecit, Feltrum, & Bellunum, quas proditione civium, quibus Bequini Caminatis dominatio infenſa erat, eo pulſo, nullo labore recepit. Quod factum tale augurium præceſſit. Nam petenti Feltrum pica avis in ſumma majoris vexilli lancea adſtitit; & cum militari ſtrepitu nuſquam deterreretur, demiſſa paulatim haſta capi ſe permiſit. Id auſpicatiſſimum ducens Actiolinus, ſervari aviculam juſſit, & cavea conditam iiſdem, quibus ipſe utebatur, cibis nutrivit; & ſecum ſemper, quibuſcumque itineribus ac expeditionibus circumferens, habuit.

Anno

A. C. 1249. Anno XLIX. Præturam Mediolani ſortitus Supramons Lupus Marchio Soragniæ, quæ pernobilis familis adhuc in Parmenſibus clara eſt: eo auctore Mediolanenſes oppidum Ardenæ, quod lacus Lario ex præalto montis cacumine impendet, obſedere. Locus fuerat ditionis Guidonis Canis: ejuſque arce expugnata, mœnia diruerunt, atque in lacum provolverunt. Parmenſes vero interea Brixellum recuperarunt, & nova arce excitata, munierunt. Mox Fridericus denuo acceſſit, & Victoriæ caſtra ingreſſus, magno terrore Parmenſes afſecit, ne novam civitatem inſtitueret, & ſe denuo obſideret. Sed ſive virtute hoſtium de exitu belli deſperaret, ſeu graviori de cauſa motus, ſumma rei Longobardæ Henrico Sardorum Regi tradita, in Apuliam proficiſcitur: atque ex itinere Piſis diverſatus, diploma multorum oppidorum Uberto Palaviçino conceſſit. Non ita multo poſt populati ſunt Bononienſes Mutinenſium agros: & cum ab injuria ceſſaturi non viderentur, niſi par potentia eis opponeretur, Henricum ab Cremona accerſiverе. Is cum Prætore Cremonenſi haud cunctanter profectus, in prædatores invadit. A quibus, cum longe inferior militum numero ſoret, & pugnam declinare non potuerit, quamvis fortiter dimicaret, captus & Bononiam in vincula ductus eſt. Sunt qui tradant ſponte ipſum ab Mutina Bononienſium fines invaſiſſe, ut auxilio foret novis copiis, quas ex Faventino agro evocabat; & dum locis quibuſdam obequitaret, confertæ hoſtium manui occurriſſe, & commiſſo certamine captum fuiſſe. Merula, neſcio quo auctore, tradit, ſolum Regio habitu depoſito, ut majeſtatem occultaret, exploratum metandis caſtris locum iviſſe, & à milite Bononienſi agnitum; qui cum pedes eſſet, in clunes equi ejus improviſus inſiluit, & utroque brachio retractu obligaſſe illi manus, & arrepta equi habena Bononiam perduxiſſe captivum, eoque viſo, obruptione à Bononienſibus univerſum illius exercitum profligatum. Utcumque res fuerit, conſtat ipſum cum multis Cremonenſibus & Mutinenſibus captum. Exſtant patris epiſtolæ rogantis primo, deinde minantis atrocia Bononienſibus, qualem Fridericus avus Mediolanenſibus intulerit cladem, ni confeſtim filium Henricum Sardiniæ Regem dederint, ac liberos abire reliquos captivos permiſerint. Sed neque preces, neque minæ incolumem illum præſtant. Nam ædificata in palatio Bononienſi ligneis ex trabibus cavea, in qua noctu recubabat, interdiu haud longius quam in proximum cœnaculum ire poterat: adeo, ut Parmenſis ſcriptor expreſſerit, *duos & viginti annos cuſtoditus, ibidem demum ſpiritum poſuit, & in eadem Divi Dominici elatus, ſepultuſque eſt*: oſtenditurque in hanc diem conditorium ejus.

Cæterum fama captivitatis ejus vulgata, inſurrexit tota Italia *Guelphum* nomen, & contrariæ factioni inſultans, omnia ſibi vindicare; à fide Cæſarea Longobardos, Etruſcos, &, quicquid in Flaminia erat, avertere. Quæ Fridericus ſentiens, qui jam ad Apulos, urbemque Fogiam pervenerat, indignatus maxime eſt; & parando pecunias, arma, viros in proximum annum, litteras ad hoſtes, amicoſque pariter ſcribebat: ut & illi minacibus verbis deterrerentur, & hi ſpe nutriti in fide permanerent.

Et quoniam in peregrinis quoque regionibus dignæ memoratu res geſtæ ſunt eodem tempore, quæ parum expeditæ ab iis, quorum profeſſionis erant, referuntur, hic ſubjiciendas duxi. Nam & in Hiſpania, in qua hactenus Saracenorum regnum viguerat, Ferdinandus Caſtulonenſis Rex Sibilliam urbem clariſſimam, opulentiſſimamque, & quam nonnulli antiquam Hiſpalim, quæ olim toti Provinciæ nomen dedit, exiſtimant, de barbara ſervitute eripuit, & cum ſingulari Chriſtiani orbis lætitia ac gratulatione Regno ſuo adjecit.

Et Ludovicus Gallorum Rex ſuſcepta Orientis expedione, cum claris Ducibus Alfonſo Pictavienſe, Roberto Atrebatenſe, & Carolo fratre in Cyprum navigavit. Inde Damiatam Syriæ urbem jam cultoribus vacuam occupat, quam mox Arabes per vim recuperant. Robertus Atrebas eo prælio cecidit: ac reliqua multitudine paſſim defugiente Rex ipſe cum fratribus in poteſtatem hoſtium venit. Quibus ſaluti fuit ſubſecuta conſeſtim Soldani Ægyptiorum Regis mora. Cum cujus filio adoleſcente tractata pace, & in redemptionem ſuam pactus Damiatam, & centum millia marcarum argenti, decimo nono die, ex quo captus fuit, dimiſſus eſt. Reverſus Aconem Ludovicus, inſtaurandis veterum ædificiis plurimum auri impendit. Carolus vero repetita patria amplis opibus per nuptias augetur, ſortitus uxorem Beatricem filiam unicam, & hæredem Raimundi Berengarii Comitis Provinciæ Narbonenſis, & Furchalerii, qui ſeptennio ante defunctus, pupillam filiam ſub protectione Romanæ Eccleſiæ, & Romei Villanovæ procuratoris rerum reliquerat.

A. C. 1250. Subit annus quinquageſimus ſupra mille ducentum noſtræ dinumerationis: cujus principio Præturam Mediolanenſem inivit Jacobus Rubeus Parmenſis. Et mox Majo menſe apud Leucenſes extremi Larii accolas, qua emiſſarium eſt Addуæ, bellum ſuſceptum eſt: untare illorum fides cœperat: oppidum vi captum, & dirutum fuit. Cum autem Parmæ ſumma inopia rei frumentariæ laboraretur, quatuor millia modiorum cum præſidio Mediolanenſes ad Padi uſque ripas miſere, id tradituri Placentinis, qui inde ſuciæ civitati porrigerent. Sed hi jam clandeſtina conſilia cum hoſtibus iniverant: & averſo frumento, in partes Papienſium, Cremonenſiumque tranſivere. Et facta conſpiratione cum exulibus Parmenſibus, & cum exercitu acceſſere; freti famelicum populum facile ad res novas venturum. Sed bis nppoſuere ſe cives: & ut conſenſus publicus appareret, Carrotium quoque adduxere. Id panno albo veſtitum, vulgo *Blanchardum* vocabant. Pugnatum eſt acerrime: defiderati ex iis ſunt mille, quadringenti, ac ſeptuaginta quinque; & Carrotium ipſum in hoſtium poteſtatem pervenit, & perductum Cremonam loco trophæi fuit. Ex hac victoria, & pollicitationibus, quas ſubinde Cæſar ex Apulia faciebat, nonnihil animorum & ſpei Gibellina factio ſumpſerat: ſed quæ cuncta abrumpit, his quoque fluctuationibus mediam ſe mors intulit; & multorum cogitationes in omnia alia, quam quæ opinabantur, avertit.

Ex Fogia nrbe Fridericus forte Luceriam petebat: ſed procul inde ſexto milliario, in oppidulo, cui nomen Florentinum dicitur, diverſantem febris apprehendit, validiorque vis morbi urgere cœpit. Tum audito loci nomine, fatalem ſibi cum eſſe, extremumque diem imminere dixit. Vates aſtrorum peritiſſimus, quibus alioquin Fridericus multum tribuebat, ei prædixerat, ut in omni vita Florentinum caveret: nb quod, qnotiens per Italiam commeabat, Florentinorum omnem agrum ſponte devitabat, Piſas, Senaſque ſemper divertendo. Sed effugere nemo ſtatutum ſibi horam poteſt. Quare deprehenſus adverſa valetudine Fridericus, deque ſalnte deſperans, numinum ſaltem reconciliationem optavit: quam ſpatiis excluſis iniquis cum à Pontifice Romano non poſſet, utcumque ab alio impetrare curavit: accerſitis namque Archiepiſcopo Panormitano, & compluribus aliis Eccleſiæ Præſulibus, mirificam oſtendit errorum pœnitentiam, atque mœrorem. Conditoque teſtamento, juſſit, quicquid urbium, terrarumve ex juriſdictione Eccleſiaſtica occupaſſet, reſtitui; ingentem vim

auri Templariis, Hieroſolymitaniſque Equitibus reſarciri, quorum ſacerdotia multis jam annis interverterat; & impenſam expeditionis Hieroſolymitanæ, quæ ex Conſilio ipſorum Equitum ſuſciperetur, gererecturque; hoſtibus univerſis, rebellibuſque injurias remiſit, exceptis Apulis, Calabriſque, & cæteris, qui Regni Neapolitani finibus comprehenduntur: quoniam cum ab iis graviter nimium læſum ſe & proditum arbitraretur, ad dictionem cauſæ illos judicio remittebat: captivos item, qui ubique haberentur, laxari juſſit: & ſibi ullam funeris pompam, & honores, qui Cæſaribus ſepeliendis adhiberi ſolent, fieri vetuit. Hæredem univerſi Imperii Romani & Neapolitani Regni nominavit Conradum filium, jam utique Alemanniæ Regem; & Henricum juniorem ex legitimis nuptiis procreatum inſula Sicilia ex nutu Conradi regnare, & centum mille uncias auri habere juſſit. Fridericum nepotem, ex Henrico majore natum, Auſtriæ Ducem pronunciat, additis in pecunia decem millibus unciis auri. Manfredum ex concubina genitum Principem Tarenti, procuratoremque Italici Regni, niſi ubi Conrados Cæſar adeſſet, inſtituit. Cæteros filios Conrado, ceu legitime imperanti, parere jubet. Quibus conſtitutis, cæteriſque rebus ad religionem ſpectantibus, ut tum poterat, obitis, ſpiritum emiſit Idib. Decembris, anno, ex quo regnare cœpit, tertio & vigeſimo, ætatis vero ſexageſimo. Inde Manfredus filius cum Regia pompa, & quantis potuit honoribus tranſtulit in Inſulam Siciliam, & juxta Panormum Monte Regali ſepelivit. In Florentino Apuliæ vico deceſſiſſe eum Mainardinus Epiſcopus Himolenſis tradit; & cum eo Genuenſium Annales concordant: unde ob loci ſepulturam erraſſe eos crediderim, qui mortuum Panormi credunt. Addunt quidam fraudem à Manfredo filio factam, qui convaleſcentem conjecto in os pulvino ſuffocaverit. Hunc vero ex nobili Aſtenſi fœmina genitum plerique omnes autumant. Ego vero in vetuſto codice legi Agoetem Torniellam Novarienſem. Genuenſis ſcriptor ſubdit, neptem ex Blanca filia Manfredi Marchionis Lanceæ. Nec diſcrepat Ricobaldus Ferrarienſis, natum eum ex ſorore Marchionum Lancearum. Quibus compoſitis colligo Blancam filiam Manfredi Marchionis Lanceæ, quem Aſtenſem fuiſſe ſatis conſtat, nupſiſſe in gentem Torniellam, & hoc genitam Agnetem in amplexum Cæſaris veniſſe, & Manfredum peperiſſe: eundem vero legitimum poſtea factum nuptiis parentum Liguſtici libri habeot, propterea quod jacentem extrema valetudine Agnetem Fridericus deſponſaverit.

Floruit ſub eo Petrus Vinea ſupra à nobis honeſtiſſimis in rebus nominatus, de quo, quia rerum fortuna exemplum fecit, quæ comperta habemus, priuſquam à Friderici rebus digrediamur, hic ſubjicienda duximus. Foit enim genere Apulus, obſcuro loco, ignotiſque parentibus natus; Bononiæ litteris operam dedit, quamvis extrema inopia preſſus, & mendicando victum quæreret. Mox ſcripturariam apud Tabellionem egit, & quotidiana mercede honeſtior factus, legum ſcientiam amplexus eſt. Tranſivit mox in Aulam Cæſaris, in qua viſus ingenio & ſolertia pollere, ſummam gratiam, & locum ab Epiſtolis, quo arcana omnia tractantur, fortitus eſt, & immenſas perinde opes conſecutus, ut inter potentiſſimos ſui temporis haberetur. Demum Fortuna vertente proditionis inſimulatus, in vincula conjicitur, & teterrimo carcere maceratus defecit.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XV.

EPITOME.

Friderici II. obitum magna Longobarda rei permutatio ſequuta eſt. Gibellini jacent; Guelphi contra in eminem fortuna ſpem ſe extellunt. Innocentius prope ſeptennium exul, in Italiam reverſus, in pleraſque urbibus honorifice, Mediolani vere victoris ac triumphantis in morem excipitur, moraturque aliquamdiu, præclara interim virtutis ac doctrina prabens exempla. Landenſes adhuc adverſantes ſacris ſpoliatos omnium manibus armiſque permittit, ac devovet. Igitur Ducibus Pratore & Succio Viſtarino Laudenſi exule eam urbem brevi ſubigimus, & Rempublicam pro arbitratu ordinamus. Conradus Friderici filius Italiam ingreſſus, Regnum Neapolitanum, Siculumque, cedente Manfredo, capeſſit: & Henricum fratrem parricidii in Fridericum nepotem ſuſpectum præfocat. Petrus Veronenſis ſacer à Dominicana familia Quæſtor Hæreticorum conjuratione occiditur, & ille quidem frequentibus ſingularis ſanctitatis ſignis, religioſoque populorum plauſu ſtatim clarus, in Divos, adjecto Martyris cognomento, refertur: horum autem aliqui eandem ingreſſi familiam dignis panitentia fructibus ſanguinem expiant, quo expiantur; &, ceu ſubacti hoſtes, martyris triumphum cumulant. Conrado Neapoli fraude Manfredi fratris exſtincto, Hiſpano & Anglo Regibus ambientibus, Imperium duodeviginti annos vacat. Interim Innocentius Neapolitanum Regnum bello repetit; accepit dedition, mox ſatis ereptus Alexandrum IV. ſucceſſorem habet. Piſani Cæſare defenſore deſtituti, durat conditionibus vexationem à ſuis omnem ſibi parant civilibus diſcordiis, belliſque ſudamus: invoſum hominem Pratorem à populo aſſertum non ferentes Patricii, egreſſi in agros, alio Pratore dicto, ſuis & amicarum civitatum copiis creſcentem in dies populi arrogantiam tantiſper comprimunt. Sed mox totius Reipublica cura uni homini Martino Turriano populi ſuffragiis permiſſa, civitas uterum in plura ſcinditur capita. Patriciorum non pauci urbe cedunt: a quibus ſollicitatus Aſtitinus, crudeliſſimus Patavii & finitimarum urbium Tyrannus, adverſus Mediolanum ſigna movet: pauciſque oppidis petitis, occurrente hinc Turriano, inde inſtantibus Venetarum urbium copiis, deſertus à ſuis in hoſtium poteſtatem venit, & a ruſtico homine domeſtica injuria ultore vulneratus, magno Italia bono vive-

vivere definit. Turrianus ea victoria populo gratior fuſtus, potentia in Patricios aucta; nec Mediolano modo illos, ſed propinquis quoque urbibus longius ſubmovere; comprehenſos ſupplicio afficere; eorum Ducem Sereſinatem ingentibus ad ſe promiſſis allicere; externa quoque auxilia evocare; ſublato publico conſilio, Reſpublicam ſuo unius arbitrio adminiſtrare. Sub eadem fermo tempora, lege lata, qua ruſticani homines maleficia prædere, vel detrimenta farcire jubentur, ruſticandi, atque itinerum ſecuritati conſultum eſt; & fame in urbe ac peſtilentia laboratum.

MORTE Friderici Secundi univerſa factio Cæſarea enituit, & ceu de rebus ſuis actum penitus foret, animos deſpondit. Contra Pontificii in nullius non rei ſpem, libidinemque attolli, nihilque non pronum ſibi futurum exiſtimare. Pontifex quoque de reditu in Italiam cogitare.

A.C. 1251. Interim inchoato anno quinquageſimo primo ſupra milleſimum & ducenteſimum, Præturam Mediolani init Jo. Henricus Ripa genere Mantuanus, uno nomine vocitatus Giroldellus. Hoc auctore pax cum Papienſibus IX. Kalend. Aprilis contracta. Item Caravagium oppidum Tranſadduanum, quod diu receptaculum & tuta manſio exulibus fuerat, captum & ſpoliatum ſubruitur. In urbe vero forum ampliatum fuit, ſubſtructæ porticus, & cancelli, fedeſque Juriſconſultorum, & Scribarum, & Nummulariorum. Eodem tempore in Liguribus maritimæ omnes civitates Monacum uſque, & Proceres Carreti, Cæſaream factionem fovere ſolitæ, in partes & imperium Genuenſis urbis, miſſis Legationibus ad accipiendas quaſcumque conditiones, ceſſere. Mox cum Venetis antiquum fœdus renovatum in octo annos eſt.

Jam Innocentius iter in Italiam molichatur. Sextus agebatur annus, & menſis nonus, ex quo illa veluti matre caruerat. Igitur ex Lugduno Maſſiliam petit; inde Genuam navigat. Cujus adventu cognito, Legationes ampliſſimæ tota Italia eo ſalutandi, gratulandique gratia convolavere. Ex Mediolano Prætor Giroldellus cum nobiliſſimis civibus profectus, cum navi deſcendentem excepit, deoſculatuſque eſt: tertio poſt Idus Majas die tum mirificam omnium lætitiam & populorum amorem brevi oratione explicans, hortari, rogare, & ſuadere cœpit, ut Longobardos inviſeret, Tranſpadanæque regioni, cui præ cæteris carus erat, & ſummo deſiderio exſpectabatur, videndum ſeſe præberet. Eo nihil gratius præſtari poſſe genti, quæ ob ejus nomen mille pericula, infinitaſque clades paſſa fuerat, adjecit. Efficax fuit oratio, & preces ad perſuadendum accommodatæ. Sed dum iter paratur, dum cæteri renunciant futurum in Circumpadana Italia Summum Sacerdotem, & Chriſti Vicarium: Giroldellus ipſe intercipitur; raptus enim adverſa valetudine ibidem exceſſit è vita.

Pontifex autem quinto & trigeſimo die Genua digreſſus, per fauces Apennini, qua Gavium & Capriatam tranſitur, Alexandriam, deinde Novariam venit. Inde cis Ticinum profectus, ad Petri Ulmum, quod non ignobile Cœnobium eſt, pernoctavit. Proximo illuceſcente die, qui VII. Idus Julii fuit, Mediolanum porta Vercellina introivit. Comitabantur eum ſex Cardinales, & Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus, quem genere Placentinum ex familia de Caſtro Arquato oriundum fuiſſe, in Placentinis Annalibus legi. Quatuor & viginti Primores civitatis, rutilantibus togis conſpicui, umbellam perticis præfixam ſupra caput incedentis, quod ſuprem honoris ſignum eſt, tulere. Longe effuſa populi multitudo, & cum matribus parvi liberi identidem Innocentii nomen conclamabant. Ovantium voces & geſtientium plauſus ſimillimum triumphanti ſacerdotem faciebant. Ubique per vias & compita claves Petri ſuſpenſæ, & Thiara Pontificalis picta inter urbis inſignia conſpicichantur. In ædibus Ambroſianis hoſpitium ei fuit. In quibus duos menſes moratus, nullo pene die à publico privatove munere vacavit: nam & rem divinam in clarioribus templis ſæpe ipſe fecit; & conciones de fide & religione Chriſtiana audiente frequenti populo habuit; & de Theologicis quæſtionibus palam diſputavit. Vir enim doctiſſimus ſuæ ætatis fuit: & nova ſæculi laus, novum miraculum habebatur, videre ſummum in terris hominem, Paſtorem ipſum univerſalem conſcendere ſuggeſtum, facundi Oratoris, & excellentiſſimi Theologi munia obire; exemplo nec ante eum, quod ſciatur, poſt Ambroſios, Auguſtinos, & Gregorios, nec poſt eum uſurpato. Nicolai quoque Patriarchæ, qui per idem tempus obiit, exſequias ſua & Cardinalium præſentia honeſtare, dum is in Cœnobio Minorum ſepelhretur, haud dedignatus eſt.

Interim Prætorem Mediolani in demortui Giroldelli locum ſubrogari curavit Girardum Rangonem Mutinenſem exulem; tum ſummo ſtudio pacem & diſcordiarum abolitionem ſuadere populis contendit. Sed Laudenſes pertinaciſſime in partibus perſeverabant: tenebant eorum arcem Germani, quos Fridericus impoſuerat: exulabantque non pauci, & in primis Sucius Viſtarinus cum univerſa cognatione ſua. Nonnihil tamen factio ſua adhuc poterat, & intra urbem tutelæ gratia manum Papienſium & Cremonenſium habebat. Cæterum contumacius agentes Pontifex ſacris interdicit, & diris imprecationibus exagitatos ſpoliare ubique & bello perſequi licere declarat. Tunc Rango Prætor Mediolanenſis & Cremonenſes contractis exercitibus, urbem obſident. Brevi inopia rei frumentariæ, quanto in diſcrimine cives forent, oſtendit: & primo, ut nocturnis congreſſionibus, deinde etiam interdiu, ut inter ſe decertarent, coegit: tandem victis diverſæ factionis fautoribus, Prætor Mediolanenſis, & Sucius Viſtarinus intromittitur: Et ne intemperantius injurias ſuas hi ulciſcerentur, & perinde civitas affligeretur, ſtatim arbitri duo Legati Mediolanenſes Accurſius Niguarda, & Ariuſius Marinonus, qui controverſias componerent, advenerunt. Hi & perpetuam inter eos pacem, & præteritorum oblivionem, & ut univerſa gens Viſtarina in patriam rediret, & Sucius in decennium ſocietatem populi regeret, atque omnes ab interdicto Eccleſiæ abſolverentur, pronunciarunt. Sic Viſtarinus dominationem in urbe ſua conſequitur. Quarto Idus Octobris hæc geſta ſunt.

Interea vero Innocentius Mediolano digreſſus in Cœnobio Creſentiago pernoctavit. Eum diem, qui fuit VI. Id. Septembris, religioſum fecit decreta in perpetuum unius anni & quadraginta dierum remiſſione pœnarum, quæ luendæ poſt fata nobis ſuperſunt, iis, qui Templum majus, in quo ultima ſacra celebravit, quotannis reverenter inviſerent. Ex Creſentiago Tricium petit: hinc Brixiam, Ferrariamque adit; ubi palam concionantem audivitſe ſe puerum Ricobaldus ſcriptor meminit. Dehinc Bononiam, & Etruriæ civitates prætervectus, Romam incolumis pervenit. Et ut qui nullam ſtabiliendæ quietis curam remitteret, Genuam miſit Martinum Parmenſem Præpoſitum, qui exulibus reconciliatis, prædia reſtitui, damna reſarciri (decem millibus librarum Liguſtinæ monetæ æſtimata fuere) curaret.

Per idem tempus novus Cæſar Conradus Germania movens, per Tridentinam regionem Veronam venit, ac Cremonam uſque penetravit: reverſus mox ad Venetos & Hiſtros, conſcendit ſexdecim triremes, & in Apuliam navigavit: ubi à Manſredo fratre rerum procuratore, cæteriſque Provinciæ Heroibus reverenter excipitur, & Rex Siciliæ Hieroſolymorumque ſalutatur. Paruere quoque illi civitates cunctæ, excepta Neapoli, quam detrectantem obſequium præſtare, vi & armis aggreditur.

A.C. 1251. Sequitur annus quinquageſimus ſecundus: cujus initio Gerardus Rangonus ex Prætura Mediolanenſi in Religionem tranſiens, habitum, moreſque ſectatorum Divi Franciſci aſſumpſit. Magiſtratus populi juſſu demandatur Petro Advocato civi Comenſi. Sub quo res annalibus digna contigit, perſtricta quidem à nonnullis exiliter, & jejune: nos vero confeſſiones reorum, & acta in publicas tabulas relata vidimus; ac idcirco rem integram referemus.

Diximus ſupra duos Inquiſitores Petrum Veronenſem, & Rainerium Sacconum Placentinum in Longobardis verſari cœpiſſe, & Apoſtolica auctoritate hæreticos, quorum plurimæ ſectæ inoleverant, exagitare prædicationibus, miraculis terrere, atque alios ad bene ſentiendum de Chriſto convertere; alios, à quibus inſana & perverſa opinio depelli non poterat, condemnare; damnatos Magiſtratibus ad pœnam luendam tradere. Ab iis vel perpetuis carceribus macerabantur; multi ignibus addicebantur. Aſſidua hæc & acris inſectatio pleroſque in necem Prædicatorum armavit.

Forte ejus anni Quadrageſimam Petrus Comi, Papiæ alter exercuit: & interim Mediolani conjuratio in eos inita hoc modo. Gluſſianum oppidum eſt, medio fere ſpatio inter Mediolanum & Comum, paulum à recta via diſtans. Hinc non ignobilis familia cognomen in urbe tenet. Eo paucis ante reſurrectionem Chriſti diebus acceſſit Stephanus Confanonerius Aliato vico oriundus, rei conſcius, ſtatimque convenit Manſredum Clironum Gluſſianenſem in horto, ut fit, ſub occaſum Solis diverſantem: *Et quid cenſes?* inquit: *Credentes de Mediolano* (ſic factio perverſa cognominabatur) *tollere è medio Fratrem Petrum Veronenſem, cujus eloquentia & vi dicendi in dies labefactati immininuntur, decreverunt; nam niſi ea ratione vita ſua proſpicere non poſſunt. Quid tibi videtur? Prudenter*, inquit, *faſturos cenſeo. Ergo*, ſubjicit Stephanus, *ambo Mediolanum eamus, & qua negotio neceſſaria ſunt, tranſigamus.* Profecti Guidotum Sacchellam conveniunt, & de re appellant. Is quinque & viginti libras nummûm promptas ſe habere dicit. Inde Jacobum, cui nomen à Cluſa portæ Jovis erat, allocuti, tantumdem pecuniarum paraſſe cognoſcunt: ac inſuper cum Papiam conceſſurum ad alterum hoſtem conficiendum. Ita pacti pretium Stephanus & Manſredus Gluſſianum ad parandum percuſſorem redeunt: moxque Jacobus cum pecunia affuit: numeratas quadraginta libras nummis totidem denariis ratione menſæ deductis, ſacculo obſignant, & Fatio Gluſſianeo ſequeſtri tradunt Manſredo repræſentandas, cum impendens facinus patratum foret. Idem Jacobus Papiam maturat. Manfredus autem Petrum Balſamum, qui Charinus vulgo dicebatur, pecuniæ ſpe propoſita, & magnorum virorum gratificatione declarata, ad necem inviſi hominis invitat. Charinus haud abnuit; ſed ſe ſolum banc operam navare non audere dicit, optareque ſocium. At quem? Albertinum Porrum cognomento Migniſſum è Lentate propinquo vico. At hunc minime adhibendum Manſredus repetit: quia ejus exilio mulctandi auctor ipſe fuerat. *Abſiſto*, inquit Charinus, *metu ipſe: omne periculum, ne tu hujus criminis unquam accuſeris, ego præſtabo: quia neque Albertino, nec cuipiam alii te hæc ſcire dicam. Age ergo*, inquit Manſredus, *vado, &, ut libet, facito.* Sic dimiſſi, Paſchæ ſolemnes dies elabi patiuntur. Tunc Manfredus & Stephanus Comum proficiſcuntur. Nec ita multo poſt Charinus affuit, ſed ſolus, ut qui ex compoſito Albertinum domi reliquerat, ubi commoda occaſio peragendi ſceleris futura videbatur. Ampla inerant nemora & ſolitudo latronibus apta. Triduum morati Comi, ſubinde Charinus à diverſorio ipſo Fratris Petri ſciſcitabatur, quando is digreſſurus, ut Mediolanum peteret, foret. Cumque diſceſſiſſet ante lucem ejus diei; qui primus à Paſcha Sabbatus, & menſis Aprilis ſextus erat, Charinus à Manfredo, ut equum ſunm ſibi accommodaret, quo celerius abeuntem conſequeretur, efflagitavit. Sed eo excuſante, equum manifeſto indicio ſui eſſe poſſe, pedes abiit: & illum conſequutus eo, quo ſocius exſpectabat, loco, gemino vulnere confecere: unum in capite illatum fuit, vaſto hiatu craniu aperto pondere impactæ ſalcis; quæ in duo cornua more lunæ ad cuſpidem creſcens adhuc ſervatur: alterum in humeris, pugione infixo. Simul Dominicum Petri ſocium lethaliter confoſſum juxta mortuum reliquere. Locus, in quo id facinus perpetrarunt, Ferona vocabatur, ſitus inter Barlaſſinam, Boyſiumque, ac Medam, & Seviſum vicos.

Non ita multo poſt ſupervenientes viatores rem atrociſſimam vident; ſpirantem adhuc Dominicum Medam deferunt, ubi is ſexto die penitus defecit. Mox totis finibus fama devolat, virum religioſiſſimum, ejuſque comitem obtruncatos in via Comenſi fuiſſe. Attonita civitas atrocitate ſceleris, aliquantulum ſtetit. Tum miſſis, qui cadaver curarent, ſepeliendum ad urbem retulerunt; & in æde Simpliciani, quæ ſuburbana eſt, tantiſper repoſuerunt: dum poſtero die funebris pompa inſtrueretur; ac per mediam urbem, proſequente omni civium, religioſorumque ordine, ad Euſtorgianum templum, quod ſui Ordinis Fratres tenent, tranſlatum eſt.

Non ita multo poſt, neſcio quo indicio aut ſuſpicione delatus ſicarius Charinus comprehenditur: ad Prætorem Petrum Advocatum, ut cauſam in vinculis dicat, retrahitur. Producta res fuit in decimum diem, quo præter omnium ſpem & opinionem carcere evaſit. Datum in id ingens pretium Prætori, cuſtodibuſque ſuſpicata ſtatim civitas eſt. Et proinde populari tumultu concurſum in Palatium eſt, & direptis opibus, Prætorem ipſum cum tribus Judicibus, & apparitoribus reos fraudis ad Tribunal Archiepiſcopi ſtatuunt, ac Magiſtratu omnino abdicant: ægreque eis vita conceſſa.

Erant tunc forte Mediolani amicarum civitatum Oratores, Papiæ, Placentiæ, Brixiæ. His intercedentibus decimo die Prætura demandatur duobus, Uberto Roncoveteri Placentino, & Martino Conceſio Brixienſi, qui in Idus Majas in Magiſtratu fuerunt. Mox ad unum reſtituta dignitas demandatur Uberto Cacianimico Bononienſi.

Interim alter carnifex Albertinus, non anſus ipſe comparere, Huncelerum patrem ſubmiſit, qui depactam pecuniam à ſponſore Manfredo Olirono repeteret: nam is ſtatim à Fatio ſequeſtre acceperat. Sed is, ſeu amore argenti, ſeu indicium contra ſe metuens, conſtanti vultu negavit, ſe quicquam earum rerum habere: ita, quam merito debuit, humani ſanguinis emptor mercedem retulit.

Deinde unus ex conjuratis Daniel Gluſſianeus, pœnitentia ſceleris ductus, Ordinem defuncti religioſi ingreditur, ſeque totum diſciplinæ ejus dedit, atque

atque ex officio conſcios nominavit. Hinc capti Manfredus & Fatius rem geſtam in vinculis apud Inquiſitores Euſtorgiani Cœnobii enarrarunt. Charinus autem ex fuga Forum Livium ſe contulit, ubi ſacti fui paritet pertæſus eandem religionem ingreditur; & tanta acerbitate ſe ſponte maceravit, ut cœleſtis gratiæ emeritæ, & reconciliati numinis divini manifeſta ſigna viderit; & propterea memoria ejus conſecrata, & marmoreo ſepulchro, quod adhuc exſtat, honeſtata fuit.

Eodem anno pax à Papienſibus, qui Ubertum Marchionem Palavicinum defenſorem ſibi, & civitatis Rectorem paraverant, fracta eſt; & Mediolanenſes indicto eis bello, pontem in Ticino juxta Caſſiolum vicum ſundarunt Septembri menſe, & Octobri abſolverunt. Signa quoque terrifica in cælo apparuerunt.

A. C. 1233. Initio ſequentis anni MCCLIII. Præturam Mediolani ſortitus eſt Manfredus Marchio Lancea, quam quidem triennium continuavit. Eo duce Mediolanenſes injuria Papienſium irritati, exercitum in agrum Laumellinum deducunt; & fines Viglevanenſium populati, Gambolatum illi finitimum cum arce capiunt. Dehinc Mortariam obſident, & auxiliantibus ex fœdere Novarienſibus, muros quatiunt, & foſſam quamvis latam implent: ſic multa vi oppidum captum & ſpoliatum: ſupererat difficilioris operæ arx, & præſidio Palavicini firmata. Ea omiſſa cœptum agi de pace eſt; & ex hoſtili agro copiæ deductæ: credo gravius tunc negotium mente Palavicinus agebat. Nam mox Parmam profectus cum exulum manu, & Cremonenſi auxilio impetum ad ipſa urbis mœnia fecit: excitatoque tumultu, eives diverſa ſentientes arma ſumpſere. Dum hinc inde metus ſuſpenſos homines habet, pax conficitur: dimiſſi captivi; reſtituti exules ad trecentum, & duo de viginti fuere. Et Gibertus Cottigius, qui cum Palavicino ſentiebat, præturam urbis, ejecto Henrico Moguntiaco Mediolanenſi, in ſex annos perpetuos excipit.

Per idem tempus Conradus Neapoli potitur, & ex inſula Sicilia evocat Henricum fratrem, quem veneni Friderico majoris Henrici filio, ac communi nepoti dati ſuſpectum habebat. Vocatus non comparebat: ergo contumaci variæ inſidiæ teenduntur. Et cum inter multa excogitata, nec venena ipſa procederent; quia is non niſi præguſtatos cibos ſumere inſtituerat; demum dato negotio Joan-Moro cubiculi præfecto, ſtrangulari cum curavit.

Interim multa miranda ad ſepulchrum Fratris Petri viſa ſuerunt. Mirificus erat populi concurſus: plurimi vota perſolvebant; ſummaque veneratio omnium animos inceſſerat. Quin receptam cælo animam divinis honoribus decorandam, atque ab ipſo Romano Pontifice ſacrandam cenſent; illuſtremque Legationem deſumpſerunt Leo Peregus Archiepiſcopus, plerique nobiliſſimi cives, & trecenti ex Fraternitate & Sectatoribus defuncti: Italiæque longitudinem emenſi, Innocentium Perufiæ apprehendere; quæ Mediolani facta ſorent, in dieſque agerentur exponunt; & quæ vidiſſent miracula, jurejurando affirmant. Pontifex omnia ad concilium Patrum retulit. Illi ceremonias antelucanas decrevere in primam diem Dominicam Quadrageſimæ, quæ tuoe VII. Idus Martias inchoata erat. Et his recte peractis, Petrum Martyris cognomento addito ex eo, quod recentiſſimo martyrio affectus foret, cælo dicaverunt, templaque & aras poni etiam juſſerunt. Colitur etiam in præſenti præcipua religione; ſed tertium Kalendas Majas ei adſcripſere; ut celebrior anniverſaria ejus memoria mancat: quoniam fidiem cædis, ut pleriſque omnibus factum fuit, ſacraſſent, plerumque meritо honore caruiſſet, cum in Quadrageſimam frequenter incidat, qua Ambroſiana Eccleſia nullum feſtum admittit. Conceſſit præterea Innocentius privilegia & immunitates expiandorum ſcelerum, quo promptius ea Fraternitas ſtipem mendicaret, & largius populi conferrent.

Anno quinquageſimo quarto Conradus fatis raptus inviis, Neapoli moritur, Conradino filio impubi & hærede in Germania ſuperſtite. Petitum vero illum veneno fraude Manfredi fratris, univerſo Regno Apuliæ, Siciliæque inhiantis, plerique ſuſpicati ſunt. A. C. 1254.

Innocentius ſtimulis amicorum impulſus, qui hortabantur, ut Apuliæ Regnum ſaltem ſibi vindicaret, vocavit in Italiam Gulielmum Hollandiæ Comitem, à Germanis Cæſarem deſignatum. Qui pollicitus operam, domeſtico bello prævertitur. Friſones rebellaverant, adverſus quos infeliciter pugnans, pridie Nonas Februarii occiditur. Eaſpe deſtitutus Innocentius Nepotes Gulielmum S. Euſtachii Cardinalem, & Albertum Fliſcum Lavaniæ Comitem exercitibus præfecit, & Neapolitanos fines ingreditur. Admiſſus, ubique dedentibus ſe populis, cuncta brevi in poteſtate habuit. Manfredus quoque ipſe inermis occurrens, peditis officium præſtitit, manu habena equi Pontificis aprehenſa. Cum in urbem Theanum Innocentius perveniſſet, Manfredus hominem illi gratiſſimum Borellum Agnonum interfecit, manuſque irati Pontificis evitans, contulit ſe Luceriam, urbem Saracenis dominatam. Miſſi exercitus ad eum perſequendum, Trojam & Fogiam urbes cepere. Sed hic obſtitit Henricus Sparoriæ Comes Manfredi partium defenſor; acieque decertans fugavit Marchionem Ftamburgenſem, & ejus fratrem, multaque præda potitus curſum victoriæ illorum infregit.

Non ita multo poſt correptus valetudine adverſa Innocentius Neapoli moritur: & Pontificio more elatus, in æde Laurentii ſepelitur. Ex ejus obitu magnus, graviſque mœror omnium animos tenuit, propter ſummas virtutes & decora animi, quæ cum ſumma dignitate conjunxerat; doctiſſimus in primis erudita fovebat ingenia, & manſuetudinem ingenitam nulla fortunæ amplitudine mutavit. Et cum multi ſub eo libros in Philoſophia, Theologiaque ediderint, ipſe volumina compoſuit, quæ univerſa poſteritas Juris Pontificii ſtudioſa aviditſime legit & obſervat. Et ſicuti olim apud priſcos Romanos Flamen Dialis, qui Sacerdotum maximus erat, ſolus galero albo utebatur, ita Innocentius, ut Cardinales, qui ſunt Eccleſiæ Principes, ſoli rubrum galerum, & concolorem ſpiram dependentem haberent, quo illuſtri geſtamine diſtincti à cæteris Epiſcopis internoſcantur, inſtituit. Ei Alexander Quartus genere Anagninus ſuffectus fuit: quem pellere Neapoli Manfredus Regium nomen in Apulis uſurpans patat. Sed is relicta urbis cura Octaviano Cardinali, Ubaldina gente progenito, Romam ſponte proficiſcitur anno LV.

Cum recenti duorum Cæſarum obitu longa diſcordia certaſſent Germani Proceres, quem potiſſimum illi ſufficerent, demum ea dignitas, quæ unum capere conſuevit, duobus defertur, Alfonſo Hiſpaniarum Regi, Ænobarbi ex Philippi filia pronepoti, & Ricardo Cornubienſi Anglorum Regis fratri; quorum gravior contentio, decem & octo ferme annos ſuſpenſos ubique homioum animos habuit. Idque maximo Piſanorum malo contigit, quos Cæſareo favore deſtitutos Florentini, Lucenſes, & Genuenſes communi bello adorti affixere adeo, ut has ſubire conditiones coegerint. Primo ut Lucenſibus Motronum oppidum, & portum reſtituerent; Epiſcopo Lucenſi Montem Tepulum, & quicquid trans Arnum ejuſdem Eccleſiæ tenebant; Bonifacio Marchioni Malaſpinæ Maſſam & Cornariam; Genuenſibus Illicem & Trebianum; Florentinis ingentis pecuniæ creditoribus A. C. 1255.

Ri-

Ripam Fractam, oppidum tamdiu poſſidendum relinquereot, quoad æri alieno ſatisfactum foret: item ut arcem juxta fluvium Heram exſtructam diruerent, nec conſtituendi amplius jus foret.

A.C. 1256. Anno quinquageſimo ſexto, Prætore Mediolani Henrico Sacco gravis cum populo Comenſi orta diſcordia eſt: cujuſmodi ea fuerit, haud ſane accepi. Tantum traditur Henricum ipſum ab urbe profugiſſe, & Magiſtratu abdicatum fuiſſe, atque in ejus locum ſuffectum Bennum Gozadinum Bononienſem, qui paulo ante exigendis vectigalibus, publiciſque oneribus præfectus fuerat. Idque adeo ægre tulerunt Capitanei & Valvaſſores, ut ſequenti anno cum inviſi hominis conſpectum ferre nollent, A.C. 1257. catervatim abirent; & Caſtro Seprio occupato, hoſtiles animos adverſus patriam oſtenderint. Leo quoque Peregus Archiepiſcopus Variſium ſe contulit. Plebs urbana hoſtes illos judicat; & dato Prætori exercitu Caſtrum Seprium obſidet. Auxilia obſeſſis à Como venere. Jamque prope erant, ut prælio ſeſe conficerent, cum interceſſere pacis ſequeſtres amicæ civitates. Communicandorum conſiliorum gratia Oratores Mediolani alebant Brixia, Bergomum, Crema, Novaria, Papia, Luca: aderat & Ægidius Comes Curtis novæ; quorum interceſſione induciæ certamini datæ ſunt; & controverſia ad arbitrium Pontificis rejecta: interim profugis reditus in urbem conceſſus. Sed eo beneficio Leo Peregus uti non potuit, qui ex Febri Legnanum delatus, pridie Idus Octobris deceſſit. Ex cujus obitu quinquennium fere ſedes Epiſcopalis vacavit.

Eodem anno Incilis foſſa, quæ Ticino derivata, late agros irrigat, cum negligentia curatorum limum contraxiſſet, & oppleta arena foret, repurgata eſt, & priſtina aquarum abundantia reſtituta.

A.C. 1258. Cumque nullum ſtudium à concilianda pace remiſſum foret, tandem ineunte Aprilis anni quinquageſimi octavi, coactis in Cœnobio Ambroſiano primoribus ambarum factionum, in has conditiones convenit: *Ut in eligendis Conſiliariis Reip. & Magiſtratibus creandis, paria forent hinc inde ſuffragia, admitterenturque ad honores æque nobiles, ac plebeji: Alberto Mandello, Henrico Muzano, & Petro Buſca ſignanter, & in univerſum cæteris exulibus reditus in patriam paterit: Pax antiqua & recens contracta cum Comenſibus rata maneat, & damna eis poſt induciias Parabiagi initas illata, vel reſtitutione bonorum, qua comparant, vel æſtimatione reſarciantur: Idemque erga Novarienſes, modo eadem civitates idem juris erga Mediolanenſem ſervent: Nulli fraudi eſſe populo Seprienſi, Variſienſi, Anglericuſi, & cuicumque alii eo nomine, quod fautores partium nobilitatis fuerint: Andreas Maynerius cum Barifaldo filio invitus non dimittito earum terrarum juris Marchionis Montisferrati, quas tenet, poſſeſſionem, niſi credita pecunia recuperata: Petitionem Marci Craſſi, & Leonardi Vicecomitis Conſilium videto: Res ereptas Bertolo Putebonello, poſteaquam nobilitas urbe ceſſit, æſtimatione facta, reſarciunto: Capitanei quoque Arſagi veteris impenſæ pontis Vaprii tandem ſatisfiunto: Oppido Canturio perpetua, abſolutaque immunitas eſto, extra ducentas libras Capitaneis & Valvaſſoribus quotannis prabendas, ut hi deinde onera, ſi qua populo incumbent, ſuſtineant.* His ita conſtitutis rei nomen ex loco manſit Pacis S. Ambroſii: eam coſecere duo Prætores ambo Placentini, qui forte eodem tempore juri dicundo præfuere, Philippus Vicedominus, & Ricardus Fontana. Sex vero & viginti ex factione Nobilium, tres ſupra nominati Maynerius, Craſſus, & Purcobonellus; & totidem Gulielmi, Serazonus, Lampugnanus, & Balbus; totidem Alberti, Cacia, Caſtillioneus, & Blancus, & Soreſinas; duo Guidones Petraſancta, & Bebulcus: præter eos Amizo Buſtus, Obizo Vicecomes, Martius Carcanus, Burgarus Puſterla, Boccaſius Boſſius, Actius Pirovcoeus, Conradus Beſutius, Jacobus Scacabaronus, Ruffinus Mandellus, Tertiagus Garzola, & Bernardigius. Ex adverſa parte triplex factio erat, Mota, Credentia, & Populus. Nomina vero familiarum, Aliates, Marcellini, Cuticæ, Cittadini, Medæ, Malcalzati, Hermenulphi, Preuloni, Surigoni, Mirabiliæ, Scantii, & qui à Cruce denominantur. Sed eas conditiones haud diu ſervavere plebeji: iterumque irritati Capitanei & Valvaſſores correptis armis urbe egrediuntur, tractum Comenſem petunt, Canturio ineluſi Poteſtatem ſibi creant Paulum Soreſinatem; continnoque Ruſconi cum valida manu eis adhæſere: miſſique nuntii ad amicos, qui ex Papia, Novaria, Cremona novas copias adducerent. Quarum fama populus exercitum conſcribit, & duobus prænominatis Prætoribus addito tertio Capello Lavizario, Vertematum petit. Hic poſitis caſtris, obvii hoſtes facti ſunt, & cruento utrinque prælio certatum. Cum neutri cederent, mentio pacis illata eſt. Cum confici in caſtris non poſſe videretur, miſſi Comum Oratores: ibi quoque fruſtra actum. Venere ergo Canturium, ſed dolos tendi à plebejis Nobiles cognoſcunt, eruptionemque ex oppido faciunt, & capto ponte, per quem commeatus ad hoſtes ducebantur, eos in Prato Pagano ſimillimos obſeſſis habuere. Nec ita multo poſt neceſſitate & inopia rerum adducti plebeji ad æquas conditiones deſcendere: paxque Ambroſiana revocata.

Interim pares furiæ civitatem Novariam agitabant; duæ factiones invicem adverſæ nomina mutaverant. *Sanguinea* vocabatur, in qua Bruſati & Lambertengi plurimum poterant; *Rotundos* ſeſe Torniellı appellabant. Cum ergo anno ſuperiori nonnulli ex Sanguineis ſtricto ferro aggreſſi Joannem Torniellum forent, iſque à ſuis defenſus Rotundos in arma vocaſſet, ingens tumultus factus eſt, & non paucorum cæde edita, fugati ex urbe adverſarii ſunt cum Prætore Acurſio Niguarda. Nunc autem anno fere interjecto Sanguinei reparatis viribus, & inita cum plebe conſpiratione, detentis per fraudem Torniellis, & ſub ſpecie componendæ pacis in urbem intromiſſi ſunt.

Ubertus vero Palavicinus retenta Cremona, ſuperioribus annis Placentiæ & Papiæ dominium amiſerat: nunc rurſum eiſdem urbibus imperare cœpit. Tum ab Actiolino Romano invitatus cum Boſio Doaria ad bellum adverſus Brixienſes ſuſceptum perrexit; & copiis circa ripas Ollii fluvii emiſſis, duo oppida occupavit. Occurrerunt vahda cum manu adverſarii, quorum Duces memorantur Philippus Fontana nobili Ferrarienſium familia ortus, qui Ravennatis Eccleſiæ Autiſtes Pontificium Legatum agebat; tum novus deſignatus Veronenſium Epiſcopus Beagminus Cumnas & Prætor Mantuanus. Sed hi primo hoſtium adſpectu conturbati, ne telo quidem emiſſo, in fugam averſi ſunt: ſed capti, & in poteſtatem hoſtium ducti, eo plenorem victoriam illis fecere: & Brixia in jus trium virorum venit. Ubi dum ſine ulla ſuſpicione viverent, Actiolinus, ut erat verſuto & callido ingenio, Palavicinum, cujus longe firmiores quam Doariæ opes non ignorabat, ſeorſum compellat, *Num quem in Cremonenſi haberet, qui votis & imperiis obſiſtere poſſet? Non*, inquit ille, *hoc uno dumtaxat excepto;* Boſium Doariam ſignificans. *Quin ergo*, ait Actiolinus, *eum tollis, ac ſine æmulo regnas?* Haud improbare propoſita Palavicinus; ſed è re communi tunc eſſe non viſum eſt, gravius in illum agere, quam per ſpeciem honoris procul domo detinere. Sic illi Præturam Veronenſem Actiolinus defert, non ſine blandimentis & inuſitato verborum lenocinio. Utrum-

trumque illi & non quæſiti honoris novitas, & blandius alloquium ſuſpicionem latentis doli injecit: & recuſata Prætura numquam poſtea niſi armatus & caterva juvenum ſtipatus Boſius in Actiolini conſpectum venit: quin Palavicinum, quid periculi ab infido ſocio & fallaci homine ambobus immineret, emonet; & ut uterque eo conſilio uteretur, auctor fuit, *Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.* Sic relicta ei uni Brixia, ipſi Cremonam rediere, ubi dolos & verſutias illius ſecum reputantes, ſumma odia, ſummamque inimicitiam ab eo induxerunt: quam ita exercuerunt, ut pernicialia illa nomina Gibellini, Guelphique, quæ longa deſuetudine pene in oblivionem abierant, excitata denuo ſint, ac quidam crediderunt tum primum orta.

A. C. 1239. Subeunte inter hæc nono & quinquageſimo anno, Prætorum Mediolanenſem ſex menſes tenuit Fedrigellus Galicienſius Ceſennas. Quo auctore pridie Idus Januarii lata populo conſentiente lex eſt, *Ut ſi cui injuria clanculum vers inferatur, univerſa plebs ejus vici teneatur auctorem maleficii deferre, vel magis ad tribunal Prætoris reum ſtatuere; aut omnino damnum emendare.* Quæ quidem ut tuta viatoribus itinera, & nobilibus in rure mora fit, excogitata res eſt, & per ſucceſſores in præſentem diem continuata; magno quidem plerumque ſolatio eorum, qui detrimenta acceperunt, ſed & pari ſæpe agricolarum miſerorum diſcrimine, quos inſontes falſi calumniatores, & commoditate legis abutentes, fraude circumvenere, & totis fundis, ut ipſi ditarentur, evertere.

Menſe deinde Aprili publicum civitatis Concilium habitum eſt, quod Credentiæ dicitur, idque in templo Theclæ, (exſtabat enim veteſtiſſima, pulcherrimaque ædes in medio urbis) in quo poſt varias hominum contentiones & diverſa ſtudia, tandem numero ſuffragiorum longe ſuperior evaſit Vir antiquæ ſtirpis, & multis locis ſupra à nobis celebratæ, Martinus Turrianus: unuſque is declaratus eſt, penes quem omnis Reip. cura adminiſtraretur. Cumque in populi & Credentiæ commoda juraſſet, & ſtipatus armata juventute domum rediret, illi ceu Dictatori Actiolinum Marcellinum, titulo Anciani, velut Magiſtrum equitum adjunxere. Sed duorum honore minime contenta reliqua civitas pluriſariam ſcinditur. Nimium auctoritatis Turriano conceſſum Nobiles videbant; & poſſe hunc unius Principatum facile in Tyrannidem verti. Sic, ut diverſa ſentiebant, arcana colloquia & nocturnas congregationes habere; mox in apertum venire; & prælatis vexillis, quem quæque turma coleret, oſtendere. Hi Turriano, aut Marcellino; illi Gulielmo Soreſinati, aut Mandellis, & Horumbellis ſtudebant. Alia pars Communitatis nomen jactabat.

Exacta inter hæc Prætura Fedrigelli eſt. Ei ſucceſſit Petrus Advocatus Novocomenſis, ille idem arbitror, qui ub neglectam interfectorum Divi Petri Martyris cuſtodiam, maxima cum ignominia ejectus eodem Magiſtratu fuerat: ſed nec nunc quoque in eo perſeveravit. Nam vocatus ad Piſanum, eo tranſivit. Ergo in ejus locum ſufficitus eſt Patutius Conceſſius Brixienſis. Sub quo diſcordante utique civitate, & Turriano impellente, per Septembrem menſem dies dicta Gulielmo Soreſinati, pariterque illius filio.

Interea peſtilentia urbem, & ſimul fames invaſit: cumque graviter laboraretur, paſſim mortui cadebant, ſineque ullo funeris honore ſepeliebantur.

Cæterum ſicuti Actiolinus Romanus hoc anno Brixia potitus eſt, ita ſuperiori Patavium per defectionem civium amiſerat: inaudita Tyranni cum quolibet Antiquorum comparandi ſævitia, & intoleranda crudelitas ultimam in deſperationem homines egerat. Neſcio minuſne fidei, an plus admirationis, commiſerationiſque ſimul habitura ſint, ſi quæ Rolandinus Patavinus per ſingulos annos in vita illius tradit, hic breviter complexus fuero. Nam cum jam non ſufficeret omnia crimina capitalia habere, & leviſſima quæque ex cauſſa ſingulos excruciare, à quibus nec domeſticos, nec familiares exceptos habuit; (ſiquidem & Medicum, à quo ipſe luxatus humerum curatus fuerat, & Rizardum Parmenſem à cubiculari ſeptemdecim annorum officio ad Equeſtrem dignitatem promotum, & Carnarolum ditiſſimum Veronenſem, ſæpius menſa dignatum, cum ejus fratre Felice Magiſtro ordinis Alemannorum, nullis evidentibus cauſis excruciatos dilaniavit) inſtitit turmatim homines occidere, occiſorum cadavera Patavium devehere, atque ſtructo rogo comburere. Ut in mortuos etiam ſævire didiciſſe cognoſceretur. Nepotem ex ſorore habuit Anſedeſium Guidotum, virum nullum ſceleris genus abhorrentem, & propter morum ſimilitudinem pergratum. Hunc Patavinis Prætorem dedit. Ad hunc delatum fuit, quempiam in atrio viſo accipitre illos concinuiſſe verſiculos:

Accipitrem milvi puliorum bella columbæ
Accipiunt Regem: Rex magis hoſte nocet.

homo nequiſſimus interpretatus id in contumeliam Principis, non ſolum cum, qui cecinerat, ſed & cunctos, qui audiverant, in carcerem detruſit; atque in primis Bonaventuram Caranzonum, quem Vicarium juri dicundo ipſe deſtinaverat, & Notarios, & quotquot alii circa Tribunal tunc affuerant, ac eorum conjuges & liberos: quibus cum gravora nunciarentur, convere frequentes propinqui & affines ad Actiolinum pro innoxia multitudine interceſſum. Id quod ſentiens Actiolinus, immiſſis ſatellitibus cunctos à petitione deterruit. Mox uxorem ducens Beatricem claram & honeſtæ formæ virginem, (Bontravorſii Caſtronovi filia ea erat) ſupplicio & ſanguine miſerrimorum eas nuptias celebres & illuſtres fecit. Defectione Patavina cum exercitum Veronæ pararet, ſciſcitatus, quid clauſi carceribus loquerentur (plurimos namque variis in locis habebat) audivit nonnullos dixiſſe, irritum futuram quamcumque adverſus eam urbem ſuſciperet expeditionem, & cuidam exploranti excidiſſe ſortem:

Stat grandi damno, nec erit victoria noſtris;

eos omnes, & qui audiviſſent laqueo ſuſpendit. Deinde clauſis urbis portis, vocavit in unum multitudinem, & ceu de ſummis rebus conſulturus, ut ſine armis venirent, monuit. In his maxima pars, ad undecim millium capitum, Patavini nominis erat, & cum eo in caſtris militaverat. De quibus quid ageret amicos conſulens, cum alii alia reſpondiſſent, & quidam retinendos omnino cenſuiſſent, ne tranſeundi ad hoſtes poteſtatem haberent: ipſe uno edicto necari juſſit: ſubtractiſque alimentis, alios inedia & frigore, alios peſtilentia injecta ad mortem compulit; & ſi qui diutius ſupervixere, eos gladio, igni, laqueo abſumpſit: plurima alia injuſte, crudeliterque facta ejus memorat idem Rolandinus, adeo ut nullum pene exire diem videas, quin ſicuti olim Titus Veſpaſianus amicum comparabat, ita hic alicui injuriam non intulerit. Denique Pontificiis decretis Chriſtiano cœtu eliminatus, quotannis in Cœna Domini inter impios, ſceleratoſque nominabatur.

Noviſſime conſpiravere in eum finitimæ civitates Patavium, Venetiæ, Mantua, Ferraria, nonnullique alii populi, deſignatique futuræ expeditionis Duces Ubertus Palavicinus, Boſius Doaria, & Actius Eſtenſis, vir Actiolino ob perfidiam & erepta oppida longe infenſiſſimus: tum à Romano Pontifice novus Legatus Henricus genere Britannus, dignitate Archiepiſcopus Epebrodunenſis: eſt autem Epebrodunum una ex civitatibus

Cottianis, ut ſupra auctore Ammiano Marcellino
documus. Acceſſit his Marinus Turrianus amplæ
urbis Mediolani opes, vireſque prætendens. Quæ
ſocietas ut firmior foret, conſopita fuit vetus con-
troverſia, quæ diu inter duas urbes Mediolanum
& Cremonam cauſſa oppidi Cremæ viguerat. Ad
Actiolinum vero confugerant exules Mediolanen-
ſes, illique opes & auxilia pollicentur. Et quia
illum agere videbant de Hiſpano Rege, qui Cæ-
ſar deſignatus erat, in Italiam evocando, favorem
ſuum peropportunum oſtenderunt ad parandam illi
ferream Coronam, qui præcipuus in Longobardia
regnaturis honor habetur: reducat ſe modo in pa-
triam, & ab maxima injuria ſe vindicet; obſideſ-
que filios, ut de fide ſua cautior ſit, accipiat. Hæc
dum aguntur, adverſarii contractis in Mantuano
copiis, prædatum excurrunt in agrum Vicenti-
num, Friolamque in confinio Baſſiani capiunt.

Advolavit eo conſeſtim Actiolinus, & fugatis ho-
ſtibus, oppidum recuperat; ſtque in furias ſolitas
elapſus, in omne genus hominum ſæviit; nullius
ætas, ſexus, conditio incolumem quemquam præ-
ſtitit: non religione Sacris, non Sacerdotiis inſi-
gnes impias manus evaſere: quin Chriſti quoque Dei
imago violata eſt. Tum dictitans, ſe profecturum
ad expeditionem, qua poſt Carolum Magnum nec
major, nec clarior viſa ſit, in Inſubres iter cepit;
fretus per diſcordias civium ſe Mediolano urbe po-
ſſiturum. Sed in hujus exitus præſagium verſum ſu-
it, quod pridie Kal. Februarias per quietem ſe vi-
diſſe narravit. Somniaverat enim, ſe ex diuturna
venatione feſſum juſſiſſe parari cœnam in propin-
qua villa; miniſtros perperam excepto mandato in-
ſtruxiſſe menſam procul inde centum millibus paſ-
ſuum. Opiparæ erant epulæ, & Regalibus condi-
mentis optabiles; ſed ipſe jejunus & ſiccis fauci-
bus eſuriens, niſi immenſum adhuc ſpatium peram-
bularet, eas ſe aſſequi non poſſe videbat: quocir-
ca furens & indignabundus in ſervos inſurgit, &
catenas, vinculaque, ac tormenta intentans expergi-
ſcitur, diu deſiderio ſuo fruſtratus. Receſſit autem
Brixis exeunte Auguſto, hora à Mathematicis, quos
ſecum ſemper habebat, indicta. Ex itinere Vice-
os oppidum tentat; ſed loci munitione deterritus,
agro tantum circa evaſtato, ad Ollium fluvium feſ-
tinat, & juxta Palatiolum tranſit. Ejus motibus
auditis ſocii Turrianum exciverant. Iique ad Caſ-
ſianum Adduam, quo in Cremonenſem facilius tra-
jiceret, ponte junxit. Et cum Soncini, quod clariſ-
ſimum oppidum eſt, idem copias haberet; Actio-
linus, vado paulum ſupra Caſſianum invento, Ad-
duam tranſivit; & in latos Mediolanenſium cam-
pos effuſus, Vicummercatum opulens oppidum, &
Buſſerum, ac Peſſanum vicos occupavit. Et ut eo
principio famam elementiæ & liberalitatis colli-
geret, nihil prædæ fieri permiſit: Moguntiamque
tentat: recuſantem imperata facere obſidet, tor-
mentiſque & cædibus captivorum territat. Interim-
que exules in urbem progreſſi, amicorum animos ad
res novas impulerant. Sed ſuperventu Turriani,
qui de inopinato Actiolini tranſitu certior factus,
celeriter cis Adduam copias reduxerat, omnia com-
preſſa ſunt. Sicque cum non procederent in urbe ea,
quæ agitaverat Actiolinus, animo conſternitur: &
veluti proditus ab iis, quorum in auxilium vene-
rat, in rabiem vertitur, & igni ferroque, quic-
quid poteſt, fœdat. Repulſus Moguntia, Tritium
ducit: ſed hic quoque ſpectavit arcem, non cepit;
cum inexpugnabilem ex ſitu, operæque cerneret,
ſubjecta ædificia incendit. Et inde digreſſus, Caſ-
ſiani pontem debellato præſidio, occupat; atqui
eundem Marchio Eſtenſis, qui adverſam ripam te-
nebat, accitis incolarum naviculis, & equitatu à ter-
ra diſpoſito, & citeriori ex parte urgente Turriano,
qui populum Mediolanenſium ſub ſignis habebat,
pontem recuperat. Inſtaurabat prælium Actiolinus,
& ferocius pugnans, Ducisque & militis officium pa-
riter faciens, ſiniſtro in erure ſagitta trajicitur; hæ-
ſitque alte oſſibus ferrum: tulit ſine doloris ſigno id
aliquandiu, ſed mox cecinit receptui: & Vicum-
mercatum reverſus, vulnus obligat, milites curare
corpora jubet, infeſta terra digreſſurus. Sed obſer-
vabatur ab hoſtibus, ceu incluſa retibus fera: ita-
que tranſvadata Addua, hoſtes, qui circumfuſi
omnia obſervabant, non fefellit: ſed illorum acies
ſpectans, modicum hæſit ambiguus. Interim Bri-
xiana manus, quæ eum ſecuta fuerat, ad Turria-
num tranſit. Quorum defectione nihil moveri fin-
gens, exclamavit veteri proverbio, *Brixianos fi-
dem in lacuna gerere:* ſed mox reliquus quoque ex-
ercitus animo & ſolita alacritate defecit. Stupidi
& hæſitabundi ſine prælio capi ſe, & omnia ſua
in prædam ſinebant. Sic Actiolinus quoque ipſe in
poteſtatem hoſtium cedens, *Heu*, inquit, *Caſſan,
Aſſan, Baſſan:* recordatus ex propinquæ arcis Caſ-
ſiani nomine id genus definentia loca fatalia ſibi
olim ab aſtrorum peritis dictum fuiſſe: ſic captus
cum teneretur, & cætera multitudo contumeliis,
opprobriiſque, ceu ſævum, crudeliſſimumque Ty-
rannum inceſſeret, quidam ruſticus clanculum
pone acceſſit, & telo in caput percuſſit, injuriæ
fratris ultor, quem is olim uno pede mutilaverat.
Ejus mox vicem miſerti Duces, eum in tentorium
Roſii Doriæ deducunt: inde Soncinum perdu-
cto, & honorifice hoſpitato, Medicos curandis
vulneribus adhibent: ſed ſive gravitate morbi, ſi-
ve mœrore amiſſarum rerum, & deſperatione re-
cuperandæ dignitatis actus, & remedia & cibum
reſpuit; atque ita undecimo die, ex quo captus
fuit, qui IV. Kal. Octobris contigit, vitalibus de-
fectus expiravit; celebrique funere & pompa fe-
re Regali ſepultus eſt.

Ejus capti primo, dein mortui fama grata adeo,
optabiliſque univerſo orbi fuit; ut primo vix cre-
dere homines, dein hæſitare metu, ne vel laxare-
tur, cum adhuc viveret, vel defunctus reviviſce-
ret. Poſtea vero quam ſepultum fuiſſe affirmatum
eſt, populi ſumma lætitia perfuſi, de exuenda pe-
nitus tyrannide, reſtaurandiſque ſacris, quibus
diutius caruerant, ſtatuerunt. Albricus ſane illius
frater, & ſcelerum conſcius, ut pelleretur urbe
Tarviſio non exſpectavit; ſed in montana ſe ab-
ripiens, quicquid ex tempore potuit, abſtulit.
Tuncque in ſedem rediit Albertus ejus urbis Epi-
ſcopus utrique Tyranno infenſus. Carrotium quo-
que, quod XVI. annis intermiſſum fuerat, & pro-
de pulvere & carie ſqualebat, reſtauratum eſt. Ve-
ronæ opulens civis Maffinus Scaliger Præturam ad-
eptus, tanto populi cum favore vixit, ut continua-
tus ei fuerit per biennium Magiſtratus: moxque
Capitaneus creatus, perpetuum ſe dominum fece-
rit. Vicentia Actiolinano milite preſſa, exercitum
Patavinorum exſpectavit: ſed tertio die poſt, clam
cunctis diffugientibus, libera manſit. Idem in cæ-
teris urbibus, oppidiſque factitatum. Et ſupplica-
tiones multorum dierum actæ.

Interea Mediolani quoque Martinus Turrianus,
reducto domum exercitu victore, & præda opu-
lento, clarior, potentiorque evaſerat. Jam uti,
ceu domino, cuncti in civitate parere, aut ejus
ſententiæ refragari non audere; ipſe vero ex Cre-
dentiæ Conſilio nihil amplius agere; nihil cum aliis
communicare; omnia ad arbitrium facere, admi-
ſtrareque, quoſque ſuſpectos, aut inviſos habebat,
eos fere omnes bonis & patria mulctat. Pulſi magna
pars Laudem ſe conferunt, & à Summaripis, quæ
familia nec inops, nec ignobilis erat, excepti, pau-
lo benignius tractantur. Periculoſum id ſibi exiſti-
mans Turrianus, cum inimicos longius finibus fum-
motos vellet, exercitum conſcribit, agrumque Lau-
denſem

Digitized by Google

denſem ingreſſus populatur, & graviora ſubinde minatur, ni ſtatim oppido adverſarii pellantur. Cives vero non ſolum hoc, quod petebatur, efficere, ſed & apertis portis Principem intromiſere Turrianum; eique urbis dominium detulere.

Cujus rebus compoſitis Martinus, ut nobilitatem Mediolanenſem duce veluti capite privaret, avertere ab eis Paulum Soreſinatem inſtituit. Illius ſoror Turriano nupta erat: per eam ergo hominem aggreditur, blandimenta, preceſque adhibet; jura affinitatis commemorat, tum magna polliciendo evicit, ne ſurgentem mariti potentiam univerſum quandoque genus illuſtraturam, vel infringere conaretur, vel impediret. Igitur Soreſinas, ex iis, quæ ejus fidei credita erant, quædam remiſſius agere, alia conniventibus, ut ajunt, oculis diſſimulare, prætermittereve: cum manifeſtam conſpicati negligentiam Patricii hominem deſtituunt, ſeque in tutelam Jordani Ruſconi, qui in Comenſibus potentiſſimus erat, conferunt. Qua ex re commota plebs Mediolanenſis voluntati, imperiiſque Turriani intentius obſequitur, ejuſque potentiam auget. Ille vero, ut peregrina etiam ope rem ſuam firmiorem faceret, Ubertum Palavicinum fœdere ſibi adjungit, & quinquennale ſtipendium pactus, ad ſe accivit. Is vero, ut ſecuriori animo abeſſet, duas Parmenſium factiones in unam ſententiam redegit; Gibertumque Corrigium ſeptimo jam anno Præturam urbis continuantem depulit Magiſtratu: & compoſita ad arbitrium Rep. Mediolanum proficiſcitur: ubi III. Idus Novembris maxima hominum lætitia & plauſu exceptus fuit.

Tum dies dicta fratri Rainerio, cujus concionibus taxatus acerbe ſæpius fuerat, quem Placentinum illum eſſe cenſeo, in cujus pariter & Petri Martyris necem conjuratum ſupra fuiſſe oſtendimus. Acres enim Religionis Chriſtianæ aſſertores nec parcere Principibus, quos ab æquo & juſto aberrare cognoverint, ſolent; & ſupervixiſſe nonnullos annos poſt Petri obitum Rainerium legi.

Cæterum Turrianus, cum ea fere cum Palavicino communicaret, quæ ad ſtabiliendum Regnum & proferendos fines pertinerent; Palavicinus, ut erat ingenio acri & exercitato, contemplatus reliqua urbis commoda, & civium multitudinem, atque induſtriam, dixit, facile Regnum Mediolani conſtitui poſſe, ſi ſumma rerum penes unum foret, qui inteſtinas diſcordias & ſeditiones colubere, & Plebem, & Patricios aſſiduis ab certaminibus arcere ſciret. Quo ſermone incenſus Turrianus, Credentiam populi in totam ſuſtulit, negotiaque publica pro arbitrio adminiſtravit.

A. C. 1160. Inter hæc annus ſexageſimus ſupra mille & ducentum ſubiit. Eoque nova quædam Religio ab Hetruſcis ad Longobardos defluxit. Auditam Peruſiæ cælitus vocem ferunt, eam urbem brevi interiturum, niſi hæc ſacra ſubinde fierent. Nudi terga ſe ipſos flagellis verberabant, & flebili voce, inconditiſque hymnis pacem à Deo quærentes triduum peregrinabantur: oblitique injuriarum populi, & odiorum, in amorem & mutuam benevolentiam conciliabantur: & quaſi novo quodam vinculo adſtricti, religioſius divinum numen colebant: deſcendentes ab Apennino recepti fuere Bononiæ, Mantuæ, Parmæ, &c, quod legam, Ticini. Cremona vero & Novaria penitus excluſi: Mediolani quoque capitalis pœna promulgata in eos eſt, qui finibus pedem inferrent.

Novariæ autem interea gliſcebat diſcordia civium. Tornielli, ut in patriam redirent, peregrinum auxilium comparaverant: obverſabatur ea tempeſtate finibus vir quidam inſigni corporis & animi ferocitate: Aymerico nomen fuit; Rabiæ cognomen inciviles & feri mores fecerant. Jacobum Cruſmalam vocitatum patrem tradunt. Is Rabia auſpiciis olim magnorum Principum, Francorum Regis, Ducis Sabaudiæ, Marchionis Montiſferrati, & Vercellenſium ſtipendia fecerat, copiarumque ordines duxerat. Huic igitur Tornielli ſe applicant, & eo ductore redituri in patriam moliuntur: opponunt ſe conatibus illorum Sanguinei, & commiſſo apud Guilengum vicum prælio, multos ſuorum amiſere. Jamque profligati deſperata ſalute, diffugiebant, cum incerto caſu occubuiſſe Aymericum intellexere. Ex quo reſumptis animis, viribuſque, urbem rurſus tenuerunt. Et Tornielli fruſtrati victoria, quam pene manibus jam tenebant, in exilium iterum abiere. Tanti momenti fuit unius viri mors, vitaque.

Eodem tempore fœderatæ civitates, quarum cervicibus adhuc imminebant invitæ Actiolini reliquiæ, & populando fines ſceleratam illius memoriam ſubinde refricabant, tollendas, exſtinguendaſque penitus decreverunt. Albricus erat ejus frater, qui ab arce Sancti Zenonis in ſubjectos agros excurrebat. Igitur communibus impenſis exercitum conſcribunt, oppidumque circundant: in tertium menſem ſuſtentata obſidio fuit. Id quod opera & diligentia Meſæ architecti nobilis factum fuiſſe creditum eſt: ſiquidem ejus mox ad hoſtes tranſitu ſpes omnes obſeſſorum cecidere: & Albricus animum penitus deſpondens in penitiorem turrim Margaritam uxorem, liberoſque, quorum ſex mares, duæ fœminæ erant, vocavit; ac extremam, fatalemque, diem adeſſe confeſſus, illos, ut viverent, hortatus eſt: caput enim ſuum haud dubie ab hoſtibus peti. Inde ad amicos converſus; *Quando*, inquit, *eo ſita ſunt res noſtra, ut hoſtium manus evadere non poſſimus; in meque & fratris memoriam omnis belli hujus flamma exardeat; accipite infelicem animam, & illas me dedite, ut diuturna multorum ſitis meo tandem ſanguine exſtinguatur. Vos meliora fortuna & rebus, ſi lucuerit, ſervate ſecundis. Unum equidem optaverim. Intercedit mihi affinitas cum Marchione Eſtenſi; ejus filio Rainaldo Adheletam filiam matrimonio junxi: & quidem id etiam non volente & reluctante Actiolino: credo, ut calamitate humanum animum jura ſanguinis tangent; & ſi qua in me duriora ab adverſariis decreta ſunt, emollient. Huic ergo curate, ut tradar.* Tunc oppidani rebus conſulentes, ab arce deditionis ſigna exponunt; colloquium petunt: quo impetrato, ſalutem & res, ut ſalvæ forent, paciſcuntur; Albricum cum uxore, & liberis, ac auro, & multorum damno congeſtis opibus tradunt. Homini ſtatim tranſverſum in os lignum indidit Marcus Badocrius Tarviſinorum Prætor; ſicque in triumphum per caſtra ſpectandum circumduxit; tum tormentis excruciatum neci cum filiis addixit; uxorem & filiam igni combuſſit: ſicque nocentiſſimum hominum genus VI. Kal. Septembris exſtinctum in univerſo eſt.

Anno ſexageſimo primo Prætura urbis Mediolani, gratia Uberti Palavicini defertur Gulielmo ejus gentili ex Scipione oppido. Nobilitas vero Mediolanenſis, quæ patria pulſa erat, haud quieſcere, agros urbi propinquos populari, vicos diripere, infeſta omnia longe, lateque facere. Contra Turrianus ſumptis armis, quantum poſſet, à maleficiis arcere; ſi qui in poteſtatem venirent, quo cæteris exemplo eſſent, male mulctare. Illi ex fuga Bergomum ſe recipiebant, atque ex fœdere auxilia, & commeatus impetrabant: quibus auctі per Aprilem menſem eis Adduam veniunt, Lagurtum vicum deprædantur. Scipioneus Prætor cum populo trium portarum Orientalis, Novæ, & Ticinenſis deſequutus abeuntes Tritium uſque & Vaprium contendit: ſed hoſte non invento, domum copias reducit.

A. C. 1161.

Tunc miſſi nuntii Bergomum ad repetendas res, & nova cum Turriano, urbanaque plebe fœdera iterunda, cum quibus undecim Oratores à Bergomo venere, reſartionem damnorum, æſtimatione facta pollicen-

tes, & exules amplius in finibus Bergomatibus tutam manſionem non habituros. Hiſque cognitis, Mediolanenſis nobilitas, relictis inconſtantibus amicis, incolas lacui Eupili imminentes, & quos Lambrus & Addua intercludunt, (Briantiæ nomen eſt) ſe recipiunt, & nota Tabiagi arce conduntur; multoque frumento & vino complent, ut copia commeatuum in primis ſuppeditaret. Tunc ambo Palavicini Prætor & Ubertus, delectu ex urbe facto, exercitum adverſus eos ducunt, compulſoſque in arcem obſident; tormenta frangendis muris adhibent: & quamquam nulla ſpes, nec fugæ, nec auxilii eſſet, tamen ad nullam pacis mentionem prius deſcendere, quam deſectu aquæ viderunt, aut ſibi inopia moriendum, aut in manus hoſtium veniendum eſſe. Sic Palavicini arbitrio depoſitis armis ſe permittunt, vitam tantum rogantes: ſed eos Turrianus carceribus & variis tormentis addicit; arcemque demolitur. Qua facti atrocitate territi cæteri, qui in urbe ſupererant, Patricii, longius à patria concedere, & inopiam perferre potius, quam tyranni ſævas manus, & ſuo ſimul ſanguine imbutas ſpectare, decreverunt. Alii que Parmam & Rhegium, partim Mantuam, alaſque in urbes abiere: quingenti & eo amplius propriis impenſis equo meruerant, cæterorum ingens numerus, qui tamen virtute & amicorum beneficio ita calamitatem ſuſtinebant, ut etiam adverſarios domi regnantes, parum quietos ſinerent.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XVI.

EPITOME.

Othone Vicecomite ab Urbano Pontifice IV. Mediolanenſibus prælato, veteres Patriciorum & Popularium diſcordia juveneſcunt. Martinus populi princeps Vicecomitum agros & ditiones, nunc fame modicas, invadit; & Othonem Arona potium perſecutus, fugere cogit diſſimulata perſona: morti proximus principatum urbis Laudæ & Novariæ ditione auctum, tamquam avitum, Philippo fratri commiſit: à quo mox in Telinam vallem, & in Comenſes, ac Bergomates longioris Prætura nomine prolatum eſt. Eo repente ſublato, Napoleo ex fratre nepos juſſu populi Mediolanum nomine Rectoris perpetui, finitimas vero urbes nomine Poteſtatis, ſub apertum Imperium accipit adeo non civile, ut ſtatum Paganini gentilis ſui Vercellis occiſi Manes quatuordecim ſupra centum Patriciorum civium cæde placaverit. Carolus Provinciæ Comes annuente Clemente Pontifice, Turrianiſque adjuvantibus, utriuſque Siciliæ regnum adit, & Victore, caſoque Manfredo, Romano Imperii Vicarius dicitur. Hac propter res Pontificia in Longobardis adeo crevit, ut Germanum Regem Conradinum ſola urbes Verona & Papia Cæſarem agnoſcerent, & in Italiam evocarent. Qui dum cunctatur, Turrians illo cum Carolo ac reliquis Longobardis fœdere, Papienſes Voglevam expugnatione vexant: & cum Othone Vicecomite de Epiſcopatu judicio contendunt apud Pontificem: à quo non modo ipſi, quamquam Caroli clientela uterentur, repulſi, ſed urbs etiam interdictum eſt ſacris, quo ab Othone admiſſo, Pontifici parerunt. Conradino Italiam ingreſſo primam cladem intulere Mediolanenſes adeo, ut agre Papiam evaſerit: alteram Carolus in ipſo Regni aditu: ubi debellatus, capinſque, judicio cum ſociis necatus eſt: quo accepto nuncio, ejus claſſis corpta feliciter Siciliæ oppugnatione digreditur. Romana Sede ſub obitum Clementis biennium vacante, Turrians Mediolanenſem ab Othone inire non ſinunt. Ille Squarcum Burri Patriciorum Anteſignani filia Matthæo Vicecomiti ex fratre nepoti, heroica indole adoleſcenti, conjugio copulata, Nobilium ſibi opes ac vires, atque adeo Marchionis Monteferrati, ejuſque ſoceri Caſtulonenſis Regis, quibus cum fœdus inierant Nobiles Squarcino in Hiſpaniam legato, patrocinium, auxiliumque adjungit. Inter hæc diſcordia in Parmenſibus fœdantur: S. Domini oppidum Palavicino ereptum exſciinditur: Mozanica hæreſeos ſæpe damnata flammis vaſtatur: Laus à Turriano in poteſtatem redigitur: Ludovicus Francorum Rex in Africana expeditione diem obit: Philippus frater à Tunitano Regno pecunia ſubmotus, Mediolano in patriam revertitur. Tandem Tibaldus Vicecomes, genere Placentinus, nomine Gregorii X. Pontifex acclamatur. Sed ne ab hoc quidem, cum Mediolano in Gallias proficiſceretur, indeque rediret, aliud Otho impetravit, quam aliquos ſua Eccleſia proventus; quorum cauſa, quod eos percipere prohiberetur, Mediolano rurſus adempta ſunt ſacra. Turrianos vero, à quibus honorificentiſſime Gregorius exceptus eſt, æquavit, Raimundo ad Aquileienſem Patriarchatum promoto. Napoleo quoque à Rodulpho Imperatore Cæſares apud Longobardos Vicarii appellatione coheneſtatur. Sed interim Nobilium factio auxilio ex Hiſpania evocatis Turrianos, Mediolanenſemque ditionem excurſionibus vexat.

INTEREA Alexander Quartus Pontifex maximus moritur; & ei ſufficitur Patriarcha Hieroſolymitanus, qui genere Gallus erat. Urbanum Quartum dixere. Et Mediolani poſt diuturnam Archiepiſcopatus vacationem (poſt Leonis namque Peregi obitum nemo adhuc legitime ſubrogatus fuerat) interfuere de Præſule creando certatum eſt. Duo ad eam dignitatem aſpirabant, Raimundus Turrianus Martini nepos ex Pagano fratre, & Franciſcus Septala. Turrianus prærogativa ſuorum (quia hujus ſacerdotii honor haud dubie maximi momenti ad firmandam potentiam erat) plurimum juvabatur. Septala contra ſuffragatione eorum, quibus ſuſpectæ Martini opes erant, & quibus vir egregiæ moderationis, & tanto oneri ferendo magis idoneus videbatur, nitebatur. In hac diſſenſione & diſcordia tertius inſurgit Apoſtolica auctoritate creatus. Is fuit Otho Vicecomes utique Mediolanenſis, Obizonis, quem paulo ſupra memoravimus, (ut quidam opinantur) frater, & humilibus tum Sacerdotiis contentus, Præpoſitura Decii pagi, Cardinalatu ordinario

nario Mediolani, ac Canonicatu Eccleſiæ Ambroſianæ.

Tenues tunc erant Vicecomitum opes, & parvi vici loco magni patrimonii habebantur in ora Verbani lacus, Invorium, Maſſinum, Vergantum, Olegium. Nam per hæc quoque tempora Soldanus Vicecomes filius Alderici incolæ Invorii, ſed reſcrentis originem ad urbem Mediolanum, emit nonnullos fundos ab Actio, Lantelmo, & Caſtellano Othonis Vicecomitis Maſſinenſis ex Rogerio filio nepotibus, quorum quartus frater Ubertus demigravit penitus finibus patriis, & in Leuca Vereclenſium oppido conſedit. Huic autem alteri Othoni Epiſcopalis dignitas collata eſt, favore & cuixa opera Octaviani Cardinalis Ubaldini; cujus intima familiaritate utebatur, & domeſticis officiis carior honorem promeruerat.

Acceſſit ad fovendam ejus amplitudinem ejuſdem Cardinalis in Turrianum indignatio. Nam ex legatione Gallicana reverſus Octavianus, cum Mediolanum divertiſſet, atque in ædibus Ambroſianis benigne à Sacerdotibus templi acceptus fuiſſet, exarſit in gemmam fulgoris eximii, quæ inter donaria & theſauros diu ſervata ſæpe aram exornabat. Hanc concupiſcere illum, & quandoque ſurripere ex altari voluiſſe Æditui animadverterant: & vim timentes, Martino, quid is animo volveret, renunciant. Martinus haud cunctanter cum magno ſuorum comitatu, conſcenſis equis in aream, quæ ante ædes patet, accurrit; & officii cauſa ſe adveniſſe oſtendit, ut quem paratum ad iter eſſe intellexerat, (petiturus enim Romam erat) debita Procerum multitudine proſequente, ex urbe deduceret. Sunulata verba quo tenderent, legatus cognovit, & ſtatim abiit. Opinantur quidam non ſervandi theſauri gratia id à Turriano factum; ſed quia Otho Vicecomes in Cardinalis comitatu foret, illi longe cariſſimus, & proinde ſuſpectus, ne vir ingentis ſpiritus, & in quo exules ob amicitiam Ubaldini non modicum ſpei collocabant, populum ad res novas concitaret. Hinc offenſus Ubaldinus, quam primam vidit referendæ Turriano gratiæ occaſionem arripuit, atque omni ope nixus efficeit, ut Othonem Vicecomitem Urbanus Pontifex maximus Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtitem declararet, & inſtitueret: & quo juſtius id fieret, etiam Septala ſponte ſacerdotio ceſſit, qui omnino impar æmulis erat. Quod ægre ferens Turrianus, Palavicinum, qui in Placentinos reverſus Albertum Fontanam rebellantem afflixerat, iterum advocat; eorumque agros invadit, & populatur, qui per amicitiam Pontificis à vi ſecuros ſeſe exiſtimaverant. Enimvero iratus Urbanus Othonem magis fovere, & ſi quæ deerant ad ſolidam Sacerdotii dignitatem obtinendam, ultro conferre; cunctiſque ornamentis donatum conſecrat, & opibus juvat.

A. C. 1262. Cæterum Palavicinus Mediolanum profectus, Prætoram urbanam deferri in ſequentem annum ſexageſimum ſecundum Ubertino nepoti, cui Pelegrino cognomen erat, curavit. Cumque ſatis firmæ res viderentur, ludis & convivali voluptati publicitus indulſere. Suburbanus locus delectus eſt S. Syri ad Vepram porta Vercellina: ubi ob inopiam tectorum, ſimul ut Solis ardores arcerentur, & caſtrenſia tabernacula, & ex frondibus umbracula excitata ſunt, ſub quibus varii ludi edebantur, epulatique ſunt Principes, & ſocii miniſtrique conſimili veſte ex bicolori panno induti. In urbe quoque expoſitis per vias menſis plebs epulabatur; & ſaluſtationes agitabant. Tunc conſtituere, ne quis exulum intra fines Mediolanenſes maneret. Sic quicquid captivorum erat, trans Ticinum ejectum eſt.

Cæterum pergelida hiems hoc anno fuit, & cujus rigore adſtrictæ nives in Paſchales uſque dies terris incubarunt. Rurſus æſtas per quam calida, & cujus ardore exſiccatis humoribus ſpes pene omnis frugum peribat: niſi ſæpe indicta ſupplicatio cauſſa elociendæ aquæ, & miſſo publico nuntio, imbres inducti fuiſſent, quorum abundantia omnia reviruere. Quod miraculum ſimillimum antiquo Romano mihi videtur, qui quoties Manalem lapidem in urbem propter nimiam ſiccitatem pertraherent (erat autem petra quædam extra portam Capenam juxta Martis ædem) ſtatim pluviæ inſequebantur.

Anno tertio & ſexageſimo Otho Vicecomes dimiſſus à Pontifice, ut ad capeſſendam dignitatem veniret, ac ſimul adverſariorum ſuperbiam reprimeret, in tractum Novarienſem contendit, ubi cum opibus, & paternis amicis, tum majeſtate Sacerdotii, & Pontificis Romani auctoritate, manum exulum congregat, & nudam præſidio Aronam occupat. Turrianus & Palavicinus tumultuaria manu collecta Angleriam petunt, & reliquos portus citerioris ripæ muniunt: alias turmas trans Ticinum mittunt, quæ prohiberent quicquam opis aut auxilii Aronam accedere. Tum convectis toto lacu navibus, oppidum obſident. Cum ſic ſe undique cinctum & veluti lupum cavea clauſum Otho perſpiceret, ſalutique ſuæ & ſociorum alia ratione, quam occulta fuga, conſulere non poſſet, clanculum noctu elapſus eſt: oppidanique ſtatim deditionem fecere. Martinus arces, quæ receptacula hoſtium fuiſſent Aronæ, Angleriæ, Brebiæ ſuſpectas alioquin, quonam vetuſto jure Archiepiſcopalis dominii forent, demolitur, & Mediolanum poſtridie Kal. Majas ovans revertitur: & ſubſequenti Junio Novarienſi dominio potitur. Bruſati & Cabalatii tumultuantes, quatuordecim viros ex gente Torniella occiderant, & reliquam factionem urbe ejecerant. Palavicinus & Papienſis, utrique factioni juxta infenſi, ſuburbana infeſtabant, igni & ferro cuncta fœdabant. Cives, quorum agri à peregrino pariter & inteſtino hoſte urebantur, Martinum Turrianum, cujus opibus & majeſtate regni defenderentur, accerſivere; & tradita rerum adminiſtratione, dominum fecere. Novo imperio lætus Turrianus, Mediolanum venit; mox Laudem proſectus, haud multum ſupervixit, valetudine adverſa per Novembrem contracta. Et cum æger decumberet, Philippum fratrem ſummam rei curare juſſit. Is pro templo Theclæ, & mox in foro concione habita, tutelam populi, & adminiſtrationem Credentiæ ſuſcepit, ſeque Ancianum profitetur. Quibus mature peractis Martinus ſpiritum poſuit XII. Kal. Decembris. Relatum ad urbem cadaver: poſtea in Caſtevallis cœnobio ſepultum eſt, ubi & ante Jacobus pater, & Mathia mater conditi fuerant. Elatus autem fuit ſummo cum honore. Tulere Capitanei, & Valvaſſores, & primarius quiſque civitatis: turbaque militum & civium proſecuta eſt. Manet adhuc imago ejus picta cum inſcriptione juxta ſepulchrum.

A. C. 1263.

Fraterno funere abſoluto, Philippus Canturium petit, vocatus à Vitana Comenſium factione, qui adverſus Ruſconos de urbana Prætura contendebant; optabant & nitebantur Ruſconi, ut Conrado Venoſtæ Magiſtratus deferretur. Turrianus autem, qui opibus pollebat, ſexcentos ſagittarios & magnam peditum manum ſtatim comparavit, ac Comum petens, Conradum & Simonem Locarnatem urbe fugavit. Fugientes Lanfrancus Burrus deſequitur, deprehenſoſque in tranſitu Trexiæ amnis, quem diximus ex Lugani lacu in Verbanum fluere, Mediolanum traxit. Turrianus Comenſium Prætura potitus, res ex amicorum ſententia

tentiæ componit. Reverſus Mediolanum hoſtes vinctos in arcem Peſſimi cuſtodiendos miſit: ſed hi non multo poſt fractis vinculis carcere effugiunt: ſed mature ſuperveniente Philippo ipſo, iterum capiuntur. In quorum certamine cecidit Raymcius Locaritas, qui ſimul cum eis & ſeptem aliis detinebatur. Reducti Mediolanum, ædificata in Palatio eavea lignea condiuntur, atque in multos annos ſervantur. Interea Philippus, ut magnis affinitatibus opes muniret, ſtudebat: Agnetemque filiam uxore ex gente Niguarda genitam Gulielmo Puſterlaco in matrimonium locat: & ipſe viduus ex Biragorum familia alteram uxorem ducit.

A.C. 1161. Sequenti anno idem Ubertus Palavicious Scipionenſis Præturam Mediolani iterum obtinuit: & Turrianus reliquias hoſtium, qui in Tellinam vallem ſe receperant, perſequutus, eam vallem ad obſequium redegit; & in Novarienſi caſtrum rebellium cepit. Per quod tempus Gulielmus Marchio Montiſferrati turbem ſibi finitimam Aquas Statielas de Manfredo Carreto, & oppidum Novas Derthonenſibus eripuit. Affecti injuria populi, opem à Turriano petunt. Is magnum Ubertum Palavicinum cum exercitu conceſſit. Contraxit is copias ex Mediolanenſe, Papienſe, Derthonenſe, Cremonenſe. Alexandrini quoque, quorum interetat, ne Marchionis potentia creſceret, acceſſere. Brevi caſtrum expugnatum fuit, quod regendum filio ſuo Palavicinus tradidit. Sed Turrianus, ſive ſubornatus à Gulielmo pollicitationibus & occulto fœdere, ſive ſuſpicatus ex eorum affinitate, quampiam inter eos futuram fraudem, (nam idem Palavicini filius filium Gulielmi uxorem duxerat) ſeu re vera inopia æraru, quæ cauſabatur, tolerandis militiæ impendiis non ſufficeret, ſive parum neceſſariam dehinc operam ejus putaret, exacto quinquennio, per quod tempus illum conduxerat, Palavicinum miſſum fecit. Quo indignatus Heros, nihil antiquius duxit, quam ſui deſiderium primo quoque tempore illi facere: mercatores Mediolanenſes, qui Cremonæ & per Padum negotiabantur, detinere; merces diripere, alios ſpoliare. Obmurmurare cives, & detrimenta liberius expoſtulare. Sed Philippus neque ea emendare, neque res repetere voluit. Majores eum curæ ſollicitabant. Nam Bergomenſes bello adortus, eo confectim redegit, ut non ſolum pacem per legatos peterent, ſed ultro ei Præturam deferrent. Ipſe eo profectus Magiſtratum in continuum decennium accepit. Mox Laudem quoque recepit.

Inter hæc Urbanus Pontifex moritur, cui ſufficitur Clemens Quartus. Et Decembri menſe Mutina & Parma civili ſeditione in arma excitatæ, à Cæſarea ad Eccleſiaſticam factionem traductæ ſunt. Et Parmæ duo Prætores ſimul dati Gibertus Corrigius, qui ſæpe aliàs, & Jacobus Tabernerius, ejecto Manfredo Pio, qui genere Mutinenſis erat.

A. C. 1161. Sexageſimus dehinc & quintus annus ſequitur, quo Carolus Provinciæ Comes, & Ludovici Francorum Regis frater, duorum Pontificum Urbani & Clementis rogatu adverſus Manfredi Apuli injurias vocatus in Italiam deſcendit. Excepertat autem Carolus Provinciæ regnum, & Furqualerii dominium comitatus titulo per hereditatem uxoris. Nam eorum locorum prior Dominus Raymundus Berengarius, quatuor ab hinc & viginti annos vita functus, unicam & ampli matrimonii heredem filiam Beatricem reliquit, ſub cura Romani Pontificis, & Romei Villanovæ arcanorum ſuorum participis, & arbitri. Et cum tunc infans puella foret, poſteaquam adolevit, illuſtri juveni Carolo matrimonio juncta eſt.

Hic igitur præparatis jam bello neceſſariis, appetente vere, bipartitis copiis, Romam proficiſcitur. Ipſe Tyrrheno mari navigans, quadraginta longas naves duxit: nec ita multo poſt ſubſecuta virum uxor, eodem appulit, protinuſque à Clemente coronati ambo, Regni Siculi atque Apuli titulum accipiunt. Altera copiarum pars, terra iter faciens, in Longobardiam deſcendit. His Manfredus opponere Palavicinum tentavit, qui Brixianos & Vercellenſes in fœdus traxit. Nam cum ipſe teneret Cremonam, & Placentiam, Æmiliæ caſtra, atque in Parmenſi oppida pervalida, facile, illis adjuvantibus, interclufurus Gallos videbatur. Et ſtrenuam operam præſtitit, miſſo nepote Uberto Scipionenſe cum exercitu adverſus Marchionem Montiſferrati. Sed is mox circa Alexandriam & Niceam Palearem profligatus, quingentos equites amiſit. Quo victoria patuere omnia Gallis; & cum Marchione Mediolanum venientes, benigne à Turriano acipiuntur; pecunia, veſte, commeatu ſublevantur: & ut fœdere aliquo firmaſſe amicitiam viderentur, Emberram Balſium Narbonenſem hominem Mediolani Prætorem conſtituunt. Ita Galli per reliquam Circumpadanam tranſmiſſi, quo tendebant, incolumes pervenere.

Per idem tempus ſtella Cometes, cauda in morem haſtæ protenſa, viſa diutius eſt. Et Philippus Turrianus, qui mira indole animi, tum arte quærendi Regni præſtabat, poſtridie Octobris ſubita morte raptus eſt; & juxta Martinum fratrem amboſque parentes in Caravalle ſepultus eſt: manentque adhuc eorum imagines uno pariete pictæ. Poſt Philippum Napuleo, (ſunt qui Napum vocent) ex Pagano fatre altero nepos, ſtatim Rector Mediolani perpetuus, & reliquarum urbium Poteſtas declaratur. Perſeverabant namque in ejus obſequio Comum, Bergomum, Laus, Novaria.

Eodem tempore nova manus Gallica ab Alpibus deſcendit, Apuliam petitura. Sex millia equitum erant ſub Comitis Flandriæ gubernatione. Hi x. Kal. Decembris Mediolanum uſque nemine repugnante pervenere. Eiſdem favebant, & auxilii gratia copias contraxerant in Mantuanorum, Ferrarienſiumque finibus Comes Bonifacienſis, & Obizo Eſtenſis, Actii ſuperiore anno defuncti ex filio nepos, ac ſucceſſor. Medius inter hos adhuc adverſabatur Palavicious, ſociumque aſſumpſerat Boſium Doariam, & munita diligeoter Brixia exercitum circa Soncinum contraxerant loco opportuno ad iovadendos, quocunque hoſtes iter intenderent. Sed Mediolano digredientibus Gallis Turrianus Carrotium cum urbana militia tradidit. Quo præſidio tuti per Bergomates, & præter ipſa Brixiæ mœnia tranſierunt. Conflictus tamen in itinere factus eſt, cujus ſumma apud Gallos jactura fuit, Ducem ipſum Flandriæ Comitem amiſiſſe: is enim confoſſus cecidit. Palavicinus vero quadringentos equites ex ſuis & mille pedites deſideravit, mœſtiſſimuſque Cremonam abiit. Eo ſuperato Galli neminem, qui reſiſteret, reliqua Italiæ longitudine non invenientes, abierunt.

Anno ſexageſimo ſexto Paganinus Turrianus, A. C. 1166. ſaventibus cognatis Vercellenſem Præturam ſortitur. Quem ceu hoſpitio ſuo diſturbando, & amicis ſeducendis appoſitum rati exules Mediolanenſes, haud diu in ea urbe dimittendum ſtatuerunt. Itaque clanculum aceita Papienſium manu, noſte, quæ IV. Kal. Februarias præceſſit, impetum ad urbem ipſam fecerunt, atque ab amicis intromiſſi, in Prætorio ipſo Turrianum capiunt atque obtruncant; domum ſpoliant; & dum cædibus adverſariorum in aliena terra avidius indulgent, & injurias proſequuntur, reliquos cives, & eos maxime, qui pro Turriano ſtabant provocarunt: à quibus repreſſi, repulſique non paucis ſuorum amiſſis fuere: nam XIII. Mediolanenſium, Papienſium vero ſeptuaginta amplius capti, detentique fuerunt: quos Napuleo, Franciſcus, & Herreeus fratres ad primum

novi

novi motus nuntium advolantes Mediolanum retraxerunt: & eodem præmisso cadavere, ad Dionysii ædem, quæ extra muros est, publicum funus duci jusserunt. Manet adhuc ejus sepulchrum, signo Turris insculptum. Cæterum horrendo facinore hujus inferiæ cumulatæ sunt: nam juxta sepulchrum producti cuncti illi Vercellis capti, & decem & octo, qui Tritii, & tredecim alii, qui in porta Nova Mediolani habebantur, miserando omnium spectaculo, ceu totidem victimæ, quæ manibus defuncti sacrificarentur, mactatæ sunt. Atrox factum, & dira ultio, quantum odii & invidiæ sibi paraverit, sensit mox Napuleo ex luctu & lachrymis eorum, quorum propinqui & infontes præcipue interempti fuerant. Quod ut declinaret, Emberræ Prætoris & crudelitati & barbariæ omnia imputavit, eumque Magistratu submovit. Antonius Recanates, qui hæc diligenter collegit, ægre unum precibus adolescentis filii Napuleonis condonatum memorat: qui cum audivisset Medicum, cujus opera aliàs ipse è gravissima valetudine servatus fuerat, (Magistro Bono nomen, Tabiago cognomen erat) pariter cum aliis ad supplicium trahi, ad patrem accurrit, & obtestando, adjurandoque, se vel ferro, vel media periturum, nisi sibi incolumis is, à quo ipse salutem recepisset, redderetur, ne occideretur impetravit. Hunc, quod alium ejusdem nominis in stemmate Turrianæ gentis eo tempore non lego, licet diminutiva appellatione, ut tum mos erat, Paganinus scribatur, arbitror fuisse Napuleonis ipsius patrem. Dehinc Napuleo in Brixianis invitatus, ad eam urbem cum exercitu profectus est. Benigne acceptus captandæ benevolentiæ officium obiit; discordias civium composuit; & ut æquo jure cum cæteris exules viverent, operam dedit; & Francisco fratre Prætore impositio, Mediolanum revertitur.

Interea Carolus Apulorum Rex designatus, ab Roma in Samnites progressus, Ceperanum oppidum, & Montem S. Germani occupat; trajectoque Liri amne Capuam petebat. Hic Manfredus occurrit, quantiscumque potuit viribus contractis; & in certamen ventum est: paribus animis ac studiis uterque pro gloria, uterque pro vita agebat: v. Idus Februarii, alii v. Kal. Martii, depugnatum scribunt; & fraude suorum petitum Manfredum occubuisse. Comes namque Caserti, & Thomas Comes Sertæ, ambo ejus sororii, & quibus plurimum fidere merito debebat, de compositio recessierunt, medio in discrimine Rege relicto. Qui à quibusdam monitus, ut saltem sibi fuga consuleret, *Malo*, inquit, *Rex mori, quam exul vivere*. Et in confertos hostes invectus dum acerrime dimicat, ilia trajicitur, & moribundus equo devolvitur. Mortuum inter aliorum cadavera repertum Carolus aurea veste ornari, & more Regio sepeliri jussit. Tres vero claros Duces Comitem Jordanem, Petrum Affinium, Ubertum, & Bernardum Castancam repertos in numero captivorum in Galliam relegavit. Cæterum præda pretiosior facta est quatuor Coronis Regiis, in quibus & Friderici Cæsaris una agnita fuit: nec deinde aliud, quod fortunam Caroli moraretur, fuit. Ad eam victoriam gratulandam è Mediolano Franciscus Turrianus cum duodecim primariis civibus mittitur. Eidem injunctum est, ut fœdera aliàs inita renovaret. Eum Carolus comiter excepit, & aliquot dies apud se magnifice habuit: tum imaginaria militia & amplis muneribus donatum dimisit.

Cæterum diuturnia armorum licentia & civium dissensiones protulerant, ut crebra furta, rapinæ, homicidia in agris fierent, variaque receptacula fures & grassatores haberent: quæ omnia Napuleo publicæ utilitati consulturus dissipari, subruique jussit.

Interea in Parmensi Ecclesiastica factio multum vires auxit; Columnium, Soraniam, Nucetum, Ægidiolæ domum, cui Sancto Secundo cognomen erat, ceperunt, multosque ex his locis captivos Parmam duxerunt. Quibus ex rebus multum Palavicini potentiæ detractum est. Subsecutaque mox est urbis Cremonensis defectio, ac item Placentiæ. Quarum motibus comprimendis, quatuor è Mediolano portarum juventus emittitur; auxiliaresque copiæ à Brixia, Bergamo, Laude, Mantua, accessere. Castrum Covum in Cremonensi à Bosio Doaria conditum obsident: arcem turribus & duplici fossa munitam pertinaces viri defendebant: tormenta muris adhibita, & cuniculi subterranei acti: interim finitimos agros Soncinum usque prædantur: demumque arx Covi dedita, & solo æquata est.

Succedente anno sexagesimo septimo, Pontificis Legatus, qui Cremonæ agebat, revocato in urbe Amatino Amato, qui diu exul fuerat, diversæ factionis Principem Bosium Doarium circumvertit. Cum sic tota pene Italia factio Ecclesiastica prævaleret, adversarii, quorum jam nomen vix duæ Papiæ & Verona urbes retinebant, ad externam opem studia, animumque adjecerunt. Conradinus erat Conradi Cæsaris in Germania filius, ad quem hereditario jure Sicilia spectabat. Huic igitur ad capessendam hereditatem venturo se applicant, & opes, viresque suas pollicentur. Quod ut senserè alii Longobardi, conventum Mediolani indixere: veneruntque duo Marchiones Montisferratensis & Estensis, tum Bonifacienſis Comes, & bini Oratores à Vercellis, Novaria, Como, Ferraria, Mantua, Parma, Vicentia, Patavio: à Bergomo autem & Laude quaterni: à Brixia duplex legatio duplicis regiminis indicium fuit. Sex Communitatis, & quinque populi nomine erant. Mediolanensis vero urbis partes egerunt Napuleo Turrianus perpetuus populi Rector, & Franciscus ejus frater, & Beltramus Græcus Prætor, qui genere Bergomensis erat. Pridie Nonas Aprilis in id conventum est, ut quidquid Mediolanum & Montisferrati Marchio statuerent, seu quocunque mittendi exercitus, quidve aliud ad frangendos hostium conatus prospicerent, id cæteri simul exsequerentur. Nec ita multo post Cremona & Placentia societati accessere. Tunc promoto trans Ticinum Carrotio, Mediolanenses Bergomensibus adjunctis, Viglevanum, quod in Papiensium partibus perseverabat, obsident, & vastato late agro, machinis muralibus mœnia quatiunt, ac demum ad undevigesimum Junii diem in deditionem receperunt.

Inter hæc Clemens Pontifex, quo plus nominis, viriumque suis adderet, Carolum ex Apulia Romam accersit; novisque titulis honestatum, Romani Imperii Vicarium nuncupat, & rerum Etruriæ procuratione auget. Ejusdem intercessione in gratiam recepit Ligurum nationem, restitutis Genuensi populo sacris, quibus jam septennium eruerant, Urbani Pontificis interdicto, qui ægre tulerat adjutum classe & opibus Liguſtinis Constantinum Palæologum, cum is adversus Balduinum, & Venetos, Græcorum Imperium invasit. Sed non æque valuit Carolus Clementem flectere, quamvis pro amicissimis rogaret, ut designatum Mediolani Archiepiscopum Othonem Vicecomitem destitueret: quin etiam Urbani exemplum sequutus Mediolanensem populum publice detestatur, nisi intra præscriptam diem Othonem sine fraude reciperent. Quo facto cives in Turrianum fremere, tumultus in urbe ferere, per varia loca & conciliabula injuriam humanam & Dei contemptum expostulare. Quibus vocibus permotus Napus, Legatos Romam, qui causam Sacerdotii agerent; & populum pari-

A. C. 1267.

periter ſolvi religione curarent, mittit. Sed Clemens neque cauſſam audire, neque homines mœnibus recipi voluit. Rejecti ad Carolum Neapolim contendunt, ut eo deprecatore uterentur. Rex eos benigno vultu excepit; & poſteaquam deſiderium intellexit, opes regni pollicitus, Oratores dedit, qui cum Turrianis Romam proficiſcerentur. Utroſque Pontifex Regis cauſſa admiſit; accerſitoque Othone in Conſiſtorium introducuntur. Tunc Regii priores in hunc modum verba fecere:

Si pro amicis atque ſocis, quorum dignitas atque fortuna in diſcrimen verſantur, Pontificem Maxime, deprecatori venimus, haud equidem mirari te oportere exiſtimamus; immo magis deſertos atque proditos eos opinari deberes, ſi ſecus ageretur, quibus eam fœdus, & amicitia ſit inita jam pridem, & novis ſubinde meritis creverit. Neque Rex noſter dignos patrocinio & favore duxiſſet, ſi contumaces in te hos perſpiceret; qui ſic de Mediolanenſi Sacerdotio contendunt, ut utilitatem publicam, patria quietem privata cupiditati anteponant: neque id agunt, ut legem tibi præſcribant, ne des quem Præſulem voluiris; ſed aquum cenſent, ut ſemel audias, atque cognoſcas, ſalubriuſne, & ex publici ſtatus commodo magis ſit, Raymundum Turrianum, an Othonem Vicecomitem Eccleſiæ ſuæ præeſſe. Sed, dicet aliquis, cur non continuo imperata fecere; conſtitutum Præſulem in urbem admiſere; & illi de mere Eccleſiaſtico obedientes fuere? Facta nempe hæc forent, Pater ampliſſime, niſi ab diuturno odio & perpetuis ſeditionibus, novi in urbe tumultus certo certius futuri fuiſſent. Hactenus igitur imperiis tuis repugnare viſi ſunt, ut eladem à patria & exitiale bellum avertere procurarent. Nullis tuorum vim aut arma intulerunt. Tuis enim ſunt Turriani, ſi cætera intueris. Jam quo vultu, qua liberalitate Regis noſtri Carols ab Alpibus deſcendentes Duces, & copiæ excepere, quam benigno hoſpitio, quanta rerum largitate proſequantur ſunt? quam fortiter atque fideliter arma contra æmulos ſumpſerunt? qui ſi in ipſo Italiæ limine ſeſe nobis oppoſiſſent, aut cum hoſtibus conſilia agitaſſent; profecto enim per infeſtas terras tranſire non licuiſſet: his vero adjuvantibus, & commeatus large ſuppeditantibus, & tenentes arma adverſarios compreſſimus; & ſi qui alii nos laceſſere parabant, exemplo deterriti quievere; & velut amici nihil denegantes, Romam uſque tranſmiſere. Hinc inclyta illa victoria, & quidquid juris & imperii in Italia habemus, & Romana Eccleſia poſt eaſum Manfredum acceſſit, Turrianis acceptum referre oportet. Audax igitur, clementiſſime Pater, eorum Oratores, qui tibi obtemperare, tuique juris eſſe volunt: hoc Rex invictiſſimus rogat; hoc concedere debes, ne tales illius amicos damnaſſe indicta cauſſa videaris.

Cum Regius finem dicendi feciſſet, & mitigatus aliquantulum Pontifex videretur, Turrianus ita exorſus eſt: *Niſi tibi, Romane Pontifex, parere decretum nobis eſſet, & Majeſtatem Apoſtolicam unice coleremus, profecto a te ſpreti, atque repulſi, domum ad nova conſilia, ad amicitiat, & fœdera concilianda, denique ad inimicos tuos acceſſiſſemus; ut quacumque ope ſubnixi, alienum animum oſtenderemus. Verum in eo perſeverantes, quod aquum, quod debitum, ac ſalubertimum eſt, eum Regem adrimus, & deprecatorem paravimus, quem ſcebamus amicitia & magnitudine beneficiorum tibi conjunctiſſimum eſſe; qui ita Regno potitur, & Regium nomen ita exercet, ut fateatur, ſe id munere & nutu veſtro accepiſſe, ac propterea ad arcendas injurias & defendenda Sacerdotum jura potentiorem, promptioremque non noverimus. Hujus gratia in conſpectum tuum admiſi, breviter, quid optemus, exponemus. Mortuo Leone Pergo, qui per omne Sacerdotii ſui tempus nihil antiquius habuit, quam in civitate ira, odiſque ardente Patricios in plebem armare, perniciosa certamina fovere; plebi ipſa pro vetere jure & conſuetudine eorum, qui rei divinæ Præſulem dare conſueverant, Raymundam Turrianum Archiepiſcopum deſignat. Hunc fratres & propinqui, cum jure ſanguinis & nova in gente ſua dignitatis amplexi ſunt; tum quod cernebant eo Paſtore perpetuam inter eives concordiam fore. Sed ut magno in populo plerumque uſu venit, Franciſcus Septala, vir nulla ex parte noſtro conferendus, paucorum ſuffragiis electus eſt. Urbanus vero Pontifex neutri horum ſubſcribens, tertium delegit, & quidem è numero eorum, qui continuos motus, certamina, & cades fecerant, & urbe pulſi rapinis & latrociniis fines perturbarunt. Contradiximus, fateor, edicto Pontificio, deſignatamque Antiſtitem recuſavimus, non ut Majeſtati veſtræ derogaremus, ſed ne hic ſub nomine & poteſtate Sacerdotii excidium patriæ moliretur. An obſcurum eſt, quantum cladis civibus ſuis, quid dedecoris Romana Eccleſia gens ſuperba & ferox ſemper intulerit? Nonne cum Attilano Romano Tyrannorum omnium ſæviſſimo per cauſſam recuperandæ patriæ fœdus & arma junxerunt? eoque occiſo Palavicinum fellati, quid non injuriarum & maleficii in ſuos ediderе? Arcuam oppidum, Bebriamque adorti, exulum manum obarmare, multitudinemque latronum finibus inducere conati ſunt, unde tamen non ſine multorum ſanguine & agrorum populatione repulſi, ad auctoritatem veſtram confugientes, per Eccleſiaſticas exſecrationes ſue Sacerdotii ſibi vindicare minuntur. Et is quidem res divina adminiſtrationem ſibi depoſcit, cui (cum venia dictum ſit) conducibilius foret deliteſcere in occulto, & velut ignarus myſteriorum, peritis ſe tradere, & quid ceremonia, quid Sacerdotes noſtri velint, ediſcere. Niſi forte illi animos facit uterque parens, qui à recta fide abhorrentes, nihil non opis contulerunt iis, qui diſputationibus, & vario certamine veram religionem oppugnabant: aut ſororis nuptia, qua homini hæretico, & Eccleſiæ rebelli in matrimonium data eſt. Tantum abeſt, ut noſtra ſacra Otho Vicecomes capeſſat, ut nemo magis ab hoc miniſterio arcendus, & in ultimas terras deportandus exiſtimetur. An parum nota ſunt mala, quæ urbi pertulit, cum Eccleſia pravum & ſeditioſum Antiſtitem nacta eſt? cui cum incubaret Auxemint vir nefarius, & Ariana hæreſeos ſignifer, intolerabilem tyrannidem (ut Divus Hieronymus inquit) tota Italia ſides Catholica ſuſtinuit. Longobardi Reges, niſi expulſis Archiepiſcopis, quietas res non habuere. Ardericus Cotta, cum moremgerere Hugoni Italiæ Regi recuſaret, miſerande cæſi & agrorum populationis materiam præbuit. Quis commode explicaret duorum ejuſdem Arderici gentilium, Landulphi, & Arembaldi Cottaram ſeditiones, qui per decem & novem annos Sacerdotem & amverſum Clerum vexaverunt, quo antiſtitem, quem vellent, conſtituerent, ut nullum non ſacrilegis genus admiſerint; nihil impollutum reliquerint; ſuſtibus, gladiſque ſuccinctis ab aris & templis celebrantes ſacra deturbarint; ſacro oleo ſparſo, profanum, quo uterentur, protulerint; denique, proh nefas! & inauditum ſcelus! tres uno tempore Præſules Eccleſia haberet, exulem unum, in carcere alterum, & qui ſedem ſuffocaret, puer imperitus centum patribus illarum imperio prælatus. Quos vero tumultus, qua bella non excitavit Eribertus Anſimianus, qui ſex & viginti annos in eodem Archiepiſcopatu ſic vixit, ut & dominium urbis aperte affectaverit, & Germanos Principes, barbarasque nationes, ut cupiditati ſuæ ſatisfaceret, accerſere, & populos præda exponere non dubitavit? Intereſt nimium, Pater Beatiſſime, non tam ſacrorum & religionis, quam publicæ quietis, qualem Præſulem ſortiamur: quo cum ſe paſtor noſter inclinaverit, eo imperia & opes ſtetere; quinetiam Romano Sacerdoti reliqua Occidentis Eccleſia paruere, ubi Mediolanenſis ſuccubuit. Quare, Patrum ampliſſime, te publico nomine, & ex religionis & ſacrorum noſtrorum utilitate rogamus, atque obteſtamur, ut qua ad publicos uſus & cultum Chriſti ſpectant, atque in commune conducunt, ea omnia ſolerter circumſpicias, eamque nobis Præſulem des, qui ſit miti ingenio, ſincera mente, procul ab imperandi, procul ab ulciſcendi libidine, urbana tranquillitatis & concordiæ ſtudioſus, publicam utilitatem ampleſtatur, & pro communi negotio & ſalute invigilet.*

Sub

Sub hæc dicta obmurmoravere Patres, quaſi ſuperbiùs, quam deceret, deteſtabiles cauſſam Turriani egiſſent. Tum Otho ſic reſpondit: *Nec novum, nec inopinatum mihi eſt, Summe Sacerdotum, voſque cæteri religiosi Principes, a ſeditioſis hominibus, improbiſque Tyrannis ea objici vitia, qua ipſi patimini: qui poſtea quam aliquo numero in urbe eſſe cœperunt, illuſtres familias odio implacabili & pulſos patria cives bello inſectari non deſiterunt, & nomen omne patritium ex profeſſo peroſi, plebem longo & contumeli ſervitio opprimunt. Feras obſecro æquo animo, Pater optime, paulo uberius calamitatem noſtram me conqueri, & quanta adverſariorum crudelitas fuerit, exponere. Hi non imperare cæteris, & ſuo nutu urbem regere tantum poſtulant, ſed ſanguinem miſerorum appetunt, opes, fortunaſque ſitiunt, funditus perditos, quos ſemel odere, cupiunt. Cumque nemo a vi & injuria liber, nemo a damno & contumelia tutus foret, ſpes una miſeris reliqua in Sacerdotii reverentia poſita eſt: de cujus jure docto & prudenter adverſarius hic noſter ſecit, quod parce loquutus eſt; controverſiam omnem ad publicam cauſſam & populorum quietem rejecit: ut quod per ſummam injuriam & Romana Sedis contumeliam occupant, quod adverſum decreta duorum Pontificum agunt, id videantur publici commodi & tranquillitatis ergo facere: qui pacis ipſi ſtudioſi, ſtatim ut in me inclinari ſuffragia videre, facto tumultu, correptis armis, domo & urbe ejecerunt: confugi ad hoc ſacratiſſimum orbis terræ Conſiſtorium: data ſunt reſcripta, ut me Antiſtitem reciperent; ſed vix fines ingreſſum hoſtili modo arcent. Fateor amicorum manu ſuccinctus Aronam cepi, non ut detrimenta patria inferrem, ſed ut quocumque modo in Diœceſi mea conſtitutus, poſſeſſionem mihi deſignatam aſſererem. Sed audaces & impii homines, quos nulla reverentia Sacerdotii, nullus Dei metus, nulla Pontificis auctoritas tangit, ſubito tumultuarium militem contrahunt, oppidum obſident, paſtorem operibus & machinis oppugnant. Fruſtra ſapius auxilium & fidem tuam invocavi, Pater clementiſſime: nihil Majeſtas tua, nihil Pontificiale nomen juvare potuit. Cedere furentibus mului, quam committere, ut civium meorum ſanguis ex certamine effunderetur. Tam inſignem contumeliam & Apoſtolicæ Sedis contemptum ne impunitum ferrent, diras in eos proceſſor tunc injecit, ac civitatem omnem ſacris interdixit; ut ſcilicet ſacris multitudo, ad venerationem & obſequium redirent. Sed nihil is profecit. Tu eadem repetiſti: quid reverſi ſunt? & audent deteſtabiles in conſpectum tuum venire? At, decet aliquis, adſunt venerabundi, ſupplices, pacem expoſcentes, ad genua procumbunt. Nimirum, Pater Sanctiſſime, non facturi imperata hæc venere: pariturosſe ſimulant, cum maxime recuſent. Libera populi voces, & acres querimonia eorum, qui ſacris carere diutius non poſſunt, & gravis regni invidia, & rebellionis infamia hæc illos facere cogunt. Sed impudentes homines tantum ſibi arrogant, ut Romano Pontifici Sacerdotii poteſtatem adimant. Profuturum, inquiunt, deo nobis miſſis ingenii, ſacrorum peritum, & qui partium ſtudio non teneatur. Ecce non erubeſcunt conditiones proponere, a quibus ſi defeceris, ad majorem credo Magiſtratum provocabunt: vecordes ſane, & inaudita temeritatis homines volunt, nolunt, arbitrio Romani Pontificis ſtabunt; illi obtemperabunt; & eos perpetuo ac ſingulari domino ſervient. Optarem ſane, ut ſacroſanctis hujus loci rationem aliquam habuiſſent, neque tanta petulantia tam amplitudinem loſſiſſent. Auſi ſunt, me, parentesque meos hæreſos inſimulare, quos ipſos prius omni crimine vacare oportuit, qui manifeſta contumacia tenentur. Sed finite, quæſo, quietos meorum cineres. Pax ſit cum mortuis; parcite manibus: ſatis enim eos conſtat pio & religioſe deceſſiſſe, qui ex ultima voluntate Chriſtiano ritu ſacro in loco ſepulti ſunt: quorum oſſa non à profanis, ut vos eſtis, ſed à religioſis viris tempenuntur. Sororis quoque maritum taxare placuit, cujus ego cauſam longiore oratione non proſequer. Vivit enim, & quidem loco celebri, ut facile quorum hominum fautor ſit, & quæ dogmata ſequatur, perſpici poſſit. Objecerunt nobis Actolus vires, quem nunquam novi; & Uberti Palavicini ſocietatem, cujus ipſe quinquennali militia uſi ſunt: & poſt intoleranda damna amicis ſuis illata, mox plebi Mediolanenſi illudentes, nomen & imperium Credentiæ, quod olim infima turba adverſus improborum licentiam comparaverat, cujuſque erdinis tanta peroſtat, auctoritaſque fuit, ut bello, paceve id demum ratum foret, quod Credentia juſſiſſet, penitus ſuſtulerunt. Sola Remp. tenent & gubernant. Protectior populi nuncupatur, qui patriam nobilitate exhauſtam, & plebem juxta circumſcriptam opprimit tyrannide inſolentiſſima: quippe unus multo calamitoſum plerique duximus exulare, longeque a patria finibus vitam agere, quam libidini & intemperantiæ eorum parere, apud quos nullum rapinæ, ferre & eodibus modum eſſe videbamus. Nam & qua Carolo Regi præſtitiſſe ſe jactant, ea non in Pontificis gratiam facta ſunt; ſed ut illo ſoeſe, amicoque uterentur; ejuſque umbra ſubnixi regnum ſtabilirent, patriamque omnem per ſcelus & libidinem lacerarent. Porro qua immanitas, qua ſævitia nuper admiſſa eſt, cum ob unius necem ab incerto auctore factam, centum & quatuordecim viri, nihil commeriti, & quorum pars maxima abſuerat, nuo edicto contrucidati ſunt, & carris impoſiti per ora vulgi circumvecti, infandum ſpectaculum præbuere? Quos tunc gemitus, quas lacrymas, quam lamentabiles querelas tota urbe auditas fuiſſe creditis? Certe animus meminiſſe horret. Et tamen funeſtis homines in medium proeodunt, ſacerdotum petere, de pace agere, & de concordia civium tam inſolenter loqui in hoc ampliſſimo cœtu audent?*

Non eſt paſſus ultro proloqui Othonem unus proſcriptorum pone adſtans, qui dum atrociſſima illa cædes ad ſepulchrum Turriani ederetur, crebris confixus vulneribus, morienti ſimilis inter acervos occiſorum jacens ſupervixit, ac muncre carnificis ſervatus evaſit: hic converſus ad Pontificem, nomina & numerum interfectorum connumerare cœpit, reſperſam eruore humum, diſtracta cadavera, & diras inſultantium voces repetendo; tantum odii & irarum in Turrianos concitavit, ut de Conſiſtorio abire Legati juberentur. Nec longiori conſultatione inter Patres facta, decretum fuit, ut tamdiu ſacris interdicta maneret Mediolanenſis civitas, dum Pontifici deditio facta, atque in ſedem receptus Otho foret. Mox iidem in Concilium revocantur, & cum imperioſius verba facere Pontificem, ac cæteros omnes io ſe obmurmurare cernerent, ne graviorem iram concitarent, imperata Pontificis facturos ſe dixerunt. Ita de Concilio dimiſſi, hi ad Carulum, illi Mediolanum rediere.

Sed Otho non ignarus metu magis, & querelis popularium, quam reverentia religionis conſenſiſſe, & proinde tyrannos promiſſis ægre ſtaturos, eoum è numero Cardinalium deligi curavit, per quem in patriam & ſedem reducerctur. Advenienti Legato occurrit Turrianus cum longo Sacerdotum ordine & civium turba, atque honorifice exceptum in urbem deducit. Poſtera die vocatis in Concilium primoribus Sacerdotum, Legatus mandata exponit; docetque ſi parere voluerint, reconciliari ſtatim, & populum ab exſecrationibus liberari poſſe. Nihil recuſavit Napuleo, & deditionem ſecundum Legati poſtulata fecit: Ut res Mediolanenſis maneat obnoxia Summo Sacerdoti, ut recipiatur Otho, illiqoe juriſdictio tradatur; ac arces, oppida, agri, quos anteceſſores ſui poſſederant, ei reſtituantur: præterea Cæſarum & Pontificum edicta confirmari placuit, ut immunitas templorum rata maneat; nec tributa Sacerdotes pendant; neu patria & bonis mulctare liceat: quod ſi quippiam detri-

detrimenti eis illatum fuerit, id æſtimata injuria rependeretur. Conditionibus acceptis urbem ab interdicto ſacerorum & ignominia dcteſtationum Legatus abſolvit. Tunc templa patuere, ſacræ ædes populo repletæ, & pro Chriſtiano more frequens opera cærimoniis data. Interea oppidis quoque traditis, præſidia Legatus imponit, ut ſub nomine Pontificis ea cuſtodirentur. Reverſuſque Romam omnia ex voto Othoni confecta renunciat. Quidum itineri ſe accingit, & reliqua incundo Sacerdotio neceſſaria componit, compluſculi dies effluxere.

Interim Conradinus comparatis ſuſceptæ expeditioni neceſſariis per Tridentinum ſaltum in Italiam tranſmiſſus, Veronæ apud Martinum Scaligerum ejus urbis dominum tres menſes ſubſtitit, non quidem ſocordia aut deliciis urbis captus, ut nonnulli Scriptores imprudentia magis quam livore peccantes autumant, ſed magis ſuſpenſus conſpiratione adverſariorum quam majorem opinione offendit; ac propterea etiam, quibus amicis ſe crederet, diligentius ſcrutaturus.

Cœperat autem dominari Martinus ex quo Actiolinus ex humanis raptus eſt, primo per ſpeciem adminiſtrandæ in annum Prætoræ; deinde antequam Magiſtratu abiret de publico conſenſu Capitaneus urbis & populi declaratus. Ergo cum ad tria millia Germanorum contraxiſſet, ſatis fidens viribus, Januario menſe anni octavi & ſexageſimi digreditur
A. C. 1268. Verona, ac per Brixianos & Cremonenſes ad Addum profectus, juxta Cavenagum vicum in Laudenſes tranſit. Inde trajecto Lambro, excipiente Papienſe, ad ædes Divæ Chriſtinæ pernoctavit: inde in urbem Ticinum ſumma cum hominum lætitia intromittitur; ſtatimque ſe ei applicat Ubertus Landus cum exulum Placentinorum manu. Septuaginta numero fuiſſe nobilitate inſignes produntur: atque is Venafri Comitatum jam munere Manfredi conceſſum, & inſuper Murufium oppidum in Apulis ſibi curavit conferri.

Tum Conradinus Papia movens pontem Mediolanenſium, qui juxta Morimondum exſtabat, intercipere tentavit. Sed mature occurrerunt Turriani cum Mediolanenſi turba: certaveruntque juxta turrim Alberti Turriani non longe à foſſa, cui Ticinelli nomen eſt. Hic acie ſuccumbens Conradinus magna ſuorum amiſſa parte, cum impedimentis ægre Papiam regreſſus eſt. Ubi dum itineris ambiguus, quo in Etruriam tranſiret, varia agitat conſilia, Genuam diverſis è regionibus Oratores applicuere: hi ex Gallia à Ludovico Francorum Rege, illi à Carolo ex Apulis, fœdus & amicitiam Ligurum petentes, quibus dum ex varietate ſententiarum & ambiguo favore nihil certi reſpondetur, ecce Conradinus ope Manfredi Carreti, quem ſupra diximus Aquenſi civitate à Marchione Montiſferrati ſpoliatum, ac propterea illi infenſus, contraria ſtudia fovebat, per anfractus notos trans Apenninum ductus, ad Vada Sabatia deſcendit; acceptiſque centum delectis militibus ex præſidio filii Ducis Auſtriæ, qui cum ſequebatur, decem Piſanorum triremes, quæ claſſis mature illi adfuit, inſcendit: & velis in altum datis, vi quidem tempeſtatis in portum Delfinum rejectus, & paucos dies retentus eſt. Sed tamen abſque injuria Piſas mox enavigavit. Auſtrius ut cum mari creditum vidit, cis Padum reverſus, à Papia reliquas copias expedivit: & per Placentinos & montana Parmenſium ſuperato Apennini jugo, in Lunenſem agrum, & inde Piſas traduxit. Ex quo arbitror nonnullos Scriptores exiſtimaſſe Conradinum ipſum eodem itinere uſum juxta Placentiam prætervectum eſſe. Conjuncti Conradinus & Auſtrius, vaſtatis Lucenſium agris, Senas petunt. Sed inter Arctium & Fulligneum Præfectus copiarum Caroli, (*Mareſchalcum* patria lingua vocant) & Epiſcopus Florentinus eis obviam dantur. Ventum ad certamen eſt VI. Kalendas Julias. Multi ferro, plures calore inſueto, ſitique confecti cecidere: ad tria millia hominum deſiderata fuiſſe traduntur. Victi Galli Ducem ipſum amiſere.

Tum à Senenſe grandi pecunia exacta, Romam, unde Clemens, ne tanto rerum turbini interceſſet, ceſſerat, contendunt: ubi Magiſtratum, quem antiquo magis nomine, quam re, *Senatorem* vocant, agebat Henricus Hiſpanus Caſtulonenſis Regis frater, Caroli quidem quondam amicus, ſed nunc ob defraudatam pecuniam, quam mutuum dederat, hoſtis factus. Hic comitantibus Proceribus Romanis, honorifice, humaneque Conradinum excipit, & pro officio Auguſtum Imperatorem conſalutat: dehinc in Marſos tranſeuntem deducit. Adventanti Carolus contractis regni viribus occurrit ad Maxilavim & Vexanum oppida. Et quando in virtute & ferro jus omne ponebatur, Marti rem committit. Pugnatum eſt non minori vi quam odio; non ſolum de gloria & imperio, ſed & de vita agebatur. Succumbit demum Conradini acies; & deſperatis rebus dilapſi ſunt varia fuga Duces. Henricus Senator Romanus in propinquum Cœnobium devenit. Quo cum inſtar aſyli tutus ob religionem eſſe debuiſſet, Abbas tamen hoſpitem prodidit, atque ad Carolum miſit. Conradinus ipſe, Duxque Auſtriæ, & Calvaneus Comes, ejuſque filius Girardinus Piſani, ad Aſturam fluvium in Laurenti agro, non longe à Taracina pervenerant, in cujus tranſitu à domino ejus loci detinentur. Nec ita multo poſt Præfectus Regiæ claſſis Robertus Lavenus applicuit, atque triremibus captivos excepit, & Neapolim perduxit ad Carolum.

Quibus fic in poteſtatem redactis, inauditi in terrarum orbe facinoris deliberatio ſumitur. Conſilium peritorum Juris vocat Carolus; &, quod ſupplicium inferret, quærit invaſori regni, ſeu quietis perturbatori, & ſacrarum ædium prædoni. Cum variæ, ambiguæque ſententiæ dicerentur; Guido Suzaria, vir præcipuæ doctrinæ ac exiſtimationis, in minorem partem inclinatus, docuit; eum nec Læſæ Majeſtatis argui merito poſſe, qui avitum regnum quoquo modo repetiſſet, & ab aliis occupatum vindicare conatus eſſet; tum quod inclinante fortuna ſua digredi prælio maluit, ut ſimul hominum cædem devitaret: templorum quoque direptiones imputari ei non debere, ſed intemperantiæ & licentiæ militari, & improbitati eorum, qui fere ſine ſtipendiis caſtra ſponte ſequuntur. Sed apud eundem, & læſum, & Judicem, & in vindictam ardentem non valuere elegantia & è media Juris diſciplina petita verba. Nec deerant, qui ei aſſentientes animadverti in reos debere cenſerent. Sic veluti publico judicio damnatos capitali pœnæ addixit. Tenebatur forte ludo latrunculorum (*Scacchos* vulgus vocat) Conradinus, cum ei ultima dies denunciatur. Quo verbo attonitus, projecto ludo Sacerdotem petit, quo cum loquutus ea, quæ ad ſalutem ſpiritus pertinent, ad tertium & vigeſimum diem Auguſti, extra urbem in Amphitheatrum producitur; atque ibi novum humanæ fortunæ exemplum atque ludibrium, viduæ parentis reminiſcens, *Hen Mater*, inquit, *quem mox de me nunium accipies!* & in hac voce inclinans cervicem, carnifici præbuit: quod certe miraculo proximum fuit, æſtimantibus toto orbe hominibus, Virum Cæſareum illo Auguſtali, illo Imperatorio titulo fulgentem, &, quod majus eſt, ſanguine procreatum, miſerrimi Siccarii morte affectum. Sed eadem mox ſecuri pereuſſi ſunt Auſtriæ Ducis filius, Calvaneus pater, & Girardinus filius Piſani: qui omnes ſine honore ſepulturæ, ac ne ſacro quidem loco hu-

humati ſunt. Ita Riccobaldus Ferrarienſis ab amico, qui Regis ſupplicio interfuit, accepiſſe ſe refert. Nam poſtea alter Carolus inædificato templo, atque cœnobio Carmelitanorum profeſſionis ſacra terra donari curavit.

Interim navales copiæ Conradini auſpiciis navigantes in Tiberim primo, deinde in Siciliam penetraverant: erant autem octo & viginti triremes, quæ capto Melatio portu, expoſitiſque in terram militibus, & Gallos magnopere conturbaverunt, & magnam inſulæ partem occuparunt. Et quamquam poſtea infelix adoleſcentis Conradini exitus fuerit, & reliqua claſſis Piſas renavigaverit, in Inſula tamen remanſerunt Duces clari duo Friderici, unus Caſtulonenſis Regis filius, & alter cognomento Lancea, & Siculorum titulo Capitaneus; item Henricus Comes Vintimillienſis, & Conradus Trechæ, & alter Conradus cognomine Cacapitius.

Interea Beatrice conjuge, per cujus hæreditatem Provinciæ Narbonenſis imperium adeptus fuerat Carolus, defuncta, ſecundas nuptias appetivit, depactuſque Margaritam neptem Ducis Burgundiæ. Ea Octobri menſe Mediolanum cum patruo venit; biduumque morati nullum non genus honoris à Turriano accepere. Inter cætera epulum populo exhibitum, menſis palam per trivia & compita expoſitis. Duo etiam cives Aribertus Marcellinus, & Boccaſſius Peluceus militari auro donati. Inde Laudem, Placentiamque profecti, Neapolim pergunt. Hoc anno Carmelitanorum fraternitas Mediolani recepta eſt, conſtituta ei ſede extra portam Comenſem.

His ſic ſe habentibus, Clemens Pontifex moritur; & diſſenſione Patrum extracta ſucceſſoris erectio eſt circiter biennium. Ex quo Othoni Vicecomiti Mediolanenſis Epiſcopatus poſſeſſionem affectanti novus labor, novaque agitatio orta eſt. Namque Napuleo temporis occaſione uſus, promiſta abnuit, & nulla conventa agnoſcens, illum patria & finibus arcet. Tunc vaga nobilitas, ne ſine Duce diſperſa oberraret, opulentum hominem ex gente Burra, atque in gerendis rebus minime ignavum Principem ſibi conſtituit. Squarcinum alii, quidam Francinum vocitant. Eundem Otho arctiori vinculo & privato fœdere devinciendum curat. Erat Burro filia ætate adulta, Bonacoſa nomine; Othoni nepos ex Thebaldo fratre, & Anaſtaſia Pirovenea genitus. Matthæus is fuit, qui cum varietate caſuum & magnitudine fortunæ, tum prolis gloria gentem Vicecomitem illuſtravit. Ergo inter hos juvenes matrimonium conciliatur, quo certior quoque animorum conjunctio foret. Erat autem in Matthæo vigor quidam & ſpiritus privata conditione major, jam inde à nativitate patris diligentia expolitus. Natus eſt enim primo anno Jubilæo, quinquageſimo ſcilicet ſupra mille, & ducentum à Chriſtiana dinumeratione, tum inſigni ex obitu Friderici Rogerii Cæſarum ſecundi, nocte diei xv. Auguſti: ſtatimque armenta, quæ in ſtabulis ligata habebantur, effractis vinculis ſponte in campos procurrerunt, graveſque & inſolitos mugitus edidere: ad cujus rei miraculum cum multi concurriſſent, excitus ſimul pater (nam id in vico Inveruno, ſive, ut quibuſdam placet, Maſſino finitimis locis contigit) optimam de puero ſpem concepit, lætuſque prodigio diligentius educari curavit. Ipſe vero per omne pueritiæ tempus alacris & ſui fidens fuit, atque ex ſono vocis rugitui proximo, Brugia inter æquales nuncupatus.

Peractis his nuptiis vicinorum auxilia quæruntur. Cum Gulielmo Montiſferrati Marchione actum, ut nomen & copias ſoceri evocaret quam maximas poſſet; peregrinas enim manus magno uſui partibus futuras. Comprobato conſilio Gulielmus, & litteras, & nuntios dat ad Ferdinandum Regem Caſtulonenſem, (is enim ſocer erat) quibus eum commode rogabat. Legationis vero Princeps deligitur Squarcinus Burrus, qui viva voce idem agat, & doceat, quanta commoda genero parari poſſint vel mediocri præſidio dato, cum propter vicinas opes, tum quod inter ſe certantes populi ultionis avidi omnia ſubituri ſint, modo acceptas injurias hoſti reponant.

Dum in Hiſpaniam Burrus proficiſcitur, Turriani in Vercellenſi agro Boſſolam & Rivulam oppida exulum ſorte receptacula per vim capiunt, ac diruunt. Caroli quoque Apuli auctoritas ex Etruria in Longobardos ampliata; ſiquidem Parmæ civitati Capitaneum dedit nomine Conradum Montemagnum, qui primus externi generis eum Magiſtratum cepit. Ibidem tunc Prætor fuit Manfredus Saxolus. Quibus auctoribus pax cum exulibus ejuſdem civitatis facta. Tum Burgum Sancti Donnini petiere, ut ibi ex compacto decretum conderent. Nam Ubertus Palavicinus inde cedere coactus eſt. Cum vero qua potiſſimum parte locum munirent, quidam ambigerent, & nonnulli totum oppidum una arce cingendum dicerent, fuerunt qui priſcorum bellorum & diurnæ calamitatis reminiſcentes, delendum potius cenſerent. Inclinatiſque omnibus in hanc ſententiam operarios adhibuere, qui nobile Æmiliæ oppidum funditus delevere, ac ne in poſterum renovaretur, decreto ſanxere. Palavicinus puleherrimarum civitatum imperio amiſſo, tum afflictarum partium mœrore confectus, Varanum primo, deinde Gyſaligium Placentini oppidum agri ſe contulit; ubi morbo periit A. C. 1269. menſe Majo anni noni & ſexageſimi. Quo etiam tempore Papienſes afflictam penitus factionem ſuam cernentes, ad pacem cum Mediolanenſibus inclinavere; conceſſeruntque, ut quæ pars murorum Viglevani ſupereret, præter arcem, omnino diueretur. Mozanica vero oppidum Tranſadduanum in confinio Cremonenſium & Bergomatium, ſæpe pravæ hæreſcos reprehenſum, & convictum, cum pertinacius errori inhæreret, permittentibus Euſtorgianis fratribus, damnatur, & immiſſo exercitu per vim captum comburitur. Ei dominabatur Ægidius Comes Curtis novæ, qui imperata ſe facturum reſpondens, in gratiam receptus eſt.

Interea in Laudenſi res novæ conflatæ. Overnagi, nobilis familia, quæ per adventum Innocentii Pontificis pulſa fuerat, nunc reſtituti civilem ſeditionem ſuſcitarunt: ad quam comprimendam miſſus à Mediolano exercitus, populandoagros, quam prælis, infeſtior civitati fuit: ingruente hieme nulla re alia memorabili edita reducitur.

Cum vero per tempus ſequentis anni, qui fuit A. C. ſeptuageſimus ſupra mille & ducentum, licuit, 1270. denuo Turrianus agros Laudenſium devaſtavit, evocatiſque auxiliis à ſubjectis civitatibus Novaria & Bergomo, & a ſociis Placentia & Cremona, junctis navibus pontem in Addua faciunt, & urbem Landem obſident, premunt, undique hoſtilibus modis, & hominum pariter prædæ, & pecorum aguntur. Demum Summariparum factio, quæ tunc patria extorris exulabat, miſſo Pagano Tertiago Prætore ſuo poteſtatem facit Raymundo Turriano tunc Comenſi Epiſcopo componendi negotium inter ſe, & Napuleonem, Franciſcum, & Carnevarium Turrianum, ac reliquos ex ea cognatione viros, Raymundus vero ad tertium & vigeſimum Junii diem pronuntiavit pacem inter eos, & remiſſis utrinque damnis, mutuum commercium. Item ut Summariparum factio, quæ adhuc intra urbem erat, id ageret, ut Albertus Cataſcus tunc in urbe Prætor, & Boſius Doaria cum exulibus Cremonenſibus, & Placentinis, & Mediolanenſibus urbe & finibus cederent intra ſextum diem: & Prætura urbis deferretur Napuleoni Turriano, qui etiam, quem velit, Vicarium inſtituat.

His ſic conſtitutis iterum premit urbem Turrianus; & triduo poſt Kalendas Julias fugatis adverſariis, urbe potitur. Ingreſſus & vulgi favore exceptus Napuleo, dum prandet, novus tumultus oritur. Overnagi duce Sucio Viſtarino arma iterum ſumpſere. Jamque pulſi Summaripæ pene ſuccumbebant; niſi abjecta confeſtim menſa, Turrianus forum occupaſſet, atque mature auxilium laborantibus attuliſſet. Itaque inſtaurato certamine Franciſcus Sucii filius, & triginta duo amplius ex eadem factione cecidere: à cæde ad diripiendas domos diſcurſum. Sucius & alter filius Antonius in Turriani palatium confugerunt, à quo ſervati Mediolanum, ceu procul ab inimicorum furore, mittuntur. Tunc auctus legione trium millium peditum, qui à Mediolano ſupervenere, Napuleo liberam urbis poteſtatem habuit. Et geminas arces, unam, qua Mediolanum verſus civitas adſpicit; alteram ad portam Regalem exſtruxit. Tunc Fifiragam familiam Viſtarinæ infenſam opibus & honore cumulat, atque obedientem in poſterum urbem habuit.

Dum hæc in Longobardis aguntur, Francorum Rex Ludovicus expeditionem Africanam ſuſcepit. Et quo majoribus viribus rem gerere videretur, tres filios ſecum adduxit, Philippum, Petrum, Triſtanum; & Alfonſum fratrem Pictaviæ, Toloſæque Comitem; ac item generum Navarrorum Regem. Ex portubus Provinciæ Narbonenſis ſolventes, Sardiniam primo tenuere, inde antiquæ propinquam Carthagini Timetam petunt. In ea claſſe fuere quinque & quinquaginta varii generis Genuenſium navigia, qui etiam Quactanam oppidum prius quidem à Rege tentatum expugnarunt. Sed cum fere unuſquiſque cælum alienum ægre ferret, (Libyci maxime graves æſtus eſſe ſolent Septentrionalibus hominibus) febre Rex & Triſtanus filius corripiuntur, ac brevi ſpiritum reddidere. Philippus primogenitus in demortui parentis locum ſuffectus Rex creatur. Biduo poſt Carolus patruus ex Apulia adnavigat; & quamvis adventus ejus multum opis favoriſque attulerit, cum tamen pene omnia infeliciter ſuccederent, infeſta terra diſcedendum cenſuere: itaque pace Tunitano Regi data, atque eo nomine exactis centum millibus marchis auri, abeunt. Dum iter molirentur, Edoardus Britanniæ Inſulæ Regis filius, generoſi animi juvenis, cum Aimone fratre applicuit. Cum iiſdem erat & Henricus Alemannus patruelis filius Ricardi Romanorum Regis electi. Edoardus autem, ut pacem factam audivit, adeo moleſte tulit, ut partem Barbaricæ pecuniæ ſibi oblatam accipere præ indignatione noluerit. Cæterum ſimul vela ventis dantes, in Siciliam transfretavere. Dum Drepani naves reficiunt, Rex Navarræ ex febre moritur, quem mox ſequuta eſt Philippi uxor Arragonum Regis filia, Coſſentiæ, cum in Italiam trajeciſſet, equo prolapſa: quorum oſſa plumbeis loculamentis condita, dum in patriam referunt, Viterbii, ubi in creando Pontifice contendebant Cardinales, & dum rei Divinæ operam darent, Henricus Ricardi Romanorum Regis filius gladio à Guidone Comite Montisferrati tranſverberatur. Alfonſus vero Pictaviæ Comes cum uxore, quæ filia fuit Comitis Toloſæ, mari domum redeuntes, Savonæ intra biduum periere. Sic mirum dictu, quam pauci ex tanto numero domum redierint.

Philippus vero, & Petrus frater, appetente vere
A.C. 1271. anni ſeptugeſimi primi, cum jam Padum trajicerent, Cremonæ à Franciſco Turriano, quem quatuor & viginti nobiles Mediolanenſes ſequebantur, honorifice excepti, Bergomum primo, deinde Mediolanum ducuntur. In cujus introitu Napuleo, præmiſſo Carrotio militariter inſtructo, cum nobiliſſimo civium ordine occurrit, & cum parata quoque ſtaret umbella, ejus honorem Philippus, ob præſentem luctum devitavit. Mox Montisferrati Marchio advolavit, & Philippum equis, armis, veſte à Turriano donatum comitatu excepit, & trans Alpes deduxit: atque inde in Hiſpaniam ad conſultandum Ferdinandum ſocerum Regem Caſtulonenſem proficiſcitur.

Iiſdem diebus Cremam oppidum obtinebant nonnulli Cremonenſes, qui præſtare quiddam patriæ cum tenerentur, nec id obſervarent, bello petuntur. Turrianus auxilia obſidentibus, vaſtantibuſque agrum præbet. A Junio menſe in Septembrem ſuſtentatum negotium eſt. Tunc ſeptingenti equites à Carolo Rege adjunguntur Brixianis, Mantuanis, Veronenſibus, Placentinis, Cremonenſibus, & Manerbium oppidum, quod pariter ab hoſtibus tenebatur, circumdant. Tunc Mediolanenſis Carroti fama invulgata, deditio maturatur; & reconciliatis animis affinitates & connubia contraxere.

Per idem tempus Viterbii Principes Religionis poſt diuturnam & jam pudendam contentionem, cum in neminem ipſorum præſentium convenire poſſent, in abſentem animum conjecere. Thibaldus erat Vicecomes, patria Placentinus, Leodienſis Eccleſiæ Archidiaconus, Syriarum rerum cauſſa, quas Edoardus Britannus tentabat, in Judæam proxima hieme profectus. Hunc igitur eligunt, & mutato nomine Gregorium Decimum appellant. Ad quem ſalutandum cum multi, & nobiles Principes, & illuſtres legationes proficiſcerentur, Carolus in primis Apulorum Rex enavigavit, & navi ſua receptum in Italiam, Romamque perduxit. Et cum multi ad eum viſendum confluerent, Vicecomes ipſius Pontificis frater, deſignatus Mediolani Prætor in proximum annum ſeptugeſimum ſecun-
A.C. 1272. dum, ſubſtituto in Magiſtratu Bonifacio Vialata Papienſe, Romam contendit. Eodem mox gratulationis cauſſa miſſi duodecim à Mediolano Oratores, ex nobilioribus delecti. Subſequutus pariter Otho Vicecomes rogavit, ut quod morte anteceſſoris prohibitum ſibi fuerat, id quam primum juſſu & auctoritate ipſius conſequeretur. Cujus poſtulata, quamvis Gregorius juſta & æqua cenſeret, tamen exſequi diſtulit; quia indicto Lugduni Concilio, haud exaſperandos Turrianorum animos cenſebat.

Interim Majo menſe prodigioſa papilionum multitudo apparuit, ex qua dirum quiddam & infauſtum pertendi cum homines auguraretur, non ita multo poſt Novariæ Philippus Muſſus fraude Guilelmi occiſus eſt. Cujus cædis cauſa profecti Novariam Napuleo & Franciſcus, captos factionis Bruſatæ, & Caballatiæ primores Mediolanum relegarunt. Et Franciſcus ibi Rector moratus arcem inædificare cœpit. Eodem tempore Mediolanum venere Montisferrati Marchio, & Legati Caroli Regis viri honeſtiſſimi. Quid attulerint egerintve, incompertum eſt. Henricus quoque Sardorum Rex, quem diximus magno Scriptorum errore, ab aliis Entium, ab aliis Rentium, & interim Egentium nominari, in vinculis Bononiæ moritur. Et Mantuæ Guido & Matthæus Corrigii, diu ſummo Magiſtratu potiti, à nepote Pinamonte Bonacoſa circumventi, regno & opibus dejiciuntur. Pinamonſque ipſe factionem Cæſaream profeſſus, & à Verona militaribus copiis acceptis, urbis dominium ſibi vindicavit.

Cæterum menſe Martio incunte anni ſeptugeſi-
A.C. 1271. mi tertii, Edoardus cum Eleonora conjuge (ea ſoror erat Alfonſi Caſtulonenſis Regis) reverſus ex Syria Neapolim appulit; ubi magnis honoribus à Carolo Rege exceptus, impetrare tamen non potuit, ut Henricus uxoris frater ex ſocris Conradini adhuc in vinculis ſupervivens, amico ſibi atque hoſpiti condonaretur. Ab Neapoli terreſtre iter

greſſus, Bononiæ civilem diſſenſionem componere, ſed fruſtra, ſtuduit. Jam Ciſpadanam oram tenentem Franciſcus Turrianus Laudæ, & mox Mediolani Napuleo cum maximis honoribus excepere. Ubi triduum moratus Edoardus varia generoſi animi documenta præbuit; atque interim narravit, ut olim, nono videlicet ab hinc anno, Inſula Britannia Duce Simone Monteforte rebellavit, Regemque Henricum patrem, Edoardum ipſum, Ricardum patruum, & Ricardi filium una conſpiratione captos in vincula conjeciſſet: & ut elapſo anno ipſe cuſtodes eluſiſſet, manuſque hoſtium evaſiſſet: tum coacto exercitu, imploratoque paternorum amicorum opem Simonem debellaſſet; eoque capitali pœna mulctato, parentem regno, patruum, & patrueles libertos priſtinæ dignitati reſtituiſſet. Et ut noviſſime in Syria ſummo diſcrimine ſit pervagatus. Inſinuatus illi intima familiaritate erat Barbarus quidam, qui per ſpeciem ſpeculandi, renuntiandique hoſtium conſilia adeo domeſtice Edoardo utebatur, ut ſæpe remotis arbitris ſolus in cubiculo retineretur. Hic igitur trucidandi ejus conſilio capto, ſuper cœnam ingreditur, & ceu arcana quædam relaturus, ut miniſtri cederent, innuit: tum ſtricto gladio illum appetit. Rex vero, qui naturali vigore egregie valebat, pugno, ut potuit, in tanto diſcrimine repercuſſit tanta vi, ut illico in terram cadens expiraverit. Famuli ad clamorem, ſtrepitumque excitati, & caſum mirati, perfidiamque barbaricam incuſantes, Regi vulnus obligant, quod cum haud grave fuerit, brevi cicatricem obduxit. Exacto triduo Edoardus Legnanum oppidum Seprienſi regione non ignobile quarto Kalendas Junias ductus, novo ſumptu atque honore à Turrianis afficitur: atque inde ſuperato Ticino trans Alpes abiit.

Proximo Octobri Gregorius Pontifex, Lugdunum petiturus, in Longobardiam venit. Sequebatur Otho Vicecomes ſperplenus, tunc demum Sacerdotii ſui adipiſcendi, ut ſæpe Pontifex pollicitus erat. Sed ſive jam præoccupatæ à Turriano illius aures forent; ſive ita fatum Othonis ferebat, jubetur tantiſper circa Padum ſecedere, dum neceſſaria alia conficerentur. At, ut æquiori animo abeſſet, video illi conceſſas fuiſſe quaſdam terras Eccleſiæ: ſiquidem cum Cerranæ oppido Derthonenſium oberraret, mandatom confecit in fratrem Bartholomæum Miniſtrum Ordinis Minorum, qui exigeret vectigalia Aronæ, Verganti, Tilii, & vallis Saxinæ, quæ ſibi nomine Archiepiſcopatus Mediolanenſis debebantur. Trajicienti Padum Pontifici affuit Raimundus Comenſis Epiſcopus, & Manfredus Turrianus Archipresbyter Mediolanenſis cum ſexaginta nobilibus civibus, quos ſingulos octoni, ſenive equis ſedentes viri ſequebantur. Ex Laude cum in vicum Boldonum veniſſet, advoluti genibus, & pedem deoſculati ſunt Napuleo, & Franciſcus Turriani, & Boniſacius Carretus, qui tunc Mediolani Præturam gerebat. Et urbem introducentes, quicquid nobilitatis & religioſi nominis erat, ſtare longas per vias juſſerant. Tum infinita populi multitudo & turba incondita cætera complebat. Non minus ſpectaculi ex admirando hominum numero Pontifex capiebat, quam ipſe ex Majeſtate ſua illis præberet. Vehebatur autem curru arcuato, & per feneſtram cuncta videns, manu ſigna bene omnibus dicentis faciebat. Pone ſequebantur decem Eccleſiæ Principes, & Pontificis ſocii, quos inveterato vocabulo Cardinales dicimus, rubro galero inſignes: inter quos Otbobonus Fliſcus Innocentii Quarti nepos; & Bonaventum Bagnaretus ex fraternitate Minorum, ob excellentem Theologiæ peritiam promotus, & Guhelmos, ac Vicedominus ex gente Vicedominorum, quæ inter Nobiles Placentiæ nunc quoque habetur. In ædibus Ambroſianis datum ei hoſpitium fuit: ubi tres dies moratus, pauciſſimos in colloquium admiſit: tum muneribus ampliter donatus, noctu ſine ulla comitatus pompa abiit trans Ticinum, Alpeſque ſuperavit. Nec ita multo poſt Raimundum Turrianum Comenſem Epiſcopum Patriarchatu Aquilejenſi donavit. Et Novariæ Bruſati, & Caballatii repentina invaſione arcem à Turriano conditam hoſtili manu foſſâ, valloque circundedere. Napuleo, Franciſcus, & Caſſonus Turriani, necnon Carretus Prætor contracto tumultuario exercitu, eo proficiſcuntur. Sed jam adeo validas hoſtium munitiones offendere, ut penetrare auſi non ſint; atque irrito propoſito revertentibus, decimo die arx dedita, reliquæ urbis defectionem traxit. Amiſſa Novaria, Turriani percuſſorem Othoni Vicecomiti, propoſito præmio ſubornant. Sed ille cognitis inſidiis, & quanto in diſcrimine verſaretur ſuicoo revolvens, infeſto ſolo cedendum ſtatuit; & Lugdunum proficiſcitur.

Interea ineunte anno ſeptuageſimo quarto Novarienſes cum Papienſe arma conſociant, & conA. C. 1274
junctis viribus ditionem Mediolanenſem inrumpunt. Pontem in Ticino, qui juxta Turbigum fabricabatur, expugnant: circa accolarum fuga & trepidatio fuit; & Napuleo haud ſegniter occurrit. Mox intercedentibus amicis pax conciliatur; & dimiſſi captivi utrinque ſunt.

Per quod tempus Mediolanum venit Imperator Conſtantinopolitanus, & Abbas Cœnobii Monteceſſinenſis Caroli Apulorum Regis Legatus: contractaque inter eos affinitas eſt, pollicente Carolo filiam infantulam matrimonio nepoti Impemtoris, cum uterque per ætatem contrahere maritalia jam poſſent. Ejuſdem Caroli nepos Roberti Arteſii Comitis filius, ex Gallia in Apuliam proficiſcens, hic pariter decem ſuper dies ſedit, Regiis honoribus decoratus.

Cæterum Germanorum Imperium, in quo nullus quattuor & viginti annis legitime regnaverat, ad Rodulphum Comitem Havensbergenſem eodem tempore delatum eſt. A quo noo multo poſt Napuleo titulum retulit Vicarii Cæſarei in Longobardis. Tum Raimundus frater mirifica pompa inſtructus Mediolano digreditur, petiturus Aquilejam ampliſſimi ſui Sacerdotii urbem: ſexaginta viri domeſtico ſervitio addicti erant: bis quinquaginta nobiliſſimi cives honoris gratia adjunguntur; quos ſingulos quaterni famuli equis ſedentes ſequebantur. Præteres ſexcenti alii agmen ingens faciebant. Vix eo digreſſo, cum apud Pontificem reſ ſuæ non deeſſet Otho, ſignificaretque neque ſuos in Sedem recipi, neque liberos ſibi proventus Sacerdotii relinqui; nova ignominia Turriani afficiuntur, & univerſa civitas ſacris rurſum interdicitur. Ex Hiſpanis vero petita auxilia nunc demum comparere cœperunt. Trecenti equites, & novem centum pedites navibus Genuam delati peropportune applicuerunt.

Cum res novæ in Liguria Caroli auſpiciis agitarentur, adverſus invaſores ejus regionis fœdus ineunt Guhelmus Marchio Montiſferrati, Genuenſium, Aſtenſiumque Oratores, ac item Papienſis. Hiſpanorum cohors eis Padum traducitur, & Papiæ in hibernis collocatur. Eidem ductor Boſius Doaria decernitur. Ad hunc Otho Vicecomes reverſus Lugduno, & cæterorum exulum manus confugit. Tunc Mediolani repentinus rumor & ſuſurri increbuere, eos brevi in urbem venturos. Confeſtim Napuleo convocatis amicis, in forum & per compita diſcurſat; quid novi fieret, explorat; armari ſtudioſos ſui, & ex villis agreſtem turbam acciri jubet. Quorum poſtero die tanta multitudo comparuit, ut vel hinc quantum vulgo diligeretur Turrianus dignoverit. Nec ita multo poſt

diem Gulielmo Poſterlæo, Othorino Mandello, & Franciſco Canfanonerio dixit. Quos abeuntes ducenti fere alii ſequuti ſunt. At hi ineunte menſe A.C. 1275. Januario anni ſeptuageſimi quinti Novariam profecti, eo reliquos exilii & ærumnarum ſuarum conſortes, & Hiſpanos ex bibernis accivere: ac ſubito pontem, quo Ticinus fluvius juxta Galiatum oppidum jungebatur, invadunt, & territis, exturbatiſque defenſoribus, capiunt, & abrumpunt: tum Galiatum aggrediuntur, cui dum à Turriano ſubmittuntur auxilia per alterum pontem, qui juxta Viglevanum erat, hoſtes vado fluvium, ut tum forte exilis aqua erat, in citeriorem partem tranſeunt; aggerem incilis foſſæ, quæ Mediolanum defluit, ac maxima emolumenta importat, reſcindunt; & late evagati, opulenta cum præda abierunt: ac Pombium oppidum cum arce parvo negotio, cum à paucis cuſtodiretur, capiunt. Inde cum jam ſigna veris appeterent, Monnsferrati Marchio adjungitur; & Viglevanum invadendum ſtatuunt. Cumque ex improviſo acceſſiſſent, ſtrepitu & trepidatione omnia compleverunt: ædificiis ignem ſubjicientes, fugam habitatorum à ſuburbiis, oppidoque in arcem fecere; parumque defuit, quin ea potirentur; ſed ab ea impedimento cataractæ, quæ mature demiſſa fuit, excluſi, Novariam revertuntur. Cumque iterum eos Ticinum venturos, & agrum Septum invaſuros, pro explorato Turrianus haberet; miſit equitatum Mediolanenſem, & turmas Gallicas in vicum Caratum: ubi dum negligentius cuſtodias agunt, & nimium ſecuri Baccho indulgent, & totas noctes dormiunt, ſupervenere hoſtes paulo ante diluculum, & in eos irrumpentes, multos occidunt, alios ſpoliant, aut capnvos vinculis adſtringunt, pauci inermes, & ſemiveſtiti fugæ viam invenere. Audito tumultu, Nspuleo confeſtim adequitavit: ſequebatur eum ingens numerus equitum, peditumque: adverſarios adhuc ibi cum impeditos præda tum præſtolantes auxilia ex Tranſadduana regione, offenderunt: & tela in eos vibrantes facile incompoſitos perturbarunt, & univerſos fere ceperunt. Qui ab clade ſuperſucre, Papiam divertere, atque inde nova manu contracta, agrum Mediolanenſem rurſus incurſant, ac Caſſinum uſque, qui vicus ſexto tantum milliario diſtat, pervenere. Inde abeuntes cum præda adjunguntur copiis Marchionis Montisferrati, & Cremenſium; Viglevanumque invadunt, ſuburbaniſque ædificiis aduſtis, evanuere.

Interea ſparſa per Italiæ urbes fama reditus Gregorii Pontificis ex Gallia, Raimundus Turrianus, quo honorificentius is Mediolani acciperetur, ab Aquileja redit. Deſcendenti vero ab Alpibus Gregorio affuit Otho, inſtabatque, ut in patriam, & demandatum ſibi Sacerdotium reduceretur. Sed neque tunc ex uſu & utilitate publica viſum Pontifici eſt id tentare: cum per contumaciam Napuleonis id ſine armis & ſanguine confici non poſſe perſpiceret. Igitur juſſus ſecedere Bugiellam, quod Vercellenſium oppidum eſt. Otho turbatus, & mœrens, ſpeque omni depoſita recuperandi Sacerdotii, eum ſic bis à Pontifice ipſo fruſtratus ſoret, abiit. Gregorius ipſe in urbem ingreſſus, in ædibus Ambroſianis cohoſpitatur; perfacileſque tunc aditus fuit quibuſcumque eum alloqui cupientibus.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XVII.

EPITOME.

Sed jam Fortuna Turrianos pertæſa Othonem Vicecomitem ſequebatur. Nimirum Turrianos Pontificia auctoritatis non ſemel ſpreta flagitium ad interitum urgebat. Igitur Otho Arona & Angleria potiri fruſtra conatus, & clade inſuper accepta, omnique ſpe obtinenda dignitatis dejectus, puleberrima occaſione rei bene gerenda repente erigitur. Napuleonem, & pleraque Turriana capita in vico Decio non magno præſidio ſepta unius transfuga indicio facile per noctem circumvenit: & aliquibus in ipſe conflictu necatis, aliis captis, & Baradellum in enſtediam miſſis, bellum prope confectum eſt. His enim Mediolani cognitis, adeo cum Fortuna favor populi conſpiravit, ut Turrianorum ædes populari tumultu direptæ ſint; & Oratores ad Othonem miſſi, qui victoriam gratularentur, urbemque dederent. Qui ſuis, ut ne ultra bellum, ac victoriam ſævirent, alloquio perſuaſis, Pontificio inſignis cultu Mediolanum, adeſque Ambroſianas ingreditur: ſacriſque operatus, ac de pace prafatus, tandem in Prætorio Principatu civitatis Epiſcopum induit: & magiſtratus pro arbitratu conſtituit, eorum temporibus ad ſemeſtre contractis, ne fides diuturnitate corrumperetur. Dies, qua Deciana illi mœbi illuxit S. Agnetis memoriam Vicecomitum generi religioſiſſimam fecit. Turrianorum reliquia, qua Mediolane profugerant, Laude, Cremonaque excluſa, Parma & Verona in potentium amicorum clientela aliquandiu quieſcunt: tum evocatis ex Germania auxiliis, & acerte Raymundo Aquilejenſi Antiſtite cum valida militum manu, Laudenſibus, ac Cremonenſibus demum nobis infenſis adjunctis bellum renovant: & Crema, aliiſque compluribus oppidis recuperatis, agrorumque vaſtatione Othonem adeo vexant, Gulielmum a Monteferrato, delato ſtipendio, atque urbis principatu, evocare cogatur. Dumque ad facilioremm Landa obſidionem Gorgonzola ſedem Addnam avertere in Lambrum molitur, à Turrianis occupatus, non modica clade accepta, in latebris ſalutem invenit. Napuleone ſu cuſtodia defuncte, Gulielmus pacem inter Vicecomites, Turrianoſque conciliat: ſed ea inter diſfidentes adeo velumtates diu vigere non potuit. Igitur edictis copiis, Tricium, totamque Fulcheriam, adjuvantibus Trivilionſibus, ob eam rem civitate donatis, in poteſtatem redigit: deinde Incinnum Turrianorum perfugium funditus exſcindit: tum ad Gorgonzolam ingenti præſio Raymundum debellat, totiſque Longobardorum finibus exigit: demum ex Hiſpania cum auxiliis reverſus, dum Laudenſes obſidione premit, ſubmiſſis amuſarum circa urbium præſidiis ſubmotus, pacem ea conditione firmat, ut inde Turriani, Mediolano exulent Viſtarino. Sed cum

cum noſtris ac fœderatorum copiis egregio inſtructus in acie ſtaret adverſus Tranſaddunanas civitates; & in urbe magiſtratus pro arbitratu decerneret; novaque inſuper in Comenſes dominatione actus eſſet, Othoni aliiſque Nobilibus ſuſpecta admodum ejus cœpit eſſe potentia. Pace igitur clam illo cum hoſtibus facta, cum indignaus ob id Guilelmus urbe ceſſiſſet; & bellica Matthæi Vicecomitis virtus in recenti adverſus Comenſes expeditione comperta eſſet, ejus quoque Vicariam Prætura atque urbe depulere per idem fere tempus, quo Gallicum nomen Siculo Veſpere Inſula tota diſpunctum eſt. Mox evocatis ex Germania auxiliis ad Derthonam & Caſtellatium cum Guilelmo pugnatur varia utrinque fortuna: multoque acrius ad Septium cum Turrianis ac Comenſibus una cum Guilelmo adverſus Othonem conjuratis: quo bello abdicato Carroccio vexillum album rubra notatum cruce cœptum eſt uſurpari. Pace demum Comenſibus data, Turriani finibus cedunt: Otho Septio oppido res novat multentibus obnoxio radicitus exſtirpato, in invidiam ac ſuſpicionem nimiæ dominationis venit: cui amovenda duodecim populares in conſilium, partemque dominationis adhibet; ſimul ad ſecuritatem imperii Turrianorum ſtudioſos in exilium agit. Inde ad conformandos Clericorum mores convertitur.

A.C. 1276. CUM mox in Etruriam perveniſſet Gregorius, Aretii moritur menſe Januario anni tunc incipientis ſexti & ſeptuageſimi. In cujus locum ſuffectus Petrus Tarantaſius Epiſcopus Hoſtienſis, præclarus Theologus ex Fraternitate Prædicatorum, Innocentius Quintus nuncupatus fuit. Is Carolum à bellis ſtudiis in Genuenſes ſuſcepti avertit, ac pacis contrahendæ auctor fuit: ſed haud longiorem illi vitam fata conceſſere: nono Kal. Julias Romæ moriens, ſucceſſorem habuit Othobonum Fliſcum, qui Adriani Quinti nomine inſcriptus, quinque dies ſupra menſem non vidit. Ergo ad Petrum Hiſpanum (è Lufitania hic oriundus erat) res defertur: Joannemque vocant inter Pontifices hujus nominis primum & vigeſimum.

Per quod tempus Locarnas, jubente Napuleone, Franciſco vero fratre multum repugnante, è carceribus, quibus jam duodecimum conſenuerat annum, dimittitur, exacto palam jurejurando, ipſum rem ſemper, & fidem Turrianorum cultorum: miſſuſque eſt Comum, ut eam urbem, in qua non exiguæ auctoritatis erat, in ſocietatem & fœdus adduceret: ſed is diuturnæ injuriæ ultor, & partium memor, contraria omnia curavit. Comenſium animis ſibi conciliatis, arcana conſilia cum Othone Vicecomite init, pactus Capitaneatum Mediolani in triennium, ubi recuperata civitas foret. Ejus autem magiſtratus ſtipendium annuum erat duodecim millium librarum monetæ minutioris, cujus nummos *Tertiolos* vocant. Tum Manfredus Languſeus, qui opibus & clientelis Papiæ plurimum poterat, convenitur; & majoribus promiſſis oneratus, futuræ ſocietatis Prætor declaratur. Ita ſenſim copias & vires circa Verbanum lacum contrahunt: Aronam & Angleriam denuo obſcdere: ſed conſtantia oppidanorum aliquandiu ſuſtentatæ, mox prælio commiſſo debellantur, ac cæſo Languſco fugantur: capti quoque ſuere duo & viginti ex primoribus Patriciorum Mediolanenſium, in quibus Tibaldus Vicecomes Othonis Archiepiſcopi frater fuit: quos uno decreto Gallarati oppido capite mulctatos ferunt: qui à clade ſuperfuerunt, Vercellas ſe recipiunt, atque Othonem, ob fortunam toties improſpere tentatam de ſumma rerum deſperantem offendunt: tum verbis ſolati, neque cedendum adverſis, neque ceſſandum ab earum rerum præparatione, quibus tot malis fracti in melius tandem erigantur; & nefaris amentia illorum, qui ſacerdotis jura occupant, aliquando comprimatur: ſic olim viros Romanos, quamvis multis cladibus attritos, ac exercitibus ipſis delectis, numquam inflexiſſe animos, aut pacem ab hoſte petiiſſe. Confirmatus ea oratione Otho: *Ego equidem*, inquit, *is non ſum, qui pericula detrectem. Nam pro ſacerdotio & patria recuperanda vel emori poſſum.* Aderat Rizardus Languſeus Manfredino opibus & dignitate proximus: hunc quia ad cum quoque accepta injuria pertinebat, ac proinde acriorem vindicem fore exiſtimabant, Rectorem ſocietatis creant, & Præturam urbis perpetuam pollicentur, cujus tunc annuum ſtipendium erat librarum decem millium.

His ſic conſtitutis, cæteriſque, quæ ad bellum neceſſaria videbantur, ex integro comparatis, men- A.C. 1277. ſe Januario anni ſeptuageſimi ſeptimi per Novarienſem agrum in Seprienſem effunduntur, adjectiſque Comenſium auxiliis, Seregnium, Caratumque oppida occupant. Cum omnia novo motu plena, & fugam ex agris undique fieri Napuleo audiviſſet, quantum in re ſubita poteſt virium contrahit; Fratres & alios Turrianæ cognationis Principes præire jubet, qui interim amicos confirmarent; ipſeque cum Prætore urbis, qui tunc fuit Pontius Amatus Cremonenſis, ſubſequitur: haud amplius ſeptingentis equis in promptu tunc habuere; cum quibus Decium vicum, qui Carato, Seregnioque confinis eſt, ſe omnes contulerunt. Simul Canturium mittunt, qui Caſſonum Napuleonis filium (is alio nomine Ubertus vocabatur) & Gottofredum Turrianum, qui triennio ab hinc Præturam Patavinam geſſerat, ibi cum ſeptingentis aliis equitibus hiemantes, in auxilium vocarent. Ab urbe autem urbana multitudo poſtero die affutura Carrotium inſtruebat: ſed tunc ſua ipſos fata urgebant. Elapſus transfuga Decienſis Othonem monuit, pauciſſimos milites in vico ſuo hoſpitatos eſſe: adeſſe vero capita ipſa Turrianorum, ceu piſces in naſſa incluſos, numquam opportuniorem daram occaſionem rei bene gerendæ, ſi viri ſint, & hac fortuna uti ſciant: haud cunctatus Otho, Principes exercitus ſtatim vocat, & quo ſita res loco ſoret, docet. Conſentientibus omnibus utendum commoditate, arma intempeſta nocte capiunt; Decium profecti ædificia omnia circundant; alii faces, & tela injicientes tumultum excitant. Jam clamor & ſtrepitus undique fieri, hoſpitea in domibus cædi, alii equis, armiſque ſpoliari, alii jam expediti prælium capeſſere: jamque cuncta atroci miſcebantur certamine, cum Franciſcus Turrianus apprehendenti equum ſuum militi brachium amputavit: moxque ipſe, & Andrejetus conſanguineus, ac Pontius Prætor multis affecti vulneribus cecidere: cæteri vero inditis vinculis capti fuere. Napuleo ipſe, Carnevarius frater, (alu Cavernam vocant) Conradus agnomento Muſca, Napuleonis filius, & Guido Franciſci ibidem capti; tum Herrecus, & Lombardus cognationis Turrianæ, qui omnes in poteſtatem Comenſium devenere; & Comum ducti in arce Baradelli cuſtodiendi locantur. Captis Ducibus, in quibus tota vis belli pendebat, facile fuit reliquæ multitudinis curam diſſimulare: ademptis armis, equiſque, dimiſſi cives ſunt.

Perlata Mediolanum fama rei geſtæ, ſtatim concurſum eſt ad ædes Turrianorum, ac tumultu populari direptæ, ſpoliatæque ſunt: ſic jam fortuna favor hominum mutatus erat. Caſſonus & Gottofredus ex fuga ſuorum rem male actam audientes, ſed haud ita gravem jacturam exiſtimantes, Mediolanum

lanum decurrunt, & quamquam in ipſo limine prohibere ingreſſu urbis quidam ſunt conati, vi tamen facta penetrarunt: ad domos paternas cum perveniſſent, ac eas vacuas & deſertas offendiſſent, mœſti in forum pergunt, aliaſque urbis regiones diſcurſant, voce, tubaque ſtudioſos partium ſuarum vocantes: ſed perpaucis audientibus cognoverunt, quo res ſint deciſſent; ac jam parum tutam moram ſuam in urbe exiſtimantes, porta Romana egreſſi Laudem verſus abeunt.

Eodem tempore Oratores ex urbe ad Othonem proficiſcuntur gratulaturi victoriam, petiturique veniam populo multis calamitatibus afflicto, & qui non tam ſponte ſua, quam paucorum contumacia in eum peccaſſet; ſimul ſignificaturi, patere illi, quandocumque vellet, libcrum in urbem reditum. Ad ea Otho pauca de lenitate ſua loquutus, quo minore in metu illos relinqueret, qui adverſariorum arma ſecuti fuerant; conſolatur ſupplices, ſpeque ſuturorum recreat; placere ſibi vocem illius, qui dicebat ſanguini civium parcendum eſſe, & ultra victoriam minime ſæviendum, tantumque ſtringendos gladios, vibrandaque tela, dum in acie ferox ſtaret hoſtis: eo abjecto, & colla ſubmittente, quid amplius Sacerdotes in primis volumus, quam confeſſionem veteris adagii: *Divinam iram ad ſui vindictam eo gravieri ſupplicio, quo lentiori gradu, ſolere procedere.* Quare ſcirent omnes partam eſſe eunctis pacem. Ab hoc ſermone læti & plaudentes Legati optimam & vere religioſam Præſulis voluntatem collaudant; & domum reverſi, pacata, ſeliciaque omnia renunciant, neceſſaria expediri curant: ut Otho pro reverentia Religionis & dignitate reciperetur: atque is interim, priuſquam viam ingrederetur, ut ſuorum animos ab impetu & ira temperaret, ſic eos allocutus eſt: *Quotiens exitium grave, & diuturnas aruminas, geſta cum civibus bella, acceptas ſubinde cladis, & continuata damnis damna, unam hanc pugnam, qua noviſſimo debellati hoſtes ſunt, intueor; hoc certius affirmare ſoleo; Omnipotentem & omnia videntem Deum ab iis ſemper ſtare, qui mitiore vivendi ingenio, juſtiora arma tractant. De Imperio, pro recuperanda patria, boniſque certavimus, & tandem victimam: debellatus jacet hoſtis, veniamque petit, aut certe longe finibus cedit. Quid volumus ultra, niſi ut partis fruamur humanitate memores, ac manſuetudini illius participes, qua docemur a crudelitatibus recedere, injurias & crimina vindicanda Deo relinquere. Quis credet, poſt dura & calamitoſa exilia, poſt tot eberres caſus, ſpoliata caſtra, rem totiens male geſtam inquiſſimo anni tempore, prater omnem ſpem, atque opinionem, unius noctis eventu nos patriam, opes, dignitatem recuperaſſe; atque hoſtem uno, ut ajunt, alea jactu ita ſuperaviſſe, ut nec plus quidem panarum ab eo expetere poſſimus, quam ut vivens ſpectet, quod maxime nollet: nos victores rerum dominos, tanto majori benevolentia, quanto æquiori jure eadem in civitate vivere. Certe id non ſapientia noſtra, aut conſtantia animi, militumve virtute, ſed divino nutu, ac beneficio effectum eſt. Ille ſuperbiam, ſcelera, rapinas adverſariorum, noſtrorumque mortes ultus eſt, qui ex alto mentes noſtras reſpicit. Eidem ergo, & afflicta patria injurias, & vindicta cupidinem condonantes, ingrediamur urbem læti, & ovantes, conditis gladiis mites, & inermes, & nihil in perniciem cujuſquam molientes, auſpicemurque perpetua pacis & futura tranquillitatis hinc faciamus. Spectet nos ſecura civitas, nec ſecus, quam deceat, Paſtorem ſuum accipiat.*

Ab hac oratione læti omnes, & jucundi acclamavere, prudenter, ſapienterque hæc monita eſſe, & libenter facturos, quæ ſuadercotur. Tunc Otho ex religionis more ac ritu mitram & pallium induit, & antecedente aurea Cruce, paſtoraliaque li- A tuo Mediolanum verſus ire cœpit. Univerſa protinus effunditur civitas. Sacerdotes primi generatim pro habitu pſalmos & hymnos canebant Deo. Tum cives olivarum ramos, & paciſcram frondem geſtantes incedebant, alii herbis terram ſternebant, procumbenteſque humi, venientem Præſulem ſalutabant. Sic urbem ingreſſus primo in æde Ambroſiana, thure frequentibus aris ſuccenſo, gratea Deo egit, & ſuſcepta vota perſolvit. Cæteriſque incundo Sacerdotio ex more majorum peractis, verſus ad populum: *Hodie*, inquit, *pacem vobis & longa certamina finem attuli: jam quies cadibus, injuriſque erit. Quare nunc vos invicem reconciliemini; B abhorrete preteritorum malorum memoriam; operam date, ut animi in unum coaleſcant; opes concordia & mutuis beneficiis augeantur, qua diſidio nimio peſſum ivere; & poſthac ſibi nemo noceat; nemo alteri fraudem moliatur, aut de urbis ſtatu ſollicitus, aliud, quam quod ſua rei & communis privato conducat, curet.* Deinde in Prætorium tranſivit, ubi admiſſis primoribus civium, idem, qui ſacrorum Præſes erat, urbis Dominus conſtituitur. Prætura Rizardo Languſco, Capitancatus populi Simoni Locarnati, Præfectura portæ Romanæ Gulielmo Burro demandatur. Dies ipſa, qua debellato Turriano, lætiora omnia evenere, cum alioquin aonua memoria D. Agneris ſanctæ, religioſaque eſſet (fuit enim duodecimo Kal. Februarii) in perpetuum ob rem bene geſtam conſecrata C eſt; indictumque ne Prætor jus ea dicat, nec lege quiſquam agat, & ab omni munere publico, privatoque opere populus abſtineat. Honoribus quoque affecti ſunt, qui relictis adverſariis ſtatim in partes tranſivere. Tres omnino familiæ veteres in Curiam tunc electæ ſeruntur, Mirabiles, Marcellini, Caſtani.

Cæterum adverſæ Turrianorum pugnæ fama ad finitimas urbes, populoſque ſtatim pervolavit; & cum fortuna favor hominum eſt mutatus. Quare & reliquiis eorum Caſſono, Gottofredoque ex fuga ſalutem, ſuppetiaſque quærentibus, clauſæ fuerunt urbes Laus & Cremona. Parmæ demum conſugium patuit, jure, credo, veteris hoſpitii, & affinitatis cum præpotenti familia contractæ: nam Bartholomæus vir in Turriana gente præclarus uxorem duxerat Franciſcam Guccioli Rubei prædivitis filiam, cum qua, & liberis, magnaque amicorum caterva is cedens patria, Veronam ſe contulit, atque ibi coemptis domo & prædiis, larem ſibi, poſteriſque ſuis conſtituit. Eoſdem ſecuta gens Madia Brixiæ conſtitit, è quibus ſenior quidam ſolebat quotannis ioſclicis prælii diem contumelioſis verbis excipere, & ſemper aliquid operis manu age- E re, non quidem lucri captandi, quo minime indigebat, cauſa; ſed in Divæ Agnetis ignominiam adeo, ut, cum cætera deeſſent, lateres inertes, & jacentia domi ſaxa ex uno angulo in alterum, nulla neceſſitate impulſus, deportare ſe diceret.

Eodem anno, & Joannes Pontifex novo genere mortis Viterbii obiit, preſſus videlicet ruina domus; & Maſtinus Scaliger conſpiratione Scaramellorum & Pigottorum octavo Kal. Novembris interfectus eſt; ſicuti & octo ſupra annis Rocha frater Villæfrancæ fraude oppidanorum interceptus fuerat. Cæterum Maſtini cæde non tam dominatu civitas, ut forte conſpirati cogitaverant, liberata F eſt; quam domini perſona mutata: namque ſtatim Albertus frater Capitancus declaratus, Imperium excepit, parricidaſque male mulctavit.

Interea Mediolani Otho negotia publica paulatim ad arbitrium componens, Magiſtratuum tempora contrahi curavit. Prætura in primis, quæ annua eſſe conſueverat, ſemeſtris facta eſt; & eo ſpatio evoluto Languſci auctoritas circumſcripta eſt, atque in Magiſtratu Albertus Fontana ſubrogatus cootinuavit in ſequentem anoum octavum & A.C. septua- 1278.

ſeptuageſimum. Per quod tempus, quamvis Otho in conciliandis finitimis, augendiſque amicis plurimum enitteretur, tamen Turriani non ceſſabant populorum animos ſollicitare adeo, ut in Incinati præfectura, non longe ab Eupili lacu arx Montorphani in eorum fide perſeveraret, nec parum ſpei turbandæ rurſus civitatis præberet. Cæterum pax cum Laudenſibus durabat: tamen ſeu ſuffragante Othone, ſeu adjuvantibus aliis, qui in adminiſtranda Rep. polſebant, Overnagi & Summaripæ exules Caſtellum Barganum occuparunt. Id de publico Mediolanenſium conſilio, ac propterea contra fœdus factum exiſtimantes Laudenſes cives, continuo Caſſonum Turrianum, qui non longe à Cremonenſibus amicos congregaverat, & Germanos milites conduxerat, advocant; eoque intra urbem recepto, penitus ab amicitia & fœdere deſciſcunt. Otho haud contemnendam tam propinquæ urbis rebellionem ratus, quantum poteſt copiarum ab amicis implorat, & quo omnes convenirent, Albertum Prætorem cum Carrotio Laudem veterem præmittit, eique mox conjunguntur, Papienſium, Novarienſiumque, Vercellenſium, & Comenſium auxilia; qui quidem rapinis, & populando agros ſatis detrimenti finitimis attulere: ſed mox inter ſe jurgiis & ſeditionibus certantes, rem rurſus in periculo conſtituere: ſiquidem dilapſis plurimis, exercitus adeo imminutus eſt, ut ſatius viſum fuerit Carrotium reducere, quam congreſſum hoſtium exſpectare. Nec ita multo poſt ſupervenit ab Aquileja Raimundus Antiſtes cum equitatu trecentum Lancearum, quos multi Sagittarii comitabantur: collegerat hos ex Hiſtria, Illyricianiſque populis magnus Sacerdos, & plurimæ apud illos opinionis. Qui dum ab itinere reſiciuntur, conveniunt eodem conſortes exilii, & qui ambigua fide alteram fortunam præſtolantes, hactenus diſſimulaverant. Barganumque aggreſſi prælio, recuperant: inde excurſiones in agrum hoſtium factæ, præda ingens acta; ac igni & ferro multa fœdata; pons quoque Adduæ interrumpitur: inde Mediolanum verſus excurrentes ad ſextum uſque, ſeptimumve milliarium prædabundi pervenere. Mittitur ab urbe ad eos compeſcendos exercitus, acieque pugnatur: acuebat indignationem Turriano amiſſarum rerum dedecus, & detrimentum. Quare acriter urgendo hoſtem loco pellit; tum fundit & fugat: cædes non mediocris edita; capti non pauci Mediolanenſium, & ſupra centum è nobilioribus, nominatimque Mutius, & Theodatus Soreſinates, Gaſpar Vicecomes, Anteſoſſa Marcellinus, Romus Raudenſis, & ex Landrianis, Lampugnanis, Littis, Carniliis, Prealonis, Pontirolis, & à Cruce cognomen habentibus. Ea victoria potiti Turriani, Adduam verſus ſe recepere, Caſſianumque & Tricium, & Vaprium, Montemque Briantiæ, ad Incinates uſque in poteſtatem redegere. Tum ultra Adduam Bregnanum, Trivilium, Caravagium, & quæ alia armis Vicecomitum tenebantur, expugnata. Crema quoque per vim capta, ſuppoſito ædificiis igne, crematur. Inde propius Mediolanum proceſſere, atque Ticinenſis portæ ſuburbiis inſultantes, cum neque ad pugnam, neque ad tumultum pellicere oppidanos poſſent, trans Adduam rediere. Hoſte paulo longius remoto, reſpiravit aliquantulum Otho, & Caſſianum profectus opulento potitur oppido: ſed dum pontem reſtituere parat, tanta multitudine ſupervenere adverſarii, ut relicto opere, Mediolanum refugerit. Turrianus haud longius deſecutus arcem præſidio firmat, & agros circa populatur.

Cumque ſic in ſummo diſcrimine res verſaretur, Otho ad peregrinum auxilium mentem erexit, atque ad veterem amicum Gulielmum Marchionem Montiſferrati miſit, qui pollicerentur ſupremam urbis adminiſtrationem, & perpetuum quinquennii ſtipendium, cujus annua ſumma foret viginti millium librarum monetæ. Is accepta conditione Papiam primo, deinde Mediolanum per Auguſtum menſem venit, terentumque lancearum equitatum adduxit: exceptus magna gratulatione, & plauſu populi, in Forum pervenit. Hic Jacobus Moguntiacus inter Jureconſultos facundia pollens, aptam rei, temporique orationem habuit, & cum Capitaneum, & dominum urbis appellavit. Tum jurejurando Gulielmus affirmavit, ſe ex fide, curaque diligenter acturum, quidquid è Rep. fore perſpiceret: inde in ædes Ambroſianas diverſatus eſt.

In hac lætitia aliquid triſte accidit, & mœſtum. Gulielmus Puſterlæus opibus & dignitate inter cives clarus, honoris gratia adventanti Marchioni obviam iverat: juxta quem dum incedit, in urbis introitu caſu equi crura confregit: ex cujus obitu publicum pene luctum civitas egit.

Auctus Otho magno nomine ac præſidio bellum Laudenſi infert. Præmiſſum Carrotium tuebantur Rainerius Zenus Venetus, qui proximis Kal. Julii Præturam Mediolani iniverat, & Simon Locarnas: quibus paulo poſt conjuncti ſunt Zanonus Beccaria Papienſium Prætor, & Gulielmus Preda, & Comenſis manus: Laudemque veterem petiere, nec longe diſtantes vicos Foſſumaltum, Mombrionem, & Barganum recepere. Quorum locorum arces ſimul & vicinum Lambri pontem adurunt, & demoliuntur, diffiſi ea ſe tueri poſſe; cum in auxilium adverſariorum venire audiviſſent longe numero ſuperiorem à Cremona, Parmaque hominum multitudinem. Itaque illis relictis, & nullo impetu exſpectato, integri Mediolanum redeunt. Tum Otho arduum & perdifficile opus aggreditur, divertendi Adduam in Lambrum, quo ficiore illius alveo Laudem facilius obſideret; foſſoreſque & operarios præmiſit cum exercitu, qui opus agentes ab impetu hoſtium tutos præſtaret: cum his Zenus Prætor cum equitatu Meltium proficiſcitur. Carciter triginta dies ſine ullo effectu præteriere: moxque Otho ipſe, ut præſentia ſua rem urgeret, Gorgonzolam pertendit. Id Turrianus ut ſenſit, parem ſibi oblatam occaſionem exiſtimavit rei bene gerendæ, qualem adverſarii ad Decium habuerant, & exitum minimo minus ſimilem habuit. Nam quantas maximas potuit copias ab Laude ducens, noctu Gorgonzolam petiit, & ſubitaneo impetu facto, pluribus ſimul locis ſupponi ignem curavit; quo turbati magis hoſtes, quid caverent, neſcirent. Ita undique inexſpectato clamore, & tumultu orto, inter flammas & tela militaris omnis turba, quæ Othonem ſecuta fuerat, & inquilini fere omnes trucidati ſunt. Philippus Puſterlæus in certamine cecidit. Otho ſui ſollicitus inter trepidantes elapſus, delituit in turri ædiculæ, quam excutere adverſarii, cum cætera ædificia ambuſta forent, non curarunt. Itaque cum reliqua præda & magno numero captivorum, inter quos quinquaginta Novarienſes fuere, Laudem redit.

Otho poſtero die incolumis Mediolani comparuit; & quoniam Marchio Montiſferrati paulo ante domum abierat, indignatus præfinitum ſibi, ceu mercenario, eſſe ſtipendium; neque abſolutam, ſed temporariam urbis Præfecturam eſſe traditam, rurſus Otho ejus opem implorandam decrevit: miſſoque Bonifacio Puſterlæo Abbate Cœnobii Celſiani, qui quamvis conditionem offerret, conduxit. Ingenti ſpe allectus Gulielmus iterum, & quidem hieme pergelida Mediolanum venit; ſed prodire in caſtra, aut quidquam agere in publicam utilitatem noluit, niſi libera rerum poteſtate ſibi permiſſa. Duodecim dies abſumpti ſunt altercationibus multorum, quibus tantum arbitrii peregrino & potenti permittendum non videbatur.

Demum in decemtium dominus ſine exceptione Gulielmus pronunciatur. Iſque ſtatim, utpote commune conſulceret, ad Raimundum & alios Turrianos miſit, qui docerent, quantum auctoritatis ſibi tributum foret; in manu ſuæ belli pacisque jura eſſe; ſi velint injuriarum oblivisci, & controverſias ex æquo componere, id ſe arbitro facile conſequi poſſe.

Hæc dum aguntur, Napuleo Turriani nominis maximus, in arce Baradelli mœrore confectus moritur: quidam ſcripſere ſqualore & illuvie maceratum corpus, natis ſubinde pediculis, fœdiſſime abſumptum; nec ceſſaſſe in morte eorum iram, quibus in dominatu ſe ſuperbe, crudeliterque imperaviſſet; ac de carcere pedibus tractum, more ſilveſtris beluæ ſine ullo honore in proximo nemore, quia nondum fortaſſe expiatus à Pontificio interdicto fuerat, ſepultum. Alii, quibus explorata magis res fuiſſe videtur, tradunt, eum teſtamento mandaſſe, ut indutus habitu Fratrum D. Franciſci in eorum templo ſepeliretur: ſed jubente Joanne Epiſcopo Comenſe, humatum eſſe in propinqua arci ædicula, cui S. Nicolai titulus nunc quoque manet; & illum biennio intonſum prolixitate barbæ venerandum fuiſſe.

Cum nihil pacati à Raimundo reſponderetur, Marchio, & Henricus Prætor (is genere Papienſis, è gente Comitum Laomelli erat) pridie Kal. Januarias ineuntis anni ſeptuageſimi noni cum exercitu Moguntiam petit: ibi octiduum explorandis conſiliis hoſtium, qui Vicomercato occupato, haud longius quinque millibus diſtabant, abſumpſit, eorumque viribus ſatis perſpectis, Tricium tentat: id fruſtra cum adiiſſet, Vaprium aggreditur. Ibi multis ſuorum ſæpe pugnando amiſſis, hæſitabat Marchio, quid conſilii caperet; demum rumor increbuit, deſtitutum ab hoſte oppidum, & ſine mora vallum conſcendendum: id temere creditum. Quare ſubiere ferocientes, & parum cauti: mœxque repugnantibus acriter defenſoribus, detruduntur ab aggere, quem jam conſcenderant, & multis fauciatis plures interfecti ſunt. Ea quoque ſpe fruſtratus Marchio receptui canit, & juxta Tricium pontem reficit.

Interim à Bergomenſi civitate duo Oratores venere Beltramus Græcus, & Albertus Rivola de pace acturi, obtinueruntque, ut ejus arbiter Marchio foret. Ergo induciæ die celebri S. Agnetis publicantur. Quibus feriante ferro, abſtinentes ab injuriis milites ad utraque caſtra ſæpe commeavere, eniximque ſtudium erga veteres Dominos turba declaravit. Quo perſpecto Marchio faceſſere illos trans Adduam juſſit, & vacua relinquere oppida, quæ citra flumen tenebant. Quod cum obedienter feciſſent, non ita multo poſt conceſſit eiſdem, ut Mediolanum ſine metu fraudis venirent: convenereque Melegnanum Marchio, Raimuodus, Caſſonus, Gottofredus, Salvinus, & Avonus Turriani, & Conradus Caſtilhioncus præcipuæ tunc inter cives auctoritatis. Habito colloquio decrevit Marchio, quamvis invitis, & multum repugnantibus Vicecomitibus, Puſterlæis, Sorefinatibus, Mandellis, atque Cribellis, ut quidquid hinc inde acceptum injuriarum foret, pars utraque remitteret; captivos gratis liberaret; erepta bona, agros, reſque movientes, quæ comparerent Vicecomes, ſocinque, Turrianis reſtituerent; arces & oppida communes amici cuſtodirent; exules omnes in patriam redirent: ſoli Comenſes negabant eos, quos in arce Baradelli habebant, dimiſſuros: & Laudenſes pacem cum Papienſe inivere. Cum ſic quies haberetur, Beatrix Hiſpana Marchionis uxor Mediolanum gratia viſendæ urbis nobiliſſimæ, & in qua vir plurimum dignitatis haberet, venit. Et Kalendis Julis Lotherius Ruſca Præturam, Capitaneatum vero Populi Joannes Pozius inivere.

Sed haud diu ea pax manſit: exulceratis odio animis infida omnia, & plena inſidiarum apparebant. Laudem Turriani ſe receperant: quam urbem cum obſidere pararent Mediolanenſes, illi citato agmine eam regionem petiere, qua minime exſpectabantur, Ticini videlicet ripam, qua Abiatum Græſſium opulens eſt, & finitimos vicos Alburatum, Mazentamque prædantur; & cum multos alios ab impetu & ira occiderint, ſignanter nobilis unus Gulielmus Puſterlæus trucidatus eſt. Marchio autem Adduam verſus ducens, Tricium invaſit, & per vim cepit. Inde trajecto flumine faventibus Trivilienſibus, univerſa ea terrarum pars recuperata eſt, quæ Serio Bergomatum amne terminata, uſitato tunc vocabulo Fuleheria inſula nuncupabatur. Et quia id merito Trivilienſium ſuccenſiſſe viſum eſt, eis tunc Mediolanenſis civitatis jus donatum eſt, decretumque, ut eadem immunitate, qua cives ipſi, uterentur. Marchionis proſperitate conterriti Turriani, Marchionem adeunt, violata fœdera conqueruntur, atque iniquum & indignum eſſe docent, ſe ſub ejus verbo, ſideque eſſe circumventos. Is autem, qui affectis rebus nullum remedium videret, & importune urgeri ſe cognoſceret: *Facer*, inquit, *nec inficiari poſſum, me pacis veſtræ conditiones poſuiſſe; ſed nunc vos quærite Pratorem, qui obſervare promiſſa faciat.* Hæc veluti ſpontanea ipſius perfidia non pauci abalienati ſunt; & ſibi timentes in locis ſe continuere, in quibus munitione ædificii, aut amicorum præſidio tutos ſe exiſtimarent. Quorum novitate læſus Marchio convivium parat, iram omnem diſſimulat & amicos ſimul, & eos, qui dubiæ fidei videbantur, invitat: ſuſpectæ fuerunt quibuſdam epulæ, & inſolita manſuetudo. Duo in primis, qui haud dubie perniciem parari ſibi crediderunt, eaſque inſidias quaſi exploratas habebant, Conradus Caſtillioneus & Ubertus Incinas, ſic evitaverunt, ut amplius in urbe eſſe noluerint. Caſtillioncus Laudem, Incinas in oppidum ſui nominis profectus, eodem recepit Gottofredum Turrianum, qui quingentotum militum agmen trahebat: & factis utrinque populationibus, vaſtationibus agrorum, atrox rurſus & diu anceps bellum exarſit. Otho quantam conflare potuit pecuniam, conſcribendo militi dedit, Caſtrum Incini ante omnia impugnandum ſtatuit, idque ita obſedit, ac multa vi concuſſit, ut brevi in poteſtatem redegerit: ac ne iterum id ſibi adverſaretur, ſola æde relicta, quæ quatuor & viginti Canonicorum collegio inſignis erat, cætera dirui atque ſolo æquari juſſit: manet ſolum nomen, & frequentium olim ædificiorum veſtigia viſuntur. Gulielmus autem Monteferratenſis, ſeu de conſenſu Othonis, & pecunia ab eo ſubminiſtrata, ſeu ſponte ſperans poſſe facile occupari imperium urbis tot cladibus deſolatæ, & cujus vires ex civili diſcordia affectas videbat; in Hiſpaniam itorum ad novas copias conducendas proficiſcitur.

Non involverim ſilentio mentionem monſtroſæ fœcunditatis, quam per hæc tempora contigiſſe Ricobaldus Ferrarienſis meminit in Matrona Mutinenſe, (Antoninæ nomen erat) quæ eum ageret annum ætatis quadrageſimum, numerata ſobole, quam ſæpe ternos, quaternoſve, ſæpius vero geminos, ſemelque omnino ſex pariendo genuerat, duorum & quadraginta filiorum matrem ſeſe comperit.

Anno octogeſimo ſupra mille & ducentum, nihil aliud Mediolani actum invenio, niſi Præturam mutatis vicibus geſtam à Cabrino Treſeno Laudenſe, Thoma Advocato, & Joanne Lucinate Comenſibus; & nobilem civem, & Eccleſiæ noſtræ Archidiaconum ex familia Caſata (Comiti nomen erat)

in

in collegium Cardinalium Romanorum adſcitum; quamvis Bartholomæus Platina paulo poſterius id factum dicat, ſub Martino Quarto Pontifice.

A. C. 1281. Appetente vere anni octogeſimi primi Raimundus Turrianus Laudem reverſus, quingentos equites Illyricianos adduxit, & ejus conſanguinei Caſſonus, Gottofredus, Salvinus, & Manfredus, qui tunc Eccleſiæ Moguntiacæ Princeps presbyterorum erat; tum ducenti Cremonenſes acceſſere, & longe circa Adduam evagati, demum Vaprii conſtitere. Extemplo à Mediolano exercitus Gorgonzolæ contrahitur: quem juſto numero adhuc inferiorem rati hoſtes, invadendum primo quoque tempore cenſuere, inſtructaſque acies in campum deduxere: mille & quingenti equites erant, peditum circiter duo millia: ſed longe aliud agmen adverſariorum fuit: equitatus duplo amplior, peditatus vero triginta millium armatorum ſpeciem præbebat. Nec mora pugnæ facta: conſixere pari odio & viribus; & cum uterque non dare terga inſtituiſſet, eo plures vulnerabantur, cadebantque. Demum Turrianorum acies, quæ longe impar numero erat, inclinavit, fuſique protinus in fugerunt. Caſſono amputatum caput in ipſo certamine eſt: cecidit etiam Prætor Laudenſium, qui genere Parmenſis ex gente de Portaſcurta dicebatur: multi dum ferrum fugerent, in Adduam præcipites ſe dederunt. Raimundus, ceu plane actum de fortuna & ſpe recuperandi Regni foret, cum pauciſſimis, qui à clade ſuperfuerant, Aquilejam conceſſit: capti ſunt ſupra octingenti viri, & ſigna militaria complura; & nominatim vexillum civitatis, quam urbem *Civadalem* vocant: eaque omnia, ut teſtata omnibus victoria maneret, Mediolanum relata, & in foro poſita. Geſta ea ſunt ſeptimo Kal. Majas.

Quo tempore Gulielmus Montiſferratenſis ex Hiſpania reverſus, triremibus Ligurum Genuam advehitur: quingentos milites & centum ſagittarios adduxit, cum quibus Vicecomiti adjunctus eſt. Tunc addito Mediolanenſium Carrotio, Laus vetus petita, auctuſque exercitus Novarienſium, Vercellenſium, & Comenſium auxiliis. Inde Marchio Laudem novam aggreditur, agrum circa vaſtat, vites, vatiaſque arbores ſuccidit, vicos, caſtellaque diripit: in autumnum extracta obſidio fuit: & demum nulla alia re memorabili geſta diſceſſum; & per hibernum tempus circummiſſis de pace legatis, quamvis in totum non convenirent, tamen captivi permutati ſunt, & exulibus reditus in patriam conceſſus.

Caterum ſacris interdicta manſerat civitas Mediolanum ex controverſia, qua per injuriam gens Mirabilia Priorem Eccleſiæ Pontidæ premere videbatur: eam ignominiam tolli curavit Cardinalis Caſatus auctore Martino Quarto Pontifice, ſi tritum menſium ſpatio quietum Priorem facerent.

Per idem tempus Clementia Rodulphi Romanorum Regis filia ab Tridento Italiam ingreſſa, iter Patavio, Ferrariaque fecit, proficiſcens in Apuliam ex ſponſione nuptiarum filii Caroli Regis. Et Cremonenſes, atque Parmenſes ad abolendam veteris ignominiæ memoriam mutuam invicem Carrotiorum reſtitutionem fecere; his Bertatiolam in clade Friderici Secundi, illis Blancardum biennio poſt captum reddentibus, mirificaque ſuorum lætitia & gratulatione ſigna utraque recepta: convenereque arctius in fœdus ambæ civitates, ut auxilio Laudenſibus forent: fidem in ſocietatem traxere Mutinam, Rhegiumque urbes, & Marchionem Eſtenſem; conſcriptoque exercitu Pizeleonem venerunt, & cum Monteferratenſis Marchio Laudenſium in cubus obequitaret, prædandoque & ſpoliando propinquos agros infeſtus regioni eſſet, ingens detrimentum ab illis accepit; & eo Mediolanum reverſo, adverſariorum quoque exercitus ſolutus eſt. Tum Boſius Doaria, & Cabrius Moguntiacus quatuor centum equites Mediolanenſes, & totidem pedites Cremam in haberna duxere.

Dum in proximum annum ſecundum & octogeſimum ingens bellum exſpectaretur, pax conciliata eſt. Quinto Idus Januarii Mediolanum venere duo Laudenſium Oratores Othobellus Carnefella, & Baſſianus Carthenagus, ſedenteque Gulielmo Montiſferrati Marchione, & Domino Mediolani, (eo enim titulo palam utebatur) nec non Ruffino Gutuerio Prætore (is genere Aſtenſis erat) & Giraldo Caſtello Capitanco, octingentis præterea viris magnum conſilium habentibus, ſic convenere, ut Othonem in primis Archiepiſcopum amicum haberent, & univerſo Clero Mediolanenſi damna poſt victoriam Decianam illata quadantenus emendarent: injuriæ hinc inde acceptæ oblivione ſopirentur: tum Mediolano ſic pellerentur Viſtarini & Overnagi, ſicut Laude Turriani: ſervaretur quoque Cremenſibus pax proximo anno cum eorum Procuratore Viviano Aliſero eodem Marchione auctore contracta. A. C. 1282.

Sic excluſi Laude Turriani, Cremonam ſe conferunt; & ſub idem tempus Boſius Doaria digreſſus Crema per proditionem cepit Soncinum, & Rumenengum pervalida Cremonenſium oppida: quod ægre ferentes inimici, ſimul metuentes, ne latius malum ſerperet, conſeſtim exercitum contrahunt, & in conſilium vocant amicas & ſocias civitates, ut quibus rebus atque auxiliis res hæc tractanda foret, decernerentur. Ergo Cremonam venere Legati à Placentia, Parma, Rhegio, Mutina, Brixia, Bononia, Ferraria. Eſtenſis vero Marchio ſe ipſum venturum ad expeditionem, & Florentia, aliæque civitates Etruſcæ, nec non Joannes Appiæ Flaminiæ Procurator ſe auxilia miſſuros ſcripſere. Miſſa quoque nobilis Legatio eſt ad Martinum Quartum Romanum Pontificem, quæ doceret, quo in ſtatu res Longobardæ, & urbes ejus nomini & Eccleſiæ factioni devotæ forent. Hos motus ſentiens Otho cum Monteferratenſi arctius conſpirat, & ex ſubditis populis, & fœdere adjunctis civitatibus quantas maximas poſſunt, vires contrahunt, Carrotium ab urbe promovent, Vapriumque perduxere, & mox Doarienſi conjunguntur.

Interim Comi ſeditio oritur: hinc Lotherius Ruſca, & Simon Locarnas, illinc Epiſcopus urbis, & Thomas Advocatus, & Joannes Lucinas, quorum factio Vitana dicebatur, in mutuam perniciem arma rapuerant. Demum Vitanis profligatis ejectus urbe Epiſcopus eſt, & ejus Palatium concrematum. Ruſca, ne quid exulesin ſe gravius molirentur, rei geſtæ Marchionem admonet, ac, ut ad componendum urbis ſtatum veniat, rogat. Profectus Gulielmus Dominus appellatur, mille libræ annuæ ei decernuntur, ut Epiſcopum & ejus factiolos perpetuis inimicitiis proſequatur, pactus tantum ſe urbem non ingreſſurum cum multitudine, quæ ſollicitam facere poſſet civium quietem, & à Præturæ munere ſe temperaturum: ſub his eo magiſtratu ſubmovent Antonium Languſcum, & Mutium Soreſinatem ſufficiunt. Inde Marchio cum florentiſſimo equitatu Mediolanum reverſus in caſtra proficiſcitur, quæ longe aucta reperit copiis Derthonenſium, Alexandrinorum, Aſtenſium, Vercellenſium, & qui à Novaria, Papiaque acceſſerant. Adverſarii Caſtrum Leonem, & Paternam oppida tenebant, & mutuo metu hæſitare videbantur: ſed ſpes pacis ſuberat, quæ clam Marchione tractabatur: qua comperta indignabundus ille demum abit. Inclinabat autem ad pacem Otho cum veteribus amicis Pufterlæis, & Mandellis, quorum gratia Guido Caſtillioneus, & gens Carcana, quique à Moguntia cognominantur, favori

ejus accessere: quibus omnibus jure suspecta erat Marchionis potentia; qui & Prætorem, Capitaneumque urbis, quos volebat, imponendo, & gentem Soresinatem ultra æquum augendo, variisque aliis artibus affectare Regnum aperte videbatur: cogitur submoto Brixiani, Placentinique Oratores cum Othone sic contrahunt, ut unaquæque civitas alterius exules ab se dimitteret: qui nisi intra quintum decimum diem finibus cederent, capi eos liceret; & si abeuntes bellum moliantur, communibus impensis, mutuaque ope rem gerant, & vim propulsent. Exclusus hoc fœdere Bosius Dovaria, qui nimium sibi fidens cedere Soncino atque Rumenengo recusabat. Et habito mox Cremonæ altero concilio, fugatus primo Soncino, deinde Rumenengum quoque & Cremam ipsam deserere coactus est; eoque celerius hoc negotium maturatum est; quia civitas Parmensis, quæ socia Cremonæ erat, & civilibus discordiis laborare solebat, in unum hoc tempore coivit, & nobiles familiæ conjugiis auctæ sunt. Namque duo præpotentes fratres Gulielmus & Ugolinus Rubei uxores duxere, ille Donellam Carrariam ex Principibus Patavinis, hic Helenam Cavalcabovem ex Dominis Vitalianæ progenitam, quarum nuptiarum celebritas uno prope mense acta est; & ut cumulatissima lætitia foret, novi mariti cum hostibus suis pacem & contractis affinitatibus perpetua amoris pignora fecere.

Dum hæc agerentur, Comenses Mediolanensium exules recepere, & faventibus Philippo Benalio & Tignaca Paravicino, qui ignobiles alioquin viri, per occasionem temporum non mediocres opes in Incinati Præfectura paraverant, Clivatum & Leucum oppida invadunt, atque occupant. Cujus inopinato nuncio audito consternatus plurimum Otho, diu quid consilii caperet, dubius mansit. Demum magnitudine periculi exposcente animum componit, & quibus tantum negotium committeret, deligit Matthæum nepotem, Guidonem Castilionæum, & Thomam Origonum. Qui contracto exercitu adversus hostem profecti, strenue rem gessere; non solum suorum agros à populatione tutati sunt, sed conserta manu castra hostium expugnarunt & diripuerunt: redactisque ad officium oppidis, quæ defecerant, victorem exercitum cum ingenti præda, parique gloria reduxerunt. Lætatus est mirifice Otho ex hac re, cum quod hostes, priusquam latius excurrissent, oppressisset, tum quod domi strenuos Duces habere se perspiciebat; poteratque contemnere peregrinos, quorum fidei numquam satis tuto maxime res creduntur: statuitque ex urbe ejicere Marchionis omne nomen. Joannes enim Podius Prætor adhuc ejus Vicarium agebat. In hunc Otho stipatus multitudine suorum, impetum facit, ac Magistratu pulsum graviora passurum ostendit, nisi confestim abeat. Is Vercellas, ubi tunc Marchio agebat, se contulit, & quæ in contumeliam suam acta forent, docuit. Prætura autem delata fuit Jacobo Summaripæ Laudensi.

Amisit hoc anno pulcherrimam regni partem Carolus Gallicus Apuliæ Rex, & quidem horrenda suorum clade, quæ toto orbe famigerata à loco & hora *Siculorum Vespera* nuncupantur. Incivilitate nimium & libidinose dominabantur in insula, eoque intemperantiæ prorumperant, ut mores eorum æquo animo ferre nemo posset. Erat celebre templum in suburbio Panormitano, quod Paschalibus diebus tum religionis, tum animi causa adire frequens populus sub solis occasum solebat: prodibant & matronæ frequentes, & eis immixtæ innuptæ puellæ. Galli eas lingua, & quod gravius erat, manu licemius incessere, quam publici pudoris ratio pateretur, cœperunt. Irritati parentes, propinqui, & amici facta conspiratione pridie Kalend. Aprilis universos concidere: confestimque moniti Syracusani, Messanenses, Drepanitani, aliarumque civitatum & oppidorum populi, idem fecere: jurejurandoque invicem affirmarunt, nunquam se passuros regnare in insula Gallicum nomen. Tanti facinoris auctoribus protegendis, & universorum voto conservando, opportuna contigit Petri Aragonii ex Hispania adnavigatio. Is enim, seu jam multo ante invitatus ab iis, quibus invisi Gallorum mores erant, seu disturnis uxoris precibus stimulatus (ea Friderici secundi filia jure sibi spectare Dominium insulæ existimabat, præterea ut veterem ignominiam, qua cumulatis funeribus Manfredi fratris, & Conradini patruelis, mœsta vivebat, aboleret, sæpius hortata ad id fuerat) armatis triginta varii generis navibus, Africæ littoribus obnavigabat: vocatusque insulæ imperium ita accepit, ut, quamvis postea Carolus magnis exercitibus, classibusque, eam recuperare tentaverit, semper tamen repulsus irritis conatibus Neapolim redierit.

Inter hæc Otho subeunte anno octogesimo tertio Oratores in Germaniam misit, qui favores & auxilia quibuscunque fœderibus compararent. Libenter ea Germani audivere: & inito fœdere, Basileensis Episcopus nonnullos milites (sunt qui centum equites & sexaginta sagittarios referant) adduxit. Quibus acceptis, Otho satis rebus consultum ducens, Capitaneum populi creat Alamannum Pigotium genere Placentinum; simul Episcopum Derthonensem sibi conciliat, cujus auctoritate nobilis Alexandrinorum familia, cui à Puteo cognomen est, adjungitur; & communi consilio hi Castellatium, ille Diœcesis suæ urbem occupant. Tum Otho Mediolani Archiepiscopus exilio mulctat suspectos cives Albertum Tertiagum, Cabrium Pontirolum, Alcherium Balbum, nec non Bonifacium, & Guiscardum cognomento Clericos, & Mutium, Conradum, & Jacobum fratres Soresinates, quorum etiam Palatium recenti Turrianarum domorum ruina constructum diruitur.

Sed unde Otho maximum rerum suarum præsidium speraverat, inde vel præcipuum periculum adit. Nam Basileensis Præsul, sive ex numeratione pecuniæ fraudem sibi fieri suspicatus, seu plus, quam debebatur, appeteret, nec ejus desiderium per inopiam ærarii impleri posset, repente, atque, ut ajunt, hospite insalutato, recessit. Cujus digressu resumpsere animos adversarii, & Marchio Montisferrati, rogantibus Alexandrinis, Castellatium obsidet, quod intra mensem ad dedition em compulit; sed ea Puteanis concessa conditione, ut & patria, & bona sibi restituerentur, & viginti obsidum periculo cautum foret, ne cæteri exules ad decimum milliarium Alexandriæ appropinquarent. Inde exercitu Derthonæ admoto, Episcopus profugit: sed mox opera Abbatis Sancti Marciani cum eodem reconciliatus est: sed non diu pax servata. Idem Episcopus cum exulibus Alexandrinis Derthonam denuo occupat, & Prætorem Jacobum Tertiagum Magistratu dejicit, atque in ejus locum Durantus Marlianus sufficitur; tum ædes Gulielmi Montemerli, qui diversæ factionis fautor habebatur, diripit, illumque urbe pellit; demque urbem sic munivit, ut quamvis Marchio cum exercitu sit reversus, nihil efficere potuerit. Nam & eum brevi revocavit domestici periculi ratio, quia Advocati Vercellenses eisdem diebus præcipuum Montisferrati oppidum Montem Calvum occupaverant. Comensium quoque studia ab Othone aversa sunt. Et permittente Lotherio Rusca, ac stipulantibus, ut vulgo creditum est, Guidone & fratribus Castillionæis, Guido Turrianus ab arce Bardelli pridie Kal. Novembris profugit; Musca & Henricus,

A. C. 1281

ne nimis aperta frans videretur, in vinculis subſtitere. Cæteri vero Carnevariis, Lombarduſque, ſicuti Napuleo, in carceribus obierant.

A. C. 1282. Anno octogeſimo quarto Prætura Mediolani ſemis menſibus geſſere Balduinus Ugonus, & Gulielmus Rubeus Parmenſis; Capitaneatum vero populi Guidotus cognomento Archidiaconus Cremonenſis. Per quorum tempus invaluit rumor, Gulielmum Monteferratenſem cum Turriano & aliis exulibus conſpiraviſſe, & finitimas urbes Alexandriam, Vercellas, Comum, Laudem ſocia arma junxiſſe. Res adhuc incerta erat, & ſuſurris cauſſam dederat Accurſius Cutica, qui ſæpe ad hoſtes clanculum commeaverat: & ecce repente nunciatur Derthonam defeciſſe. Gulielmus Montemerlus concitata ſuorum factione Puteanos debellaverat, & in tumultu Epiſcopus captus, interfectuſque eſt: diuque is extra pomœrium inſepultus jacuit: urbemque Monteferratenſi tradidit; qui ea recepta, Papiam, Viglevanum, Novariamque adiit, & Oratores Mediolanum ſub ſpecie petendi auxilii, cum fortaſſe aliud acturi forent, miſit: ſed hi ſine ullo effectu receſſere. Ex alia vero parte Guido Turrianus trans Adduam ad conducendos ex Bergomate mercenarios milites abiit.

Quibus cognitis Otho Vicecomes, & Simon Locarnas, minime cunctandum rati, exercitum in Comenſium fines inducunt, & opulenta Verbanæ oræ oppida, Luganum, Locarnum, Belinzonamque capiunt. Inde Canterium reverſi, caſtra juxta Comum conſtituunt: ſed ſuperveniente hieme, copias Mediolanum reduxerunt: & Guido ex Bergomo Comum redit: ubi annuente Ruſca, & utraque factione conſentiente, cupientiſſimiſque omnium animis duodecimo Kal. Januarias, qui duo ſupererant nominis Turriani Muſca & Herrecus ex carcere dimittuntur. Quorum liberationis ut publica lætitia fuit, ita ipſi pro concione gratias univerſis egere, & perpetuas inimicitias cum Vicecomite, & cunctis Comenſium hoſtibus, nominatimque præſente Epiſcopo ſe geſturos juraverunt.

Eodem anno Carolus Claudus, Caroli Apulorum Regis filius, ex Provincia Narbonenſi, in qua regnabat, à patre ob rebellionem Siculorum accitus, duodecim triremibus armatis, Neapolim navigabat; à cujus littoribus cum non longe abeſſet, datus illi obviam eſt Rogerius Loria Hiſpanæ claſſis Præfectus: qui cum ſe longe ſuperiorem adverſario cerneret (octo enim & triginta triremes agebat) Carolum pugnare coegit, ac facile circumvenit: captum deligere novem tantum, quos ex omni comitatu vitæ ſocios haberet, jubet: quoniam reliqua multitudo immolanda erat manibus Conradini Cæſaris, quem tam impie nefarieque Carolus occiderat. Ita electis pauciſſimis, ducenti ferme jugulantur, & in mare piſcibus eſca projiciuntur. Dux ipſe Carolus Meſſanam perductus cuſtodiendus traditur Friderico Petri Aragon filio ex ea, quam amitam Conradini ipſius fuiſſe diximus: ex cujus infortunio mœtiſſimus pater fuit, ac ne rebellarent cæteri populi, dubitavit. Cum vero paulo poſt intellexiſſet, illum in carceribus graviter ægrotare, duos alios filios Robertum & Ludovicum dedit, ut illum redimeret; moxque moriens pridie Nonas Januarias anni quinti & octogeſimi
A. C. 1285. ſucceſſorem in Regno habuit.

Mox fama increbuit, Marchionem Montiſferrati fovere Turrianum nomen, arcanoque fœdere cum eis conſpirare; denique ſex adoleſcentes obſides acceviſſe, & fidejuſſionem Placentiæ præſtitam centum millium aureorum in id, ut Turriani conventa ex fide ſervarent: quorum Gottofredus circiter Idus Martias ex Bergomenſi ducentos equites Comum duxit, multiſque alis convenientibus Caſtrum Seprium repentina invaſione cepit: priuſque occupatum id fuiſſe, quam egreſſos Como hoſtes Mediolani cognitum eſt. Igitur Otho operam dat, raptim contracto milite, ut Præfor Albertinus Confanonerius, is genere Placentinus erat, & Mutius Bergomenſis Capitaneus populi primo quoque tempore eis obviam irent. Qui Galaratum profecti caſtra ad Baſſianum vicum notum aliàs, cum exul Otho eandem Seprii arcem Turrianis eripuit, poſuerunt. Interea Simon Locarnas & Joannes Lucinas Variſium occupant: & Matthæus Archiepiſcopi nepos eodem cum equitatu proficiſcitur, ut ſimul prohiberent, & commeatus & auxilia obſeſſis tranſmitti. Sed oppidani nullius pene rei indigentes, foſſa & aggere ſe tuebantur: & Guido Caſtillioneus, cujus conſilio captum Seprium ferebatur, neceſſaria trahendo bello mature importari curaverat: procedente obſidione dum prælia & irruptiones tentantur, ceu etiam bellum cum cælo foret, juges pluviæ & importuni imbres accidebant, ut neque eques in acie ſtare, neque pedes lubrico ſolo, & præſertim loco acclivi, certis poſſet veſtigiis inſiſtere: turbines præterea grandinibus immixti jam conſcendentes oppidum à vallo repulere: iidem, quominus copiæ, quæ à Brixia, Cremona, Placentia, Crema, auxilio Vicecomiti mittebantur, applicarent, impedivere: pariter quoque retinuerunt trans Ticinum Montisferrati Marchionem, qui contra obſeſſis opem laturus erat; & pontem Viglevani jungere ob molem aquarum fruſtra tentavit. Ergo tædio longioris inutiliſque moræ affectus Otho Mediolanum redit, & Marchio pariter trans Padum abiit.

Mox paeis mentio illata eſt: & ſæpe ejus cauſſa commeaverant Oliverius Marcellinus Guidonis Caſtillionei avunculus, & Franciſcus Carcanus Nepos, tum Creſſonus Cribellus, & Abiaticus Landrianus. Idibuſque Majis ſuſpenſa arma ſunt; permiſſuſque liber ad utraque caſtra commeatus, & Caſtrum Seprium arbitrio & cuſtodiæ Guidonis Caſtillionei traditum. Sed mox Legati ab Como redierunt, non impetrata conditione, qua petebatur unicum & ſine provocatione conſtitui judicem Othonem Archiepiſcopum. Ita cæteris quoque poſthabitis, in bellum denuo prorumpitur. Turriani in Montem Briantiæ percurrentes, Tabiagum, Meronum, Correnum, aliaque obſcura loca populantur, & incendunt. Incinum quamvis ſemirutum cum propinquis caſtellis recuperant. Inde Comum prætervecti, in Lugani regionem inſiliuntur, & Belinzonam uſque omnia in poteſtatem rediguntur. Inde eis Comum reverſi, Vertematum expugnant; proximos vicos incendunt; & Variſium obſidere tentarunt: ſed valido præſidio & virtute oppidanorum repulſi ſtatim fuere. Ad quorum motus comprimendos dum Otho multa providet, in primis allicere Guidonem Caſtillionem cupiebat; nec quicquam prætermiſit, quod ad cum reconciliandum conducere putaverit, honeſtiſſimas conditiones proponendo, & ejus affines, amiciſſimoſque interpretes, & fidei ſponſores adhibendo, ut ſibi arcem Seprii traderet: ſed is poſteaquam diu ſatis ambiguis reſponſis ſuſpenſum Othonem habuit, denum ad Turrianos inclinavit, & eis in arcem receptis, ipſe Comum cum factioſis ſuis demigravit. Tum Otho eum, Albertonumque, & Puginum fratres hoſtes patriæ declarat: publicatiſque bonis, eorundem domos deſtrui juſſit; paritet Gaſparem & Albertum fratres è Biragorum gente relegari Placentiam curavit.

Inter hæc Carrotium ceu inceptum, & in bello magni impedimenti opus, abdicavit è caſtris, ſolumque vexillum album cum rubra cruce interſecante retinuit, ſupperaddique imaginem D. Ambroſii voluit; ejuſque curæ præfecit Gaſparem Garbagnatem.

Iſque primum cùm Puſterlæo Abbate Celſiani cœnobii Gallaratum protulit : quibus mox junctus eſt Ugolinus Rubeus Parmenſis, qui tunc urbanam Præturam gerebat ; & inito conſilio de obſidendo Seprio copias promovent, domos eorum diripiunt, atque ſuccendunt, qui pertinacius in arce defendenda perſeverabant. Duorum ex his nomina in notitiam venere, Gulielmus Reſedinus, & Philippus Gerlanus : nam multi facta poteſtate auferendi quidquid poſſent cum conjugibus & liberis migrabant, & reſiduis rebus, ne miles impius potiretur, ignem ſubjiciebant. Cum fere totum Octobrem menſem in his abſumpſiſſent, diuturnioremque obſidionem viderent, de Fagnano petendo ortus eſt ſermo : tranſire Alonam fluvium oportebat, qui ex copia aquarum vadari tunc nuſquam poterat : pontem juxta Caſtillionum oppidum cum magna pars trajeciſſet, Othorino Mandello, & Henrico Moguntiaco revocantibus ab inſtituto itinere, Buſtum divertunt. Ibi octo dies ſine aliqua effectu morati ſunt. Tunc Puſterlæus indignatus mutatum fuiſſe conſilium, & per inertiam pulcherrimam gerendæ rei occaſionem amiſſam, ex caſtris diſceſſit? ejuſque exemplo idem cæteri fecere. Tum Otho in Carævallis cœnobium ſeceſſit, ibique intercedente Manfredino Beccaria, recepit in gratiam Soreſinates, & reliquos, qui cauſa Marchionis exulaverant, patriamque & bona reſtituit, tribus exceptis Cabrio Pontirolo, Gulielmo Aplano, & Magiſtro Gothorino Bergomenſe. Tum Capitancus populi Mediolani pronunciatur Rogerius Cataſſius Papienſis, cum jam Kal. Decembris inſtarent.

Cæterum hic annus & principio & fine morte Regum inſignis fuit : nam principio præter Carolum Apulum, Martinus etiam Quartus Pontifex deceſſit : nunc vero Octobri, Novembrique menſibus Philippus Francorum Rex, cui alter Philippus, cognomento Pulcher ; & Petrus Aragonus, cui in Siculo Regno Jacobus trium filiorum medius ſucceſſit, obiere.

A. C. 1284. Initio autem anni octogeſimi ſexti, cum aſperitas hiemis à bello gerendo homines coerceret, actum de pace eſt multifariam. Nam primo Henricus Cribellus, & Joannes Caimus, & Oliverius Marcellinus, eam tractavere : cumque ſpes aliqua conficiendæ ſubeſſet, Otho Legnanum progreſſus, colloquium habuit cum Lotherio Ruſca Prætore Comenſe, & Guidone Caſtillionco : iuduciæ in decem dies datæ : tunc Nonis Martiis Barlaſſinæ rurſus contulere ſermones, ſed nihil confectum eſt : mox alii interpretes Lantelmus Benzonus cognomento Guiſca, Cremenſis, Anſelmus Alzates, Gaſpar Garbagnates, Jacobus Moguntiacus, & Albertus Boſſius Jureconſulti negotio ſuſcepto, præſtitutoque die cum Comenſibus Lomati ſub Kal. Aprilis conventum habuere : affueruntque Prætores amicarum civitatum, Cremonæ, Placentiæ, Brixiæ, Cremæ ; Papiæ, & Novariæ, quorum opera bini utrinque arbitri conſtituti. Otho Archiepiſcopus, & Gulielmus Prætor Mediolani, & Lotherius Ruſca, & Guido Caſtillioneus congreſſi medio campo, qui patet inter Lomatium & Roodellum, conditiones proponunt atque approbant : mox in patriam reverſi factum præconis voce declarant : tum ab Como venere Gulielmus Gulizonius, & Rubeus Interlignius, quos Otho pro concione ſedens audivit. Eorum oratione peracta, Prætor Mediolanenſis, multa de pacis laudibus & commodo præfatus, ſubjunxit ; licere etiam Marchioni Montisferrati, ſi velit, nomen in eam dare : & Turrianorum omnium habitam rationem, quibus ereptæ fortunæ reſtituerentur ; tantiſper extra urbem moraturos, dum reliqua conficerentur. Brixiani compoſita oratione rem collaudarunt. Tum Otho ex ſacris Litteris petitum verſiculum ſuccinuit : *In terra pax hominibus bona voluntatis* : & Leo Cæſarus nomine populi, & Comenſes jurarunt ratam pacem fore. Turriani, cum quæ acta forent cognoviſſent, ſublatamque ſpem renovandi belli cernerent, finibus penitus ceſſere.

Dum ſic quieta omnia in Longobardis forent, tertio Kal. Septembris Mediolanum venit Joannes cognomento Bochamazes, civis Romanus, dignitate Cardinalis Tuſculanus, à Romano Pontifice in Germaniam ad novum Cæſarem ſalutandum deſtinatus, acceptus eſt ſolitis honoribus : & Laudem uſque quatuor & viginti primarii cives illi obviam miſſi.

Cum autem ver appeteret anni octogeſimi ſeptimi, quidam ab Oſſola profecti in Caſtrum Seprium ſunt ; ubi ſine ulla ſuſpicione boſpitati, tranquilla enim omnia erant, arcem quinto Kal. Aprilis occuparunt per proditionem, ejectoque Guidone Caſtillionco, Othonem Vicecomitem admonent, quid fieri vellet, referiberet : ille ſtatim miſit amicos, quibus plurimum fidebat, & adhibitis foſſoribus, & deſtruendi peritis, funditus everti antiquum, ſed ſæpe publicis rebus importunum, nppidum juſſit ; ac lege in perpetuum ſancitum eſt, ne unquam inſtauraretur, aut lapidem lapidi ſuperaddi Prætor Mediolanenſis pateretur. Etiam nunc habetur hæc inter primas, in quas incuntes magiſtratum jurant. Relicta tantum ædes priſcæ dignitatis indicio eſt, & morientibus ſubinde presbyteris ejus ſacerdotia avide captantur. Eo factn non exigua invidia conflata eſt in Othonem, quaſi qui ultro pacem & tanta cum nobilis oppidi jactura fregiſſet. Itaque cum ſuſpicionibus plena omnia viderentur, nova etiam conſilia vicatim agitari dubitabat ; proindeque armatas cohortes die noctuque circumire urbem, & ne conventus inter cives fierent, curare juſſit : & ne ſolus omnia agendo invidiam augeret, ſed potius negotia cum multis communicando minus affectare regnum videretur, duodecim ex popularibus conſilii & gubernationis cauſſa delegit, ad quos magna pars negotiorum devolveretur. Eiſdem ſedes in foro veteri conſtituta : ſed ne ex diuturnitate Magiſtratus æmulum ſibi collegium fieret, & coaleſcentes invidorum animi per publicum munus occaſionem conſpirandi arctius haberent, præcidit illis tempus, bimeſtreſque dumtaxat conſilarios eſſe vnluit, cum tamen ipſe ſemper primarium locum obtineret.

Interea Rogerius Damianus rerum novarum ſuſpectus capitur, & gravem omnino conjurationem aperuit. Agebatur inter potentes familias de recipiendis in urbem Turrianis, ac Marchione pariter Montisferrati. Quibus cognitis centum fere cives in exilium acti ; in quibus nominantur Rogerius Cribellus, Gaſpar Bernadigius, Beltramus Cutica, Carbonus Baſilicapetrus, Caldinus Mainerius. Nonnulli certis finibus relegati ; Mutius, & Conradus fratres Soreſinates Genuam, Paulus Mantegatius Bobium, Guido Cuſanus Florentiolam, Beltramus Landrianus in ſui cognominis oppidum. Turrianorum vero bona partim publicata, partim diverſæ factionis civibus diviſa : ſicque illi, & agris, & prædiorum fœnore privati, in Venetiam ad Raimundi opes, qui Aquilejenſis Eccleſiæ ſacerdotio & majeſtate in veneratione erat, confugere. Liberatus hac ſollicitudine Otho, ad componendos Sacerdotum mores convertitur ; quorum norma non ſecus, ac cæteræ plebis, ex civili diſſenſione ſoluta erat. Ergn convocatis ſuffragancis Epiſcopis, & reliquis Sacerdotum primoribus, in templo Teclæ concio habetur, ex qua ſeceſſit Vercellenſis Epiſcopus, quia adverſus æmulum Brixianum ſella ei ad dexteram præſulis conceſſa non fuit : ſumma reformationis fuit, ut ſtatutis primo canonibus,

A. C. 1287.

nibus, decretis Pontificiis, & actis Conciliorum, ac Friderici legibus pro Eccleſiaſtica libertate contra hæreticos, pro cultu Divino & honeſtate Clericorum ſervatis, Sacerdotes nullo genere aleæ, talorum, chartarumve luderent; ne accipitres, alialve aucupio aves nutrirent, aut venationibus operam darent; ne mulieres ſacræ funus ſequerentur; ut Parochi Sacerdotes tertiam partem impenſæ funerum, quæ extra eorum Parochiam ducerentur, haberent; multaque alia in eorum formula leguntur conſtitum, quæ prætermittere, nullum hiſtoriæ diſpendium eſt.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XVIII.

EPITOME.

Illud jam erat Othoni reliquum, ut tam præclarum Imperium, tot laboribus ac periculis partum, in familia retineret, & tamquam hereditarium tranſmitteret ad nepotes. Demceps igitur Matthæum nepotem militari gloria plauſibilem admodum, ac populari in dies magis ornare, & cum aliis, tum vero Capitanei honore collato, Republica admovere. Contra vero Guilielmus Marchio, qui jam pridem tante urbis, atque adeo provincia regno inhiaret, Vicecomitum fortuna omni ratione obſiſtere: cujus conſiliis illud accidit opportunum, quod turbata civili tumultu Papia, implorant ab exulibus ejus principatum, ceu ſequeſtrem pacis, accepit: nec multo poſt Novaria quorundam proditione potitus eſt: & Mediolani invenit Bonifacium Puſterlam, qui patriam certa pecunia deſponderet. Sed enim hujus conjuratio detecta, & de publico conſilio vindicata eſt: & de arcendo Marchione Longobardæ civitates pleraque conſpiravere: & cum Aſtam fœderis ſociam obſidione premeret, Papiam aggreſſa, digredi obſidione coegere: denique Alexandria, cum eo ad opprimenda conjurationis initia feſtinaret, perſuaſum, ut ſine milite, quo ferox populus irritaretur, intraret, conjecit in vincula, quibus non niſi morte ſolutus eſt. Exinde Alexandria, Derthona, Novaria, Vercellæ Mediolano reconciliata Matthæum Vicecomitem Capitaneum dixere. Papia ad priſtinos rediit Beccarias. Inter hæc claſſicum canente Pontifice ad Hieroſolymitanam expeditionem adjuvandam, Mediolanenſis pubes non ſegniter arma corripuit. Matthæus adſpirantis fortunæ vehſicans, Comum civilibus diſcordiis agitatum occupat. Inde adverſus Montem Ferratum movet: ejuſque præſidiis munitionibus ut captis, totius regionis Capitaneus inſcribitur, volente ipſo Joanne Guilielmi filio ex fœdere in ejus vivere clientela, cui obſiſtere non valeret. Victarius à Cæſare in Longobardia appellatus, eum honorem non niſi annuente Senatu uſurpat. Novum Laudem ſibi ſuſpectam bello petiturus, Veterem novis operibus munit. Othonem interim ſenio confectum, quem Franciſcus Parmenſis excepit, Mediolanenſis, immo & totius Longobardæ rei non modica permutatio ſequuta eſt. Derthonam Genuenſes ac Papienſes à nobis abſtraxerunt. Vercellas ac Novariam Joannes Montiferrati Marchio ſua ac paterne ultro injuriæ occupavit, & eis Ticinum progreſſus prædas egit ingentes: denique Caſalem avitam ſedem inivit. Matthæus collectis interim copiis, hinc Joannem, ac Papienſes; inde Eſtenſem, ac Cremonenſes victor exegit: & agrorum populatione, ac Mortaria vaſtatione multavit. Ne tamen tanta belli mole opprimeretur, intercedere Venetis, quos ipſe haud multo ante à Genuenſibus ingenti clade afflictos conciliata pace ſublevarat. Non multo poſt Novariam ac Vercellas conſligentibus inter ſe civibus recepere: Philippinam Languſcum adjuvat in obtinenda Papia: denique Galeacium filium Beatricis Eſtenſis conjugio ac dominationis ſocietate promovet. Hoc tandem anno emerſit ad lucem probroſa quædam religio barbaræ libidinis, ac ſtuprorum lena, quæ à peregrinis invecta per incuriam ac civiles diſcordias adeo creverat, ut nonniſi multorum ſupplicio, plurium dedecore repreſſa ſit: & Matthæi potentia bonis civibus, quamquam amicis, ac conſanguineis gravis videri cœpit. Hæc invidia ſcintilla brevi in apertum conjurationis incendium evaſit, quo omnis ejus potentia conflagravit. Sublato à conjuratis ſigno, & caſtris eis Addnam collocatis; tum Mediolanenſi populo palam deficiente, ac veterem libertatem poſtliminio revocante, Matthæi paſſim, ſalutemque imperii abdicatione paeſci, mox etiam exilium & proſcriptionem pati compulſus eſt, annulis in urbe interim regnantibus, & Turrianos in patriam & avita jura aſſerentibus.

Sic jam ab hoſte ſecurus Otho ſtatum civitatis ex ſententia componit, atque ut regnum in ſuis conſtitueretur, proſpicit. Matthæum nepotem, cujus militarem virtutem & prudentiam expertus jam erat, adminiſtrationi Reip. collatis paulatim honoribus, admovet: atque, ut idem publico conſenſu fieri videretur, duodecim viris tribui à populo auctoritatem retractandi leges, ſcita plebis abolendi, atque in primis legendi Capitaneum, quem voluiſſent, cuiat. Illique Matthæum in unum quidem annum legunt, ut invidia diuturnioris Magiſtratus in principio evitaretur: eumque honorem Kal. Decembris is inivit: mox Præturæ mentione habita, cum ad eam vocati Ubertus Beccaria Papienſis, & Bernardinus Poletanus Ravennas venire recuſaſſent, ne ſine Magiſtratu civitas, dum aliis accerſiretur, maneret, id quoque munus Matthæo demandatur: ita utroque titulo inſignis tribunal adſcendit, & jûs in novo foro reddidit.

Subiit mox annus octogeſimus octavus, cujus initio Oratores Comenſes ad jungendum, incundumque fœdus inter Othonem & Lotherium Ruſcam venere: è re communi erat, eos conjunctis animis, opibuſque vivere. Vocatus interea ad Præturam Jacobus Peruſinus, eam cedente Matthæo Kal. Martius inivit. Cum September menſis ageretur, leges rurſus reformatæ ſunt, & Capitaneatus Matthæo in ſequentem annum ampliatur: quod admirationi multis fuit, cum contra recentes leges factum, & inſtar Regiæ potentiæ videretur. ſed maxime moleſtum uni Henrico Moguntiaco id accidit, cui Placentinam Præturam gerenti de- A. C. 1184.

ti deſignatus is Magiſtratus erat: forteque Mediolanum eodem die excepturus honorem venerat: quare receſſit ſubito ira, indignationeque plenus. Gulielmus quoque Montiſerrati Marchio magna invidia flagrabat, cum intercluſam ſibi ſpem cerneret potiundæ urbis populoſiſſimæ, in qua ſupremum nomen ac poteſtatem aliquando habuiſſet. Itaque multa cogitare, ac moliri, quibus ſi poſſet, creſcentem Vicecomitis fortunam infringeret: ſed ejus cogitationibus occurrere finitimæ civitates, Mediolanum ipſum, Papia, Placentia, Cremona, Brixia, Genua, Aſta illius vexationibus fatigata, quæ legationibus Papiæ fœdus mutuæ amicitiæ & defenſionis percuſſere. Eodem anno Mutina nobilis Æmiliæ civitas ditioni Obizonis Eſtenſis Ferrariæ Marchionis acceſſit, partim deditione civium, partim nuptiis Aldrovandini filii, qui uxorem ex nobili ac potenti familia Rangona, & cui propterea in dotem civitas caderet, duxit.

A. C. 1249. Anno octogeſimo nono Papiæ urbana militia Manfredino Beccariæ, qui Domini vicem obtinebat, infenſa, illum exturbare patria nixa eſt: aſſeverabat enim non perpetuos debere eſſe Magiſtratus, ſed ſorte mandandos honores, & Capitaneum in primis ex externis urbibus eligendum: & concitato ad tumultum populo, Manfredinum, urbiſque Epiſcopum fugat. Hi Laumellum, & Baſſignanam, quam Bavenorum Auguſtam primis ſæculis vocitatam Merula arbitratur, ſe recepere: hinc Marchionis præſidium ad inſignem injuriam ulciſcendam implorant: nec mediocrem exercitum brevi contraxere: cives detrimenta agrorum veriti, quantas & ipſi poſſint adverſus illos copias vocant; à Mediolano Ubertus Beccaria Prætor patriæ publicam cauſſam privatæ conſanguinei injuriæ prævertens, & alter Ubertus cognomine Selvaticus, unus ex Matthæi collegis, cum equitatu Gallico, qui tunc Mediolanenſium ſtipendiis militabat, & ſex millibus peditum conceſſis, Garlaſcum petiere: diſtabantque exercitus non amplius ſeptem millibus paſſuum, avidique pugnæ erant: cumque acies inſtructæ ſtarent, exaudita vox eſt ſanguini civium parci jubentis: prope enim eſſe, ut conditionibus ſcriptis, non autem ferro, diſſenſio iſta finiretur: ſicque converſis agminibus, ſua quiſque in territoria rediit. Circumvolitaverat autem pacis conditiones ferens Gulielmus Preda, vir ſingularis prudentiæ, & virtutis opinione utrique parti gratus: pax Laumelli percuſſa, qua Marchio Papienſis urbis dominus declaratus eſt. Is Prætorem Manfredum Paravicinum, Capitaneum populi eundem Gulielmum Predam nominavit. Tantæ, tamque propinquæ urbis adeptione auctum Marchionem moleſte ferentes finitimæ civitates, novum conventum Cremonæ celebrant: & quantum militum ali oporteat, ut inſtructi ſemper ac parati ſubitaneos quoſcumque Marchionis impetus, conatuſque excipere poſſint, conſtituunt. Inter quos Aſtenſes ſoli octingentos equites habituros ſe receperunt.

Interim inita conſpiratio eſt, turbulentiſſimorum conſiliorum plena; cujus particeps Lanfrancus Mota intercreptus, tormentorum metu ſponte confeſſus eſt, vetere ſe uti conſuetudine Bonifacii Puſterlæi Abbatis Sancti Celſi: ab eo ſe ad Marchionem Montiſerrati crebro miſſum fateri; circumtuliſſeque conditiones fœderis inter eos. Præterea Abbatem in Ticini ripa ſermones arcanos habuiſſe cum Henrico Cerreti Comite, atque ſcripta quædam ad Marchionem perferrenda clam dediſſe, ad quem etiam Languſchi agentem alias literas miſerat per Gerardum Caſelam Vercellarum Prætorem, ac tandem ita compoſuiſſe: ut Marchio poſthabitis penitus Turrianis, Abbati ſuppeditaret pecuniam quatuor millium librarum, quibus ſe amicoſque armis & equis inſtrueret, & quas aliàs expenſas, damnave in futurum ſubiret, bona fide & ſine fraude emendaret: tum propius urbem Marchio accederet; ut perpetuum ejus dominium, quod ſe traditurum Abbas pollicebatur, capeſſeret. Item ſe ad Albertum Scaligerum Veronæ Dominum iviſſe rogatum, ut is Manfredinum Beccariam Marchioni Montiſerrati reconciliaret. His cognitis Otho concionem in forum vetus vocat: cohortes armatæ circa diſpoſitæ gravis negotii ſuſpicionem adeuntibus fecere: ſedentibus jam Patribus, jubente Matthæo Capitaneo, Notarius Pelicia Beſutius ex ſcripto recitavit ea, quæ Lanfrancus in carcere confeſſus fuerat. Rogati ſententias, cenſuere omnes exilio mulctandum Abbatem, qui præ cupiditate ſua nullam publicæ tranquillitatis & otii rationem haberet; ſicque miſſo uno ex collegis Matthæi, ſine mora Abbas cedere finibus ac Brixiam migrare jubetur.

Jam vero Marchio, ejus pollicitationibus allectus, Mortariam uſque venerat; ubi cum audiviſſet hæc, quæ Mediolani acta ſunt, Vercellas iter flexit. Sequebantur Manfredinus Beccaria, & Reſianus frater ejus: tum Henricus Bruſamantica, & octo alii nobiliores viri. Nec ita multo poſt proditione quorundam Novaria potitur. Kal. deinde Julii Mediolani Prætoram unt Balduinus Ugonus gencre Brixienſis, qui perſuaſa civitate facile, ſi celeritas adhiberetur, potiri Papia poſſe, eo repente cum expeditis militibus profectus eſt; urbemque ad jactum ſagittæ ingreſſus, cum pacata omnia reperiſſet, ſilentio ipſo territus, ſperaverat enim, ut ſe adveniente tumultus concitaretur, ſigna convertit, ac domum ſine maleficio rediit.

Tum retractata lex fuit de Capitaneatu continuando; decretumque ut is duos collegas, tres Jureconſultos, duodecim equites haberet: æquatuſque eſt Prætori ſtipendio & auctoritate, conceſſumque arbitrium eſt vel creandi novum, vel retinendi veterem, atque in imperio confirmandi. Tunc Præſides populi vicem agentes, viginti viros creant, quorum ſuffragiis Capitaneus decretur. Hi Matthæum Vicecomitem, cujus virtus, militariſque induſtria favorabilis admodum erat, nominavere. Id cum ſine cujuſquam æmulatione ſucceſſerit, nemini dubium fuit, quin domi, & antequam ſuffragia inirentur, compoſita res foret. Matthæus vero prorogato Imperio, armatos viros quotidie circa ſe habere, militiam & bellica negotia ſemper agitare. Mox Kal. Decembribus, præmiſſis tubicinibus, & duodecim Anciani forum adſcendit; & ſedentibus Patribus, Franciſcus Legnanus, clarus tunc inter Jureconſultos, *Quod præſens*, inquit, *ſtatus, Mediolanenſium felix, ſalutareque ſit; & contra Marchioni Monteferratenſi infauſtum, & abominabile, Tu, Matthæe, hunc populum reges, & qua ad ejus incolumitatem & jura conſervanda pertinuerint, curabis: Eccleſia dignitates, reformationes Conciliorum, Romanaſque leges, quantum pro viribus & auctoritate licebit, tueberis.* Atque in ea Matthæus juravit.

Interea Turriani Muſca, Herrecus, & alii cognati non ceſſabant Laudem, Papiam, Montemferratum adeundo, perniciem Vicecomiti quacumque arte moliri. Demum Marchio per hiemem anni nonageſimi, quæ tunc ſupra nulle & ducentos inibatur, eos cum Oratoribus ſubditarum civitatum in concilium Baſſignanam vocat, atque bellum adverſus Aſtenſem decernit; & appetente vere, comparato exercitu, agrum populatur, & pro portis conſidendo urbem arctius premit. Tunc exules Papienſes Placentinum & Cremonenſem vocant: his adjungitur equitatus Matthæi, à quibus dum prædando ager Papienſium adureretur, coacti ſunt cives revocare ſuos ab obſidione Aſtenſi; quibus diſcedentibus, Marchio quoque ab incæpto

A. C. 1250.

cœpto destitit. Tunc Amadeus Sabaudiæ Comes ab oppidanis accitus, Astam cum quingentis lanceis, & septem millibus peditum ingreditur, atque Alexandrinorum animos sollicitare cœpit. Et dum copias undequaque is contrahit, Mediolanenses Ducem Matthæo Papiam hostiliter petunt. Marchio in obsessæ urbis auxilium accitus venit, & ne ab infima multitudine civitas opprimeretur, aliquot dies sustinuit: vastationes, populationesque agrorum prohibere non potuit: demum quarto Kal. Julias nulla alia re memorabili gesta, ex castris in patriam Mediolanenses ultro rediere.

Per quod tempus invulgata fama est cladis acceptæ in Syria, & urbis Hierosolymitanæ à Barbaris occupatæ: cujus rei gratia dimissi ad Christianos populos religiosi remissionem pœnarum spiritalium, & fides cœlestes ex mandato Romani Pontificis prædicare cœperunt, hortarique juvenes ad suscipienda arma in expeditionem tam sanctam, tam commendabilem, & saluti animarum necessariam. His orationibus excitati cum aliunde plurimi, tum quadringenti omnino ex urbe Mediolano nomina professi sunt; qui constituto sibi Duce Petro Merato, Venetias, ubi classis parabatur, se contulerunt. Eorum exemplo alii, atque alii crucem sumpsere, eam ex rubro panno candidæ vesti inuebant: & cum ea multitudo in dies augesceret, incedebant turmatim per fora, & sacras ædes, succinctique armis terrori sæpe Magistratibus erant, & tumultum aliquando excitatum ægre Matthæus compescuit.

Cæterum Gulielmus Montisferrati Marchio, ab Papia movens Morimundum versus ad Gelatam vicum constitit, bellum Mediolanensi facturus: sed cum metu copiarum ingentis populi, & amicarum civitatum, quæ auxilia mittebant, tum certos factus Alexandrinos ad defectionem spectare, eos enim Amadeus, & Astensis pecunia, & magnis promissis alliciebant, trans Padum contendit: occurrere supplices Alexandrini, non procul ab urbe, rogaruntque ne militem introduceret: nullius fidem in cum mutatam docent, periculum tantum fore, ne si militaris turba feroci populo immisceatur, à tumultu & cædibus non temperet: satis ergo fore, si aulicos tantum secum habeat. Haud adspernatus id consilium Marchio, cum paucis urbem Alexandriam ingreditur, atque in palatio cohospitatus est. Id vero intempesta nocte conspirati circumstetere, & tumultu facto Marchioni ipsi manum injecere, ac vinctum in privata custodia habuere; donec in palatio constructa cavea lignea est, in qua positus duo de viginti menses vixit, ac demum vita excessit. Denunciatum illi infortunium per somnium ferunt: nam pridie Idus Augustas, qua quidem die captus est, vidit per quietem circumveniri se à multitudine augmentium bovum, & humi stratum ab his subinde proculcari. Ejus clades tanti rebus momenti fuit, ut confestim Mortaria, Viglevanum, & Viqueria in potestatem Manfredini Beccariæ cesserint; & Alexandria, Derthona, Novaria, Vercellæ in fœdus Mediolanensium redierint, ac universum nomen Alexandrinum ex tota regione Montisferrati revocatum; simulque memoria omnis Gulielmi abolita, disjecta signa, obliteratæ, abrasæque inscriptiones: exstat decretum in eam rem cum jurejurando, ne paterentur unquam quempiam sturpin Monteferratensis Alexandriæ regnare.

His actis, Papia quoque studia mutavit: nam capto & in vinculis conjecto Gulielmo Preda, Manfredino Beccariæ se cives dedere, atque Capitaneum in decennium creavere. Eundem ntulum Novariæ, Vercellisque Matthæus Vicecomes excepit, dimissique ad Præturas exercendas Othorinus Mandellus Papiam, Gaspar Garbagnates Novariam, Guidetutus Vicecomes Alexandriam, Ubertus Vicecomes (nescio an hic Matthæi frater) Vercellas, & Petrus item Vicecomes Bergomum. Mediolanensem autem Bernardinus Polentanus Ravennatum Dominus, qui non ita multo post, conditione temporum offensus, Magistratu decedens domum abiit, in ejusque locum duo Alexandrini cives Albertus Guascus ab Aliee sex primos menses, & Nicolinus Merlanus, quem Merula noster inter proavos suos censet, sex posteriores successere.

Contigit hoc tempore ut homo materna origine, nascendique loco Venetus orinndus ad Regni Pannonici Imperium pervenerit: cujus rei narratio etsi nihil commune cum Mediolanensi habeat, tamen & exempli nobilitas, & laborantia in historia sua Sabellici hallucinatio facit, ut quid mihi ex varia lectione compertum sit, in medium ponam. Andreas Pannoniarum Rex hujus nominis secundus Bele Tertii filius amissa priore conjuge Gertrudi, Hierosolymitanam peregrinationem suscepit, atque peregit supra ab hinc annis quinque & quinquaginta. Dum rediret, Italiam invisit: inter cætera Ferrariæ magnifice, ampliterque apud Aldrovandinum Estensem hospitatus est, atque interim ejus oculis obversata egregia specie puella Beatrix filia mire placuit: exarsit repente in ejus amorem peregrinus, & fie jura hospitii violarentur, legitimis nuptiis eam sibi copulat, atque in Pannoniam abduxit: nec ita multo post decessit, gravida relicta Beatrice, quæ eum mores Pannoniarum perferre non posset, in patriam revertitur, ac Ferrariæ ventrem solvit: edita proles mascula: Stephanum vocarunt: is in spem, titulumque Regni Ungarici educatus aliquandiu est: demum insidias Aldrovandino materno avo cum molitus esset, nec cogitata processissent, ejectus finibus est. In Hispaniam exul abiit, postea ad Italos reversus, jus ex Prætura Ravennæ dixit: inde Venetias commigravit, ubi Thomasinam Maurocenam cum opulenta dote uxorem fortitur. Natus ex ea filius, de paterni avi nomine Andreas nuncupatur. Et Stephanus quidem inter privati opes consenuit: Andreas vero auspicationibus satis genitus, ad aviti Regni imperium pervenit, per occasionem cædis Ladislai quarti, qui à domesticis suis interfectus fuit: nam ex eo destituta Rege Provincia, facile Andreas, cui jura hereditatis favebant, nec opes avunculorum defuere, è Proceribus admissus est.

Inter hæc res Orientales in deterius relapsæ sunt, & cum nostrorum clade Ptolomais amissa. Agebatur autem jam annus primus & nonagesimus: ergo Nicolaus Quartus Romanus Pontifex, ad Occidentales Reges & populos scripsit, ut unusquisque pro virili opes & copias conferret: quo exspectantibus reliquiis auxilia rursum mitterentur. Otho Mediolani Archiepiscopus, acceptis in eam rem litteris, primores populi, & suffraganeos Ecclesiæ suæ Episcopos in unum vocavit; apertisque litteris, quid Summus Pontifex mandaret, docuit, hortatusque est, ut cuncti crucem & arma caperent; expeditionem religiosissimam suscipierent læti, & grandia præmia, cælestes ædes accepturi: irent, cogitarent, atque intra certum diem ex scripto referrent, quid facto opus fore censerent: observatum nunc quoque est concione abstinere Episcopum Vercellensem maluisse, quam non supra Brixiensem sedere: sententiæ omnium fuere, rogandum primo peculiaribus supplicationibus Deum, ut res suas meliores faceret: tempus præfigeretur iis, penes quos jus est creandi Cæsaris, intra quod tandem eligerent; alioquin Romanus Pontifex pro auctoritate sua eum nominaret: Gallico Regi summa totius belli demandaretur: cæterique Principes orbis Christiani admonerentur, qui crucem & peregrinationem susciperent: inter Venetos, Pisanos, Genuenseisque,

quorum classibus in navigatione uterentur, concordia procuraretur: eidem quoque inter cæteros Italos, in primisque Longobardos agerentur; mercatores, ne quid trans mare negotiarentur, prohibendos: & Oratores ad Pontificem mittendos, qui agenda confirmarent. Hæc omnia collegit Otho, & litteris perscripta misit Romam ad alterum Matthæum Vicecomitem, qui Novariensium Episcopus designatus, tunc apud Pontificem agebat.

Non ita multo post reversus ex Gallicana Legatione est Giraldus Blancus Cardinalis Parmensis, & cum urbem Parmam ingrederetur, quam maximus à populo præstari potuit, honore acceptus est: nec ingratus ipse erga suos; multa cœnobiis religiosarum mulierum, & Canonicis, ex quorum ordine aliquando ipse fuerat, nobile prædium donavit. Veronæ autem Bartholomæus Alberti Scaligeri primogenitus uxorem duxit Constantiam Conradi Antiocheni Principis filiam.

A.C. 1291. Cum mox subaret annus secundus & nonagesimus, biduo ante Kal. Januarias per seditiones Comensium Matthæus Vicecomes ejus urbis imperium adipiscitur: nam cum Petrus Adolescens Lotherii Ruscæ paulo ante defuncti filius summam rerum ibi teneret, indignati adversæ factionis Principes Joannes Lucinas, Otho Mandellus, Henricus Moguntiacus, & Franciscus Carcanus, & sectatores Episcopi, suburbium, cui vico nomen est, invasere, ac per vim cepere. Inops rerum & consilii Rusca sumere arma adversus eos non ausus est: & triduo post Matthæus Vicecomes cum valida manu affuit, atque urbem ingressus, receptis arcibus, & imperio classis, quæ totum Larium pervagari solebat, Capitaneus Comensium in quinquennium declaratur, constituto annuo stipendio trium millium librarum: tum quindecim dies ibi moratus, interdictæ ab Episcopo civitati sacra restitui curavit: Prætorem imposuit Otholinum Burrum uxoris suæ fratrem, & restitutis exulibus civiles discordias sustulit.

Per eosdem dies Montisferratensis Marchio in Alexandrinorum carcere moritur, suis ad sepulchrum concessus est. In dominio successit Joannes filius, cujus adolescentiam opportunam voto suo nactus Matthæus bellum illi parat. Tridinum oppidum inter Padum & Vercellas situm valido cum exercitu obsidet. Accolæ bifariam divisi, diversa sentiebant: nam cum alii exhibendam fidem veteri Principi censerent, seque in munitiorem arcem recepissent; alii frustra moram interponi viderent; protindeque maturandam deditionem dicerent, hi Matthæi signa intra vallum recepere; nec ita multo post contumaces inopia fregit. Ergo Matthæus arcem recipit, & impositio præsidio Casalem duxit; quod totius Montisferrati Emporium S. Evasii cognomen tenet: ibi nulla difficultate inventa, quin rerum potiretur, Capitaneus universæ ejus regionis declaratur. Mox apud Alexandrinos qui ei finitimi sunt idem honoris, nominisque meruit.

Inter hæc Comi res novantur. Vitaneæ factionis homines Episcopus, Joannes Lucinas, Advocati, Lavizani, Lambertengi Remp. capessivere, & Otholino Burro Magistratu pulso, quatuor viros creavere, quos Rectores nuncupaverunt: ne tamen adversus Matthæum facta rebellio videretur, Oratores Mediolanum missi antiqua jura affirmarunt cum eo, & Franzinum Carcanum Prætorem receperunt: orta deinde inter cives contentione, Matthæus eo profectus res ad arbitrium componit, & exauctoratum Franzino, uterinum fratrem Ubertum Vicecomitem jurisdicundo præfecit.

A.C. 1291. Subeuntibus Idibus deinde Majis anni xcviii. venere Mediolanum Ubertus Cochonatus, & Franciscus Tilli Oratores Monteferratenses, qui nomine Joannis Marchionis amplissimam fortunam Matthæo gratulati, initum jam fœdus affirmavere. *Matthæi Vicecomitis summa cum potestate Capitaneus Montisferrati in quinquennium esto; stipendium trium millium librarum habeto; Joannem Marchionem intutelam, protectionemque suscipito; Vicariorum necessarium Resp. imponito; & quidquid hinc retro, seu stipendii, seu quavis alia ex causa erostas Mediolano Galeatio deberet hæres ejus amplius non repetito.*

Eodem anno pridie Kal. Martias Obizo Estensis cum triginta annis Ferrariæ dominatus esset, spiritum posuit. Tribus filiis divisifie Regnum testamento vulgus credidit; atque primogenito Actio Ferrariam; Aldebrandino Mutinam; Rhegium Francischino assignasse: sed Actius per vim uni sibi omnia vindicavit. Aldebrandinus autem parum etiam tutam salutem suam in loco, ubi frater jurisdictionem exercere posset, arbitratus, voluntarium exilium Bononiam delegit. Interea in Germanis Anaxonæ Comes Adulphus, quem Merula & nonnulli alii *Arnulphum*, quidam *Asculphum* imperite vocant, in Romani Regni culmen delectus biennio ab hinc fuerat.

Nunc vero subeunte anno nonagesimo quarto, missi sunt à Mediolano Legati Gaspar Garbagnates, & Manfredus Cripa Jureconsulti, qui & novo Regi excellentem dignitatem gratularentur, & Matthæo Vicecomiti procurationem rerum Longobardarum demandari curarent: facile postulatis annuit Cæsar, & quatuor Legatos in Italiam misit: inter quos Medicus ejus fuit Landulphus Ravacocta, Galliano Canturiensi vico oriundus: qui postridie Kal. Majas Mediolani frequentissima concione advocata, litteras recitarunt, quibus primum veteres immunitates & privilegia à Cæsaribus civitati concessa confirmabantur; deinde Matthæus Vicecomes Cæsareus Vicarius universæ Longobardiæ decernitur, ac cunctis ejus terræ populis mandatur, ut ei ceu Imperiali Procuratori pareant. Matthæus, quia præsens erat, ostendit se nisi volentibus & jubentibus Patribus cum honorem non accepturum. Ergo invere consilium primores, & mox, ceu latis suffragiis, Maseus Madius Brixiensis urbanus Prætor Nobilium manu stipatus, ad eosdem Legatos accessit, & verba faciente Matthæo Stampherio, qui Latinam orationem habuit tempori & rei accommodatam, doeuerunt, Matthæum Vicecomitem læto, libentique animo recipi Vicarium Cæsareum, ut paulante lectæ litteræ constituebant. Tum Matthæus ipse in medium processit, & recte casteque eum Præfecturam gesturum se juravit: simul sublata aquila est, quam Adulphus signum fœderis & benevolentiæ tradebat. Ita Matthæus Vicecomes non spreto, ut Merula ait, Capitanei titulo, sed honestiore interim quæsito, Generalis Vicarius Imperialis vocitari cœpit; quem prisco vocabulo Procuratorem Augustalem recte dixerimus. Nec ita multis interjectis diebus, iidem Oratores Cæsarei, & Mediolanenses circumvivere aliquot urbes & oppida finitima, hortantes, fudentesque, ut in ditionem Matthæi, ceu Augustalis Procuratoris concederent, inque ejus verba jurarent: sed irrita ubique, ut impudens, eorum postulatio est. At non ita contempsere Matthæi honorem atque amicitiam Albertus & Conradus Ruscæ Comenses exules, qui acciti statim Mediolanum venerunt, atque conjugali fœdere cum eo jungi non dubitarunt: namque Petri Vicecomitis filia Conrado desponsata est. Eo facto Vitani, reti in perniciem suam junctas cum adversariis Vicecomitum opes, intra urbem Comum nova certamina excitavere, quibus ipsi demum succubuere: pulsique patriam, & bona victori Ruscæ concessere: tumque traducta ad virum nova sponsa fuit, & nuptiæ sumptuosius celebratæ.

Non

Non ceſſabant quoque Turriani ab occultis machinationibus, & cogitandis iis, quibus in patriam reditum pararent. Et cum de Laude & Crema maxime dubitarctur, indictum Mediolani concilium fuit: ad quod miſere Legatos Brixia, Cremona, Placentia, Papia, Derthona, Alexandria, Genua, Aſta, Caſalis, Vercellæ, Novaria: quibus auxilia decernentibus præmiſſus in agrum Laudenſem eſt Zanaria Salimbenus, tunc ſex ultimorum menſium Prætor: eum ſubſequitur Matthæus, Muciam fluvium, vel magis foſſam incilem Addua derivatam, juncto ponte tranſeunt, ac nemine, qui per vim maleficia prohiberet, prodeunte, onuſti præda domum rediere. Deinde ſexto Kal. Octobris ad Pontilatum vicum Laudenſes excurrere; quibus mature obſtitit equitatus Mediolanenſis, commiſſoque certamine, non ſolum recepta præda eſt, ſed etiam ex hoſtibus capti ſupra ducenti; in quibus Imberalis Turrianus, & duo filii Uberti Ozeni, & Lupus Parenzonus, qui in carceres ducti, illi Tricium, hi Septezanum ſunt. Mox Matthæus, exeunte Decembri, de publico conſilio in aliud quinquennium Capitaneus populi Mediolani decernitur.

A.C. 1193. Et ſubſequente vere anni quinti & nonageſimi reliquias veteris Laudis, id eſt, Pompejæ, vallo foſſaque circumdedit, ac impoſito præſidio munivit: poſtea Caſtrum Leonem adjuvante exulum manu occupat. Id ut recuperaretur, Cremona, Cremaque auxilium Laudenſibus miſere: id jam machinis oppugnabatur, cum Henricus Tangetinus urbanus Prætor præmiſſus, ac mox Matthæus cum ingentibus copiis acceſſere, hoſtemque ab Caſtro Leone fugavere. Tum propius Laudem duxere: præibant ſexcenti ſagittarii, tum robur equitum, & quatuor millia peditum; ſequebatur urbana militia: hæc erat delecta juventus ex nobilitate equo merens, & popularis turba adeo frequens & denſa, ut viginti quinque millium numerum explere videretur: tum Alexandrini mille, & varius numerus à Vercellis, Novaria, Placentia, Brixia: nec magno ab his intervallo duo millia lanceariorum agmen claudebant: hoſtis à muris proſpectans nullam pugnæ copiam fecit. Matthæus, ne diutius fruſtraretur, copias Mediolanum reduxit. Hæc menſe Junio acta: per quod tempus Mediolani deceſſit Petrus Petrogroſſus, civis quidem Mediolanenſis, ſed Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, non ſine multorum lætitia. Hic quoniam videbat Othonem Archiepiſcopum jam ſenio premi, ambiverat multos civium, ut ea dignitas nepoti ſuo deſignaretur: ſed cum plurimi refragarentur, exſpectandumque tempus legitimum, & arbitrium eorum, penes quos eligendi poteſtas eſſet, cenſerent, curavit eam auctoritatem ad Romanum Pontificem evocari, atque Fraternitatem Humiliatorum ritu Ambroſiano hactenus ſacra tractare ſolitam, ad Romanam diſciplinam traduci. Ex quibus non minimum invidiæ atque odii in civitate conſecutus eſt: nec tamen improbi voti compos evaſit, ſiquidem ipſe ante ab humanis abreptus eſt, quam Eccleſia vacaverit: quamquam non ita multo poſt Otho ſequutus eum eſt.

Jam relicta rerum cura Matthæo, ſeceſſerat in cœnobium Carevallenſe: Medici ab ejus latere non diſcedebant, quia octavum & octogeſimum annum agentem facile quæcumque vi morbi caſurum cernebant: hic adverſa valetudine correptus, ſpiritum poſuit ſexto Idus Auguſti: inde ad urbem relatus magnificentiſſimo funere, & quod omnium ordinum cives celebravere, ſepultus eſt, ac rubri marmoris arca in majori Æde conditus.

Cæterum Otho multa in commune bonum, ac templorum ornamenta, & opera publica contulit. Divæ Agneti proprium ſacerdotem conſtituit; ſtipendia annua Interpreti Theologiæ, & qui ſacras Litteras publice in Æde majori profiteretur, unde Stephanardi, cujus in principio operis meminimus, gloria; tum Medico, qui inopes ægrotos, aut ferro ictos curaret dependi voluit. Tradit Merula per hæc tempora duos varia virtute, gloriaque floruiſſe cives, Ubertum à Cruce, qui currentes equos manu comprehendens retrectaret, ac moraretur; jumenta farcinaria ſaccis plenis onuſta ſuſtineret, & humeris euntra ſcalas ferret; altero pede inſiſtentem nemo unus dimovere veſtigio poſſet; & Gulielmum Puſterlæum, quem primis vix litteris imbutum peritiſſimi Legum Interpretes in dijudicandis cauſſis, controverſiſque, admirabantur, nullius ingenio, operave utentem; adeo prudens naturæ beneficio habebatur. Æſtimata quoque eſt ſingularis populi multitudo, & opificum copia: nam cum numquam otioſa civitas fuerit ſive ab externo bello, ſive à domeſtica ſeditione, adhuc tamen in rationem annonæ veniebant centum quinquaginta & eo amplius civium millia.

Cæterum defuncto Othone titulum Eccleſiæ noſtræ detulit Romanus Pontifex Bonifacius Octavus Ruffino Frixeto, genere Lucenſi: quod maxime homines admirati ſunt, atque indignabundi tuleruntque, quia hominem extra Mediolanenſium Cardinalium ordinem promotum, quod nunquam fere antea acciderat, videbant; ignorantes videlicet, quæ Cardinalis Petrogoſſus clam cum Pontifice egerat: ſed nec is in eo honore perennavit; aut ſemel omnino adivit: nam paucorum menſium ſpatio abſens obivit diem: eique ſufficitus eſt Franciſcus Parmenſis.

Cæterum ex morte Othonis multi in ſpem novæ fortunæ erecti ſunt: nam & in Comenſi Viana factio univerſam Tellinam Vallem in partes ſuas contraxit, & Littardus Caſtellus, qui obſea cum multis aliis Comenſibus in cuſtodia Mediolani habebatur, clapſus Bellaſium in ora Larii oppidum, quod olim ditionis majorum ſuorum fuiſſet, quaſi quodam jure, adjuvantibus paternis amicis, occupavit, atque bellum Comenſibus fecit. Matthæus civitati, quantum auxilii opus erat, miſit. Derthona vero à Mediolanenſium obſequio & fide ſubtracta eſt: nam opera Conradini Spinolæ, & Manfredi Beccariæ reſtituti in urbem exules ſunt. Tum ut diſcordiis civilibus occurrerent, utique undenos delegere, quos Genuam, Papiamque, ut obſidum vice cuſtodirentur, dimiſere: ſimul ejuſdem urbis Prætura filio Conradini, & Capitaneatus populi Henrico Bruſamanticæ civi Papienſi demandatur. Parmæ Rubea factio Sanctovitalem expulit. Mantuæ Bardelonus Bonacoſſa Pinamontis paulo ante defuncti filius, Tangentinum fratrem in vincula cum ejuſdem filio conjecerat: nunc autem exulibus ad duo millia hominum in patriam reſtitutis, fratrem, nepotemque carcere ſolutos extra fines Mantuanos relegavit, à quibus nec turbidius quidquam poſtea paſſus eſt.

Bergomi quoque, quæ civitas perbeata videbatur, quod nullæ eam civiles diſcordiæ, nulla externorum bellorum mala contigerant, Suardi, & Colconi diverſæ factiones, Martii menſe anni nonageſimi ſexti, arma in mutuam pernicicm, & quidem parvo ex initio, ſumpſere: ſiquidem unius tantum cædes memoratur Jacobi Mutii, qui ex parte Suarda fuit in foro mercatorio à diverſæ factionis homine lancea vulneratus: ex eo ſævientibus ultra modum vulgi animis, pugnatum atrociter intra urbem eſt, & ſuccumbentibus Suardis, ejuſdem Jacobi domus ſuccenſa, & direpta eſt. Albrigninus autem Mediolanum profectus, à Matthæo auxilia impetrat, quibus adverſariorum opes affixit. Prætorem tunc à Matthæo Bergomenſes accepere Othorinum Mandellum, qui in ſex menſes juriſdictionem exerceret: ſed ea poſtea vix trime-

A.C. 1196.

ſtris fuit: namque Colconi ex fuga Cremam ſe receperant, ubi dum vires reparant, duas familias Rivolos, & Longos, quorum contrariis ſtudiis & potentia pulſi domo fuerant, in primis ſibi conciliarunt. Conſpiratione facta noctu in urbe tumultus excitatur: adfuere in tempore Colconi: quatuor & viginti horis continenter certatum eſt: combuſtæ multorum domus, palatiumque Prætorium, & Pontificalis ædes abſumpta: demum debellati Suardi una cum factioſis, & Prætore, atque Othone Comite Curtis novæ, cujus non inſtrenua operâ in juvanda re fuerat, pelluuntur.

Placentina quoque res in unius Alberti Scotti arbitrium & poteſtatem ceſſit, qui genere & opibus clarus, ejectis Landis & Fulgoſiis Capitaneus & dominus urbis renunciatus eſt. Ex eadem urbe oriundus Zanaria Salimbenus iterum Mediolani Prætor deſignatus, juſſu Matthæi exercitum in Briantiæ colles duxit, ac trajecta Addua, Leucum petit. Ingreſſus oppidum ducentos & quinquaginta viros, & in primis Philippum Benalium delegit, quos vinctos Mediolanum miſit; & per præconem populo denunciavit, ut quid quiſque vellet intra tertium diem oppido efferret, & trans fluvium migraret. Ita exhauſto cultoribus oppido, ignem pluribus locis ſubjiciunt, atque funditus, arce excepta, deletum eſt.

A.C. 1197. Anno nonageſimo ſeptimo fundatum Mediolani eſt templum titulo Sancti Spiritus celebre extra murum, quod Humiliatorum Fraternitas tenet: primum Ispidem ſolemnibus cæremoniis fixit Franciſcus urbis Archiepiſcopus.

A.C. 1198. Nonageſimo autem octavo, Matthæus externi Principis nec longinqui affinitate præſentes opes ac rerum ſtatum firmavit: ſiquidem adultam jam filiam Catharinam Albuino Scaligero Alberti Veronæ Domini filio matrimonio locavit. Meruls quodam loco Bartholomæum vocat: ſed ego Veronenſium iutegræ fidei monumenta ſequor.

Eodem tempore accidit Germanicarum rerum mutatio. Albertus Auſtriæ Dux, Rodulphi olim Romanorum Regis filius, Iſprienſi agro circa Rhenum Adaulphum Cæſarem prælio vicit, atque ei in Imperio ſubrogatur: nec ita multo poſt comparata ejus benevolentia, Matthæus procurationem rerum Inſubrum ab eodem impetravit, quam Anteceſſor contulerat.

Per idem tempus Mediolanum eſpeſſendæ Prætoræ gratia peregrinus homo veniebat, Jacobus Dulcaſſarius Fano Piceni urbe oriundus: ſed is ex itinere juxta Oriagum Patavinorum oppidum interceptus, occiſuſque fuit fraude Marchionis Eſtenſis, Rizardi Caminatis, ac Geraldi Tarviſinorum Domini, qui tunc in armis habebant exercitum circiter trium millium hominum. Conradus Turrianus, quem Muſſam cognominari diximus, magni Napuleonis filius, dum ex longinquo exilio langueret in Foro Julienſium urbe, quæ civitas Auſtriæ dicitur, teſtamentum condidit, & recordatus ejus, quod olim captivus cum patre & fratribus in Baradelli arce fecerat, id penitus abrogavit.

Cæterum Matthæus ſicuti opibus, ita & ſobole auctus, primogenitum habebat indole ſibi pergratum: Galeacio nomen fuit: à galli cantu inditum Merula credidit, quod antelucano hora, quæ ex ejus avis cantu Gallicinium dicitur, natus ſit: auſpicatum omnino & poſterioribus Principibus privatis uſitatiſſimom vocabulum: hunc Matthæus in ſpem futuræ fortunæ educans, cum publico muneri præficere vellet, Novarienſibus Prætorem dedit.

Per quod tempus ingens & inexſpectata conſpiratio adverſus Matthæum eſt ſuita, & principio ſubſequentis nonageſimi noni in apertum deducta. A.C. 1299. Duo ex urbe Papia tunc primarii Proceres Manfredus Beccaria, & Philippus Languſcus; Joannes Marchio Montisferrati, quem paterna injuria & puero ſibi creptæ opes movebant; & Marchio Salugienſis (non dixerim Saluciarum, quis & per Gaſpud hujus rei auctores ſcribitur; & Salugia vicus eſt quamvis ignobilis nunc inter Vercellas & Tauriuum, ejuſque Domini à Cane cognomen habebant; quod neſcio an idem fuerit cum Saluciensibus) coactis circa Mortarium copiis duas ei finitimas urbes Vercellas & Novariam, prodentibus nonnullis civibus, occuparunt. Et ex Novaria quidem Galeacius per averſam portam fugiens evaſit, ac nuncius acceptæ cladis ad patrem venit: quientequam quidquam providere poſſet, hoſtes occaſione faventis fortunæ uſi, ad Ticinum decurreruut, & pontem, quo fluvius juxta vicum Brinate jungebatur, expugnant atque adurunt; & in citeriorem agrum excurrentes, atque igni & ferro multa vaſtantes, opulentam prædam egerunt.

Prætor tunc Mediolani erat Thomas Rangonus Bononienſis: quo Duce adverſus prædatores egreſſa urbana juventus, eos à maleficio aliquantiſper coercuit; atque Abiati confidens Viglevanenſes in fide continere, ſubmiſſis commeatibus, nixa eſt. Interim alter nuncius advolat, Caſalem quoque Montisferrati Metropolim ad hoſtes defeciſſe: quibus tot adverſis uno tempore circumventus Matthæus, civea in concionem vocat, & quantum detrimenti Reſp. acceperit, docet; & quantumcumque tamen id ſit, non virtute, aut potentia hoſtium factum, ſed dolo & proditione eorum, quibus maxime confidebat; ſe paratum quodcumque diſcrimen obire, omnem laborem pati, quo præſentibus occurratur: gratum futurum, ſi conſilio, ope, & copiis juvetur, quo vel proſequi belluta, vel amplexari honeſtam pacem, ſi ea magis tentanda videatur, poſſit. His dictis concione digreditur.

Tum Gulielmus Celer ex ordine Juriſconſultorum, & cujus opera atque ingenio Matthæus in dirimendis litibus utebatur, conſurrexit; Matthæique animum liberalem, & publicæ quietis cupidum laudavit; ſubinde hortans, roganſque, diceret unuſquiſque libere, quid faciendum, curandumque cenſerent: in primis tamen meminiſſent Capitaneum in Magiſtratu confirmandum fore: mox quibuſdam aliis ſermonem iuviecm conferentibus, quaſi tunc demum ſuffragia rite iniviſſent, Matthæus in aliud quinquennium Magiſter populi declaratur. Quo facto temperare linguam quidam non potuerunt, quin eum ſuo ipſius proverbio vellicarent, *Sæpe qui ſe excuſare nititur, ſe accuſat.* Interea accipientibus adverſariis mentionem pacis, ſuſpenſum bellum eſt; & publice edictum, ne quis Papienſem, Vercellenſem, Novarienſem læderet, ciſque fraudi foret ad urbem Mediolanum accedere: namque auxiliares copiæ jam adventabant, ducenti equites ab Parma, totidem à Verona, Bononiaque, & mille Alexandrini haſtati jam aderant; ad hæc tria millia peditum ex urbana juventute delectorum lorica, lanceaque inſtructorum; quorum cauſſa nova in dies tributa civibus imponebantur, & durius exigebantur. Paſpiæ item conventus habitus auctore Manfredo Beccaria: venit eo Joannes Canis Salugienſis Marchionis frater; Oratores vero miſere Eſtenſis, & Monteferratus, Novaria, Vercellæ, Caſalis, Cremona, & Bergomum: fœdus verbo in mutuam defenſionem, re vero in excidium Matthæi initum. Quibus Mediolani cognitis, coivere in medium principes civitatis, & Capitanei, ac Valvaſſores; ex quibus Facius Puſterlæus ſpecioſa ac gravi oratione habita, invectus acerbe eſt in Manfredini Beccariæ perfidiam, ac cæteros ejus fautores; & bellum omnino ſuſcipiendum ſuaſit: aſſenſere Prætor, & cuncti, qui aderant: ad Roſatum, Abiatumque contractæ copiæ; ſigna militaria centum & duo diſtributa: in

agrum

agrum Papienſem excurſio facta, lateque multa populati Galeacius & Salimbenus Matthæi Vicarius, ante portas urbis vexilla fixere, & clangoribus tubarum, tympanorumque ſtrepitu, ac interim militaribus probris in conſpectu editis, hoſtem provocare in prælium conati ſunt: ſed nemine progrediente, retro in caſtra cum præda rediere. Hic adjuncto Petro Vicecomite Matthæi patruo, qui externa auxilia ducebat, Ticinum trajiciunt; ex Viglevanenſi agro Gambolatum invadunt; Mortariam vi capiunt, ac in prædam, quæ longe opulentior fuit, vertunt; ædificiis ignem ſupponunt: quo incendio univerſum oppidum abſumptum eſt. Inter hæc ab adverſa parte exercitus miſſus Garlaſcum munivit, & Viglevanum rediit; Marchio Montisferrati, & Joannes Canis eidem adjunguntur. Ab inſula vero Fulcheria, quæ pars terrarum Addua, Olliogue fluminibus in Padum decurrentibus clauditur, Actius Eſtenſis, & Cremonenſes, & Bergomenſes ſeptingentos equites haſtatos, & quatuor mille pedites agebant, & novum inde negotium Mediolanenſi, quo vires diverterentur, facellebant. His oppoſitus Salimbenus hoſtem toto fluvio fugavit, & commeatus, impedimentaque ex trepidatione deſerta intercepit. Dum Addusm copiæ traducuntur, ſupervenit cum ornatiſſimo equitatu Moroelus Malaſpina, & Cremam prædabundi excurrerunt. Erat Cremæ Prætor Henricus Moguntiacus Mediolanenſis diverſarum partium habitus, & qui intento ſtudio adverſarios foveret, ei diem dici, & perduellionis damnari, domum in urbe, turrimque ſolo æquari Matthæus curavit. Et nihilo ſecus de pace actum: tres nunci Cremam miſſi retulerunt, contentos eſſe adverſarios, ut arbitri ponendarum conditionum utrinque darentur: dati à Mediolanenſe Ubertus Vicecomes Matthæi frater, & Otho Curtis novæ Comes: ab adverſariis Seregnianus Guinzonus, & Joannes Crepa. Nec ita multo poſt commeatibus ad utraque caſtra ſine fraude nunciis, pax pronunciatur; cui conciliandæ interceſſiſſe ſedulam Venetorum operam lego, qui gratificari Matthæo magnopere cupiebant, ob tale meritum.

Genuenſes, ut acceptam in Ponto Euxino cladem ulciſcerentur, ſeptuaginta triremes ſub Lampadio Auria in ſinum Adriaticum miſere: quibus Veneti, ut ſua tutarentur, quinque & nonaginta oppoſuere, Carolo & Andrea Dandulis Præfectis: juxta Corcyram nigram, quæ *Scurzura* vulgo dicitur, conſixere non minoribus animis, quam viribus, & plures à paucioribus victi ſunt. Fuſi Veneti etiam de ſalute patriæ dubitarunt: ſed ea victoria contentus Ligur, iter in Orientem vertit: nihilominus, ut in futurum quieti proſpiceretur, circummiſſæ Legationes ſunt de pace, quam Matthæus diſceptator & arbiter conſtitutus, ita æquis & honeſtis conditionibus compoſuit, ut magno ſe devinctos beneficio Veneti ſemper exiſtimaverint; & perſpecto præſenti ejus diſcrimine, cum haud dubium eſſet præcipuum rei momentum ab uno Manfredo Beccaria pendere, Legationem miſere, quæ eum & populum Papienſem reconciliaret, atque Matthæum periculoſiſſimo bello exemerunt. Namque eam pacem mox ſecuti, amplexique ſunt ſupra nominatæ civitates, & fœderati: quam tamen paulo poſt privata odia & ſeditiones abruperunt; & ſubinde Matthæi potentiam redintegrarunt. Caballati & Bruſati Novariæ Toroiellam factionem cum Prætore urbis Muſeto Beccaria ea urbe expulerunt; & Philipponus Languſcus à Beccaria familia diffidens, arma in Manfredum ſumpſit, urbeque Papia expulit. Matthæus Novariam vocatus, exercitum trans Ticinum cum Galeacio filio duxit, & ſine difficultate in urbem receptus, Prætorem impoſuit Turrizanum Cavatiam; atque inde tranſiens Vercellas, ultro obedientem civitatem habuit, ac Prætorem dedit Florium Caſtelletum.

In Laudenſi quoque nonnihil novi actum: oppidum eſt Sanctum Columbanum feraci agro nobile: id tunc obtinebant Capitanei Landrianei. Laudenſes noctu id invaſere, ac per fraudem occupavere. Pulſi veteres Domini querelam ſtatim perferre ad Matthæum tunc circa Novariam & Vercellas implicatum non potuerunt. Eo reverſo, & victoria læto, & favorabiliter omnia audiente, expoſtulavere injuriam. Diſceptator Matthæus in conſilium adhibet Prætorem urbis, qui tunc erat Biſſacha Ricardus Laudenſis, & Priorem, ac ſocios collegii, quos vocant Ancianos: quibus cum Laudenſes probare niterentur, ſe ultro vocatos & interdiu admiſſos per Jacobum Landrianum, qui tunc arci præeſſet; & locum vetuſto jure eſſe populi ſui: Landrianei, vel eo mendacio cætera redarguebant; quod Jacobus non ſolum in arce non erat, ſed Mediolani quiddam aliud eo tempore procurabat. Reſpondere Judices placere partis utriuſque jura inſpicere, & cujus deteriora erunt, eam abſtinere Sancto Columbano. Contigit per eoſdem dies non importuna rebus Matthæi confirmandis mors Raimundi Turriani, qui Aquilejenſi ſacerdotio pollens cognatos, & clientes opibus, & majeſtate nominis ſuſtentabat, & turbantes quacumque occaſione Vicecomitis quietem ſpe & pecunia fovebat.

Jam ſubibat annus ſæcularis trecenteſimus ſupra A. C. 1300. mille à partu Virginis, cum Manfredus Beccaria & Philipponus Languſcus poſt attritas mutuis cladibus opes, tandem deponere arma & bello finem facere decreverunt. Matthæus diſceptator nuncupatur. Is, ut rata, quæ pronuntiaret, forent, viginti obſides utrinque exegit: tum urbi Papiæ Prætorem mittit Othorinum Burrum, & Capitaneum populi Gaſparem Garbagnatem: nec ita multo poſt petiit Languſcus, ut Papiam introire cum nongentis equinibus ſibi liceret: quod cum ei negaretur ob manifeſtam tumultus ſuſpicionem, vim tentavit; ingreſſuſque multos ex factione Beccariæ interemit. Repugnaront tamen conſtanter adverſani, & præſidiariæ Matthæi copiæ, quarum vi ac virtute debellatus, ſimul cum Ruffiniano fratre captus eſt, & perductus Mediolanum; ubi non ita multo poſt reconciliatus cum Matthæo, novam cum illo ſocietatem paciſcitur: & Papiam dimiſſus, quam affectaverat, potentiam adeptus eſt adeo, ut Manfredus è medio cedere coactus, Veronam ad ſtipendia Scaligeri ſe contulerit.

Inter hæc conſilia inita erant inter Actium Eſtenſem Ferrariæ Marchionem & Albertum Scottum Placentinorum Ancianum, ac populi defenſorem (talem enim verborum lenitatem prætendebant, cum rerum potirentur) contrahendæ invicem affinitatis; ut videlicet Scotti filio Beatrix Actii ſoror, quæ vidua ad ſecundas nuptias adſpirabat, matrimonio locaretur. Id ſentiens Matthæus, tactus conſeſtim eſt memoria Galeacii filii, quem haud imparem, ſive genus, ſive opes ſpectarentur, filio Scotti, imo longe digniorem, quocum tale conjugium componeretur, cenſebat. Itaque & apud Albertum cauſſas morarum, & differendi negotii ſeri curavit; & cum Actio agit miſſis propere nunciis, ut in collocanda ſorore, ſuam Scotti affinitati præverteret, tanto auguſtiorem, optabilioremque, quanto Placentinæ urbi Mediolanum antecelleret: facile Actius huc inclinavit; cæteriſque ad rem neceſſariis conſtitutis, dieque dicta, qua nuptiæ celebrarentur, Matthæus operam dedit, ut Galeacius dignus patre, dignuſque imperio Mutinam, quæ ſolemnitati decreta civitas erat, proficiſceretur. Igitur præter reliquum apparatum Oratores ex ſubditis civitatibus

Mediolano ipſo, Brixia, Como, Novaria, Vercellis, qui populorum ſtudia & obſequium teſtarentur, accivit, & ducentos nobiliorum liberos ſplendide ornatos ei comites ire juſſit. Iter ex Mediolano Placentiam, & recta Mutinam uſque fuit: ubi magnifice omnes Actius excepit, & ſponſum militari prius auro, equeſtribuſque ornamentis decoravit: deinde producta Beatrix ſolemni ſtipulatione in novum virum conſenſit, atque ex ejus capite in caput ſponſi margaritarum coronam Actius tranſtulit: tum pronubo annulo digitum devinxit. Octavo Kal. Julias ea res acta eſt, & quatriduum choreis & ſaltationibus indultum. Inde præmiſſa longa comitantium pompa Mediolanum veniunt: urbi appropinquantes pernoctarunt in tugurio Carevallenſis cœnobii; quia cœnobium ipſum feminas ingredi religio eſt. Poſtero mane, effuſo obviam populo, & frequenti nobilitate, in geminæ umbellæ honore excipiuntur. Sub quarum una nova nupta, ſub altera incederet Joanna virgunculæ primo marito genita, quæ tunc octavum agebat annum: nupſerat autem Beatrix Nino Piſano viro longe ditiſſimo, & qui in Sardinia aliquot oppidorum dominus, eam inſulæ partem obtinebat, quæ Calluris dicitur. Merula, qui etiam ſuper ſtatu Beatricis vidua, an virgo foret, longo anfractu laborat, Galuram, vulgarem pronuntiationem ſecutus, appellat, & id verbum putat non loci cujuſpiam, aut regionis, ſed familiæ Piſanæ; in quo certe decipitur, ſicuti & illi, qui Agnetem pro Beatrice nominant: quæ mortuo Nino, ad fratrem & patrios Lares reverſa, cum ageret trigeſimum annum ætatis, ſecundo nupſit. Meminit ambarum nuptiarum non inelegantes Dantes Aldigerius Poeta Florentinus; quem Merula carpit, & pro jure ſuo mordet, quia is negaverit, par priori connubium factum. Urbem ingreſſi in Foro veteri nuptialia feſta petegere: convivia, epulæ ſumptuoſe exhibitæ, multum pretioſæ veſtis ſpectatum; ac ingens auri argentique copia: & cum adſtrui magnificentiæ nihil poſſet, pretioſa munera comitibus præbita: ſed duplicavit Matthæus communis lætitiæ cauſſam: ſiquidem eadem celebritate Zacharinam filiam Ricardino Philipponi Languſci filio deſpondit. Nec ita multo poſt in augendo Galeacio filio ſtudia convertit, & per novæ Credentiæ ſuffragia, decerni ſibi conſortem Imperii, id eſt, Capitaneatus, ſalario in decem millia librarum annuarum ampliato, curavit. Eodem anno ejuſdem Matthæi conſocer Albertus Scaliger Veronæ moritur, ſuperſtitibus tribus liberis relictis, Bartholomæo, Albuino & Canegrande: primogenitus ei in regno ſucceſſit.

Cæterum Bonifacius Pontifex, novo Jubilæi verbo in Chriſtianum nomen inducto, valde favorabilem in orbe religionem noſtram fecit. Jubilæum priſci Judæi agebant quinquageſimo quoque anno; & libertatem ſervis, credita debitoribus laxabant, & in eandorem quendam prioris vitæ revertebantur: ſic Bonifacius univerſalem criminum veniam, & ſcelerum, quæ alioquin poſt fata ſubeunda foret, pœnam remiſit, qui intra præſentis anni curriculum Romam adirent, ac Apoſtolorum templa reverenter ſalutarent, ſtipemque conferrent: qua ſpe allecti homines ab ultimis uſque terrarum finibus digreſſi, Romam petiere. Statuit autem Bonifacius, ut id centeſimo quoque anno Romæ repeteretur.

Per hæc etiam tempora infandum ſcelus, & quod longe magnam civitatis partem per opertanea ſacra contaminavit, detectum, & quæ decuit animadverſione, diſcuſſum eſt. Vir ignobilis cum muliere Mediolanum venit, ſacra quædam ſerentes, quæ ad placandam Dei iram, ut aliquando ſeditioni & civilibus diſcordiis finis daretur, pertinerent: viro Andreæ nomen, Seremita cognomen, fœmina Gulielma vocabatur: per intempeſtam noctem in ſubterraneo loco ſacris operantes viduas primum, tum nuptas, ad rem Divinam vocavere; accedebant etiam juvenes antelucano tempore: initiabantur omnes vertice deraſo: & quia voluptates & promiſcui concubitus hujuſmodi religioni adjiciebantur, major in dies ad id ſacrarium turba confluebat: dies etiam conſtituti, quibus commode convenirent. Fœmina ſacri antiſtes ſacerdotali ornata amictu ad aram, quæ in antro ædificata erat, primum ſub lingua obmurmuranti ſimilis Deum neſcio quid adprecata effundebat: tum propalam & clara voce ad turbam converſa, clamitabat, *In unum coite, Coite in unum, & lumen ſub modio ponite*: ita cum tenebræ factæ eſſent, nec diſcrimen ullum inter cocuntes foret, ac licentius omni ſubmoto pudore libidinem explere liceret, propinquam ſibi quiſque fœminam attrectans ſubagitabat. Ita Matronæ per licentiam, & ſub prætextu novæ religionis haud invitæ conſtuprabantur. Moritur interea Gulielma, atque ex collectitia ſtipe funus ab iis, qui conſcii ſceleris erant, in templo Carevallis concedentibus Monachis curatur. Frequentare viri & mulieres, templum fœminæ religioſæ ſalutantes cereos accenderunt, ceu in cælum relata pro expianda noxa, avertendiſque malis Deum propitium redderet: nunquam ſacra, defuncta ſacrificula, intermiſſa illecebræ erant, & ſub ſpecie placandi Dei, extra adulterii & ſtupri ſuſpicionem, viri pariter & fœminæ conveniebant. Ita aliquot annos Magiſter obſcœni ſacri Andreas ingentem turbam ad hæc ſacra converterat. Nam urbis magnitudo & mala civilia, quæ quotidie augebantur, patientiores viros reddebant, & proinde negligentius, quæ patrabantur, exquirebant. Tandem ad hunc modum patefacta res fuit. Mediolanenſis civis mercatura dives, Conrado illi nomen erat, de Coppa cognomen: hic, cum uxor de nocte ſurgens domo egrederetur, in ſuſpicionem adulterii venit: ita egredientem uxorem mutato habitu, ut ſcilicet incognitus eſſet, perſecutus, in locum deſcendit, & ut erat obvoluto capite, quemadmodum cæteri, proxime uxorem aſſedit: deinde cum ad aram Andreas & miniſtri pro conſuetudine & ritu ſacri clam pauca præfati, *In unum Coite*, exclamaſſet, occultatiſque luminibus per tenebras nihil diſcerni poſſet, uxorem incognitus compreſſit; atque de digito annulum eripuit, quem haud ita multo poſt repetivit; quaſi apud amicum loco pignoris depoſiturus eſſet. Illa primum arculas & ſerinia excuſſiuram ſe dixit; propterea quod illum ad manum non haberet: fruſtrari illa virum, atque ita diem de die producere: vir ubi ſatis ſibi verba dari cognovit, convivium parat, ad quod propinquos cum uxoribus vocat, atque eos in primis, quorum uxores in obſcœno ſacrario viderat: poſt epulas, ut fieri ſolet, in choreas & ſaltationes convivas invitat: apprehenſa mulieris manu, dum paulo liberius ſaltant, ſine joco, inquit, & re nova, quæ riſum excitet, abire quodammodo abſurdum foret: proinde ſuæ quiſque uxori idem agat, quod ego nunc meæ: & ſub hæc verba redimicula de capite uxoris dejicit: ſecuti exemplum cæteri ſunt: tunc deraſis cervicibus mulieres viſæ: quærentibus viris, quid hoc eſſet, ſurta Conradus exponit: ad Matthæum, quia Dominus urbis erat, negotium omne defertur. Hic ſtatim mandat quæſtionem de occultis ſacris fieri: tunc ex religionis ordine, quibus negotium datum erat ex Pontificialibus decretis, eos inquirere cœperunt, qui noſtra ſacra aut polluerant, aut violarant. Hi antiſtites & miniſtros ſtupri atque flagitii, & qui in ſacrarium coirent, aut in eam religionem nomina dediſſent, comprehendi, & in cuſtodia teneri juſſere, atque quæ-

quæſtionem conſervari: compgehenſi complures ſunt. Andreas, cum tormenta admoverentur, ſtatim negotium omne aperuit: undecim annos ſub ſpecie nocturni ſacri ſtupra atque flagitia in eo ſacrario perpetrata fuiſſe; turbamque maximam eo confluxiſſe; captaſque mentes bujuſmodi ſacris ſub ſilentio ad id facinus accurriſſe. Delata hæc Matthæo ubi fuere, ſupplicium de ſalſis ſacerdotibus, eorumque miniſtris ſumi debere juſſit: ita qui vincti erant, ad ſupplicium perducuntur, & ccu inexpiabilis noxæ rei, atque convicti, ad palum ligati cremantur: oſſa quoque Gulielmæ de ſepulchro eruta cum ipſis combuſta fuere: viris atque cognatis earum mulierum, quæ deprehenſæ fuerant, poteſtas data eſt, ut qua vellent, pœna eas afficerent.

Sed jam Matthæi Regnum non ſolum finitimis quampluribus, ſed etiam multis propinquorum & affinium ſuorum inviſum erat: quare ad res novas eorum animi contendebant: verum detectis inſidiis ab urbe profugiunt, Albertonus Vicecomes, Landulphus Burrus, Conradus Soreſinas, Simon Curtius, & Gabrius Moguntiacus; & trium poſtremorum legitimæ damnatorum domus dirutæ, ac ſolo æquatæ fuere.

A.C. 1100. Sub annum Domini primum poſt trecenteſimum ſupra mille interim Vercellis Tituoni ab Advocatis, procurante Marchione Montisferrati pelluntur: extorres ad Matthæum Vicecomitem confugiunt: à quo dum petita auxilia expediuntur, Marchio Cuneolum Papienſium oppidum occupat: & conjungentibus arma exulibus Novarienſium, novo bello Tranſticiniana regio implicatur: cui dum Matthæus animum intendit, ecce Bergomum evocatur, oblata facultate ejus urbis potiundæ per occaſionem civilium diſcordiarum, quæ denuo ibidem excitatæ ſunt. Bongi & Rivoli Coleonos exturbare patria nixi rurſus ſunt: at hi cognitis inſidiis Suardos ſibi adjungunt: quos, ut obſequentiores haberent, patria & bonis, quibus per ſuperiores ſeditiones multati fuerant, redintegrant: eumque ſatis virium utrinque adeſſet, ad arma ventum eſt, atque atrociſſime pugnatum: cum neuter ſuccumberet, evolavit nuncius ad Matthæum, qui de ſtatu civitatis admonuit: nec ita multo poſt alius ſupervenit, qui alterius factionis nomine eum evocabat. Hue igitur conſilia, cogitationeſque omnes dirigit Matthæus, Galeaciumque filium eo cum valida manu miſit, qui ſtatim intra urbem receptus, auctores ſeditionis Bongos & Rivolos ejecit: & Rempub. ad arbitrium patris componens, declarari cum ſupremum magiſtratum, qui Capitaneus dicitur, in quinquennium curavit: ſimul Mediolano accerſitum Jacobum Piroveneum Prætorem impoſuit. Compoſita re Bergomenſi, Galeacius domum reverſus, in agrum Novarienſem maturat: Ollegium, Galliatum, Pombiam occupat.

Venit inter hæc in Longobardiam, ac Mediolano iter habuit, ubi à Matthæo perquam honorifice exceptus eſt, Carolus cognomento *Sine-terra*, Francorum Regis frater: ſequebaturque virum Catharina conjux: urbem autem Romam petebant, adituri Bonifacium Pontificem, à quo Conſtantinopolitanorum & Judææ deſignatus Imperator Carolus ferebatur.

Sed jam Matthæus, & claritate eorum, quibus cum affinitates contraxerat, & latitudine imperii clatus, eo ſuperbiæ devenerat, ut fortunæ ſuæ faſtigium non caperet, & à promiſſis interdum recederet. Deſponderat, ut ſupra diximus, Zachariam filium Riccardino Philipponi Languſci filio: ſed hanc, mutato mox, neſcio qua ex cauſſa, conſilio, Othorino Ruſcæ Petri Comenſis filio adhuc impubi junxit. Irritatus inſigni injuria Languſcus, cuicumque occaſioni intendit animum, qua deſiderium ſui & mentem ſervandæ fidei Matthæo faceret. Primo cum Antonio Fiſiraga Laudenſe conſpirat; deinde ſubeunte anno ſecundo ſupra trecentum, traxit in ſocietatem Gulielmum Brucatum Novarienſem, Advocatos Vercellenſes, & Jo. Marchionem Montisferrati, quibus haud cunctanter acceſſit Albertus Scottus, defraudatæ & ipſe nurus injuria ardens. Tum vocati longo ab exilio Turriani Cremonam & Laudem venere: quibus de communi conſilio promiſſa eſt in patriam reſtitutio. Conflatam in ſe tam gravem conſpirationem non ante fere Matthæus vel ſenſit, vel credidit, quam hoſtes in Fulcheria inſula cis Adduam exercitum trajecerunt, conſederuntque ad Lavanium vicum inter Caſſianum oppidum, & Cornalianum. His Matthæus, quam celerrime potuit, ſeſe oppoſuit, caſtraque fecit ad Pioltellum vicum, & relicta urbis cura Galeacio filio, & Uberto fratri, quantas poterat, copias accerſit. Tum Petrum Vicecomitem patruelem proditionis ſuſpectum ab arce Beſentrati detraxit, & Mediolanum in vincula miſit. Inde Septezanum, ubi Oliverius Turrianus adhuc ſupererat, deduci juſſit. Ejus vero uxor Antiochia è Cribellorum gente orta; cum per ſe generoſa animo, tum viri captivitate irritata, in agrum Seprium, ubi opibus & clientelis plurimum pollebat, evolavit; convocatiſque amicis, tum Conrado Ruſca genero adjuncto, magnum tumultum concitavit: ad decem pene millia peditum ductu mulierbri coiverant. Acceſſere exules Albertonus Vicecomes, Landulphus Burrus, Conradus Soreſinas, Henricus Moguntiacus. Quorum ſuceſſibus cognitis, Scottus, Fiſiraga, & Turriani Beſenzatum petivere: eorum digreſſu Matthæus caſtra à Pioltello inter Meltium & S. Eraſmi vicum transfert: ubi à paucis quibuſdam viculis commeatibus juvabatur. Nam ab urbe Mediolano auxilii parum mittebatur, immo vix Galeacius tuto ibi eſſe coeperat. Interim populus raptis armis, pallam in libertatem ſe vindicat, inimica omnia Dominis oſtentat. Sub his Moguntiacum oppidum repente ad hoſtes defecit. Matthæus tot malorum mole preſſus, cum vicinos omnes inimicos conſpiceret, & auxilia, quæ ab Eſtenſi mittebantur, procul adhuc nimium eſſent, animum deſpondit. Aderant tunc forte quatuor Venetorum Legati; qui humani ſanguinis, ſi prælio certaretur, ſolliciti, ſuadebant, ut conditionibus potius, & injuriarum remiſſione, quam armis periculum diſcuteretur. Haud abnuentibus utriuſque partis animis, ad utraque caſtra commeant; pacis mentionem magna cura circumferunt: conditiones proponebantur, ut exules primum in patriam & bona reſtituerentur; & ut Vicecomites depoſito regno, æquo jure cum cæteris viverent: id quamvis durum Matthæo videretur, ut, qui dominari conſueviſſet, in ordinem ac ſpeciem quandam ſervitutis redigeretur; demum tamen annuit: ſceptrumque & regnum deponens tradidit Scotto; quo diſceptatore cum Legatis Venetis res decideretur, ac dimiſſo exercitu Meltium in illius poteſtatem venit: ac deinde in arcem S. Columbani, quæ ſua erat, conceſſit. Tum Arbitri pronuntiavere pacem, qua Turriani & reliqui exules in urbem reſtituerentur; inque bona ſua, quæ comparerent, redirent; quæ vero abeſſent, æſtimatione facta, reſarcirentur.

Hæc dum aguntur, Galeacius, qui populum Mediolanenſem continere in fide non poterat, ſeque ſumma in invidia eſſe perſpiciebat, urbe cum duobus millibus armatorum digreditur; atque dum à porta Romana ad Tonſum flectit, audit à tumultuante & rebus novis gaudente multitudine domum ſuam fuiſſe direptam; ſeque & patrem, ceu patriæ hoſtes, ad pœnam peti. Cæterum eo ſic abcun-

abeunte, quæ reliqua charitatis pignora erant, prædæ hoſtibus futura exiſtimabantur. Beatrix uxor & Bonacolſa mater cum quatuor aliis impuberibus filiis Marco, Luchino, Joanne, ac Stephano commutatis latebris apud amicos aliquantulum latuerunt: mox in ædes Euſtorgianas tranſlati, tamdiu, ceu in aſylo quodam incolumes ſervati ſunt, donec tuto patria cedentes, Bergomum abiere.

Contra adverſarii, ceu ingentis prælii victores, urbem ingredi, ambulare ſuperbi, elatique, Albertus Scottus, Philipponus Languſcus, Antonius Fiſiraga, Henricus Moguntiacus, Venturinus Benzonus, qui Crema oriundus erat, & Conradus Ruſca Comenſis, ac paulo poſt ejus ſocer Petrus Vicecomes carcere exemptus. Is cum ageretur de recipiendis in urbem Turrianis, admodum refragatus eſt; quod non ignorabat eos, qui dominari & ipſi conſuevi ſſent, intra privatæ fortunæ jugum minime manſuros: contra Moguntiacus manibus, pedibuſque adniti, ut omnino reducerentur. Placuit ad arbitrium multitudinis remitti, ac numero ſuffragiorum populi voluntatem declarari. Præfuit ei concioni Scottus; vicitque ſententia, ut reſtituerentur: ergo inſtructi, ornatique magna pars fautorum egreſſi cum publico gaudio eos excipiunt, &, quaſi aliter conſtare libertas non poſſet, introducuntur, Herrecius, Muſca, qui & Conradus, & Muſchinus filius, tum Guido Franciſci, Martinus Caſoni, Imbaraldis, Napinus ejuſdem Muſcæ Aquilejenſis Eccleſiæ Canonicus, Angefoſſus Andrejotti, Zonfredus Carnevarii, Leoncinus, & Oliverius nuper ex carcere Septezani exemptus. Cum vero omnia in tumultu eſſent, nec forma Reſp. conſtituta foret, Scottus affectare dominium viſus eſt: ſed Conradus Ruſca, & cæteri Proceres ei adverſati, permiſerunt, ut ſaltem ejus nepos Bernardinus Scottus Prætor urbis cum Rectoris titulo in ſex menſes deſignaretur: iſque inibi magiſtratum iniit: tum peregrinus quiſque in patriam abiere, & Placentiæ novum conventum habuere; quem celebrarunt Legati à Mediolano, Papia, Laude, Como, Novaria, Vercellis, Derthona, Alexandria, Caſali, Cremona, Bergomo, Crema: decretaque ſocietas fuit ad communes opes, dignitatemque tuendam, ut mille equites, totidemque pedites communibus impenſis perpetuo alerentur inſtructi, paratique haberentur ad caſus, & qua Albertus Scottus innuiſſet proſecturi: tum ne ulli bellum inferretur, niſi de communi conſenſu ſuſciperetur: deinde nova decreta adverſus exules conſtituta.

Interim cum Turrianis matrimonia & arctioris amicitiæ jura contrahuntur, quorum fiducia ad priſtinas opes & antiquum dominium adſpirare poſſe videbantur: nam Guidoni Philippus Languſcus filiam, & ejus filio Franciſco Albertus Scottus neptem, & Simonino Petrus Vicecomes filiam uxores dedere; atque aliæ cum aliis contractæ affinitates fuere: quarum invidia, cum novam parari civitati ſervitutem exiſtimarent nonnulli, recenſque animo reſideret Matthæi memoria, de eo reducendo conſilia mivere: oberrabatque ipſe jam inter ſuburbana cœnobia, cum ſubito fama falſo invaluit, in urbe eum eſſe, & latitare apud cognatos & affines. Hinc trepidatio cunctos cepit, & dimiſſi inquiſitores, qui undecumque eum retraherent: ſed eo noſquam reperto, ceſſavit aliquantulum metus: mox rapta palam arma ſunt, & variis locis intra urbem pugnatum eſt. Franzinus Carcanus in porta Comenſi, & in viridario gens Marliana ſane magnum numerum pugnatorum effecerat. Tum Petri & Uberti Vicecomitum domus armatis completur: ſed his omnibus in locis victores fuere adverſarii, qui cum cæteris præſentium favore, tum plebis ſtudio prævalebant: cecidit inter has agitationes Andreas Vicecomes cum nepote. Ubertus vero Matthæi frater, equo per tumultum prolapſus, pene conculcatus eſt: ſed inhibente Guidone Turriano incurſum multitudinis, ſervatus eſt, atque urbe cum cæteris amicis ceſſit: quod ut ſenſit Matthæus, qui in cœnobio Viciboldoni latebat, Placentiam abiit. Tunc ei, Ubertoque fratri, & Henrico Vicecomiti dies dicta, ac paritur Franzino Carcano, Alberto Caſato, & Gulielmo ejus filio, Princivallo Mandello, Florio, & Ortolano Caſtellertis, nec non Marlianeis, Balbis, Adoardo Pirovenco, Petro Craſſo, Petro Capello Jureconſulto, Antonio Maino, & Hugoni Levenati: cujus novitatis admoniti Fiſiraga, Languſcus, Scottus, Simon Corobianus Vercellenſis, & Gulielmortus Bruſatus ſtatim Mediolanum convolavere, ut opem, ſi qua indigerent, Turrianis afferrent; ac præſens periculum omne diſcuteretur: atque inibi Bruſatus Capitaneus populi in proximas Kal. Martias creatus eſt; eundemque Franciſcus Archiepiſcopus militaribus ornamentis donavit. Ita firmatis Turrianorum opibus, Vicecomites penitus ejecti ſunt.

Per idem tempus Frater Leo Lambertengus, Vitana factione Comi concitata, ad res novas urbem ingreſſus eſt: dumque diverſa pars totis viis fugatur, Conradus Ruſca oppreſſus interiit: obiit etiam Bonifacius Pontifex, & ei ſuffectus Benedictus XI. ſub quo uni ex Turrianis Pagano nepoti magni Pagani Carnevarii filio Epiſcopatus Patavinus delatus fuit.

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XIX.

EPITOME.

Matthæum non imperio modo, ſed etiam patria, boniſque ſpoliatum, ſuis primum ſe, deinde Alberti Scotti Placentinorum Principis viribus nequiquam conatur erigere. Scottus tum ſuis aque ac ſuimmis inviſus, ſubita eorundem conjuratione pellitur, imperium exulio permutat. Turriani patria reſtituti reverterunt Fortuna ad opes, dignitateſque reficiant: delatamque urbi noſtra a Romanis ſenatoriam ſedem Paganinus illorum gentilis init: Pontificiam Clemens V. in Gallia collocat auſpicus admodum ſiniſtris, nec mediocris Italia malo. Gibertus Corrigius Parmenſibus exulibus patria reſtitutis, ejuſdemque Princeps acclamatus, æmulam Rubeorum gentem exterminat: inſidiſque appetitus Aſtinum Eſtenſem conjurationis auctorem bello perſequitur. Bononia impiis Guelphorum ac Gibellinorum ignibus ardet uſque ad Gibellini nominis cineres: nec a Legato quidem Pontificis abſtinet manus, ſacris ea de cauſſa & libera-

lium

linum diſciplinarum uſu mollitata. Matthæus reditu in patriam iterum fruſtra tentato, haſtis tandem abjectis, Brixia ſedet inglorius. Scottus ſecundiore fortuna ſubleva tus, Placentinos iterum ſubjicit. Montiſferrati dutio, Joanne filio liberis denato, ad Theodorum Paleologum per tabulas tranſmiſſa Opicino Spinula Theodori nuper ſocero, nobiſque adjuvantibus, Gallis ac Philippo Sabaudo Achaja quondam Principe fruſtra obſiſtentibus, tandem obtinetur. Summo humana vita commodo factum eſt, ut flagitia, non minus quam agritudines, & apoſtemata, cum ſumma fuerint, propius remedium, & quaſi maturitatem eſſe videantur. Itaque FRATICELLORUM *pariter &* TEMPLARIORUM *neſaria impiaque libidines, qua per ſuperiorum temporum improbitatem ſub religionis integumento eo faditatis devenerant, ut ipſorum non paucis pudori eſſent, atque faſtidio, ab eiſdem prodita nequiſſimorum capitum ſanguine eluuntur. Guido Turrianus populi Capitaneus Caſtonum & Zanfredinum gentiles ſuos aſſerit, illum Mediolani Archiepiſcopum, hunc Parma Præfectum, Corrigio ab exulibus primum pulſo, deinde in aliorum civium ordinem admiſſo. Placentia Principatum, diſſidentibus inter ſe civibus, ipſemet accepit, brevi ab Scotto repetendum. Demum Mediolani dominationem abſolutam, nulloque tempore circumſcriptam ambit, atque obtinet: nec tamen diutius tuetur. Arnaldo enim Pelagrua Pontificis Legato Ferrariam ab inſquo ſuaſore Venetis deditam bello repetente; Galeacius Vicecomes cum ſtrenuum geſſiſſet ducem, amicitias atque opes contrahit, quibus Matthæum patrem priſtinæ fortunæ etiam nunc inter retia ac ſcaphas Benaco lacus conſidentem, ſi inimicorum flagitia ſubrum magnitudinem aliquando vincerent, in ancupanda per honorificam legationem novi Cæſaris Henrici VII. benevolentia ac clientela adjuvet. Et Guido Turrianus Caſtono Archiep. ejuſque fratribus ob ſuſpicionem conjurationis cum Galeacio primum in cuſtodiam, tum in exilium miſſis, Legato Pontificis per ſiniſtimos Epiſcopos edicente, ab aris ac ſacris prohibentis diris omnibus devovetur. Nec irrita fuere tam horrenda exſecrationes. Henricus in Italiam deſcenſurus Legatos præmittit, qui pleraſque Longobardas civitates inteſtinis diſcordiis agitatas pacare, ſibique propediem aſſuturo conciliare ſtudeant. Qua, adnitente præſertim Turriano, primum Henricum ipſum officioſa legatione aggrediuntur: deinde Robertum Apulia Regem ex Gallia evocant, qui in Pedamontanis pleriſque oppidis, tum etiam Aſta, Alexandriaque exceptus, Æmilia via Romam contendens Ferrariam quoque à Legato cuſtodiendam accepit.*

A. C. 1301

CUM ſubiret annus Domini tertius ſupra mille & trecentum, Antonius Fiſiraga Præturam Mediolani, & Capitaneatum populi Thomas Græcus Bergomenſis excepere. Martinus vero Turrianus Comum à Vitanis vocatus, eidem Magiſtratui præficitur. Matthæus Placentiæ exul oberrans, ubi cognovit omnia in inimicorum poteſtate eſſe, injuriam primum cum Alberto Scotto expoſtulare, fraudem ſibi factam vociferari; multo etiam id eſſe gravius quod per fidem interpoſitam cognati & amici patria pulſi vagentur. Scottus hominem lenire verbis, & quaſi plebs fuerit, quæ veteres Dominos receperit, ſe excuſare; tamen deſperata omnia non eſſe, & ſe operam daturum, ne & fides ſua & dignitas ejus neglecta videatur. Matthæus, ut nugas ſibi dari cognovit, Padum cum trajicit, & milites, coſque cives, qui nondum arma depoſuerant, congregat: cujus cum incerti conatus forent, ingens ſuſpicio adverſariis orta eſt, ignorantibus, quo is tenderet, & à quibus ipſi caverent: ergo continuis octo diebus pervigilium in urbe actum, armatis ad lychnos totas noctes incedentibus.

Matthæus autem in Comenſem regionem profectus, Belinzonam petit, ubi quatuor millibus peditum & trecentis equitibus convocatis, Lucamm aggreditur: quo expugnato Varniſium contendit, atque oppidanorum voluntate receptus in Comenſium fines progreditur: ad cujus urbis mœnia cum perveniſſet, vicumque & turrim occupaſſet, aſperioribus verbis inceſſere, irritareque ad pugnam oppidanos cœpit: qui ſicuti principio detrectarunt, ſatiſque cum à vi arcere habuerunt; ita paulo poſt viſis ſociorum auxiliis, alacres facti ſponte eruperunt. Namque & Mediolani Prætor Antonius Fiſiraga, & Guido Turrianus, cæteriſque ejus cognati, ad primum novi motus nuncium cum expeditis militibus contenderunt Comum, atque à Papia & Laude novas copias accerſiverunt: ergo impetu in prædatores magis quam obſeſſores facto, ſtatim eos verterunt in fugam; & longius inſectati, non mediocrem ex his cædem edidere, ac circiter mille captivos in urbem retraxere; inter quos agniti ſunt Joannes Lucinas, & Franchinus Ruſca. Matthæus quoque proximus ut caperetur fuit: cum elapſus eſſet, Verbanum lacum trajicit, & Ollegium ſe contulit, ubi Philippum Torniellum à Ghelpho Novaria pulſum reperit: mox quia ea ſedes haud tuta videbatur tam propinquis & potentibus adverſariis, in Eporedienſes tranſivit. Azulfi cum aliquot dies moratus eſſet, ſenſiſſetque hic quoque infeſtis inimicorum odiis ſe peti, nulla ſervata itinerum ratione, Placentiam ad Scotti opes rediit. Torniellı quoque Ollegio pulſi, trans Padum abierunt, atque Derthonæ conſederunt: quod hæc una atque nem altera ſolæ reliquæ factæ fuerint, quæ ex univerſa Longobardia Gibellinum nomen tuerentur, cum cæteræ in Guelphorum poteſtatem ceſſiſſent.

Brixiæ autem Thibaldus Bruſatus è mediocri fortuna in ſummum rerum culmen pervenerat adeo, ut Benedictus quoque Pontifex non indignum duxerit, cui Flaminiæ Provinciæ, & Bononiæ, Bertonorique procurationem ſumma cum poteſtate, & à quo nulla provocatio eſſet, deferret. Quam rem ne quis admiretur, ut novam à nemine alio traditam, ſciant lecturi, nos binas archetypæ formæ litteras id explicantes Papiæ lectitaſſe. Bruſato adverſabatur Epiſcopus urbis, iſque ejus abſentiæ occaſione obſervata, arreptis ſubito armis, univerſam hoc tempore Bruſatorum factionem urbe expulit. Idem Bergomi adverſus Suardos factitatum: ſed mox utrobique pace reconciliata reſtituti ſunt.

Incunte Julio menſe Pinus Vernata Cremonenſis Præturam, & Venturinus Benzonus Cremenſis Capitaneatum populi Mediolanenſis ſortiti ſunt. Qui cum Lomatium vicum cognoviſſent confugium eſſe Sicariorum, & eo ſe recepiſſe, qui noviſſime curatores rei frumentariæ trucidaverant, eo cum valida manu proficiſci, opes primo diripuerunt, deinde ſubjecto ædificiis igni, cuncta, unica turri excepta, cremarunt.

Sub his bellum Scotto paratum fuit: in invidiam venerant opes, & parum fida ſocietas videbatur ejus, qui exules, diverſarumque partium homines exciperet domi, neceſſariſque rebus à calamitate ſublevaret: orta belli ſuſpicione, ad eum confugerunt Manfredus Beccaria; & cum Matthæo Petrus Vicecomes, & qui alii claro genere orti amiſſis fortunis vagabantur extorres. Is Matthæo octingentarum lanceærum Præfecturam contulit. Nec defuere equites, qui eum numerum implerent: peditum quoque ad quatuor millia affuere. Hos circa Orinm & montem Marrum Laudenſium vicos Matthæus collocavit. Scottus vero Placentiæ ſe

continebat, unde commodius reliqua neceſſaria providebat: hoſtes erant Cremonenſes, & Tibaldus Bruſarus ab inferiori Pado, & à ſuperiori Marchio Montiſferrati, Vercellenſes, & Novarienſes, quibus accedebant ex fœdere Comenſes. Quod ut perſpexit Matthæus, relicto Laudenſi agro, Placentiam integris viribus redit. Tunc pecunia Marchioni data, ab ingenti periculo ſeſe Scottus redemit.

Cæterum Beatrix Matthæi nurus etſi Bergomi honorifice habebatur: neque ob viri ærumnas quicquam matronali dignitate indecorum pateretur, tamen cum gravida foret, redire Ferrariam maluit, ubi inter ſuos neceſſarios, & apud fratrem commodiora omnia habitura erat: nec ita multo poſt ſeptimo Idus Decembris filium peperit, quem de ipſius avunculi nomine Actium appellarunt.

Eodem tempore exulabat urbe Parma non exiguus civium numerus, qui factionem Epiſcopi ſequebantur: de quibus reducendis cum actum in concilio foret, & quibuſdam tres tantum & triginta reſtituendos aſſerentibus, Gibertus Corrigius, in quem tunc hominum favor inclinabat, neminem excipiendum cenſebat: & niſi ita fieret, tumultum civitati imminere prædicebat: jamque proxima rixæ contentio erat, cum ſupervenere Cavalcabos Vitalianæ Dominus, Supramons Amatus, Gilius Perſicus, Armaninus de Summo cives Cremonenſes, & Giberti veteres amici: qui arbitri controverſiæ facti, reſtitutionem in univerſum faciendam pronunciarunt; poſteroque die in urbem redierunt, ceu longo poſtliminio feſta fronde coronati Anſelmus Marancus Sancti Joannis Abbas, ejuſque conſanguinei Sanctovitales, qui Arciles, & qui à Porta cognominantur. Giberto porticu ædium S. Vitalis inambulante fuе clamavit multitudo, *Vivat Gibertus, ſalvus ſit Corrigius*, eaſque voces identidem repetendo, eum in forum deduxerunt, ubi plauſibili vocabulo *Defenſorem populi & libertatis* vociferantes, Dominum conſtituerunt, atque inibi declatum ei ſuit vexillum civitatis, &, quod ſupremum ſignum erat, Carrotii cura: quæ graviter ferentes Rubei, urbe ceſſerunt, ſeque in oppida ſua contulerunt. Mortuus eſt eodem anno Benedictus Pontifex, & Sedes Romana complures menſes vacavit.

A. C. 2104. Anno quarto & trecenteſimo, Capitaneus populi Mediolani renunciatus eſt Julianus Marianus Cremonenſis. Per quod tempus cum Suardi Bergomo extorres, congregata multitudine, Martinengum & Carepium occupaſſent, Matthæum Vicecomitem habuerunt, & Balduinum Ugonem, qui auxiliorum præfecti à Brixianis Pontolium uſque venere: ſed mox audientes à Mediolano ingentem manum hoſtilem adventare, in varia dilapſi, nulla re memorabili edita, evanuere.

Interim adverſus Scottum nova fœdera inita, ob eamque rem conventum Cremonæ ſociæ civitates habuere: in agro Papienſi exercitus coacti ſunt, eorumque Duces Marchio Montiſferrati, & Saluzienſis cum Aſtenſi juventute affuere; & trajecto Pado, aliquot oppida cepere: cumque jam Placentiæ mœnibus incumberent, orta in caſtris ſeditio eſt. Cremonenſes & Laudenſes minime cupiebant, tam propinquam claram urbem vel penitus deleri, vel alterius ditioni accedere; ne aliena potentia aucta, ipſi poſtmodum in periculo eſſent: ſic ab his facto abeundi initio, & aliis atque aliis eorum exemplum ſequentibus, ſolvitur obſidio.

Sed haud ita tamen imminentem procellam Scottus evaſit. Flagrabat incredibili civium odio, qui omnia ſibi, liberiſque ſuis arrogabat, Franciſcumque filium æquata poteſtate, moribus ſuis innutriebat, tanto in deterius declinantem, quanto ſummæ fortunæ ætas in vitia proclivior comes accedebat: ergo urgentibus iis, quibus nimis aſpera duorum dominatio videbatur, & ſubinde eam tyrannidis appellatione gravabant, innovatur conſpiratio: eædemque urbes Mediolanum, Ticinum, Monſferratus, Vercellæ, Novaria, Laus, Cremona, Bergomum arma conſociarunt. Philipponus Languſcus, & Vicecomes Palavicinus inter primores eminebant. Jam trajecto Pado exercitus late Placentinum agrum populabatur, Bobiumque urbem ad fontes Trebiæ, ut ſupra docuimus, ſitum, & Rivalgharium oppidum in poteſtatem redegerant; cum cives tumultuari in urbe, & aperte Scotti jugum detrectare cœperunt: ſupervenit mox à Parma Gibertus Corrigius, qui perſpecta periculi magnitudine, ſequeſtrem ſeſe, vademque nuncupavit, in id, ne quavis Scotto, detrimentumve rebus fieret: & cum Franciſco filio, Petroque Macaſola genero, cæteriſque amicis incolumem dimittens, deduci Parmam, ac liberaliter ſervari curavit. Moxque intromiſſis in urbem exulibus conſtituta Reſp. eſt; & communi decreto Albertus Scottus, & filii affineſque patria & bonis interdicti, ac perpetuo exilio damnati ſunt. Quibus menſe Decembri peractis, Parma quoque civitas, auctore Corrigio, fœderi ſupraſcriptarum civitatum acceſſit.

Initio anni quinti & trecenteſimi, ab Roma Oratores venerunt, petentes deligi aliquem ex civitate Mediolanenſi ingenio & induſtria præſtabili, quem ad exercendum hujusanni Senatorium munus Romam ducerent. Muſca Turrianus, tunc gentis ſuæ primarius, Paganinum filium dedit, ac cum comitatu ornatiſſimorum juvenum demiſit. Ipſe interea & Guido frater patruelis cum quatuor & viginti primariis Mediolanenſibus Derthonam proficiſcuntur, quæ civitas inteſtino bello laborabat: hi autem arbitri controverſiarum facti, pacem brevi compoſuere: exules diu vagos & mendicos maximo omnium gaudio reſtituere. Interim Mediolani contraria eis conſilia incuntur; ſed non bene cœlatis inſidiis, capti ſunt Othorinus Soreſinas, & Cavallionus Cornalianus, qui cum conſcios nominaſſent, dies dicta ſuit Landulpho Burro, Creſſono Cribello, Admirato Oſiago, & Albertono Beſutio: deinde Placentiæ habitus eſt conventus fœderatarum civitatum, decretumque bellum adverſus Mantuanos, Veronenſes, & Brixianos, qui ope & armis exules Bergomenſes juvabant. Summa negotii Guidoni Turriano demandatur: cum copiæ Adduam traductæ forent ſere menſem integrum intercluſæ fuerunt inundatione Ollii amnis, qui inſolitis imbribus auctus tranſiri nuſquam potuit: quod adverſariis ſaluti fuit: nam interea Creſſonus Cribellus, & alii exules Mediolanenſes, patrios fines ingreſſi, cum tumultuaria manu Nerviamum occuparunt, tantumque terroris finitimis populis fecere, ut coactus ſit Guido ab Tranſadduana expeditione diſcedere: revocatiſque cohortibus, rebelles utique fugavit: ſed ad priſtinum negotium non rediit. Per id tempus Capitaneatum Mediolani egit à Kal. Martiis in Kalendas Octobris Buſca Lavizarius Comenſis; & ab eo Oliverius Rubeus Anconitanus; dehinc Bernabos Polaſtrellius Placentinus.

A. C. 2105.

Eodem tempore altera Beatrix urbem Ferrariam immigravit. Filia Caroli Apulorum Regis hæc erat; nupta vero Actio Eſtenſi inter Longobardos Heroas illuſtri: actæque ſunt nuptiæ percelebres menſe Majo: quamquam Chiapeta apud Dantem eas vehementer improbet, taxetque Carolum avaritiæ, qui infra dignitatem ſuam filiam locando, ſanguinem Regium vulgaverit; eoque facto Beatricem non nuptui dederit, ſed vendiderit: ſed hæc ſuperbia fortaſſe Gallica dicta ſunt, cum nullus non Italus pleriſque omnibus Tranſalpinis hominibus vilis, ruſticuſque videatur.

Ex obitu Benedicti Pontificis Romana Sedes jam prope annum vacaverat imprudentia Cardinalium, qui

qui Perusiæ congregati finem contentionibus, cupiditatibusque suis non inveniebant: tam dirisque invicem arsere discordiis, ut in peregrinum potius & absentem conjicere animum, quam unum ex se eligere maluerint. Ergo Beltrandus Vasco natione, dignitate vero Burdegalensis Præsul, summus Sacerdotum designatur, & Clemens Quintus nuncupatur. Qui statim à Burdegala Lugdunum profectus, eo Cardinales omnes ab Roma evocavit; & diutius ibi commoratus, Sedem in terra Gallica firmare cœpit; quæ ibidem septuaginta & eo amplius annos retenta, non sine maximo Italiæ malo fuit: & parem Constantinianæ transmigrationi, cum Imperium & opes Byzantium translatæ sunt, eladem attulit. Neque tamen adeo feliciter coronatus Lugduni Clemens fuit: siquidem dum à celebritate sacrorum in Palatium revertitur, subita ædium ruina elisis multis, obtritus pene est, atque omnino gemmam pretiosissimam ex thiara amisit. Philippus Rex Franciæ qui proxime adequitabat modice læsus, Joannes Britanniæ Dux oppressus periit: nec procul quoque à periculo fuit Carolus Apuliæ Rex, qui ut ei spectaculo interesset, paulo ante ab Neapoli in Narbonensem Provinciam navigaverat. Cæterum res Italas per Procuratores & Legatos administrare Clemens cœpit, tribus Cardinalibus Romam destinatis.

Interea in Parmensi ex parvis initiis ingentia mala orta sunt. Nunciatum sorte fuit Giberto Corrigio Rubeos ad Segalariam vicum agrestium multitudinem armare: id quod ne temere credidisse videretur, ac propterea quid gravius injuste decerneret, unum ex domesticis exploratum misit: hunc jam à speculatione revertentem, quidam Rubeæ factionis ex privata causa atque odio interfecit. Gibertus eum communi totius familiæ consilio interemptum ratus, populum Parmensem in Rubeos tamquam rebelles & perturbatores publicæ tranquillitatis concitat, diripique illorum domos atque incendi justit: tamen postero die rapuit arma Ecclesiastica factio, quæ pro Rubeo stabat: & plurimis utrinque cæsis, tandem hi superati & urbe ejecti sunt; in quibus præcipui nominis fuere Gulielmus, & Ugolinus, ac Jacobinus Rubei, nec non Bonifacius Rolandinus, & Lupus è gente, quæ de Lupis cognominatur. Agebat tunc Prætura Parmæ Jacobus Landrianeus Mediolanensis: is cum exercitu Segalariam profectus, eam, & Colliculum, & Nivianum Rubeorum vicos expugnavit, & cuncta deprædatus, si quid munimenti erat, destruxit. Non ita multo post detecta conspiratio est, quæ ad convellendam Corrigii potentiam inibatur: capti Geraldus Enzola equestri dignitate vir, & Paulus Russus Notarius principem & auctorem totius negotii nominarunt Actium Estensem Ferrariæ Marchionem. Ex quo Gibertus cum Bononiensibus, Mantuanis, & Derthonensibus fœdus junxit: cui accessere exules à Mutina, Rhegioque, qui eas urbes ab Estensis imperio subtrahi cupiebant. Jamque fatis omnibus paratis, uno momento Gibertus Rhegium, Bononiensis Mutinam aggrediuntur, atque scalis admotis consensuri muros videbantur, & turrim Episcopi, & portam S. Geminiani occuparunt. Veronenses autem & Mantuani alio loco castra posuere opportuno ad prohibendum, ne quid ab Cremona ad obsessos penetrare auxilii posset. Verum & primum impetum sustinuere oppidani, & subsecuta fœdissima pluvia discedere ab incœpto hostes coegit.

A. C. 1306. Dilata deinde res est in sequentem annum sextum & trecentesimum; cujus principio, quamvis hieme aspera, intercepere de Estensis ditione Canolas, Gavazetum, Butriolum, & quod nunc quoque maxime nobile est, Carpum, & demum Mutinam ipsam, & Rhegium: ubi cum Gibertus paulo diutius, quam necesse foret, morari videretur, non caruit suspicione affectati in urbe Rhegio dominii: quare excitatus tumultus est illius jugum subire indignantium: sed is omnia ea dissimulans, & Rempub. reformari passus est, & contentus Matthæum fratrem in semestre Prætorem decerni, abiit, & quæ de ditione ejus urbis bello occuparat, restituit. Quo negotio peracto, Gibertus rem memoratu dignam, & ut arbitror, exemplo carentem fecit: ter geminas namque necessiariarum suarum nuptias uno die absolvit: una ex duabus filiabus Albuino Scaligero, ex obitu Bartholomæi fratris Veronæ Domino, altera filio Passarini Bonacossæ Mantuanorum Domini collocatis, & nepte, quæ ex sorore & Nicolao Folianco genita fuerat, Laibardino Roncharolo Veronensi pernobili destinata: easque una celebritate expeditas, nobilissimis viris deducentibus ad viros suos dimisit. Privatæ Principum amicitiæ plerumque publica civitatum fœdera secum trahunt. Has quoque nuptias secuta est societas Veronæ & Mantuæ, & nuperrimæ Mutinæ & Rhegium, ad evertendum penitus Estensis statum: sed quo minus extemplo bellum inciperetur, fecerunt intestinæ Bononiensium discordiæ. Bis intra urbem ipsam rapta arma, & in mutuam perniciem ejus certavere: demumque Guelphus Gibellinum occidione delevit, domos evertit, & quidquid ex eo nomine supererat, expulit.

Rediit inter hæc ex Gallia Napuleo Ursinus Cardinalis titulo Pontificii Legati à finibus Mediolanensibus ad Fretum usque Siculum: cumque Paschales dies Parmæ honorifice exceptus egisset, Bononiam pervenit, ubi Episcopalibus ædibus diversanti injuria illata est furentis populi concursu, atque ægre à vi defensus Imolam penetravit. Illic sedens, Bononiam indignam sacris, nominecque Christiano, &, quæ jamdiu ibi exercebantur, liberalium disciplinarum studiis declaravit; & quantum auctoritas Apostolica valebat, iis omnibus interdixit. Nihilominus eorum socii coacto exercitu agrum Ferrariensem incurrunt, & populabundi in suburbana ipsa pervenere: nec ausus est Actius obviam egredi: sed clausis portis, tamdiu bacchantem in conspectu hostem toleravit, donec missis Patavium Legatis, magno pretio & restitutione Lendenariæ auxilium impetravit. Nec ita multo post accedentibus ejusdem fœderi Florentinis, & Lucensibus, ac Bononiensibus ipsis, eo metu liberatur.

Per ejus belli occasionem Matthæus Vicecomes Mediolano profugus, qui forte octingentis equitibus & eo bis amplius peditibus præerat, reditum in patriam tentavit; excurrendoque Adduam versus pontem Vaprii in fusum potestatem futurum speravit: sed occurrentibus mature adversariis, (ii erant Philipponus Languscus & Prætor Papiensis) retro in Brixianos cessit; abjectaque omni recuperandæ patriæ cura, à turbidis dehinc consiliis quievit.

Anno septimo & trecentesimo, Kal. Maji, Ifinbaldus Papiensis Capitaneatum urbis Mediolani, quem superioribus octo mensibus Otho Vacca Comensis gesserat, sortitus est: & Prætoram Jacobus Cavalcabos Cremonensis, quam Guido Robertus Rhegiensis administraverat. Interim Bergomi civiles discordiæ, reconciliatis pace animis sopitæ sunt. Placentiæ vero penitus mutata Reipublicæ forma. Scotti, Fulgosii, & Polastrelli, opibus Gulielmi Cavalcabovis, & Cremonensium adjuti, Landum & Vicecomitem ejecere. Lancelottus Anguissola & Vicecomes Palavicinus arbitri rerum constituti sunt: qui, ut invidiam dominationis populari titulo lenirent, Abbates se nuncuparunt. Sed jam matura erat Musæ Turriani ætas, cui longa ægritudine superaddita, diem obiit nono Kalend. Novembris: elatus amplissima, & quanta non alius ea tempestate, funeris pompa fuit, tumu-

A. C. 1307.

tumulatus in æde Divi Franciſci, quam magnis opibus inſtauraverat. Proximo menſe cumulatus gentis luctus eſt, mortuo Martino Caſſoni filio, quem ad conditum à patre ſacellum in templo Euſtorgii extulere. Reliquit Muſca filios Paganum, Caſſonum, Adoardum, Rainaldum, Floramontem, qui & à cognomento patris Muſchinus dictus, & Napinum, ſeu Napulconem juniorem. Eo ſublato Guido patruelis illi opibus proximus, tum ætate & ingenio multitudini gratus, gubernandis rebus acceſſit: ac poſtridie Id. Decembris omnium conſenſu Capitaneus, primo quidem in annum unum, mox jam ſecurus auræ popularis, in biennium declaratur; decernique ſibi ſtipendium ex publico duûm millium librarum paſſus eſt.

Per cujus tempora Albertus Scottus intermiſſam biennio Placentiæ dominationem recuperavit; ac primo Fidentinum & Caſtrum Arquatum pulſis cuſtodibus occupavit: tum Placentiam ipſam aperta per conjuratos porta ingreſſus, ingentem tumultum excitavit: cujus metu duo Abbates Anguiſſola & Palavicinus, tum Prætor & Capitaneus populi cum peregrino milite, & iis rebus, quæ tunc auferri potuerunt, aufugerunt; penetrarunique in peregrinum oppidum, & Bobium, & reliqua montana Ligurum. Tunc à Mediolano, Papia, Laude, Cremona, Placentia ipſa miſſis Prætoribus cum militari manu Burgum Donnini obſideri cœptum: ſed mox dilabentibus militibus, intermiſſa ea expeditio eſt, & bellum in Ferrarienſes tranſlatum, in quo fortiter & ſua tutatus eſt Actius, & claſſem hoſtium cepit, & multa certamina inter Parmenſes, Brixianos, & Cremonenſes acta, quæ prætermittere nullum hiſtoriæ diſpendium eſt.

Magis vero memoranda ea veniunt, quæ in Monteferrato acciderunt. Jam triennio ab hinc moriens Joannes Marchio, cum nulla proles ei ſupereſſet, hæredem inſtituerat nepotem ex ſorore Violanta, quemcumque Andronicus Paleologus pater, qui Conſtantinopoli imperabat, dare maluiſſet. Andronicus autem Theodorum filium natu penultimum huic ſucceſſioni deſignavit: cumque eum in Italiam mittere pararet, nonnulli ex nunciis, qui eo profecti erant, injecerunt ei cauſſam retardandi paulliſper; quia pro comperto affirmabant, Joannis uxorem à viro gravidam relictam, & omnino aliquid in utero ferre; quæ ſi forte marem pareret, ludibrio non minus Græcis, quam Latinis fore hanc Theodori peregrinationem. Ad hæc dubius animi Andronicus, jam Legatos ſine filio mittere parabat, cum ei Jacobus, cui à S. Victore cognomen erat, *Ha ſunt*, inquit, *artes Thomæ Marchionis Salucienſis, qui nova fabula, & commentitio partu eludere, & Regnum pulcherrimum ſibi finitimum, cum vacuum hærede, atque caducum excipere cogitat.* Jamque Clavaſſium, Vignale, Montem Larium clariſſima oppida occupavit; & cum factiones & vetera odia concitaret, Guidonem Cochonatum non poſtremæ tunc inter Proceres auctoritatis ſibi conciliavit. Ergo placuit tantiſper Theodorum ſuperſedere, dum miſſi in Italiam Legati iterum Regmæ diligentius explorarent, atque redirent: hi profecti, brevi mentita omnia, quæ de ventre viduæ circumferrentur, renunciarunt: tunc lætus Andronicus inſtructa claſſe, paratiſque omnibus ad iter neceſſariis, dimiſit. Ex navigatione Laguriam tenuerunt, deſcendentesque Genuæ, regio honore excipiuntur. Duo tunc ibi præpotentes opibus, clientelisque cives erant, & titulum Capitanei utrique obtinentes, reliquæ civitatis oculos, votaque in ſeſe converterant, Opicinus Spinula, & Barnabas Auria; uterque ſplendido conjugio, & nobiliſſimæ affinitati inhiabat: demum Argentinam Spinulæ filiam Theodorus uxorem fortitur: contra Barnabas ſuam Salucienſi collocat. Cæterum his nuptiis non parva Theodoro peregrino homini, & non magnis copiis fulto, ad hæreditatem adeundam acceſſio facta; ſiquidem late oppida & vicos plurimos Spinula poſſidebat: quare ſoceri armis & opibus adjutus, in Montemferratum penetrat. Calali cum conſtitiſſet, & diligentius vires Salucienſis exploraſſet, qui omni vi, ne regno potiretur, repugnabat, milites undecumque acceſſit: à Mediolano egregia juventus conceſſa; & Philipponus Languſcus adductis Papienſibus ſpeciem juſti exercitus explevit: quæ ubi Theodotus vidit, pontem Sturæ obſidet: neque inde prius diſceſſit, quam oppidum & arcem in poteſtatem redegit. Mox Montebello potitur.

Per eadem tempora Philippus Sabaudianus Peloponneſo pulſus, novum in Longobardos titulum Principis Achajæ attulerat. Hunc Carolus Apulorum Rex, propterea quod doloſus homo multos fraudaverat, nec fœdera ſervabat; ſed per ſpeciem ſerendæ opis, amicorum libertati inſidiabatur, per Ægidium Legatum Principatus parte mulctaverat: atque regno fugatum, omnium inopem cum duobus ſociis tantum Aſtam perveniſſe legimus: ubi tamen pro priſcæ dignitatis opinione acceptus, ſtatim Capitaneatus honore in triennium decoratur, additumque annuum ſtipendium ſeptem & viginti millium librarum; ut cum reliqua Magiſtratus familia, centum etiam milites tutelæ gratia in urbe aleret. Interim & Alba Pompeja illius procurationi acceſſit. Ex quibus cum haud contemnendas opes conſecutus eſſet, videretque Græcum juvenem difficili bello implicitum, cum, ſeu veteris hoſpitii jure, ſeu clam ab hoſte ſubornatus, ſermone excipit; quæ ad recuperandum regnum, & firmandam Aſtenſium amicitiam expedirent, docet; fœdera inter ſe ineunt: poſtridie ex oppido Ruptæ, ubi habitum colloquium fuerat, Aſtam itur ad ratificanda fœdera, & ea omnia exſequenda, quæ pacti invicem fuerant. Tum convocati Decuriones poſteaquam cognoverunt, quæ inter duos convenerant, animos ad ſocietatem incundam inclinaverunt: à quibus quamvis poſtmodum fallax & diſſimulator homo Philippus, contra quam pridie locutus fuerat, deterrere eos nixus ſit: nihilominus Aſtenſes, ſecundum ea, quæ ad pontem Ruptæ convenerant, cum Theodoro ſocietatem firmant. Ita novo ſubnixus ſocio, Ligum aggreditur: oppidani cum obſidionem tolerare nequirent, deditionem facturos ſeſe pollicentur, niſi Carolus Rex intra quindecim dies auxilio affuerit: quorum diſcrimine audito Rainaldus Lætus Regius Procurator, & Achajæ Princeps haud longe à Vignali caſtra locant; qui dum opem obſeſſis ferre tentant, Philipponus Languſcus tantiſper excedere caſtris Theodorum ſuaſit, dum ipſe fortunam experiretur; ac cum robore exercitus in hoſtes invehitur: cujus vim & impetum fortiter Gallici milites ſuſtinuere. Jam grave certamen erat, cum prementes adverſarios ſuſtinere non poterat, atque terga vertere cœpit: continuo univerſa acies diſſipatur. Dux ipſe captus, & in Vignali arce cuſtoditus in Galliam mittitur. Quo ſic amiſſo Papiæ Ricardinus filius Protectionis nomine Dominium ſuſcipit. Hæc menſe Auguſto acta.

Theodorus autem, quamvis magni & experientiſſimi viri ductu, conſilioque privatus foret, haud tamen animo infractus, reliquias exercitus colligit: à ſocero nova implorat auxilia, & Aſtenſibus in fide permanentibus Montem Calvum aggreditur: locus ſitu, opereque munitus, tum incolarum induſtria opulens, niſi obſidione capi non poſſe videbatur: caſtra itaque circumlocantur, & ad quatiendos muros machinæ admotæ. Demum ejus parte potitus Theodorus eſt, & in ea triduum moratus, cum præter ſpem oppidani deditionem non facerent, receſſit. Jamque December menſis

in-

inſtabat, cum oblatu arcis Clavaſii potiundæ occaſione, eo proſectus nocte, deceptis cuſtodibus, oppidum quoque obtinuit: cujus exemplo exterrita oppida vicina ſine certamine in ejus poteſtatem devenere.

A. C. 1307. Eodem anno MCCCVII. duæ maximæ religionis Chriſtianæ peſtes, ac Principibus ipſis formidatæ, altera Pontificis manu, altera Gallicani Regis diligentia ſublatæ, exſtinctæque ſunt. De quibus, quia locus noſtram alteram facit; alteram perparce vulgati hactenus Scriptores tractarunt; rem alioquin Bacchanalium Romanorum ſceleribus conferendam, aliquid uberius narrare conſtitui: illam à Merula meo, hanc à Gulielmo Gallico Dionyſii Monacho mutuatus. Dulcinus homo nefarius cum Margarita, ſive ea uxor, ſive concubina erat, ex valle, quam Seſſites amnis Novarienſium facit, orti, criminando Sacerdotum opes, & divitias, immenſaſque voluptates, novos ipſi ritus invexere, caſtimoniam primo, abſtinentiamque ciborum commendare, ipſique obſervare. Sacerdotibus vero opprobrio dare, quaſi nullus per virtutem, aut popularium ſuffragiis, quopiamve merito, ſed largitione, & gratia, atque interim obſcœnis obſequiis ſacerdotia capeſſerent, ingentes reditus ad templorum ornamenta, & ſuſtentandos pauperes olim deſignatos per luxum atque libidinem diſſiparent. Hæc, & alia jactantes, multorum animos ad ſe allicere, & variis interim erroribus imbuere: jamque ſectam conſtituerant mulierum primum, tum adhibiti adoleſcentes & viri, paulatimque conceſſæ voluptates ſunt epularum, & nocturni cœtus, quos promiſcui & nefandi concubitus ſequebantur: mares paſſim fœminis mixti conventicula in agris & urbibus facere: jamque diſciplinam propalam profiteri, cum multitudine ſua tuti nullo pudoris diſcrimine tenerentur; *Fratricellos* autem ſeſe appellabant: magna nimirum & morum & ſacrorum corruptela, & quæ non ſine magno labore comprimi potuerit. Namque ſatis Clementi Pontifici non fuit per litteras & nuncios à nefario ritu impios homines deterrere, niſi ad arma is deveniret, & contumaces penitus affligeret. Juſſi igitur finitimi omnes, qui Chriſtianam fidem pollui indigne ferebant, Crucem adverſus eos tollere, & ex Tranſalpinis miſſo milite, juſtus conflatus eſt exercitus: exſpectaverunt vim audaciſſimi homines, & in montana natalis ſoli refugientes, anguſtus & difficultate locorum ſeſe tuebantur; ac neque inopia rerum, neque fame victi dedi tionem facere in animum inducunt: quare, & debellare eos, & occidione delere oportuit; cum & inediam & frigora Alpina ſupra humanam fidem perferrent. Demum Dulcinus & uxor vivi capti, Vercellaſque perducti, membratim diſcerpuntur, atque ignibus traditi cremantur.

Alterum ſacinus fuit eorum, qui ducentis ab hinc annis, Gelaſio Secundo Pontifice Romanorum agente, circa templum Domini Hieroſolymis habitantes, & caſtimonia, jejuniis, cæteriſque operibus novam religionem profeſſi, ab excellentia ejus loci, quem ſumma cum veneratione colebant, *Templariorum* nomen ſortiti ſunt: quibus etiam, ut certior bonitatis fama conſtaret, Divus Bernardus morum & vitæ normam dedit: & fortaſſe primi illi, & primis proximi Templarii, quam profitebantur, ſanctimoniam tenuere, id vero in primis minus coluere, ut quoties peregrinos ad littora Judææ enavigaſſe audirent, decurrerent armati Joppen, excipierentque ſingulos amplexu, fide, hoſpitio & deductis Hieroſolymam, quæcunque loca Chriſtus Deus, vel miraculis editis, vel cruciatus & mortem ſubeundo, ſacra, illuſtriaque feciſſet, indicarent, tutoſque ab incurſionibus prædonum præſtabant: iidem votis perſolutis reverſuros in patriam, ad eadem littora incolumes reſtituebant: quibus meritis obſtricti abeuntes, ſtipem largiter in præſenti dabant, & cum domum pervenirent, paſſim prædicabant; quanta comitate, diligentia, fide accepti, habitique fuiſſent; & gratitudinem cumulantes conditis teſtamentis, vel donationibus, cum illis patrimonia dividebant; aliiſque eadem viſendi deſiderium excitabant: & interim, qui peregrinationem obire non poſſent, aut argentum illis mittebant, aut agros & prædia donabant: ſic in immenſum aucti opibus, numero pariter hominum, cum ingenuus quiſque, & principum liberi ex omni natione ad eos confluerent, crevere. Sed, proh Juppiter, proh Deûm omnium, atque omnium hominum fidem! ubi opes abundavere, quæ ſcelera, quæ flagitia eo non irrepſere? & quanto, quamque diuturno ſilentio occulta fuere? ſiniſtra quidem fama & perverſus rumor multorum aures jam perculerat, ſed vero indicio explicari res non poterat; adeo vel mutua peccandi conſuetudine illecti, vel metu pœnæ nemo unus huſcere auſus fuerat: noviſſime Gallicus homo eximiæ dignitatis vir, & qui inter Præfectos Regii ærarii habebatur, ad primarium ejus militiæ locum pervenit; & poſteaquam ſatis diu injuriam ſeculi pertulit, erubeſcens vicem ſuam, alienamque calamitatem miſeratus, cum paucis, quos pariter immanium ſcelerum pertæduit, detegere omnia ſponte conſtituere: ſed quia capitale erat, exſpectata occaſio eſt, qua ob magnam cauſam ex Syria in Galliam remeare oportuit. tunc Regem Philippum adhere; cumque ſe habere dixiſſent, quæ ſecreto & occulto cum eo agerent, in penetralia domus admittuntur, atque ibi ad genua Regis procidentes, ubertimque flentes, pacem primum Dei & veniam ab hominibus precati ſunt: deinde Magiſter, *O Rex*, inquit, *maxime, & in Chriſtiane nomine primarie, quam opulenta, quam celebris, quam late diffuſa ſit hæc noſtra religio, vel magis, ut mox audies, carniſicina maxima, & vitiorum omnium gurges, & officina, vides. Nulla pene eſt in Occidente civitas, nullus in Europa angulus, ex quo non vel ingentes pecuniarum acervi, vel uberes agrorum proventus, nobis quotannis pendantur, haud dubie Chriſti nomine, cum Chriſtus coleretur, ut nunc quoque vulgo colere creditur, dati. Sed, proh ſumme JESU, æternæque omnium conditor! qua non impia, nefanda, abominanda ſub hoc velamine patrantur? horreſcimus meminiſſe; nec inficiamur, nos iiſdem erroribus pollutos, contaminatoſque eſſe: ſed aliter ibi vivere nemo poteſt, & niſi æquo animo paſſi ea eſſemus, vel jam pedem ex illo Theatro nunquam retuliſſemus; vel tu nunc non haberes, quorum indicio Chriſtianum orbem maximo beneficio demereberis: ſcito igitur neminem illuc voto annis majorem admitti: ſpatiumque illis annuum diſcendæ diſciplinæ conceſſi: quo tempore nihil improbi vident ii, quibus probitatem cordi eſſe indoles ſignificavit: quibus vero laſciviora inſunt ingenia, paulatim in latebras ſubductis, ſtupris aſſueſcunt, & ubi exacto anno recipiendorum in ordinem dies ceſſit, ſic inutiari mos eſt. Sedenti Magiſtro, & quatuor, nec amplius, validiſſimis viris ſtipato, ſingulis juvenes ad genua introducuntur, atque juvejurando obſtringuntur, nihil eorum, quæ viderint, audierint, facerint, paterentur, enunciaturos: mulierum contactu perpetuo caſturos: obſequium corporis ſui à fratribus ſuis quoties peterentur, non negaturos: quibus admiſſis, exhibentur oſſa mortui auro argentoque condita, ac gemmis, margaritiſque adornata: caput humanum erat, idque primus hujus ſacri inſtitutoris eſſe ajebant. Id adorare jubebant, atque omnia præſentia, futuraque bona illi accepta referre: contra in proximo Chriſti imaginem Crucifixam oſtendebant, & omnem ejus virtutem contemnentes, humi ſternebant, conſpuentesque, & pedibus conculcantes, probris inceſſebant: ea admittentes miſeri, manu elata caput ſibimet ex more tangebant: id erat genus juriſjurandi vehementiſſimum, efficaciſſimumque.*

Eo peracto, tribus in locis ofculandum ſe Magiſter præbebat, ore, ad umbilicum, & ad anum: tuncque ſacerdotalis juvenis veſte donabatur. Hæc vero ſi quis abhorruiſſet, ne obſcenitatis ſpectatæ indicium faceret, illico arripiebatur in abditos ſpecus, & per cruciatus ac tormenta perimebatur, ita, ut nec corpora ad ſepulturam exſtarent: ſic multa millia eorum, qui dedecoris non patientes erant, perdidimus, perdenturque in poſterum, niſi occurratur.

Obſtupeſcens ad hæc Rex, atque admirabundus, quam pauciſſimos in conſilium vocat; & qua ratione tam tetri facinoris auctores, conſciique opprimerentur, quærit: optimum factu viſum eſt, parare ad omnium civitatum Præſides litteras, quarum ſignificatione cuncti, qui in terra Gallica erant, Templariorum nomine noti, una die, unaque hora comprehenderentur. His mature dimiſſis, omnes detinentur: ea dies fuit VIII. Idus Octobris, celebris in primis apud Gallos annua memoria D. Dionyſii: ex quo attoniti quidem mortales univerſa Europa fuere, cum cauſa tanti facinoris ignoraretur. Tum annuente Clemente Pontifice, decreta quæſtio eſt de ſaltis Chriſtianis, de obſcœni ſacri cultoribus, & humanæ carnificinæ magiſtris per Inquiſitores Ordinis Prædicatorum atque Minorum: adhibitis peritiſſimis Senatorum, peracta res eſt: ſinguli captivi confeſſionibus eadem, quæ Indices detulerant, depoſuere, quæ in publicas tabulas redacta, fidem poſteritati facerent. Tunc Indicibus gratiæ habitæ, & poteſtas eligendi, quos ab ignominia, pœnaque ſervare voluiſſent, facta; cæteri carceribus addicti, ſolo pane, & aqua præbita canum more ad mortem compulſi ſunt: & in Syriam ipſam exercitus miſſi, qui reliquos occidione deleverunt: omnium bona in Regium Fiſcum redacta: quæ, quamvis arbitrio ſuo permitti Clemens per Legatos ſæpe petierit, haud tamen impetravit: ſed Philippus tertio demum anno partem Prædicatoribus, partemque Minoribus Fratribus, ſed longe maximam portionem Equitibus S. Joannis Hieroſolymitani, qui paulo ante potiti inſula Rhodo fuerant, detulit: unde illi poſtea majoribus copiis, viribuſque oppoſiti Barbaris ſtetere, atque in hanc diem integra fide manent.

A. C. 1308. Principio anni octavi ultra mille & trecentum, confirmatus fuit Capitaneus Mediolani Guido Turrianus: is Armaninum Perſicum Cremonenſem, quo Vicario uſus ante fuerat, Prætorem decerni curavit. Tum Franciſcus Parmenſis noſtræ Eccleſiæ Antiſtes moritur. Deceſſit autem in arce Angleriæ, quæ diu juris Archiepiſcopalis fuerat: inde ad urbem delatus, in æde Pontificali ſepelitur. Ei protinus ſuffragiis ordinariorum, adjuvante Guidone Capitanco populi, ſufficitur Caſtonus Turrianus filiorum Muſcæ ſecundo genitus: cujus utulus, ut Romanæ quoque Sedis auctoritate legitimus, ſoliduſque fieret, in Etruriam profectus Caſtonus, nobiliſſimis viris comitantibus, Pontificium Legatum Cortonæ convenit, & confirmari ab eo meruit: duos menſes in ea peregrinatione Martium & Aprilem abfuere: idem deinde ab Epiſcopo Novarienſe, quem Clemens Pontifex miſit, in majori æde ſacratus, confirmatuſque fuit.

Interea Parmæ ingens conſpiratio adverſus Gibertum Corrigium inita VII. Kal. Aprilis, vicatim armati cives in factionem Barnabeam impetum faciunt, pulſatis adverſariis, eorundem domibus ignem ſupponunt. Gibertus Corrigius rei novitatem admiratus, nec auſus ſe multitudini credere, domi ſe continebat, ſubmittebatque interdum Prætorem Gutium Malavoltam, is genere Senenſis erat, qui tumultuantes coerceret: verum prohibere non potuit, quin multa cæde civium manus cruentarcutur: nec ira multo poſt excita ab Cremona Rubei, Lupi, cæterique exules portis urbis adſtitere: moxque ſubſecutus eſt Tignaca Palavicinus Cremonenſium Prætor: admiſſi Rubei porta Illariana arcem Sanctæ Crucis obſedere: quibus obſiſtere conatus Gibertus fruſtra eſt, & premente multitudine ad forum redire coactus, à plurimis ſuorum ſe deſertum videt; ac ne in hoſtium poteſtatem veniret, moltus fugam cum Matthæo fratre urbe digreſſus in ſui cognominis Caſtrum Novum evaſit. Gutius Prætor in tumultu graviter vulneratus occiditur. Saxolus ex oppido ejuſdem nominis oriundus, qui univerſis Giberti copiis præerat, captus in cuſtodia Gulielmi Rubei fuit. Victores in locum demortui Prætoris ſufficere Jacobum Cavalcabovem Vitalianæ Marchionem. Caſtro Novo ſe continens Gibertus, à novis conſiliis nequaquam queſcebat; amicos & clientes convocat; ex inimicis nonnullos reconciliat. Ad Enzolam horum congregatio facta: adverſus quos populus Parmenſis TTT. Id. Jun. proceſſit, matureque ſupervenit Zanfredinus Turrianus cum ducentis equitibus Mediolanenſium, cui tutela urbis magna ex parte commiſſa eſt. Sed jam Giberto ab Rhegio, Mutina, agroque Lunenſi, favente ei Sororio Franciſchino Malaſpina, tantum virium advenerat, ut tuto congredi cum adverſariis poſſet: inſtructoque agmine, Parmam verſus proficiſcitur: oppoſuere ſe cives, magnoque animo primum impetum ſuſtinuere: ſed mox perturbati, confuſique in fugam ſe averterunt, & donum abeuntes arma depoſuere: inſtrumenta bellica, commeatuſque omnes amiſſi: ſecutus victoriam Gibertus, & quo minus urbem ingrederetur, obſtirit Turrianus. Eo Caſtrum Novum reverſo, illata pacis mentio eſt: convenitque, ut inducta injuriarum prætetitarum oblivione, unuſquiſque domum rediret, & patriis bonis frueretur. Sic Gibertus ſolemni more in patriam receptus eſt. Turriano in Kal. Auguſtas prorogatum ibidem imperium eſt.

Dum hæc Parmæ agitantur, propinquam urbem Placentiam invaſere exules Ubertus Landus, Vicecomes Palavicinus, Lancelottus Anguiſiola, & reliqua multitudo, quæ ex domeſtico certamine Bobienſes montes petierat. Sed Guido Turrianus Mediol. Dominus multa ad otium urbis & illorum concordiam procurabat, demumque arbiter componendi diſſidii factus, exules in civitatem recipi juſſit, & ſibi in quinquennium decerni Placentiæ urbis dominium curavit: eoque mox ipſe profectus novis Magiſtratibus impoſitis, cætera pro arbitrio compoſuit. Reverſus Mediolanum haberi concionem populi per Vicarium ſuum Petrobonum Lantelmum curavit: convenere ad tria civium millia; ad quos orationem orſus Petrobonus, accommodate diſſeruit, quantum in magnarum rerum adminiſtratione & populo regendo ſpectanda ſint illuſtrium virorum, & qui claris natalibus cenſeantur, ingenia. è præſenti vero negotio atque utilitate publica eſſe, ut Capitaneus decerneretur univerſalis auctoritate ſolito diuturniore, & denique ſine temporis finitione: propterea cogitarent ſimul omnes, cui ea provincia potiſſimum demandanda videretur. Sedebat inter primos concionis Conradus Concorretius, cui domi, quid dicendum foret, compoſitum erat. Is igitur conſurgens magnum virum, & peracri ingenio atque exercitato eſſe ſubjunxit Guidonem Turrianum; eundem cum tota familia per quam optime de Rep. meritum; cenſere, ut ea perpetua Reip. cura demandetur. Eam vocem uno atque altero probante, univerſæ concionis conſenſus ſubſecutus eſt. Protinuſque quatuordecim Anciani, & alii Proceres ad domum Guidonis profecti, Dominum ſalutant, reſiſtentem, & reluctari ſimulantem, tollunt ſublimem, atque in forum deportant. Hic veluti

coactus

coactus ſacramentum cuſtodiæ civitatis, & totius negotii publici, tum legum ſervandarum, dixit. Nec ita multo poſt habuit in concilium Legatos finitimarum civitatum Laudis, Placentiæ, Cremonæ, Cremæ, Bergomi, Comi, Novariæ, Vercellarum, Aſtæ, Alexandriæ, Derthonæ, & Papiæ, ac novum fœdus ita initum eſt; ut præcipuum, ſummumque arbitrium gerendarum rerum penes ipſum Guidonem foret.

Cæterum urbi Placentiæ præfecerat Tignacam Palavicinum Prætorem, & Raimundum Tertiagum Capitaneum populi. Hi Gibellinæ factionis principes favorabilius, quam conditio temporum poſceret, excepere: dumque mutuis beneficiis conciliatos arctiori in dies familiaritate coire Scottus videret, conſpirationem adverſus eos molitur: & A.C. menſe Majo incœpti jam anni noni & tercentefiſimi, intempeſta nocte coacta multitudine, impetum in Prætorium facit, atque expugnat: conterriti Prætor Tignaca & Capitaneus ſtatim urbe profugiunt: ingens turba adverſariorum erat, & proinde periculum multorum vitæ fuit: haud tamen plus quinque eo tumultu oppreſſos, tradtur; in quibus Rolandus Enodardus è gente Landorum refertur: ſic tertio menſe & anno uno poſteaquam potitus Placentia eſt Guido Turrianus, eandem amiſit, & Scottus in imperio reſtitutus: quod tamen haud ita quietum ei ſtetit, Landis Poſtrellis, cæteriſque exulibus patrios fines, vicos, tectaque agreſtium paſſim populantibus, atque vexantibus.

Perquod tempus Carolus Secundus Apuliæ Rex deceſſit tertio Nonas Maji, Roberto filio herede relicto: qui cum beneficio longæ ætatis rebus geſtis claruerit, multaque adverſus Vicecomites rerum Mediolanenſium Dominos geſſerit, crebra de eo mentio à nobis ſuis locis habebitur.

Interea Ferrariæ quoque graves motus contigere. Deceſſerat ſuperiori anno circiter Kal. Februarias Actius Eſtenſis: dolo petitum Fieſchi filii illegitimi vulgus credidit; quod is ſuperinductam ſibi novercam ægre ferret: ac ſtatim occupata arce, Thealdi dominationem accepit. Indignati patrui Franciſcus & Aldrovandinus urbe profugiunt in peninſulam, cui ab oppido Rodigii nomen eſt: quam cum nec retinere poſſent, Patavinis accepta pecunia dedere: contractiſque equitibus circiter ſexcentis, & excitis ad arma veteribus amicis Fontanis, Lambertis, & à magno Salinguerra originem, nomenque trahentibus, eas copias urbi admovit Franciſcus, atque intromiſſus eſt. Veneti quoque & Bonomenſes vites addidere, quibus circumventum ſe videns Fieſchus, ac ſummam in deſperationem redactus, cum etiam inteſtino civium odio flagraret, Venetis arcem tradit, quorum copiis intromiſſis, tota urbe Patavinos fugarunt, novoſque ipſi Magiſtratus conſtituerunt.

Hæc res nunciata Clementi perquam gravem moleſtiam attulit; atque adeo contumeliam ſibi illatam arbitratus Pontifex, vindicandam urbem à Venetorum manibus ſtatuit, cum alioquin Eccleſiaſtici juris Ferraria cenſeatur. Clarum igitur ea tempeſtate virum, & ſibi jure naturæ nepotem Arnaldum Pelaguram Cardinalem tituli S. Mariæ in Porticu Legatum in Italiam mittit. Is per Longobardos iter faciens Mediolanum divertit, ubi pro dignitate acceptus Veneto mandat, ut Ferrarienſi ſolo decedat, atque abſtineat: obaudientem diris exſecrationibus exagitat, quas ſubinde Pontifex inſtaurat, ac uberioribus minis repetit. Sed eas flocci fecere Veneti. Ergo adverſus contumaces Crux denunciatur; bona, merces, quas ubique gentium Veneti tractarent, prædæ expoſuit; corpora & familias ſervituti addicit. Quo nomine in Gallia, Britanniaque, grandi jactura affecti illi fuere. Interea Mediolano digreſſus Pelagura, Parmam, Bononiamque petit, juſſis ad ſe venire clariſſimis quibuſque Sacerdotum, ac quam maximum armatorum numerum adducere. Cui inter cæteros præſto fuit Caſtonus Turrianus Mediolani Archiepiſcopus, & quingenti pedites à Pavio miſſi. Ab Etruſcis quoque Piceno atque Apulia complures venere: tres menſes his contrahendis abſumpti. Incunte Auguſto, propius Ferrariam copiæ admotæ; nec exſpectaverunt vim oppidani, ſed ſponte eis intromiſſis, ſe dedunt. Veneti recepere ſe in arcem, quam Pelagura munitionibus cingit, & machinis aggreditur: pontem, quo Padus jungebatur; claſſem quæ in flumine ſtabat; expugnat. Rainaldus Marchariæ Comes hoſtilium copiarum ductor cum ſeptem millibus hominum trucidatus eſt. Tot cladibus territi, qui arcem tenebant, eam dedunt. Cæterum ſtabat in littore Ravennæ arx ſitu & opere permunita, Marcabovis dicebatur, importuna admodum negotiatoribus, qui ex Longobardia merces in Flaminiam, Picenumque agrum tranſvehebant: huc, poſt receptam Ferrariam, rogatus Pelagura victorem miſit exercitum, expugnatamque funditus dirui juſſit.

Hoc bello Galeacius Vicecomes ſtipendia ſub Pelagura ſtrenue fecit. Joannam privignam, quam ſupra diximus Nino Calluritano genitam, adhibita opera Franciſci Eſtenſis avunculi, Riciardo Caminati, Peruſinorum Domino, matrimonio junxit: fuerunt autem Caminates non ignobiles Patavii cives; quorum Girardus ſex & viginti ab hinc annis perſpecta majoris fortunæ occaſione, Tarviſium tranſmiſerat, atque pulſis Caſtellis dominatum accepit. Matthæus vero Galeacii pater jam longo exilio exhauſtus, & ſui ipſius erubeſcens, è conſpectu hominum ſeſe ſubtraxerat, atque ignobilibus vicis latitans inter Benacum lacum, & fluvium Atheſim piſcando, retiaque interim texendo vitam degebat, ſolatiumque præſentibus ærumnis quærebat. Scribit Franciſcus Petarcha tentatam ejus aliquando ab hoſte patientiam. Nogarolæ, qui Atheſi adjacet vicus, repertum opinio eſt, atque ab Turriani nuncio interrogatum, quidnam rerum & ſolus, & in loco deſerto ageret; cum vero reſpondiſſe, *Retia tendo:* & rurſus reduſſe nuncium, dixiſſeque: *Scire cupit Guido Turrianus, cogites ne unquam in patriam redire.* Reſpondenti, *Cogito*, ſubjeciſſe: *Quando, aut quibus itineribus: iiſdem itineribus*, dixiſſe, *quibus exivi; & quando adverſarii mei ſcelera peccatis meis præponderaverint.* Irriſa quidem tunc hominis vox fuit, & ipſe ceu ſenex atque inops contemptui habitus: ſed verum vatem fuiſſe brevi exitus edocuit. Illud idem ſortitus, quod olim Romanus heros, quem è ſummo rerum culmine in extremam miſeriam dejectum, ac rurſus in ampliſſimam fortunam reſtitutum cum quiſpiam vidiſſet, dixit, *quis crederet C. Marium ſuper erepidinem, ſedentem, aut fuiſſe unquam, aut futurum Conſulem.* Nam per eadem tempora, cum ex cæde Alberti Romanorum Regis, quem Joannes Rodulphi fratris filius interemit, Cæſarei culminis nomen vacaſſet; & poſt longas Proecrum diſcordias, res tandem in Henrico, qui Lucemburgo oriundus, ſeptimus habetur hujus nominis Rex, ſediſſet: nova ſpe Matthæus erectus eſt; &, modo per quempiam nuncium Cæſaris ingenium tractare, ſibique conciliare poſſet, haud dubie meliora omnia poſthac futura cenſere? Igitur dum virum quærit, obvium habuit Franciſcum Garbagnatem, qui pariter Mediolano exul, vitam pro tempore docendo Jus Civile Patavii ſuſtentabat: *Et quando*, inquit, *Franciſce, calamitates noſtra finem habebunt? opes, honores, dignitatem omnem enim patria amiſimus; aliena in terra miſeri peregrinamur; inimici regnant; nobis inſultant, atque illudunt: de rebus noſtris penitus actum*

actum eſt ; niſi novi Cæſaris gratiam aucupemur : mittendus foret nuntius in Germaniam ; ſed ubi vir? unde opes viatico præbendo? Franciſcus ſuam & amicorum ſalutis opportunitatem agnovit, ultroque ſe obtulit, qui vel propria impenſa Legationem obiret, veſteſque & libros conficiendis pecuniis divendit; equos & comites à Riciardo Caminate Galeacius jure contractæ nuper affinitatis, & quæſivit, & impetravit. Sic honeſtus, ornatuſque Garbagnates Tridentinos ſaltus tranſit; Henricumque Matthæi Vicecomitis nomine ſalutat; cauſamque communem ita egit, ut & quantæ Gibellinorum vires fuerint, eſſentque, quæque ſtudia in Cæſarem forent: tum quantopere adventus ejus expectaretur ab iis, qui patria pulſi intolerandis injuriis obnoxii viverent, exponeret: & contra Guelphos quam illi hoſtes, & quanto in metu forent, doceret: nova eos fœdera inire; arma militeſque parare, ut venturos in Italiam Germanos finibus arcerent: nec tamen adeo magnam eorum potentiam eſſe, ut formidandi Cæſari forent. Nam & Mediolani Turrianos tantum, non ſolum popularibus ſuis inviſos, ſed etiam inter ſe diſcordes; & Papiæ Philipponum Languſcum haud multum in prælus felicem; & ſi quis præterea alius eſſet; Antonium Fiſiragam Laude ſupereſſe, qui aliquod nomen tueatur. Hæc eo plus fidei habuere, quod ad eam diem ex factione Guelpha nullus adhuc gratulatum, vel ſalutatum novum Cæſarem venerat. Miſſi deinde Oratores, qui diligentius res explorarent, eadem retulere. Et forte per id tempus alterum Guidonem Delphini Gallici filium, tunc in re militari clarum, & qui ſe antiqua ſtirpe Turrianorum genus contingere aſſerebat, Guido Mediolanenſis, cum cognationis opinione, tum quod Dux impiger conductitias catervas habebat, pacto ſtipendio ad ſe evocavit: ſimul Caſtonum Mediolani Archiepiſcopum, quod in expeditione Ferrarienſi grandi liberalitate à Pelagura acceptum, & arcana colloquia cum Galeacio Vicecomite habuiſſe compertiſſet, ſuſpectum habuit; eumque Kal. Octobris Paganumque, & Moſchinum, atque Adoardum fratres in Palatio Epiſcopali inopinantes, nilque tale metuentes comprehendi, detrudique in carceres juſſit; quos proxima nocte ſic diviſit, ut Caſtono Mediolani retento, cæteros Angleriam miſerit cuſtodiendos. Napinus, qui ſeptem fratrum penultimus erat, tunc forte aucupatum paulo longius ab urbe prodierat: hic audita ſuorum captivitate, fugam Adduam verſus molitus eſt, uno tantum miniſtro comitatus: ad cum retrahendum miſſus Leo Turrianus, Ciſnuſculi quidem vico, haud amplius ſeptem millibus paſſuum ab urbe diſtante, apprehendit: ſed implorantı auxilia, vimque ſibi inferri clamitanti adſtitere accolæ; ignarique cauſæ, cur tam nobili adoleſcenti manus injicerentur, illum à violentia & raptoris cupiditate ſervaverunt: ſic incolumis Tricium pervenit, cujus arci præerat Rainaldus fratrum quartus. Poſtero die Guido vocatis in concionem affinibus, & primoribus civitatis ſic verba fecit: *Arbitror vos omnes non mediocri admiratione heſterna die affectos fuiſſe, & nunc quoque affici, quod venerandi nominis homo Archiepiſcopus Mediolanenſis, ejuſque fratres fuerint in carceres conjecti: prorſus admiratione dignum facinus; quam tamen jam deponeretis, ſi intelexeritis, non tam me in eos gravius quidquam cogitaſſe; quam illos in me, in capita veſtra, in univerſam hanc civitatem ultima molites eſſe: paucis res nota eſt; quia adverſus Remp. & in perniciem Principum conſpirantes, nonniſi in arcano conſilia tractant. Sed de his noſtris ea jam clara ſunt; quod alter ipſorum Muſchinus filiam Othonis Comitis Curtis nova, qua unicuſſimi noſtri Matthæi Vicecomitis neptis eſt, uxorem duxit; & Napinus filiam Osborini Burri, cujus ſeror Matthæo nupta eſt, acceptâ, ſibique matrimonio junxit: hac jam vinculâ totidemque pignora cum inimicis noſtris junctâ merito eos nobis ſuſpectos facere poſſunt: ſed in tranſitu Parmæ, quæ collocutione cum Giberto Corrigio Archiepiſcopum putatis? nempe, ut Pagano fratri filia Matthæi Madii Brixienſium Tyranni tradatur: nam hujus ſororem domi nunc Gibertus habet: ubi vero apud Pelaguram fuit, cum amicis quidem noſtris palam verſatus eſt; ſed clam cum Galeacio Vicecomite communicaſſe ſermones compertum habeo, & item ejus fratres cum eodem Giberto, cum Madio, cum Manfredo Beccaria Placentinis, & plurimos alios conſtituiſſe bellum facere Burgo Domus, eo conſilio, ut me in auxilium ſocerorum proficiſcente, ipſi ex Brixianis accurrentes cum catervis ſuis, urbem Mediolanum invaderent, eaque capta me excluderent. Eodemque tempore Manfredus Beccaria Papiæ Philipponum Languſcum occideret. Quarum rerum indices & conſcius cum Papiæ detentus ſim, brevi fidem in lucem prodituram. Quare jam non ſolum deſineretis admirari omnes; ſed etiam grates Deo agerent, cujus benignitate & in univerſam patriam clementia detectum, antequam patratum facinus foret, & hoc felicitatis ſaculi adſcriberetur, quando alias (ut antiquo proverbio notum eſt) Principibus de conjuratione comperta non creditur, niſi occiſis: ſimulque cogitarent, qua pœna afficiendi proditores forent.*

Ea Oratione peracta, Tignaca Palavicinus, qui tunc urbis Prætor erat, & Jacobus Moguntiacus populi Capitaneus, complureſque alii primates interrogati ſententiarum, ſeu memoria patris, qui & ipſe aliquando urbi imperaverat, & præſentis reverentia Archiepiſcopi, ſeu quod fatores diſcordiarum inter affines ab optimo quoque ſemper improbati fuere, ſeu quod parum certa afferri arbitrabantur, in mitiorem partem inclinavere, & merita avi, patriſque eorum, tum univerſæ gentis Turrianæ decus in memoriam adducentes, Guidonem à ſeveriori judicio avertere. Tunc miſſus Abraminus Judex cum parte equitatus, qui Tricium recipere tentaret; & quia nihil verbis proficiebat, evocatis auxiliis ab amicis civitatibus, juſti exercitus ſpecies contracta eſt.

Interim Paganus Patavinus, audita rerum novitate, ex Venetia Mediolanum acceſſit, pacem inter affines procuraturus. Acceſſere quoque Philipponus Languſcus, Antonius Fiſiraga, Guilelmus Bruſatus, Simon Corrobianus, Venturinus Benzonus, bini Oratores à Como, Bergomoque, quorum opera & diligentia diu reluctantis Guidonis animus evictus eſt, atque in hunc modum res quarto Kal. Novembris compoſita: *Caſtonus Archiepiſcopus liber eſto: itaque extra fines Mediolanenſes, qui deſignabuntur: interdicto Apoſtolico adverſus Guidonem, aut civitatem Mediolanenſem non utitur, neque impedito, quo minus præteritis abſolutio a Romano Pontifice impetretur; aliudve quidquam quod Guidoni, vel civitati moleſtiam afferat, curato: arcem Tricii Rainaldus & Napinus dedunto.* Sic & hi dedita arce Bergomum cum rebus ſuis, atque inde Patavium migravere; & dimiſſis aliis, Caſtonus Laudem primum, inde, deducente Fiſiraga, Bononiam ad Pelaguram conceſſit: ubi non ita multo poſt curavit, contra quam pollicitus fuerat, interdicta inſtaurari, efferam rabiem, ſacrilegamque temeritatem Guidonis, univerſæque ſtirpis ejus, qui manus in amplulſimum ſacerdotem injeciſſent, merita ignominia puniri: mandavit Pelagura vicinarum civitatum Epiſcopis, ut Guidonem, & duos filios, & quicumque opem, conſiliumque profano propoſito ejus dediſſent, ab aris, ſacris, templiſque & Chriſtianis cæremoniis excluderent: non ſunt auſi religioſi Patres adire ſævos homines, & apud quos non ſolum polluta, ſed plane afflicta religio videbatur. Nam & publicatio bonorum, vinculaque & cruciatus iis intentabantur, ſi qui litteras & mandata infeſta in concione recitarent: ſatis ergo ſecille mandatis viſi ſunt, ubi id Comi, Novariæ, Bergomi, & in adja-

adjacentibus oppidis, viciſque peregere. Sic diris ſempiternis & horrendis exſecrationibus obligati Turrani fuere; atque exinde labi res eorum cœpere. Interim tamen Guido varia opera ædificando, ægras mentes leniebat: arcem Montorphani, quam Matthæus Vicecomes ſubverterat, inſtauravit. Mediolani vero in dextera fori parte atrium fecit, quod duodecim appellationem à numero virorum, qui negotii publici curatores eo conveniunt, tenuit.

Cæterum in Parmenſi agro circa Donini oppidum bellum durabat. Patria pulſi eo ſe receperant, tantis opibus muniverant, ut vel ab incurſu boſtium tuti, quantamlibet eorum vim excipere poſſent, cives adverſus eos exercitum decrevere: auxiliaque implorata à Rhegio, Mutina, Mantua, Brixia, Verona: quæ poſteaquam convenere Kal. Octobris, turrim & templum oppidi aggreſſi, non ſine labore expugnaverunt; captuſque ibi fuit Paulus Aldigerius, & in carcerem cum ſexdecim aliis ductus, cæteri ferro cæſi: ſupererat pars altera oppidi foſſa valloque cincta; quæ dum longiorem ſuſtinet obſidionem, ſupervenit Papinianus Parmenſis urbis Epiſcopus; qui cum iuſta prudentia, tum majeſtate ſacerdotii partes ad pacem hortatus, ſuſpendi arma, parcique injuriis curavit: compoſitionis arbitri delecti Matthæus Folianeus, Gulielmus Canoſſi. Jam derelictis cuſtodiis negligentius omnia in caſtris, pars militum, ac ſi certa pax foret, domum abire: quod conſpicati Burgenſes, eruptione facta magnum tumultum fecere, & direptis impedimentis, quæ auferri poterant, ſuſtulere, reliquis ignem ſubjecere. Ex quo irritatis boſtium animis, rurſus pene bellum redditum eſt. Intercedens hiems iras cohibuit, & demum Idibus Feb. anni MCCCX. pacem arbitri pronunciavere: qua & exules in patriam antiquam & bona reſtituendos, & captivos ex vinculis dimittendos cenſebant: ſed cum id plurimis civium non placeret, denuo perturbata omnia ſunt.

A.C. 1310.

Inter hæc Ferrariæ Lamberti, & Salinguerra Junior, à priſco fortaſſe illo, qui ſub Friderico ſecundo floruit, originem, & ſanguinis, & ſatus ducens, de occupanda urbe conſilium iniverunt; & repentino impetu forum, Palatiumque occuparunt, injectoque igni domibus, ædes Marchionum Eſtenſium corruperunt, & ejectis qui Pontificis Romani nomine Magiſtratus profitebantur, imperium urbis ſibi vindicarunt: ſed continuo Franciſcus & Aldebrandinus fratres, accerſitis à Bononis auxiliis, terra Padoque illos cinxerunt, nec ita multo poſt urbe fugarunt. Ipſi vero ingreſſi per iram & ulciſcendi cupiditatem ſic omnium upes nullo diſcrimine prædati ſunt, ut ne ſacris quidem ædibus abſtinuerint, ſtupriſque & cædibus nullus pene modus fuerit. Bononienſes in primis ea præda ditati abiere.

Per id tempus Placentini data exulibus pace, eis reditum in patriam conceſſere; Prætoreſque recepere Baſſianum, & fratres Fiſiragas nobiles Laudenſes. Nec ita multo poſt raptis undique armis, impetus ad ædes Alberti Scotti factus, quem cum inermem & improviſum deprehenderint, facile dominio circumverterunt, ac urbe ipſa ejecere. Tunc Cremonenſes auctoribus Cavalcabobus, claſſem in Pado armaverunt, & vocatis in auxilium Papienſibus, ac nonnullis Mediolano oriundis, Guaſtallam navigaverunt, & locum per ſe natura munitum foſſis, mœnibuſque, quamquam multum adverſante Giberto Corrigio, cinxere; qui ita demum peragi opus permiſit, ne eo, veluti quodam aſylo, & exulum ſuorum receptaculo uterentur. Mutinenſes vero arcem Marſiliæ, quam Saxolus exul ſuus, adjuvantibus Rhegienſibus, condiderat, everterunt.

Apud Genuenſes quoque non diuturna fuit Opicini Spinulæ Præfectura: namque Grimaldi, Auriæ, & Fliſci, exercitu in ſuburbanis locis contracto, diſcrimen dignitatis, ſalutiſque deſcendere cum coegerunt. Egreſſus namque urbe Opicinus, cum equitibus quingentis & peditibus ferè decem millibus prælium conſeruit: quo, & Prætor urbis cecidit, & ipſe penitus ſuſus, fugatuſque eſt: ex fuga Gavium, & in finitima Montiferrato loca ſe contulit: unde ſollicitato Marchione, Montaldum obſedit. Inde Vultabium deprædatus ſolo æquavit; & Genuam ipſam repetere auſus, ad Arenam uſque Petri devenit: cumque civibus magnum terrorem feciſſet, neque tamen ſubigere eos poſſet, acceptis quadraginta millibus librarum Genuenſis monetæ, receſſit.

Dum hæc in Italia agitantur, ſupervenere ex Germania Legati nunciantes Henricum Cæſarem, eum ſus ſponte, & pro vetere inſtituto, tum ut Clementi Pontifici pareret, cujus animum per alios Oratores exploraverat, propediem affuturum: proinde parare populi, Principeſque commeatus abunde, cæteraque Cæſaribus præſtari ſolita; atque in primis depoſitis odiis, injuriarumque obliti civilia arma ſuſpenderent; exules in gratiam reciperent; quantumque fieri poſſet, ereptis bonis redintegrarent: id Cæſarem velle, qui cupit Italis quietem reddere: hortari, ut id ſponte agerent, quo majorem obſequendi voluntatem in eis Henricus agnoſcat. Rolandinus meus ſcribit Patavinos, qui in primo Italiæ limine adventantibus occurrerunt, reſpondiſſe, civitatem ſuam Dei benignitate ſolida pace jam diu frui; à bonis, prudentibuſque viris gubernari; nihilque cauſſæ apud ſuos perſpicere, cur tanti nominis Rex ad ſe declinet, apud quos nulli hominum generi tuto vivere liceat. Parmenſes omnia ſe facturos libenter, officioſeque polliciti ſunt, quæ ad honorandum Cæſarem pertinerent; muneribuſque Legatos ipſos amplexi ſunt: cum Etruriam adſcendiſſent, à cæteris civitatibus æqua reſponſa retulerunt: ſoli Florentini dixiſſe feruntur, non convenire ei Principi, qui pacem & otium Italiæ promitteret, cum Barbarorum exercitu accedere, & tunc, cum adeſſet, de recipiendis exulibus agi poſſe: nec convenire liberari Aretinos, niſi hi Guelphos reciperent, qui in tutelam Florentini nominis ſeſe tradiderant: neque id diſplicere Cæſari debere, quando id ejus votum, ea profeſſio ſit, ut patris fugati in propria reſtituantur: ut ſuperbum ac impudens reſponſum hoc in quadam epiſtola Dantes reprehendit, & Florentinos homines, aliàs non improvidos, hoc loco cœcos appellat. Nam non ita multo poſt Tarlati, quæ gens tunc Aretii rerum poticbatur, ſpe venturi Cæſaris adeo erecti animis ſunt, ut collectis, quas potuerunt, viribus, hoſtiles copias finibus cedere coegerint.

Mediolani vero longior, & eo gravior conſultatio fuit. Res Turriana haud dubie vocari in diſcrimen videbatur, ſi, quod Epiſcopus Conſtantienſis (is erat Legatorum Princeps) petebat, intra urbem Henricus reciperetur: nam, & compertum erat, quanti is Vicecomitem faceret; & ſi fugati urbe introducerentur, quamvis ex longo exilio attritæ, imminutæque eorum vires forent, tamen ex ſtudio ulciſcendi veteres injurias, haud temperaturos à novis conſiliis augurabantur: talibus curis agitatus Guido, vicinarum urbium Proceres accerſit; & habito conſilio, quæ novis circumferantur, quæque animum angant, proponit. Philipponus Languſcus, quam difficile fuerit non obſequi Cæſari exponit; tum quanta, & quam multa in gentem ſuam à Cæſaribus beneficia collata ſuiſſent, commemorat; quæ dum longiori ſermone exſequitur, ſuſpectum ſe ſociis reddidit: quare cum parum communi libertati conſulere videretur, atque aliis aliſentirent, Guido inter pugnantes ſententias, contrariſque voluntates, modo bunc, modo illum intuens: *Quid hoc rei*, inquit, *eſt, ut privata tantum commoditati indulgeatis, in publicum, in commune, in medium nemo conſulat? diſcordia veſtra, ni fallor, nunquam falſus vates ſim, rem perdet, qui in tanto diſcrimine ſolita prudentia carere videmini, & jam mutatis ſtudiis, alteri fortunæ fa-*

sore. Duo deinde religiosi per speciem gratulationis in Germaniam proficiscentur, re vera Henrici voluntatem, viresque exploraturi, eumque hortaturi, ut æquus omnibus veniret, nulli spem, aut causam novandarum rerum præberet: esse enim nonnullos, qui præoccupare animum ejus, gratiamque inire studeant, ut ex illius opinione viam ad regnum inter suos comparent: non patiatur Henricus Longobardorum quemquam, duobus exceptis Turriano & Langusco, se amicum suum profiteri: id si fecerit, incredibilem eum voluptatem apud populos & reverentiam erga se inventurum.

Cæterum Henricus, dum ea parat, quæ venturo in Italiam necessaria erant, domesticas opes, quæ permediocres erant, nobilissima affinitate & spe opulenti regni firmavit. Erat Vincislaus Rex Boemiæ eo ætatis provectus, ut cum unicam filiam Elisabetam haberet, nullam prolem virilem susceperus videretur. Hæc Joanni Henrici primogenito despondetur, ea conditione inter parentes firmata, ut Lucemburgensia Juvenis Regnum Boemorum dotis nomine sortiretur, quando masculæ prole Vincislaus careret. Quæ rerum accessione novo Cæsari facta, territi admodum sunt, maximeque agitare negotia cœperunt Itali Proceres, qui diversa studia fovebant. Itaque ad Roberti Apuliæ Regis opes animum adjecere. Is alioquin Guelphæ factioni addictus, paulo ante paterna Regna revisens, in Galliam Narbonensem navigaverat; Clementem Pontificem religiose adeundo salutaverat; quæ pater & avus in Italia possederant, confirmari sibi curaverat. Hunc igitur, ut quamprimum cis Alpes rediret, orant; & spe ingentium præmiorum onerant. Urbem quoque Genuam se traditurum pollicitus est Opicinus Spinula, qua nihil opportunius ejus rebus tuendis accidere poterat. Robertus his allectus in Salustos descendit; statimque ei paruere Monsvici, Savillianum, Clarascum, Alba Pompeja; non paucaque alia ejus regionis oppida. Quibus exterritus Philippus Achajæ Princeps, veritusque ne Astenses quoque, quibus ipse, ut supra docuimus, imperabat, ei se dederent, cives in concionem vocavit, expositusque quæ sua cum duobus Carolis avo patreque inimicitiæ fuissent, easdemque cum Roberto filio durare: hortari, monereque, ne se omnino Roberto Regi dederent, ne jugum ejus Cæsareo anteponerent: Cæsarem ipsum proximis Kal. Septembris affuturum, atque omnia non sine pernicie eorum, qui diversas partes sectarentur, immutaturum. Eadem jam vulgo prædicaverant Legati Cæsarei: quorum tres tunc in Astensi urbe erant, duo Episcopi Giraldus Basilecnsis, alter Constantiensi præerat Ecclesiæ, tertius nominabatur Alvisius Sabaudianus. Responsum benigne Legatis Philippoque est, Astenses in Cæsaris jure atque imperio semper futuros. Tunc abeuntes Legati Cæsarei Cunæum petunt: ubi Robertum convenere, & apta tempori, præsentibusque rebus necessaria allocuti ad littus Ligusticum pergrediuntur, ac Savonæ, Genuæque adventu Cæsaris nunciato, Pisas abiere. Quibus recedentibus Robertus Albam venit. Hue Astenses octo Oratores ex communi consilio delectos mittere decreverunt, qui fœdus & societatem cum eo inirent: sed bis Philippus, si ad Regem irent, aut de jungenda societate verba facerent, gravia minatur. Cæteris ea denuntiatione deterritis, tres ex Consulibus (quatuor enim Remp. tunc administrabant) scituros profecti sunt, Bonifacius Pavarinus, Sinibaldus Solerius, & Carnotus. Hi Albam profecti benigne, blandeque à Roberto excipiuntur, quos etiam mensa dignatus sæpe est, illud identidem in conviviis jactans, Astenses homines inter homines Longobardos caros sibi esse, & eorum amicitiam ac societatem in primis cupere: tunc Consules peritos Juris domo accersere, quorum consilio fœdera scriberentur: sed hi metu & denuntiatione Philippi, digredi urbe ausi non sunt. Quare cum Consulibus his fere conditionibus fœdera ineuntur, ut Robertus Astensium omne nomen in tutelam, protectionemque reciperet, iis, qui domi essent, adversus exulum injurias opem subministraret. Astenses vero Regi, heredibusque, centum marchas argenti quotannis dependerent.

Quibus sic constitutis, Rex quinto Idus Augusti cum Regina, quæ inter ejus ætatis mulieres speciosissima judicabatur, & quingentis equitibus armatis Astam venit. Nihil à civibus prætermissum est, quod ei ad honorem exhibendum præstari potuerit: hospitium ei in Minorum ædibus fuit: ubi & posteadie cives ipse magnifico epulo excepit, in quo nulli discumbentium nisi argenteo vase dapes appositæ sunt, multis aureo poculo vina propinabantur.

Quatriduum in Asta moratus Robertus, cum satis sibi conciliatos civium animos existimaret, Alexandriam petit: quam urbem consentientibus utriusque factionis civibus, sine labore recepit, eamque cum cæteris ejus tractus, seu ditionis populis curandam Hugoni Bautio dedit: ipse recta per Æmiliam viam iter Romam versus init.

Interim Henrici ex Germania moventis fama increbrescebat: populi futurarum rerum varios sermones inter se conferebant. Veritus Hugo, ne adversus Regem Alexandrini conjurarent, populum in concionem vocat: habita oratione tempori congrua, petit arces sibi, ut præsidio Regis custodiantur, tradi: sic enim cunctos, etiam si qui alienam mentem haberent, in officio mansuros, & Regem pecuniam abunde eorum defensioni collaturum. Hic murmurare nonnulli, defixisque in terram oculis, quid sibi talis sermo vellet, cogitare: tum aperte Præsidi contradicere, quasi hac arte non quies domestica, sed perpetua servitus sibi quæreretur. Nam diversæ factionis principes non solum arces, sed portas urbis penes Baucium ponendas esse palam annuebant. Hinc orto tumultu, Regius Præfectus exilium, publicationemque bonorum, ac mortem ipsam iis comminari, qui dicto obedientes non forent. Gulielmus Inviciatus Præfectus populi Alexandrini, ubi vidit multorum animos ad Hugonem inclinare, è concione abiit: cum eo Lanciavegiæ, cæterique fere Gibellini collectis, quæ auferri poterant, in propinquos vicos & vicina oppida, in quibus factio sua prævaleret, concessere: hostilia omnia adversus eos, qui domi manserant, moliturі.

Cum Bononam Robertus perveniset, à Pelagura Cardinale accipit Ferrariam, sic regendam, ut urbis Dominium penes Pontificem foret: eque Diegum Hispanum cognomento Ratum, cujus opes in Beneventanis non mediocres erant, cum cohorte præfecit. Dum autem per Etruriam Robertus transit, multorum animos præsentia sua recreavit, novaque fœdera fecit, pollicitus valida præsidia adversus omnem hostium incursum: propterea quod non mediocriter metuebantur exules, quorum magna copia ad Henricum confluebat: eidem consociati Florentini etiam supra facultates militiam conduxere: & missis Legatis non solum Longobardos, sed etiam Venetos, ut secum contra novum Cæsarem conspirarent, sollicitavere: sed nihil cum Venetis confectum, qui domesticis armis perturbati, & detecta nuper conspiratione Teupolorum & Quirinorum pericitati, ex usu sao non videbant, Henricum nova societate irata provocare, à quo jam præmissi duo fratres Valarandus copiarum ductor, & Balduinus Archiepiscopus Trevirensis, Theobaldus Legiensis, & Amon Gebenensis Episcopi, nec non Guido Comes Flandriæ, Otho Dux Brunsvicensis, Hugo Delphinus cum militaribus copiis, ad era millia equitum erant, jam Italiæ appropinquabant.

TRI-

TRISTANI CALCHI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XX.

EPITOME.

Henricus VII. Julis Alpibus superatis, Segusione Italiæ adito Romani Pontificis Vicario more majorum fidem & avita Religionis patrocinium vovet: & a plerisque Longobardis Proceribus, civitatumque Oratoribus salutatus, Astam ingreditur; ubi Matthæum Vicecomitem, & Castonum Turrianum Mediolani Archiepiscopum humaniter exceptos, certis amicitiæ ac societatis legibus conjungit. Jam non suo tantum milite, sed Italorum quoque Principum magno comitatu stipatus Mediolanum movet; ibique Guidonem in ordinem redacto, discordesque inter Vicecomites ac Turrianos sedatis, amicitia denuoque colenda leges præscribo. Ingentem deinde pecuniam exigit, cen presumpacate civitatis: & Longobardorum Regum corona insignitus, ducentorum equitum coptatione beneficium remoritur. Verum Turrianis ac Vicecomitibus pariter conjurantibus, his vero mox periculi magnitudine, veteresque Turrianorum odio Cæsarianis se adjungentibus, Turriam, reliquasque Guelphi urbe tota eadantur, ac compilantur: qui vero Germanorum furori superfuerant Turrianorum principes alii alio relegati. Matthæus quoque & Galeacius ad ejus fallis invidiam mitigandam urbe tamisper decedere jussi, mox tanquam ab exilio revocantur. Inter hæc Landenses per Legatos deditionem Cæsari faciunt, & tamen missos ab eo, qui possessionem ingrent, urbis ingressu prohibent: sed denuntiato Legatis supplicio, fidem præstant. Cremenses sine mora eidem se, suaque permittunt: Cremona aliquandiu cunctata, militum avaritia, libidinique deditur; pecuniaque insuper & jurisdictione mulctatur. Brixia post diuturnam, nec incruentam obsidionem capta exuitur mœnibus. Ab hac victoria Cæsar Mediolani quidem procuratione Matthæo Vicecomite, Novaria autem ac Vercellarum Philippo Sabaudo nomine Vicarii relicta, Genuam ducit; ibique honorifice exceptus, civitati sacramento fides sibi viritim obligate Vicarium designat: tum Flaminia, Etruriæque civitatibus in Roberti Apulia Regis clientelam se tradentibus, Mediolanensium civium, quos obsidum loco apud se habebat, pleroque comperta fide, cum honore ac dignitate remittit in patriam: & Papiæ, Novariæque administratione Philippo abrogata, Pisas navigaturus Guernerium Augergensem Longobardia præficit: qui Longobardis a Cæsare deficientibus, & Cremona a Giberto Corrigio, ab Alberto Scotto Placentia occupatis, Matthæum Vicecomitem in socium ac consortem gubernationis adsciscit: eodemque Duce Papiensibus ac Vercellensibus bellum infert, quod una cum Astensibus palam a Roberto jam stabant, ejus Procuratore admisso. Inter hæc Henricus Florentinorum Senensiumque præsidiis itinerum obscuritate detusis, Romæ adest, & a Legatis Pontificis Imperii nomen & insignia accipit, Joanne Roberti Regis fratre nequidquam intercedente. Inde Florentinos bello premit, Robertum Regem frustra implorantes; quod cum Fridericus Sicilia Rex, & ab Henrico immissu Gennensium, & Pisanorum classes aliena curare minime patiantur: quin etiam ab Henrico Neapolitano, Apuliæque Regni exsors pronunciatur. Sed Henricum magna agitantem contractus in castris morbus fortuna subduxit.

B

HENRICVS autem per id tempus Alpes Julias transgressus Segusionem venit. Hic Joannes Miolanus Tulensis Ecclesiæ scholasticus occurrit, atque Clementis nomine eum in ea jurare, quæ introeuntes in Italiam Cæsares solent, adegit: ut Romanæ Ecclesiæ dedititium se profiteretur, Catholicam fidem pure & reverenter coleret; majestatem Pontificiam defenderet; prave de religione sentientes, quosque hæreseos Pontifex damnaverit, bello & armis insectetur, sœdus, amicitiam, vel affinitatem cum eo, qui sit religione dispar, quivè armis & injuriis Christianum nomen vexet, non contracturum: plura alia in formula descripta sunt, quæ omittisse nullum historiæ detrimentum fuerit. In ea omnia Henricus libens, volensque juravit.

C

Interea ad eum accessere ex Cisalpina regione ii fere omnes, qui opibus & potentatu pollebant; inter quos præcipue eminebant Amadeus Comes Sabaudiæ, Philippus ejus nepos, Philipponus Languscus, Antonius Fisiraga, Thibaldus Brusatus Brixia profugus, Oratores Romanæ civitatis, Pisani, qui centum equites adduxerant. Asta quoque, quamvis paulo ante in Roberti verba jurasset, xii primores cives misit, qui urbem in Cæsaris potestate futuram docerent. Eporedienses vero primi fuere, qui se, suaque Henrico subjecere.

D

Ex Segusione movens Henricus Taurinum venit; inde Cherium, mox Astam, quam quarto Idus Novembris ingressus est: reduxitque gentem à Castello cognominatam, quæ aliquot annos pulsa domo exulaverat. Id Solariensi pergrave fuit: sed resistendi Cæsari facultas non erat. Cæterum petente Henrico eandem fidem ab oppidanis, & sacramentum, quod majores Germanis Cæsaribus præstiterant, creantur duo viri civitatis procuratores Philippus Viallus, & Benedictus Pelleta, qui communi nomine omnia conficerent. Andreas Garetus jubente Cæsare cuncta peregit. Sed postero die Nicolaus Salimbenus patria Senensis, ex suggestu verba faciens, dixit, non satis esse ad justam deditionem, quod pauci publicum consensum professi fuissent; oportereque universos Astenses se, & sua Henrico dedere. Respondit quidam ex infima plebe, æquum esse, ut rerum omnium arbitrium Cæsari permittatur. Tunc Nicolaus subjunxit. Quibus Gulielmi Vaji responsum placet, ii stantes; qui vero contra sentiunt, sedentes votum suum significent: nam in tanta turba perdifficilè & indecorum videbatur singulorum suffragia scrutari. Tunc fremuere multi, & tumultu orto contrariæ voces exauditæ sunt: clamare alii, *fiat deditio, obsequamur Regi*; alii palam reclamare: nihilominus id pro publico consensu recipi, ac in tabulas suas redigi Henricus jussit. Præfecit deinde urbi Nicolaum Bonsignoriom, arcesque & castella peregrino præsidio firmavit, & Astensium impensa custodiri mandavit. Tum novis legibus populus adstrictus, & pecunia pro libito imperata, atque acerbe exacta. Hinc querelæ in omni cœtu, foro, templisque fieri; quasi omnia alia in adventu Cæsaris exspectarent, quam

E

F

ut tali tributo gravarentur. Et Nicolaus Præſes veritus, ne ſi crebri cives ſæpius conviſſent, nova conſilia caperent, edicto vetuit, ne plus, quam tres, quatuorve viri in unum locum convenirent.

Inter hæc Matthæus quoque Vicecomes per invia, per adverſa, & ab inimicis etiam cuſtodita loca uno puero cõmitatus, & vili amictu circumtectus, ex Venetiæ urbibus, ad Aſtenſem urbem pervenit: protinuſque convento Franciſco Garbagnate, duci ſead Cæſaris cubiculum juſſit; & quam vis intempeſta nox foret, introducitur. Ubi in conſpectum Regis Matthæus venit, aperto capite, rejecta in tergum penula: *Salve rerum ſalus, ſalve perſiclitantium ſpes, & columen*, inquit, *& qui ejectos & exules in patriam reduxi, bonis redintegratis, cum inimicis reconciliasti: oſculor tandem, ampleſtorque illius pedes* (nam ad genua procumbebat) *qui opem feſſis, exhauſtiſque attuli*; tum pauca pro communi cauſa locutus, in hoſpitium abiit. Continuo nuncii curſitantes per Gibellinorum domos & hoſpitia, adveniſſe Matthæum Vicecomitem memorant. Ubi illuxit dies, ad ejus ædes totis viis concurritur. Læti ſalutant, domo educunt, progredientem in publicum ſectantur. Jam centum equites Gibellini nominis, qui ductore utebantur Riciardo Ticiono, illi occurrunt, venerantur, ſuſcipiunt, & lacrymas præ gaudio non tenentes, in Regias ædes deducunt. Germani Proceres juxta & Itali homines admirari, atque obſtupeſcere tam frequentem concurſum, & veluti monſtrum apparuiſſe Regi nunciant, ad quod ſpectaculum tam cives, quam peregrini confluerent. Henricus, cui Matthæi adventus notos erat, ſubriſit. Antonius vero Fiſiraga ſtudio & multitudine deducentium, tum ſermone aulicorum perculſus, expavit mirabiliter, & impos doloris, quem invidia faciebat: *Hic*, inquit, *ô Cæſar, de quo nunc tanta dicuntur, Longobardorum olim peſtis fuit, factiones exeitavit, odia inter populares auxit, civitates gravi detrimento tyrannis affecit*. Sed Matthæus ad Regem introductus, illum reverentiſſime ſalutat: haud longe ab ejus latere Philipponus ſtabat: hunc Matthæus extenſis brachiis amplexurus fuit; ſed in contrariam ille ſeſe partem avertit: nihilo tamen ſecus Matthæus refugientis latus complectitur; *Et jam tempus*, inquit, *eſt, finem iræ, injuriſque facere, anteactorum malorum obliviſci, & in pace communm utilitati inſervire. Quid enim in tanti Regis conſpectu, qui pacificator omnibus advenit, cogitare aliud debemus, niſi ut ſimultate omni abjecta, manus ejus amplectamur*. Humiles Matthæi voces Fiſiraga procaci ſermone inceſſit: quo cum Matthæi mite ingenium nihil perturbaretur; Henricus ſubridens ait: *Certe jam dimidia pax eſt inter vos conciliata, jam integram conficiemus*. Sed abnuerunt Languſcus & Fiſiraga contumeliosis & gravibus verbis non abſtinentes. Ex eo Matthæus prudentiæ & civilioris animi commendari apud Henricum meruit, ac inter omnes Longobardos præcipuum poſtea locum ſortitus eſt.

Inter hæc Caſtonus Turrianus Mediolani Archiepiſcopus, & Napinus frater Aſtam venerunt, ulturi quacumque via carcerem, ereptas opes, exilium, reliquaſque inſignes contumelias, quas à Guidone acceperunt: nec deſuere, qui fœdus & amicitiam Matthæi Vicecomitis ſuaderent. Quod cum maxime optabile ſibi fore Caſtonus oſtendiſſet; brevi ſocietas conflata eſt: & quo firmior foret, certiorique fide quiſque ageret, has conditiones arbitro Cæſare conſcripſere: Rapinas, damna, cædes, tum quidquid detrimenti & injuriæ ſuſtinuere, ſiba invicem condonavere, atque aboleri oblivione juſſere: bona fide, ſine fraude in mutuam gratiam redeuntes, ſi quid in poſterum diſcordiæ inciderit, arbitrium ejus decidendæ penes Archiepiſcopum ſit: neque de cætero Matthæus quidquam moliatur, & tentet adverſus præſentem ſtatum rerum, Mediolani, Papiæ, Laudis, Cremonæ, Bergomi, Cremæ, Comi, Novariæ, Vercellarum & Derthonæ, niſi conſulto & annuente Archiepiſcopo: ſi qui in amicitiam Archiepiſcopi venerint, eos Vicecomes tueatur, & colat. Hæc & multa alia inter eos convenere, quæ integra tabula Merula exſecutus eſt; & ego, ne repetendo verboſior fiam, conſulto prætereo.

Quibus pridie Nonis Decembris peractis, Matthæus Henrico ſuadere cœpit, ut quamprimum Mediolanum peteret: idem ſuadebant Piſanorum Legati, qui ingentem vim pecuniæ, circiter videlicet aureorum nummorum triginta milliaattulerant, atque Henrico donaverant. Igitur poſtridie Idus ejuſdem menſis, Caſalem Montisferrati Metropolim petiere, ubi ampliter à Theodoro Marchione excipiuntur. Inde Vercellæ & Novaria petitæ: populi lætis libentiſſimiſque animis venientes accipiebant, obedienter quæcumque imperabantur facere, pro avorum conſuetudine, interpoſito jurejurando ſeſe deditiios profiteri, munera, reſque ad victum neceſſarias affatim exhibere. Dum Novariæ commoratur, pacem conciliavit inter diu pugnantes familias, Bruſatos, Caballacios, & Tornielos. Exſtat tabula publice confecta, qua dato, acceptoque oſculo amplecti ſe invicem, perpetuoque gratiam ſervare eos Cæſar jubet, exules domi reſtitutos priſtina bona poſſidere, oblitoſque injuriarum quieti ſtudere: nomina contrahentium & ſpondentium pro abſentibus ſunt Gulielmus, Bonifacius, Joannes, & Arondus Bruſati, Folquinus, Ruffinus, Rolandus Caballacii, Lanfrancus Bonipertus, Actius Capra, Francinus Grita, Gulielmus Brunamontus, Philippus Dotarius, Uvala, & Joannes Tornielli, Hugi Nobia, Arditius Barbavaria, & pauci quidam alii.

Inde Ticinum Cæſar trajecit: Mazentæ vico pernoctat poſtero die occurrente illi nobiles, quicumque in urbe remanſerant. Plebeji quoque vitendi ſtudio effuſi obviam ſunt. Guido Turrianus præmiſſis militaribus copiis, proſequentibus Oratoribus Florentinis, & longo amicorum, clientumque ordine, non minimum ſpatium ab urbe proceſſit; & ubi Aquilas & imperatoria ſigna ſupra caput vidit, parcere iræ non potuit, quin unum de manu ferentis raperet, ac humi ſterneret. Ante Guidonem Prætor urbis incedebat, ſceptrum Magiſtratus inſigne tenens: is Recuperatus Rivola genere Bergomenſis fuit. Hic baculum Cæſari in ſignum deditionis obtulit: acceptum Cæſar reſtituit, & nomine ſuo gerere Magiſtratum dehinc juſſit. Guido autem eidem appropinquans, ab equo deſcendit, pronuſque pedes oſculatur. Henricus hilari vultu eum excepit, dixitque: *Jam Guido adverſariis ignoſces, diſceſque ei parere, quem cunctis venerantur: veni, fidelis ſis, de cæteris rebus & concordia in civitate agetur*. Ita ad portam urbis, cui Vercellinæ nomen eſt, deveniunt. Juxta adequitabat Margarita Regina; ſequebanturque poſt prænominatos Heroas ac ſacerdotes Marchio Montisferrati, & Manfredus Saluciensis, & Gibertus Corrigius cum quatuor Oratoribus Parmenſibus, ac multa nobilitate adeo, ut agmen ducentûm equitum agerent. Cæterum Henrico hoſpitium in veteri palatio fuit; Regina in ædes Ambroſianas divertit. Et quamquam civitas à captivitate Archiepiſcopi expiata nondum foret, neque propterea liceret ſacris operari; Cæſar tamen privilegio ſuo nixus, die Natalis Domini ſolemne ſacrum in æde Divi Euſtorgii confici voluit: poſtridie in arca Ambroſiana Matthæus Vicecomes, Caſtonus Archiepiſcopus, Paganus Patavinus Antiſtes, aliique complures deditionem Henrico faciunt: affuit & Ubardus Thebanus Epiſcopus Prædicatoriæ Fraternitatis princeps, & Romani populi Oratores, & ab Genua Barnabos Auria Sardiniæ Inſulæ Dominus; quem ſequebantur quatuor & viginti civitatis Genuæ Oratores, purpureis omnes veſtibus irradiantes, & ingenti adminiſtrorum numero ſtipati. Fremebant interea ii, quibus grave erat exules rediiſſe in patriam; ſimulque vociferari cœperunt, non eſſe domi retinendos *Malexardos*, ſic enim tunc vulgo profugos vocabant. Tunc Henricos Matthæum ad ſe, Guidonemque vocat, adduci amicos

cos & cognatos jubet: quibus pacis & concordiæ leges ad hunc ferme modum dixit: *Ut præteritorum oblivi nullam posthac injuriarum mentionem facerent: in patriam reverterentur omnes, qui, cum de Regno certaretur, pulsi domo fuere; & sua vindicent, etiam ultra præscriptionis tempus; si quis offensa vel damni nomine refarciri sibi quicquam postulet, ex sententia, jussuque Cæsaris satisfiat; à cujus præscripto nemo unus recedat: qui contra ausus fuerit, mille librarum auri pœnam luito.* Has conditiones, nonoullaque alia minutius in formula præscripta amplexu, osculoque spectante Rege, utriusque familiæ principes confirmarunt. Redintegrata in hunc modum civitate, idem Recuperatus Prætor in consiliom vocat primores populi, de re frumentaria, Corona Cæsari danda, & pecunia cogenda refert: obmurmoravere multi, diversaqoe & absona censuere. Intercedit Prætor, & ut certa deponant, hortatur: sed discessere ex Curia viri, & ad arma discursum est. Tumultum Præfectus militiæ edicto sedavit. Heuricus ipse è suggestu templi paucis Mediolanensem populum allocutus est: post quem Astensis quidam subjunxit, *Legitimum Imperatorem esse Henricum, quem Germani Proceres delegerunt, & Romanus Pontifex confirmavit: proinde, & Regni Longobardorum insignia, coronamque ferream cum muneribus solitis dare eis oportere.* Ex ea concione Recuperatus Prætor Magistratu abdicatur, quem duobus diebus minus quatuor mensibus gessit. Ei suffectus Joannes Calcia, qui statim creari quatuor & viginti cives petiit, cum suprema potestate decernendi necessaria præsentibus negotiis: duodecim de plebe, & totidem Nobiles delecti, qui in consilium vocati, diem coronationis statuerunt solemnem Epiphania, & Magorum salutatione. De munere rogati, conticuere primum, longumque silentium tenuere. Demum in Gulielmum Pusterlam conjecti oculi sunt, qui opibus potens, moribus integer, procul omni ambitione vivebat: hunc rogant, palam dicat ipse, quid pecuniarum donandum Regi censeret; neminem ab ejus sententia discessurum. Tunc Pusterlæus absque præfatione, *Quinquaginta*, inquit, *millia aureorum dari censeo.* Assensere continoo omnes. Sed Matthæus subjunxit: *Numquid Reginam indonatam relinquemus? hanc decem millia adscribo.* Guido hoc ferre non potuit: & conquestus de ea voce, prorupit ex consilio, identidem obmurmurans, *Quin potius centum millia donemus, quando in exhaustâ civitate nemo publici commodi rationem habet.* Hæc quamquam per iram dicta forent; tamen quia major summa erat, eam Regius scriba excepit, & in acta retulit. Visi est hæc summa multitudini pergravis, quæ diutinis bellis & discordiis civilibus exhausta, ope potius juvari se, quam inexspectato tributo premi, æquum censebant: itaque obmurmurare totis vicis, & cum lacrymis, plena minarum verba jactari, denique de conjuratione plerique timere. Ac primo Mercatores, deinde Jureconsulti Cæsarem adire, rogareque ut inopis turbæ commisereretur, neque permitteret, ut adventus ejus, qui desideratus modo omnibus fuerat, lætitiamque asferre deberet, luctuosus cuiquam, aut invisus haberi posset. Multa quidem bis similia viri prudentes adduxere; sed surdis auribus fabulam, ut ajuot, decantabant: nihil enim profecere, perseverante Rege in ea, quæ semel scripta summa erat: redarguentibusque eos Fisci procuratoribus quasi ingratos & parum memores beneficii Cæsarei, qui patriam civili dissensione agitatam, ac pene absumptam, eo loci restituerit, ut jam quieta, & à profugorum, errabundorumque civium maleficiis tuta esse possit: quare omissis precibus intempestivis, excoderent argentum eo numero, cujus duplum aliàs externo, civilique bello dependisse eos constabat. Sub his delecti periti rei pecuniariæ viri, qui centum millia quamprimum exigerent.

A.C. 1158. Interim Kal. Jan. advenere anni undecimi supra mille & trecentum; cessitque propinqua dies Epiphaniæ coronationi Henrici destinata. Castonus Turrianus Mediolani Archiepiscopus in æde Ambrosiana solemne sacrum celebravit: convenit vero hominum turba innumerabilis, cum eorum qui officii causa aderant; tum eorum qui spectandæ rei numquam antea à se visæ, nec fortasse unquam in conspectum amplius venturæ, cupidi erant: nam præter peregrinos, Italosque Principes, quorum nomina supra retulimus, aderant quoque Oratores ex singulis Longobardorum civitatibus: præter quam Alexandria, & Alba, quæ in ditionem Roberti Regis cesserant. Peractis autem rite sacris, Archiepiscopus præfatus ea, quæ legitimam coronationem facerent, ac felicitatem Principi, Regnoque portenderent, ferream coronam Moguntia allatam, supra caput imposuit, sceptrumque tradidit. Ita Henricum Longobardorum Regem declaravit: tunc Reginam dextera tenens, quæ crinibus per terga solutis, & vinculo aureo decora conspiciebatur, ducentos ex adstantibus Proceribus equestri auro, militisque nobilitavit, ternasque eis vestes & singulos equos dono ferri jussit. In his primum locum tenuit Matthæus Vicecomes, quem calcaribus calceavere Maphæus Madius Brixiensis, & Gibertus Corrigius Parmensis: secundum eum Gulielmus Pusterlæus eadem ornamenta sortitus est.

Interea Moguntiaci, quos gratulatum venisse diximus, plerique querelam Cæsari porrexere, quasi vetusto honore fraudati ab eo fuissent, qui Mediolani potius quam Moguntiæ coronari voluerit, cum in æde Divi Joannis Baptistæ corona ipsa asservetur, certissimum argumentum coronationem ibi fieri debere. Eorum vanitatem, intempestivasque querimonias, etsi vetera exempla coarguebant; tamen Henricus Moguntiam profectus est, & visitata æde celeberrima, privilegia oppidanis confirmavit, quibus à jurisdictione Prætoris Mediolani eximuntur.

Cæterum Henricus timens, ne ob extortas pecunias quidam rebellionis consilia ineiret, sub specie officii primores utriusque factionis secum Romam ducere constituit: eorumque nominavit, in quibus Matthæus Vicecomes, & Galeacius filius, tum Ubertus Matthæi frater, & Lodrisius eorundem consanguineus; præterea Gulielmus Pusterlæus, Landulphus Burrus, & Cressonus Cribellus, qui etsi Turrianam nurum domi haberet, tamen propter patrem à Turriano interfectum ardens in vindictam erat. Tum ex Turriana familia Guido, & filii Paganus, & frater, aliique non pauci. Quod ubi divulgatum fuit, Galeacius Vicecomes, & Franciscbinus Guidonis Turriani filius extra portam Ticinensem in pratis non longe à Celsiano cœnobio convenere, & remotis arbitris longiorem sermonem habuere: tum dextras arctius adstringunt: quod signum fidei inviceni datæ circumstantes suspicati sunt, & ex gestu & verbis Franciscboi, qui quædam enunciavit, suspicio initæ coojorationis orta est: nam & Guido filio referenti quid secreto eum Galeacio tractasset, dixit: *Magna res consilia misti cum eo, cum cujus patre internecivа odia vobis sunt, & qui usu rerum longe plura te novit.*

Haud ita multo post rumor pulsavit aures Germanorum, armatos in domibus Nobilium clam, palamque haberi: quare equitatus Imperatorius per urbem discurrere cœpit, exploraturus, si quæ conjurationes forent: quos ubi ad se venire Matthæus audivit, quos ipse domi habebat, in penitiore ædium parte occultavit, strepitumque omnem silentio premere jussit: ipse in vestibulo cum paucis domestici ambulat: ioirogressi equites nihil armorum vident. Matthæus, quasi pacata omnia forent, placido vultu quid quærant, rogat, simulque afferri vinum jubet. Bene poti Germani continuo ad ædes Turrianorum pergunt: complures in armis offendunt. Pridie Idus Febr. id actum fuisse traditur; & post meridiem ad arma per vicos conclamatum; ingens tumultus excitatur: varii sermones jactabantur: quidam Vice-

comites & Turrianos conveniſſe in fœdera, conjunxiſſeque arma adverſus peregrinos milites, atque in excidium Germani Regis, & communia ſigna præ Turrianorum domibus viſa; alii patientem nimis fuiſſe populum dicebant, qui tantam rapinam ſuſtinuerit: alii, ut majorem turbam excitarent, perſancte jurabant, Galeacium Vicecomitem, & Franciſchinum Turrianum ante domos Turrianas ſeſe exoſculatos, atque in Germanorum cædem concordes eſſe. Itaque inquiunt, *Cur Barbaros non aggrediamur? quid hoc otioſi ſumus? deleatur omnino gens inſenſa, rapax, & infida.* Talibus vocibus etiam ſi qui medii ſtabant, ſumptis armis prodeunt, ſeque Turrianis applicant. Tunc Germani equites facto agmine in regionem portæ Novæ (illic ædes Turrianorum erant) contendunt: obſtat Turrianus, atque beneficio vici, tum multitudine armatorum, qui jam confluxerant, illorum impetum reprimebat, atque interim cædentes repellebat. Pugna acris facta eſt, nec pauci interfecti.

Interea Nobiles, qui falſis vocibus excitati Turriano ſe aggregaverant, eum nullum factionis ſuæ principem, nulla ſigna viderent, ſe deceptos rati, pugna abſtinuere, ac domum quiſque ſuam repetiere. Jam vero Germani pertranſiverant aream templi Sancti Fidelis, cui proximæ erant Turrianorum ædes: hic inſtaurato certamine multi cives fugitis confeiuntur; ac demum in fugam converſi, magnam occidionem paſſi ſunt. Franciſchinus & Simon Turriani de periculo ſe ſubtrahentes urbe cedunt: duo fratres Riciardus, & Philippus Petraſanctæ, qui arctiſſima propinquitate Archiepiſcopum & fratres contingebant, dum irruentem hoſtem ſuſtinere conantur, ſaluti ſuæ parum proſpexere. Philippus lethali vulnere transfixus, & ſemianimis exſpoliatur. Riciardus in Guidonis domum redit, *atque ea abeundum*, inquit, *nobis eſt: ſuccubuere noſtri; hoſtis omnia tenet; nec res reſtitui poteſt; ſola fuga ſervari poſſumus; nec tardandum eſt.* Nec plura locutus infirmum hominem è lecto ſuſtulit, vicinam maceriam tranſgreſſi, per hortum religioſarum mulierum in interiorem ædium partem penetrant; ubi cum parum toti eſſent, in aliam longius diſtantem domum ſe contulerunt. In hoc rerum turbine Matthæus relicto domi Galeacio cum amicorum manu, per porticum in propinquum Epiſcopi Tridentini hoſpitium tranſivit, atque ad Henricum deduci ſe curavit. Quo viſo Germani lætati conclamant Matthæum fidelem & Cæſari obſequentem eſſe. Rex quoque, *Peroptate*, inquit, *ades: Galeacius tuus ubi eſt? aiunt quidam tum cum Turriano arma conjunxiſſe, & noſtris pariter infeſtum eſſe; ſed cur in tam ſero venisti?* Ad hæc Matthæus, *Regum maxime, me tuo præſidio ſervatum, tuaque benignitate honoratum, ſi quid nunc ſum, profiteor: hoc idem ſentiunt, & prædicant, quos me ſequuntur: a te ſtamus, quidquid juſſeris facturi ſumus: ne dubites, quia niſi cum ingratiſſimo titulo atque ignominia recedere ab Imperio tuo non poſſum: citius ad te venire non potui, veritus ſtropitum & tela diſcurſantium militum, quibus ſatis notum me non conſidebam ita, ut tutus accederem, Epiſcopi præſidium imploravi.* Secundum Matthæi verba Epiſcopus affirmavit, illum apud ſe in initio certaminis fuiſſe: ita moræ cauſſa facile Regi probata eſt.

Interea Galeacius contra patris mandatum in publicum progreſſus, quoſcumque nobilitatis ſtudioſos convocat in aream, cui Piſcinæ nomen vulgo eſt: ingens turba eo ivit, & ex Ticinenſi maxime & Vercellina regione, quæ viſo Galeacio, ei ſeſe adjungit. In proximo loci, quem Curiam Ducis vocant, Germanorum cohortes ſtabant, haud ſatis certæ, quo ſe verterent, & quoſcumque in armis videbant, extimeſcentes. Forte aciem civium ſervabat Boſchinus Mantegatius, noper & ipſe ab exilio reverſus. Hic propius Germanos accedit, & ſublata galea amicum ſe eſſe oſtendit; tum propinquam aciem deditiorum Regis eſſe, & eis præeſſe Galeacium Vicecomitem, qui pro Henrico emoti poteſt, docet. Eo nuncio lætati Germani, ſtatim Galeacio conciliantur, & conſociatis armis, per vicos prædabundi diſcurſant. Turrianorum amici proditos ſe à Vicecomite, qui in conciliatione datam fidem non ſervaſſet, clamabant: ſed illorum domus diripiuntur: permulti quoque obtruncati fuere, pernicioſa factionum vocabula tunc crebrius jactata ſunt. Gibellini à Vicecomite ſtare dicebantur: Guelphos vero diverſis partes, & Cæſari inſenſas tueri ajebant. Jam verò à Curia Ducis in eum campum, quem quia antiqua porta civitatis ibi olim fuit, Pontem veterem vocant; indeque ad portam Comenſem pervenerunt, eamque, ne ab adverſariis occuparetur, cuſtodiendam tradunt Creſſono Cribello. Nam in proximo extramurario cœnobio D. Simpliciani Dux Auſtriæ fortitus hoſpitium erat, eumque foſſa & muro à ſe intereluſum haberi minime è re præſentis negotii eſſe exiſtimabant. Eodem mox profectus Galeacius, quingentos equites introduxit, ſublataque tunc vox Guelphos penitus perdendos eſſe: excipientes verbum Germani gladios ſtringunt, multiſque cædem minitantes, in prælium ruunt. Galeacius tamen ſocios admonebat, ut eivea ſervarentur; ſed jam ad Turrianorum ædes agmina pervenerant: cæſorumque & humi jacentium cadavera complura offendunt: para magna fugiendo ſubtracta erat. Germani domos ingreſſi, quoſcumque obvios trucidant, alios ſpoliant: neque ſolum Turrianorum bona direpta fuere, ſed eorum quoque, qui quamvis procul à ſtudiis partium, & à certamine eſſent, propinquas tamen domos habuere; inter quos Segazom ſignanter nominantur, qui lanificiæ dediti magnas opes quæſiverant. Jure belli omnia eſſe ſua prædones dicitabant.

Interim Guidonia domus ſoccenſa fuit. Patavinus Epiſcopus Paganus clamore pugnantium attonitus ſacerdotales amictus indoerat, & Paſtoralem Lituum tenens, ante Zonfredi Turriani ædes conſtiterat, qui ambo à ſeditione civili averſi ſemper fuerant. Aderant & Gibellini nominis nonnulli, ut ſua præſentia eos, eorumque opes incolumes redderent: ſed nec venerandus ornatus, nec interceſſio amicorum præſtare tutos ab injuria potuit: irrumpens Barbarus, equos, veſtes, pretioſa, & ſacra omnia diripuit. Caſtonus autem Archiepiſcopus, & tres fratres primo ſtarim motu à Cæſare vocati, ad eum iverant; & interrogati quid, aut unde hic tumultus foret, eum ſe ignoraſſe reſpondiſſent, haud inviti apud eum manſere.

Interea Matthæus permittente Henrico domum reverſus, equum conſcendit, atque in eas ſertur regiones, ubi tumultos major audiebatur; tam cives quam peregrinos, ut à præda & cædibus abſtineant, hortari & rogare. Sed Barbari allecti duleedine prædæ in diripiendis promiſcue bonis perſeveraruut, ſpoliabanturque tam qui majeſtatem Imperatoriam colebant, ſeque ab omni novitate contipebant, quam qui in Cæſarem conſpiraverant. Sex dies ſic continuatum: nec in urbe tantum id malum fuit, ſed in ſuburbanos vicos, & urbi propinqua oppida erupit. Univerſalis erat ferri licentia, & pro hominum libidine atque avaritia omnia miſcebantur; acceptaſque injurias & damna unuſquiſque vel emendabat, vel inimico reponebat.

Cæterum Henricus Guidonem, & filios, circiterque vigiuti alios, quos novandarum rerum auctores arbitrabatur, conquiri juſſit: his dieni dixit, qua datis ſponſoribus urbe cederent, inque fines abirent, quos credi non liceret. Riciardus Petraſancta paruit edicto. Guido quoque Alexandriam profectus eſt. Franciſchinus & Simoninus Turriani ad Ineinates profugerunt, ſeque in arcem Montorphani receperant: hic contumaces aliquot dies ſe continuerunt: in exulum tabulas relati, qui imperia detrectarunt, aut nullo ſpondente urbe ceſſerunt.

Poſthæc conceſſit Henricus in ædem Humiliatorum, cui Sancti Spiritus titulus eſt: ubi dum parum-

per

per animum ab his enris & agitationibus componit, procurante Nicolao Bonſignorio, ejus in civitate Vicario, cives conſilium generale reformavere mille & ducentûm virorum : cujus rei negotium datum fuit ſeptem Jurisconſultis, Pagano Turriano, Alberto Boſſio, Bulgaro Thepoldi, Stephano Vicomercato, Ubertino Mirabili, Beltramo Arzono, & Guilelmo Feræ. His novem Nobiles adjuncti fuere, Jacobus Puſterlæus, Facius Mandellus, Trenta à Cruce, Cavalchinus Moguntiacus, Bibus Triultius, Philippus Aliprandus, & tres alii. Et hæc fortaſſe illa ſocietas fuit, quam Merula renovatam ſub nomine Credentiæ Sancti Ambroſii meminit, Imperatoriamque appellatam fuiſſe tradit, & jurejurando adactam, tueri partes Imperatorias, atque eos accuſare, qui nova conſilia inirent, præfectumque huic ordini Leodienſem Epiſcopum ſuſtuliſſe ſignum ex nigro, alboque, in cujus medio Aquila viſebatur. Id Matthæo Vicecomiti, & Guilelmo Puſterlæo, & magnæ parti Nobilium grave fuiſſe ; quoniam factionem olim Patritiis infenſam, & diu intermiſſam, hoc modo inſtaurari exiſtimarent ; & eis apud Henricum conquerentibus, conſtatam eſſe alteram ſocietatem cum ea conditione, ne ullus ex gente Vicecomite, nec Turrisna, nomen in ea daret : ſignum ab his erectum, pannum croceum cum Aquila alas pandente.

Quibus ſic conſtitutis, iterum Turrianis gravis pœna indicitur, niſi quamprimum urbe faceſſant, deſignataque loca petant. Hi fuere Zanfredinus, & Zaninus fratres ; tum Angeſoſſus, & Jacobinus, & ſeptem alii ex eadem familia. Quibus petentibus præſidium accommodari ex Cæſaris familia, quo tuti & indemnes irent, datus fuit unus ex Præfectis Prætorianæ cohortis. Hi ubi ad portam Romanam venere, in Germanos milites inciderunt, à quibus impetu facto, apprehenſis jumentis, diſſolutiſque ſarcinis cunctis direpta fuere ; & quamvis Prætoriani, quorum fides & cuſtodiæ crediti fuerant, multum repugnaverint, tamen ſtimulante Barbaros præda, ſuperati Turriani omnia amiſere, atque in diverſa abiere.

Poſtridie Matthæo quoque Vicecomite, & Galeacio filio, ut alter Turriſium, alter Aſtam exulatum concederet mandatum eſt. Id quod, utrum Henricus fecerit elevandæ invidiæ gratia, qua partem civium amplecti, ac fovere, alteram adſpernari, ac deprimere videbatur ; an ut iis morem gereret, qui adverſus Matthæum cum Turriano ſenſerant, incertum eſt. Sic ejectis utriuſque partis principibus, cum in urbe ſine capite Germani, ceu in grege ovium ſine magiſtro errantium lupi, dominarentur abſque ullo juris, vel facti temperamento, vexandis undique, & quacunque ex cauſſa civibus inhiare, argentum concrepare : ab aliis dona depoſcebant, aliis in Cæſaream Majeſtatem deliquiſſe, aut vicino injuriam intuliſſe convincebant ; ab aliis mutui nomine flagitabant nihil reſtituturi. Quod ſi qui dare pernegabant, continuo egeni & latrones in poſſeſſiones eorum mittebantur. Qui tecta agreſtium populati, agros evaſtabant, ædificia everrebant, tædioque & damno affectos pecunia veniam redimere cogebant. Cæterum vocatis in conſilium iis, quibus arcana communicare ſolitus erat, quæſivit, quomodo eos ad obſequium redigeret, qui imperium detrectarent ; & ne alii rebelles fierent.

Deinde peractis Paſchalibus diebus, Cæſar Papiam petiit ad ſolemne feſtum celebrandum : cuſtodem Mediolani reliquit Comitem Sabaudiæ, qui inſtabat, ut frumenta quamprimum ex agris in urbem conveherentur, ſi qui ad conditum tempus non veniſſent, aut negligentius mandata curaviſſent, eos grandi pecunia mulctabat ; contra Dux Auſtriæ, ut populus lætior eſſet, feſtis præſertim diebus, convivium magnificum apparavit. Generoſæ matronæ, virique nobiles invitati, atque ut epuli celebratior memoria foret, quodeviginti familares & domeſticos militari gladio atque haſta donavit.

Per eoſdem dies Franciſcus Garbagnates, & cæteri Nobiles apud Regem inſtare, ut Matthæus & Galeacius ab exilio revocarentur : nec ita multo poſt datis ad utrumque litteris Papiam venere. Matthæum placido vultu Henricus excipit ac prandio dignatus eſt. Diſcumbenti Leupoldus Dux Auſtriæ ferculum porrexit, *Et hoc*, inquit, *Matthæe, magna promotionis tibi auſpicium eſt.*

Poſtridie Idus Aprilis ſacris peractis, Henricus Mediolanum revertitur, ſeque Matthæum ſequi juſſit. Eodem venere Rainaldus Concorretius Ravennatum Archiepiſcopus, qui ſuſpectæ civitates ut Cæſari reconciliarentur, atque ei ſe dederent, elaborabat : item duo Pontificii Legati Archiepiſcopus Salernitanus, & qui de collegio eorum, quos Pontificios Capellanos vocant : ſed tres præcipuæ urbes, urgentibus factioſis civibus, obſequium abnuebant, Laus, Cremona, Brixia. Laudenſem quidem fovebat Antonius Fiſiraga, qui quamquam apud Henricum non mediocriter polleret ; tamen inconſulto eo Laudem perrexit, & quid rei frumentariæ in urbe foret, exquirit : horrea tam privata quam publica inviſit, inopiam frugum vidit, deterritusque conſilium defectionis omiſit. Regem, quem ſe offendiſſe non ignorabat, per advocatum lenire & placare conſtituit, litteriſque ad Comitem Sabaudiæ datis, ejus patrocinium implorat : nec niſi accepta ab eo fide Mediolanum venire auſus eſt. Legatoſque civitatis ſecum duxit : qui in conſpectu Cæſaris humi ſtrati, ubertim lacrymantes veniam petiere, atque certiſſimum deditionis ſignum claves portarum in medium jactavere. Enimvero Cæſar indignatus nihil ſuppliebus reſpondit ; ſeverus adſpectus erat, & de vindicta cogitabat : anxius eo Sabaudius Fiſiragam exanimem ad Reginam, cui arctiſſima affinitate junctus erat, ſororem ejus in matrimonio habebat) deduxit, eique ſalutem hominis commendat. Clemens mulier provolutum genibus ſublevat, & verum allocuta ita flexit, ut non ita multo poſt Henricus Antonio dixerit, longe eum falli opinione, qui ſe ſortem & animoſum in factione exiſtimaverit, quia ſit auſus mandata detrectare : *Sed vade*, inquit, *fidem tuam experiemur, & animos civium tentabimus, ſi urbem tradiderint : id enim falluros facile exiſtimamus, ſi in ſincere & ſine fraude id procuraveris, non modo ſalvus eris, ſed inter aulicos honeſtum locum promittimus : ſi contumaces cives non parierint certa perfidiæ pœnas dabis.* Ab his vocibus Baſilianum Fiſiragam Antonii germanum fratrem, & Antonium cognomento ab Aqua vocato Henrico Aulæ Magiſtro cuſtodiendos tradit, eumque cum equitatu proficiſci Laudem jubet. Appropinquanti portæ clauduntur ; armati pro mœnibus ſtabant, quæ manifeſtæ rebellionis ſigna erant. Henricus pauliſper ſubſtitit : poſtquam autem nemo aperiebat, commotus vehementer arborem ſuſpendio deligit, Legatoſque necem inde daturum ſe minatus eſt : conterritus Antonius Aqua, *Non hac via*, inquit, *urbe potiturus es : irritabuntur, mihi crede, omnium animi ſeditate iſta, & obſtinatione, ceu deſperata ſalute pugnabunt. Longe falleris, ſi portas noſtro ſanguine ac nece portas apertum iri. Lenitate & clementia potius vinces : miſeris & in acerbiſſimo caſu conſtitutis vitæ credi ſolet ; ego tamen hoc tibi affirmo, ſi me in urbem ire ſiveris, male animatos & obſtinatos cives placaturum, ut arma deponant, & ſeſe Cæſaris fidei permittant, ſuaſurum, & utcumque reſpondent, ad vos reverſurum.* Haud contemnenda ea Henrico viſa ſunt, & jurejurando adſtrictum Antonium dimiſit, qui urbem ingreſſus hilari vultu obvios quibuſque bonum Cæſaris animum prædicare, ſpem omnibus facere : propinquos vero & familiares eorum, qui vincti tenebantur, quam calamitoſa hi forte eſſent, enarrare : tum quæ clades univerſam civitatem maneret, niſi ſtudia mutarentur, edocet : efficax quidem oratio apud eos fuit, ſed quo animi quoque multitudinis facilius moverentur, in frequenti concione eadem ut diceret,

hor-

hortati ſunt. Quare congregato populo, ceu pro roſtris ſic verba fecit: *Quas clades, atque ignominias Guido Turrianus, & cæteri, qui adverſus Henricum Cæſarem inire conſilia auſi ſunt, acceperint, explicari à me non opus eſt; neminem veſtrûm ea latent, bonis fortuiſque omnibus ſpoliati, principatu dejecti, patria & finibus pulſi errant, amentis ſuperbiæ, & inconſiderati facinoris pœnas luunt. His exemplo nobis eſſe debent, ne quid temere agamus, ne ſimiles imbecillibus canibus efficiamur, qui quamdiu procul aper eſt, totis ſilvis nemoribuſque allatrant, propinquum metuunt, & irruentem minime expectante ſi quis vero audaciores congrediantur, illico dente lacerantur, aperiſque ceſtis viſcera effundunt. Jam non viliſſima pars noſtrum ab his decepta, qui ſe Turriano prudentiores exiſtimant, ſub ſpecie legationis in alienæ poteſtatis relicti, brevi rebelliones veſtræ pœnas dabunt. Iratorum plenus Cæſar ſeva & horrenda contumacibus minatur: ſumma cum difficultate, nec niſi precibus Reginæ, quam interceſſore Philippo Sabaudiæ adivimus, placare animum ejus potuimus tamiſſer, ut à vi ſuperſedeat, dum nos vobis imminentia mala renunciare, atque ea ut viteſtis hortari poſſemus. Iratiorem eum nobis fecit Antonii Fiſtrage ambigua fides & inconſtantia, quem non ignorat clam demum refugiſſe, quid rei frumentariæ, quid armorum in urbe, qua multitudo apta bello foret, explorauiſſe, & ut ea deficere animadvertit, diſſimulaviſſe conſilium, & legationem à civitate, qua deditionem polliceretur, iuſtrus curauiſſe. Quare implacabilis & truculentus acerbe in primores noſtræ civitatis invehitur; everſionem urbis, & populi interneciones, niſi quamprimum imperata faciamus, promittit: & primo Legati noſtri ab infelici arbore ante oculos veſtros pendebunt, deinde urbs funditus ſubvertetur. Heri vaſtiſſi horrea vacua frumento, vires, arma tolerando obſidio, & ſubmovendo à mœnibus hoſtis deeſſe. Quare deliberate, utrum vos, veſtraque omnia, patriam, liberos, conjuges, fortunas omnes perdere per obſtinationem & ſtoliditatem, an deditionem faciendo ſervare malitis.* Ab hac oratione cum ſtupor omnium oculos in terram defixiſſet, atque undique lacrymæ & gemitus oborirentur, demum portas pandunt, intromiſeruntque Imperiale præſidium, & præter extorres reducti ſunt. Rex omnibus ignovit.

In ea urbe dum Valeranus Lucemburgenſis Cæſaris frater diverſatur, ſortitus hoſpitium eſt apud civem honeſtum & minime factioſum, in cujus interiorem domus partem miniſter penetravit, Aquilamque pariet adpictam vidit, à cujus collo laqueus carbone ſignatus pendebat: ignominioſum id ſignum addiderat ſortaſſe Cremonenſis quidam, qui in familiam Legatorum eo olim venerat; nec hoſpes unquam aboleverat, quippe rem ridiculam ratus. Sed Valeranus ab improbo ſpectatum introductus, aliter interpretatus, malignitatis inde & perfidiæ hoſpitem arguit, ſtatimque arripi in tetrum & obſcurum carcerem, ceu læſæ Majeſtatis reum, jubet: concurrere propinqui & amici morum laudatores, & innocentiæ teſtes: ſed nihil verba profuere: abſolutionem quingentis aureis redimere oportuit.

Receptio Laudis Cremenſem traxit: propinquum oppidum eſt. Venturinus Benzonus, cujus auſpicus tunc populus regebatur, paulo ante jugum detrectaverat: nunc autem audita Laudenſium deditione, fratrem cum clavibus, & non exiguo auri pondere miſit, qui cuncta arbitrio Cæſaris permitteret. Ab iis Henricus Matthæum Viccomitem cum exercitu Adduam tranſire, bellumque Cremonæ & Brixiæ pariter facere jubet; cui ut favorem & opinionem apud milites & populos colligeret, cum titulo generalis Vicarii civitatis Mediolani inſignivit. Ipſe cum Regina Laudem proficiſcitur, ut propinquior ex loco belli negotia intelligeret. Ejus adventu Gulielmus Cavalcabos, qui Cremonæ ſummum locum tenebat, viribus & factioni ſuæ diffiſus, urbe ceſſit: ſecuti ſunt eum clientes & factioſi, qui à Perſico & Summo cognomen habent, cum non exigua populi turba: tunc

A Supramons Amatus, qui ejuſdem quidem factionis homo, ſed diverſis moribus & diverſa via, nomen & potentiam paraverat, in medium proceſſit, multitudinique ſuſſit, ne omnino Regi repugnarent, ſed potius adventanti obviam ſupplices irent. Sic ducenti mutata veſte, pedibus nudis, & capite intecti, ac laqueum collo geſtantes ad vicum uſque Padernum progreſſi cum flebili vociferatione, ac fluentibus lacrymis ad pedes ejus procubuere, vitam donari ſibi, parique cæteris civibus poſcentes: averſatus eſt eos Henricus, nec habitum, nec gemitum reſpexit, cuſtodiendos in carcerem miſit Caſtillionum, Rumenengum, ac Padernum ipſum, ubi multi miſerabiliter periere.

Urbem deinde Cremonam Cæſar ingreditur, in B qua reſtitutis exulibus, incredibilis armorum licentia fuit; unuſquiſque ſua vindicare, & acceptas injurias ulciſci, detrimentaque hoſti reponere ſtudebat: nec ædificiis ipſis parcebant: privatorum turres demolitæ, & domus plenæque incenſæ fuere, denique cuncta ſine diſcrimine Italo, Germanoque juxta militi prædæ fuere: alii rei fiebant, quaſi non bona fide deditionem feciſſent: & qui paulo opulentior erat, is pro Cæſaris inimico habebatur. Inſuper Henricus pro concione aſpera locutus, mulctam centum millium aureorum civitati dixit: portoria & vectigalia, quæ juris populi erant, & jus omne ſanguinis, cunctamque urbanam juriſdictionem ſuſtulit, & Fiſco ſuo addixit. Hæc atrocitas Brixianos obſtinatiſſimam in re- C bellionem conjecit: nam eum in eorum fines ductus exercitus foret, & late hoſtes agrum popularentur, & de deditione agi cœptum foret, quæ demum conveniret, ubi Germanus miles in urbem receptus foret, pernegarunt peregrinum ullum ſe prius admiſuros, quam de conditionum æquitate certiores facti eſſent. Indignatus Cæſar, vicos & caſtella dirripienda militi concedit; auxilia ab ſubditis amicisque civitatibus accerſit: inter cæteros Gibertus Corrigius inſtructiſſimam equitum manum, & plerosque pedites ab Parma abduxit; quem mox ſecuti ſunt duo Oratores ex ordine procuratorum publici negotii, Ancianos D vocant, Petrus Boverius, & Ghidellus Berguntius munus afferentes, quo nullum præſenti gloriæ aptius, nec ad occupandam Cæſaris benevolentiam opportunius offerri poterat. Corona videlicet, quam in obſidione Parmenſi ſexaginta & amplius abhinc annis Fredericus ſecundus amiſerat. Qua viſa non minus lætatus eſt Henricus, quam olim Cæſar Auguſtus ſignis receptis, quæ Parthi Marco Craſſo, Marcoque Antonio ademerant: donatique ſunt Boverius & Berguntius quinquagenis aureis nummis. Merula opinatus eſt à Giberto ipſo allatam fuiſſe, ac proinde eum oppido, & ditione Guaſtallæ, & procuratione Parmenſi donatum: ſed ego ſic diſtincta in *Chronico* Parmenſi- E bus legi; quamquam forte ſine nutu Giberti nihil tunc in ea urbe ageretur.

Sed jam Henricus Romanum oppidum oppugnabat, quod mox dilapſis defenſoribus, & oppidanis ultro portas aperientibus, in prædam vertit: nec à cæde innoxiorum temperatum eſt; ſolique hi ſervati ſunt, qui fugientes in ſtativa Mediolanenſium delati ſunt: cæteros ſine ætatis diſcrimine, vel ſexus, ſævitia barbarica peremit.

Dehinc Brixiam verſus itum, & cum nemo occurreret, propius urbem caſtra admota fuere: oppidani muros reficiebant, & ea omnia parabant, quæ tolerandæ obſidioni, & ſubmovendo à mœnibus hoſti neceſſaria forent: acceſſerant vicinarum Guelphi, F qui non ſatis tutos domi ſe exiſtimabant: maxime autem Thibaldus Bruſatus populares in odium Germanorum concitabat, atque hortabatur, ut æquo animo agrorum detrimenta ac villarum ipſarum incendia ferrent, quando longe durius foret liberos, conjuges, ſeipſosm ſervitutem, libidinemque barbaricam abduci, ac domos & urbem ſpoliari, & ad ſolum diruì. Regem vero peregrinum durare in obſidione

non

non poſſe, & urbem naturali ſitu munitam facile à vi defendi poſſe. Dum ſic ſe Brixienſes parant, Henricus milites undique accerſit, pecunias imperat, Epiſcopos & Sacerdotes paulo opulentiores, tum Nobiles, qui vectigales Cæſarum eſſe ſolebant, ut intra Idus Junias ad ſe in caſtra venirent, monet. Paruere continuo nonnulli: alii nihil ſibi cum caſtris eſſe dicentes, mandata detrectarunt, ajebantque mille & ducentos homines in urbe relictos, hos evocaret Cæſar, quibus de publico ſtipendia ſolvebantur. Quo ſermone perculſus Præfectus Regius urbanos milites ita partiri conſtituit, ut per vices ad Regem commearent, & urbem cuſtodirent: ſed interim unde contumacium ſuperbia penderet, cognitum. Nam per idem tempus Papia pulſi fuere: qui Manfredi Beccariæ partes tuebantur, & Novariæ Cæſarea factio exterrita multum fuit. Quare Mediolani quoque hi trepidavere, & novum delectum, quo incolumitati civitatis conſuleretur, habent, alii in caſtra profecti. Procedebat obſidio, & pro muris frequentes pugnæ fiebant. Bruſatus invigilare, ac omnia moliri, ne hoſtes urbe potirentur. Adjacet monti Brixia, ex quo urbs omnis, & hoſtilia pariter caſtra ſpectari poterant. Hunc Thibaldus cum delecta juventute conſcendit. Id conſpicati Germani conſeſtim propius accedunt, neque radices tantum obſident; ſed pars in juga evadentes Brixianum deturbant: prælium & cædes non mediocris facta. Thibaldus lethali vulnere ictus capitur, atque ad Regem perductus, ingratitudinis & perfidiæ maxime arguitur; qui munere Henrici ab exilio in patriam reſtitutus, tantum nunc bellum adverſus eum concitaviſſet. Inſurrexere & Madii, cæterique exules, quos paulo ante, ſpectante Cæſare, in ſignum pacis & concordiæ exoſculatus is fuerat; atque ad atroces pœnas cum depoſcebant, qui præter multa alia inhumana, convivium quondam paraverat genero & eompluribus ejus affinibus: ex nobili familia erant, quibus Federicus cognomen nunc quoque durat. Filia crudelitatis & perfidiæ paternæ non ignara, hortata virum eſt, ne ad lethales epulas accederet: nihil ſuſpicatus homo ſimul cum cæteris inter jocos & vina contrucidatur. Inſtabant igitur inimici, ne tot parricidia & ſcelera inulta relinquerentur. Dum hæc audit Henricus, curari corpus captivi diligenter juſſit, ne ſuperveniente morte meritis ſupplicius eriperetur. Octavo die cum aliquantulum firmatus videretur, illum aſino alligari, ac circa exercitum raptari juſſit: tum quatuor in fruſta ſectum longis perticis juxta ſingulas urbis portas defixis ſuſpendi, & ubi caput erat, vexillum quoque ejus appoſitum: viſcera in ignem projecta ſunt. Et hunc exitum habuit, quem pauloante Pontificum favor eo evexerat, ut proximus numinibus tangere ſidera vertice videretur. Cæterum eadem quoque pœna affecti quatuor alii Nobiles Brixiani, qui aliquot dies capti in vinculis habebantur. Quorum nece exacerbati oppidani, ſexaginta Germanos, & quoſdam diverſæ factionis cives comprehendunt, ac ſine mora a mœnibus ſuſpendere: tum agmine facto portas aperiunt, & ſine ſpe ſalutis pugnantes, hoſtem in prælium frequenter laceſſivere.

Inter hæc Valeranus Cæſaris frater Bergomum miſſus cum parte exercitus fuit; atque in orbem elanculum recipitur. Tunc de Bongis, & cæteris, qui diverſæ factionis exiſtimabantur, pellendis, conſilium cum amicis init. Fit impetus ad multorum domos, ruptiſque foribus hi obtruncantur; illi in ſervitutem in vinculis alligantur; bona paſſim diripiuntur: captivos poſteaquam in caſtra Valeranus deduxit, muralium machinarum curæ præfeitur: circa quas dum ſecurius verſatur, nec periculum perſpicit, ſagitta ab urbe emiſſa petitur, ac lethaliter vulneratus Veronam deportatur: ubi paulo poſt diem obiit, atque honorificentiſſime ſepultus eſt.

Ejus caſu exacerbatus vehementiſſime Henricus eſt, & ceu ejus manibus parentaturus univerſi populi cæde: milites in pugnam hortatur; proditoreſque identidem Brixianos appellat, & in ſua damna cæcos ac pertinaces. Milites luctu Regis & oratione permoti, quæ ſua foret alacritas, ubi pugnæ copia detur, cogniturum eum dicunt. Valliſeſt in Brixianis finibus celeberrima, quam Camonicam vocant: per hanc commeatus & frumenta importare adhuc licebat; & quo tutior via foret, oppidani circumducere monti vallum nitebantur. Rex admonitus, ſi priuſquam munitio peragretur, locum occupaſſet, interclusurum ſpe omni civitatem, montem aggreditur. vallum Matthæo Vicecomiti oppugnandum, qui egregiam ſagittariorum manum è Liguribus conduxerat, attribuit: hi multitudine ſagittarum neminem pro vallo ſtare ſinebant, defenſoreſque loco facile ſubmovebantur: jamque adſcendentes propugnaculum convellere parabant: ſed oppidani contra id tueri acerrime, quoniam in eo ſpes omnis reliqua erat ſita. Turrim quoque in media urbe habebant, ex qua ſpeculator, quid hoſtes facerent, cernebat, & pertica lintea præfixa ſuis ſignum, qua parte premerentur, & mitti ſubſidia oporteret, dabat. Igitur conſpecto ſigno oppidani, eo protinus convolant; adſcendentes abaggere deturbant. Ex altera parte Albuinus & Canis Grandia Scaligeri fratres ab Henrico procuratione Veronenſi donati, & propterea illi obſequentes, cum domeſtico, mercenarioque milite aderant; latus montis adoriuntur, ſed eum naturali difficultate loci, tum oppidanorum virtute repulſi receptui cecinere, atque in caſtra revertuntur. Tunc oppidani ſucceſſu elati clamorem cum plauſu attollunt; recedenti hoſti gerris militaribus inſultant. Alia autem in parte pulſis defenſoribus Germani foſſam tranſgreſſi vallum irruperant: eos ſequebatur Scaliger, & Matthæus Vicecomes: ſed in hos oppidani ex improviſo impetum faciunt: pugna acris committitur: dejecti complures ex vallo. Genuenſes ſagittarii, ne major cædes fieret, præſtitere: inter quos Rebella Grimaldus præcipua virtute enituiſſe dicitur. Matthæus quoque Vicecomes magno in periculo verſatus eſt negligentia Nelli familiaris, qui juſſus ſtationem curare, ne incautos hoſtis opprimeret, interim ſecurus ſomno ſe dedit: cujus inertiæ admoniti hoſtes, in caſtra penetrarunt, ac pluribus locis igni poſito multos occiderunt: ſalutiſque Matthæo fuit rivulus, ultra quem ejus tentoria erant, & concurſus armatorum fiebat: dubitaruntque hoſtes, ne circumventi à pluribus partibus pugnare cogerentur, atque ad ſuos ſe recepere. Cæterum jam fames ineluſos premebat: plurimi inedia cadebant, cum non haberent unde viverent, ad hoſtes tranſibant, & quamquam primi laqueo necati fuerint, haud tamen eo deterriti complures alii confugere eodem ceſſavere. Jam in Octobrem obſidio proceſſerat, cum deſecti alimentis oppidani, dedendæ tandem urbis conſilia inierunt; ac trium Cardinalium, qui in Italiam coronationis gratia miſſi fuerant, auctoritate implorata, eorumdem arbitrio res confecta eſt: nec ſtatim Henricus ingreſſos eſt, ſed in caſtris ſex dies adhuc moratus, veluti aliud agens, illis ſpatium abeundi dedit, qui minime tutos ſe ſub eo Rege exiſtimarent: tunc muri urbis & portæ diruta, ac ſolo æquatæ ſunt.

Vana prodigia per hæc tempora apparuiſſe Franciſcus Petrarcha memorat; ſed illud in primis auctore Muſato Patavino refert, quod intra veſtibulum domus Matthæi Vicecomitis, vir inuſitatæ magnitudinis pergrandi inſidens equo apparuerit, qui per horæ ſpatium obambulavit armatus, & mox ex oculis abreptus eſt. Inde triduo interjecto, duo eodem habitu, pari corporum mole, eadem veſpertina hora depugnarunt, ac deinde evanuerunt.

Potitus Brixia Henricus ſexaginta aureorum millia ad emendanda belli impendia perſolvi voluit ab oppidanis; & complures cives, qui ſe Romam ſeque-

rentur, delegit. Cremonam, Placentiam, Papiamque rediit: civili contentione agitabatur ea civitas. Philipponus Languſcus pulſo Beccaria rerum potiebatur, nec paſſus eſt, Manſredum ipſum, & Matthæum Vicecomitem niſi cum paucis aggredi. Triduum moratus ibi Cæſar, ejus urbis, & Novariæ præterea, & Vercellarum procurationes ſub Vicarii titulo Philippo Achajæ Principi, rogatu Comitis Sabaudiæ detulit, ac Genuam proficiſcitur.

Cæterum ſuperioribus diebus Gibertum Corrigium ab ſe Parmam magno cum honore dimiſerat, eundemque revocaverat: qui cum nunc ab Papia ad Padum iter faceret, monitus clanculum eſt, ſi flumen tranſiret, cum nunquam Parmam incolumem reditурum: id quod credidit Gibertus: & verſo equo, & agmine ſequentium diverticula evolavit; nec prius uſquam conſtitit, quam prætergreſſa Placentia Fidentiolam pervenit; atque inde ſecurus Parmam rediit.

Diximus inter eos, qui deſcendentem in Italiam Henricum ſecuti ſunt, fuiſſe Guidonem Flandriæ Comitem. Ejus præclara facinora memorabantur, quod Philippo Francorum Rege Belgas premente, patriam defenderit; patrem in ſervitutem abductum cæſis cuſtodibus à ſœda captivitate liberaverit; honeſtiſque conditionibus bellum finierit: is contracto ad Brixiam morbo, hoc eodem tempore Papiæ moritur, & quia ſacris interdicta civitas erat, ne ſepulturæ honore careret, transferri Derthonam Henricus juſſit, atque ibi perquam honorifice tumulatur. Matthæus autem Vicecomes Mediolanum reverſus operam dedit, ut duodecim Legati noſtræ civitatis eligerentur, qui Henricum Romam iturum cum trium menſium viatico comitarentur: quibus Luchinum filium Principem dedit: deinde ſexcentis civibus arma & equos ex publico præberi curavit; quod ita urbis quietem exigere videbat.

Jam Henricus Apenninum tranſcenderat, & XII. Kal. Novembris urbem Genuam ingreſſus, maximis honoribus accipitur: in cujus comitatu majeſtatem addebant quatuor Cardinales à Pontifice, ut diximus, per intervalla deſtinati. Item Opicinus Spinula, & Barnabos Auria: inter quos conciliata pax inibi fuit, diſceptatoribus Cæſare & Comite Sabaudiæ: dehinc univerſa civitas ſacramentum Cæſari dixit. Et eum aſperitate hiemis ac maris ſævitia diutius ibi Henricus detineretur, rogatu Nobilium Abbatem populi, qui ſummus plebejorum magiſtratus erat, exauctoravit, & Vicarium Cæſareum inſtituit Gibertum ab Aſperomonte cognominatum; cui, ut ex dignitate nomen ſuſtineret, ſexaginta millia florenorum quotannis pendi juſſit. Tum Idibus Decembris Margaritam conjugem amiſit, quæ in æde D. Franciſci ſepelitur: in cujus obitu multum jacturæ, & Rex ipſe, & qui Aulam ſequebantur, fecere. Interim in Longobardis Albuinus Scaliger Veronenſium Dominus diem obiit, ſuperſtitibus duobus liberis Alberto, & Ruffino. Rerum tum procurationem excepit defuncti frater Caniſgrandis, qui & ſeptemdecim regnavit annos.

Dum ſic Henrici res procederent, Guelphi factioni ſuæ metuentes, in unum conſpiravere, ſeque in tutelam Roberti Apulorum Regis conjecere: coivere autem in fœdus Flaminiæ Etruriæque civitates; in primisque Florentia, Senæ, Luca. Tum ex Longobardis Bononia, Rhegium, Parma Duce Giberto Corrigio; Guido Turrianus, & Cavalcaboves, cæterique Mediolano & Cremona extorres: bique bellum Cremonenſi intulere, & capto ponte Padi, cui Doſſuli nomen eſt, Vitalianum & Caſalem majorem pulſo hoſtili præſidio occupavere. Tunc Parmenſes Falconem Romanum Cæſaris Vicarium Magiſtratu ejecere, reſtitutaque Anciianorum auctoritate, vices Prætorias demandavere tribus viris, qui ſub eodem utique Falcone publica negotia adminiſtraverant. Burgus quoque Donnini ſigna Giberti admiſit, & Brixiæ acerrime decertatam eſt, nitentibus Bruſatis priſtinam dignitatem recuperare: ſed affuere adverſarii præſidio, Galeacius Vicecomes, & Manſredus Palavicinus cum prævalida ſociorum manu: pulſique tandem urbe Bruſati ſuere.

Cæterum Henricus, perſpecto Mediolanenſium Oratorum officio, ex duodecim octo dimiſit, contentus, ut quatuor ſe Romam ſequerentur, univerſoſque variis muneribus proſequutus, novas dignitates, ac Comitatus, & familiaritatis ſuæ titulos contulit. Nam Gulielmum Puſterlæum trans-Adduam tractus, quam inſulam Fulcheriam vocitant; Creſſonum Cribellum Leuci & finitimæ oræ; Ludovicum, quem alii Lodriſium appellant, Septenſis regionis Præfectura inſignivit. His dimiſſis, Antonio quoque Fiſiragæ domum redeundi facultas conceſſa eſt, qui in tranſitu Viquentiæ, vel, ut apud alios ſcriptum eſt, Baſſignanæ, agnitus à filio Manfredi Beccariæ ea loca præſidio tenentis, in vincula conjectus fuit. Quo audito Philipponus Languſcus vehementer commotus Principem Achajæ, qui Papiæ Præſes relictus eſt, cum querulis vocibus adit: docet Fiſiragam per injuriam maximam detineri; cum bona Cæſaris venia Genua digreſſum, ex itinere, quod nemini adhuc acciderit, intercepturn eſſe; cum vero à carceribus quoquomodo redimi oportere: idque perfacile factu fore, ſi fide & diligentia utatur, ut Manfredus quoque detineatur: nam facile permutationem inter eos futuram. Placuit conſilium Principi: nec mora Manfredus in carcerem conjicitur. Enimvero Gibellini nominis primores, miſſis Legationibus, Cæſarem circumſiſtere, conqueri, & Philippum Achaicum accuſare, illum manifeſte Cæſari, cujus Vicarius fuerat inſtitutus, adverſari, quandoquidem ſautores ſuos oppugnet, & in vincula conjiciat. Hæc & alia hujuſmodi cum in primis jactaret Franciſcus Garbagnates, pugno percuſſus fuit à Comite Sabaudiæ, qui cognatum ſuum gravius taxari apud Cæſarem ægerrime ferebat. Henricus, re diligentius explorata, judicavit ambiguæ fidei hominem eſſe Achaicum, & qui populos ad rerum novitatem concitare non deſineret. Itaque eo abrogato, Papienſes pariter hoſtes, rebelleſque declarat. Procurationi rerum Longobardarum præficit Guarnerium Aufpergenſem, exercitati ingenii virum. Laudenſibus dedit Henricum Flandrienſem, & Cremæ Simonem Philippi Piſtovenſis filium. Ad hæc Florentinæ civitati iratus, quoſcumque ejus nominis negotiari Genuæ comperit, ejici urbe, opeſque eorum, ut rebellium, in Fiſcum redigi juſſit, aut prædæ militi conceſſit; multaque alia in invifi populi contumeliam conſtituit.

Quæ dum aguntur, vertit annus; jamque exeunte Januario MCCCXII. comparatis quadragiata triremibus, Genuenſi portu ſolvit: nec ita multo poſt Piſas pervenit, ubi duos menſes moratur. Per quod tempus Ricardus Marlianus fatidicos libros, ceu Sibyllinos, magna cura domi ſervaverat: eos à Majoribus per manus traditos acceperat: quod autem ſæpe jactaverat, in his contineri Henricum, priuſquam Liguria abiret, moriturum; & tamen nunc audiebat eum Piſas delatum, iratus ſortibus, libros combuſſit, iſta dictitans, *Alium poſthac non fallent vaticinia*: quamquam, ſi modicum diſtuliſſet, exſpectaſſetque exitum rerum, cum non ita multo poſt, nec procul ab his finibus Henricus deceſſerit, vel, ſi caſum interpretari maluiſſet, Genuæ defuncta uxore, ut ſupra diximus, in totum vana prædictio non fuiſſet judicanda.

Interea Cavalcaboves, & quæ cum eis Caſalem majorem receperant, Cremonam petunt: cum ſenſiſſent abeſſe Prætorem, portam Moſæ adoriuntur, eaque patefacta, in forum uſque perveniunt. Hic ſe oppoſuere Manfredinus Palavicinus & Galeacius Vicecomes; ſed minime impetum ſuſtinentes, ſunduntur, totaque urbe fugati, non ſine multorum cæde evaſeruut,

A.C. 1312.

runt. Galeacius Cremam profectus, Cremonenſes, qui per vicinas arces in vinculis habebantur, traduci Mediolanum conſeſtim juſſit; ubi & miſerabiliter perire.

Per eoſdem dies Gibertus Corrigius jam diu viduus, ut fœdera cum Papienſe inita firmiora forent, uxorem duxit Helenam Philipponi Languſci filiam, celebreſque nuptias egit. Quibus peractis Cremonam proficiſcitur, propterea quod ſolicitantibus exulibus non paucorum civium ſuſpecta fides videbatur. Hic ſummo cum honore ac lætitia acceptus, adverſariorum conatibus prudenter reſtitit, & Cavalcabove in dominio confirmato, Joannem Quilicum S. Vitalem generum ſuum Prætorem inſtituit.

Eodem tempore Placentini ſpe novarum rerum ſeducti, pulſo Cæſareo Vicario, defecere; & eundem Joannem Quilicum Sancto-Vitalem Prætorem accepere. Eodem acceſſit Gibertus Corrigius, redireque in gratiam cum Alberto Scotto tentavit. Sed eam rem deturbavit Soncinatum novitas, qui pulſo Cæſaris Præfecto, oppidum Gulielmo Cavalcabovi dedidere. Adverſarii in arcem, quæ permunita ſtabat, confugerunt; dimiſſiſque ad amicos nunciis, auxilia undecumque accerſunt. Matthæus Vicecomes à Mediolano Galeacium filium miſit. Ab Laude quoque digreſſus Guarnerius Auſpergenſis illi conjungitur. Nec defuere Bergomenſes, Cremenſes, & multi, qui Cæſaris beneficio reſtituti in patriam fuerant: qui propius Soncinum accedentes, diſpoſitos pro muris hoſtes videre. Mox per exploratorem certiores facti, haud longe abeſſe cohortem peditum Cremonenſium, in eos acies direxere, & commiſſo prælio fudere. Quorum cæde perſpecta, Soreſinates perterrefacti ſtationes deſerunt, atque in domos diffugiunt. Cavalcabos conſternatus ſuos in agmen cogit, cuneoque facto porta egreſſus per medios hoſtes erumpere conatus eſt: ſed reſiſtentibus adverſariis, & cruentum certamen facientibus, occiditur. Item Salnis Benedictus vivus captus, & ſupplex vitam rogans jugulatur. Cecidere amplius ducenti Cremonenſes, multi captivi facti, perpauci fuga evaſerunt. Ejus prælii adverſa fama divulgata, trepidatum Cremonæ eſt, adeoque de urbis ſtatu dubitatum, ut Guido Turrianus, & cæteri exules Parmam auſugerint: & niſi Gibertus Corrigius celeriter advolaſſet, nutantesque animos confirmaſſet, facile in diverſas partes tranſitura civitas fuerat. Servatæ Cremonæ Corrigius in quinquennium dominus creatur.

Interim Albertus Scottus ſpeculatus occaſionem recuperandæ dignitatis ſuæ, amicorum manum contrahit, & una portarum Placentiæ prodita ingreſſus, univerſam urbem diſcurrit, hoſteſque fugat. In eo tumultu Joannes Quilicus Prætor, & multi civium, qui illum ſequebantur, ægre elapſi in oppidum Sancti Joannis pervenerunt: ita denuo Placentinorum dominium Albertus ademptus eſt. Horum populorum exempla ſecutæ ſunt Papia, Derthona, Alexandria, Aſta, quæ veluti contagione quadam correptæ, Gibellinum omne nomen cum Vicario Cæſareo ejiciunt. Ex quo Philippus Achaicus Ticino digreſſus in Taurinos ſe contulit. Profectioni ſpeciem nuptiarum prætulit, quas ut celebriores facturum ſe ſimularet, duodecim adoleſcentes ex Primoribus Papienſium, & totidem Vercellenſium, qui ſe ſequerentur delegit, inter quos Riciardinus Philipponi Languſci filius eminebat. Sed ut Taurinum pervenere, omnes in vincula conjecti ſuere; nec prius dimiſſurum eos ſe declaravit, quam emeritum ex præfectura ſtipendium ſibi perſolveretur.

Sub his Guarnerius quoque Auſpergenſis ſibi metuens Matthæum Vicecomitem, & cæteros amicatum civitatum Heroas Laudem in conſilium vocat: ibi de publico conſenſu decerni ſibi ſocium Matthæum curavit, qui nobilitate, prudentia, & populorum ſtudiis, tum fide in Cæſarem cunctos ante ſtare probabatur. Ea re peracta populum Laudenſem in concionem vocat, & habita oratione tempori congrua, Zenonum Dreſcenum, & quoſdam è Primatibus detinent, & Soncinum cuſtodiendos mittunt. Dehinc Matthæus comparato exercitu bellum Papienſi infert, & ponte in Ticino ædificato, pluribus in locis populationes agit. Eodem profectus & Galeacius filius cum mercenario milite, & Actius Malaſpina Prætor urbanas cohortes ſub ſignis habens: trajicientibus omnem adjunguntur exules. Papia parum progreſſi Laumellum oppidum capiunt: inde Garlaſcum obſident. Languſcus Comes, quos poterat milites, ut auxilio obſeſſis foret, contrahebat. Alexandrini & Aſtenſes copias illi miſere. Sed eorum adverſarii Theodorus Marchio Montiſferrati, & Philippus Sabaudianus Vicecomiti adjunguntur. Interim triginta vel eo amplius expediti milites, juſſi obſeſſis auxilium ferre, ſub occaſum ſolis appropinquare caſtris viſi ſunt: ſed ab hoſtibus deprehenſi, ſuſpendio omnes in conſpectu oppidanorum enecantur: quorum ſupplicio territis hominibus, Garlaſcum Galeacio dedituri: dehinc ducere Vercellas ſtatuunt, atque dominatu ejus urbis evertere Simonem Corrobianum, qui opibus & favore Advocatorum, gentis Cæſaribus inimicæ, Remp. obtinebat: cum propius acceſſiſſent, & magno impetu reſiſtentes hoſtes offendiſſent, dubitavit Guarnerius de fide Philippi Sabaudiani, quaſi per eum enunciatum fuiſſet conſilium invadendæ ex improviſo civitatis. Itaque proditionis ſuſpectum ſtricto enſe appetit; parumque defuit, quin is obtruncaretur. Famuli & circumſtantes amici orto tumultu vulnera, mortemque excepere. Philippus diſcrimine ereptus, intra urbem auſugit; & Simoni Corrobiano expoſita repentini adventus cauſa, benigne exceptus, meliora dehinc ſperare jubetur. Tum communicatis conſiliis atque opibus Ticinos, qui diverſæ factionis principes erant, & cum Guarnerio ſentire videbantur, urbe pellunt, hoſtiliſque exercitus brevi ſolutus eſt.

Per eoſdem dies Franciſcus Turrianus, qui hactenus arcem Montorphani obtinuerat, cum cætera omnia in poteſtatem hoſtium veniſſe cerneret, nec ſibi tuto amplius in ea conſiſtendi facultas foret, eam Epiſc. Comenſi tradit, atque apud eum aliquot dies moratus, dum equos & neceſſaria itineri comparat, Cremonam abiit, ubi Guidonem patrem gravi valetudine laborare acceperat: adeo vero affectum offendit, ut is brevi expiraverit: quo honorifice pro præſenti conditione tumulato, abiit Franciſcus in Etruriam; ſalutataque Florentina civitate, & Senenſe, in Apuliam ad Robertum Regem penetravit: quem univerſæ Italiæ Guelphi principem, & ſigniferum ſibi tunc parabant. Jamque is ad Subalpinos populos miſerat Hugonem Baucium cum auctoritate Regia, cui Aſtenſes auctoribus Solariis, & Papienſes duce Philippono Languſco, ſe & ſua dedunt; vectigalium & portoriorum omnium poteſtatem permittunt: addunturfœdera, eoſdem ſe habituros amicos, inimicoſve, quos Rex juſſiſſet, & multa alia ad ſpeciem libertatis conſervandam. De Alexandrinis quoque honorifica mentio habita: ea omnia Rex ſcriptis ab Neapoli literis, aureo ſigillo ornatis confirmavit. Hiſque urbibus præeſſe Hugonem Bancium voluit.

Intereà tres Cardinales coronandi Henrici gratia in Italiam miſſi Romam pervenerant; ad quos ſalutandos Robertus Rex Joannem fratrem miſit cum illuſtri comitatu, caſſam prætendens, ut celebritati, cui ipſe non poterat, frater intereſſet: ſed hic urbem ingreſſus multa largiri, plura polliceri, denique arte omni primores populi ad ſe trahere. Gens Urſina ſtatim illi adhæſit: contra Columnenſes illum averſari, nulla conſilia, nulla colloquia cum eo habere, Cæſareumque nomen tueri. Hos Joannes armis aggreditur. Quæ ſentiens Henricus, in eoque verti dignitatem ſuam non ignorans, nuncios ad Robertum mittit, hæc, quæ in contumeliam ſuam Romæ agerentur,

tur, expoſtulaturus, ſimul Ludovicum Sabaudiæ-
num cum equitatu, ut Columnenſi præſidio foret,
Romam quam celerrime proficiſci jubet, & duos Epiſcopos ad Joannem dirigit, qui hortando, monendoque, cum ab amicorum injuriis deterrerent. Dehinc ipſe Piſis digreditur: & quia Florentini, Senenſeſque late per Apenninum militares copias diſpoſuerant, viarumque clauſtra tenebant: ſecus oram Etruſci littoris tenuit, noctuque iter faciens, Sanctam Floram, & Populoniam, & Viterbium ſub Kal. Majas pervenit: nec ita multo poſt Romam ingreditur: ubi cum omnia turbida & tumultu plena eſſent, tres menſes ſubſedit: nam poſteaquam arcere eum urbe inimici non potuerant, eam nunc operam dabant, ne in æde Petri coronaretur.

Henricus Oratores in Galliam miſit, qui Clementem edocerent, quantum odii & certaminis inter Romanos foret, & à quibus ea mala nutrirentur; peterentque remedia. Clemens reſpondit, decrevitque, nihil referre, qua in æde, modo in urbe Roma Cæſar coronaretur; mandavitque ut in Lateranenſi templo ea celebritas fieret. Ita Kal. Auguſti optato inſignia Henricus deferentibus ſolemni more tribus Cardinalibus in frequentiſſimo hominum conventu, & cum his ſolemnem titulum Imperatoris accepit. His peractis, in Tiburtinos, & inde per Umbrorum & Peruſinorum fines Aretium pervenit: ubi confluentibus ad eum Etruſcarum civitatum exulibus, bellum Florentinis facere inſtituit; & dum vires contrahit, Sanctum Salvum, & Caſſianum, & mox Bonieium, ubi ingruente hieme hibernavit, ſe contulit.

Interea cis Apenninum varie agitati populi ſunt. Nam Tarviſii Riciardus Caminas ab ignoto quodam Sicario gladio percuſſus occiditur: quo caſu commoti adeo circumſtantes ſunt, ut iræ impatientes parricidam ſtatim interfecerint, ac in fruſta multa diſcerpſerint. Ita nec quis is fuerit, aut cujus opera & conſilio tantum facinus aggreſſus, reſciri potuit. Defuncto Riciardo, cum ſoboles nulla virilis foret, Guenzolus frater in dominium ſucceſſit, qui nec ſic perennavit: nam proximo Decembri conſpiratione civium, Rambaldo Comite duce, urbe ejectus fuit, & eo in oppida ſua commigrante Tarviſini Remp. conſtituerunt.

Veronenſes quoque cum Patavinis, ſed ſua magna cum clade, pugnavere; & Rhegienſes à Mantuanis incendia & prædas perpeſſi. Parmenſes & Cremonenſes ab exulibus ſuis vexati, quamvis accepta detrimenta ſæpe hoſti repoſuerint, & Caſtrum Leonem è manu rebellium receperint, in quo Manſredus Palavicinus cum magno numero factioſorum inventus eſt: tamen aliud oppidum, cui in confluentibus Addnæ & Padi ſito Caſtro novo nomen eſt, amiſerunt. Brixiani exules tanta atrocitate cum civibus ſuis conflixere, ut decem & novem ſigna militaria victores ex hoſte retulerint. Laudenſes pariter ab exulibus profligati, Ducem amiſere Maratium Quinzonum Cremenſem, Cæſareum in urbe Vicarium.

Subit inter hæc annus decimus tertius ſupra mille
A.C. 1313. & trecentum. Per quod tempus Florentini nullum rebus ſuis remedium cernentes, opem à Roberto enixius implorant, ac niſi præſens auxilium adſit, brevi in ditionem Henrici ſe ceſſuros, omnia, quæ hoſtes voluerint, paſſuros. Robertus verbis magis quam rebus ſpem illorum ſuſtentare: ipſe namque rerum ſuarum ſatagebat, petitus bello terra marique. Fridericus Siciliæ Rex tranſmiſſo in Calabros exercitu, & Liguſtica, Piſanaque claſſes Neapolitanis littoribus obnavigantes infeſtum illi Regnum faciebant: tum litteris Henrici ad dicendam cauſſam in Senatu Cæſareo Piſas, quo paulo ante Cæſar ſe contulerat, evocatur: minime obtemperantem Cæſar jure Neapolitani, Apulique Regni interdicit: ſimul Florentinis jus cudendæ monetæ, reddendique jurisdimit. Tunc Hugonem Eaſiolum Aretio oriundum, virum ingenio & manu promptum, Genuam, qui eam urbem gubernaret, revocato Aſperomonte, mittit: ſimul mandat Lambæ Auriæ Liguſticæ claſſis Præfecto, ut quam acerbiſſime poſſit, Neapolitanas urbes prædetur & vexet: ſed non multum hæc Robertus faciebat, qui etiam reſcripſit, eam partem Italiæ, in qua pater & avus, & nunc ipſe regnaret, juſſu & auctoritate Romani Pontificis, nequaquam juris Imperatorii, cenſeri: quare abſtineret à finibus ſuis, neque tentando aliena cæleſte Numen in ſe irritaret: in eandem ſententiam ſcripſit & Clemens Pontifex.

Quæ dum inter Reges circumferuntur, Itali armis & fraudibus inter ſe certabant. Parmenſes exules partim auxilio Matthæi Vicecomitis Medeſanum oppidum, & Burgum Donnini, partim conjuncti affinitate atque amicitia ejus familiæ, quæ à Palude cognomen retinet, Padernum, Turrim claram, & Ripaltam occupavere, gravique bello patriam involvere. Tunc Gibertus Corrigius ſuorum in ſe invidiam agnoſcens, cedere tempori optimum ratus, Cremonenſi domino ſe abdicavit, & Parmam, retenta ſibi Guaſtalla, Roberto Regi tradidit: Simonemque à Villa cognominatum cum centum Hiſpanis equitibus poſtridie Idus Majas intra urbem recepit: illic nomine Regio dici ſacramentum curavit. Idem Cremonæ factitatum eſt, Paſſarino Turriano eo cum Regii Vicarii titulo profecto: quorum auctoritatem ſecuta ſunt oppida Barganum, Rumenengum, Soncinum, Burgum Donnini. Et Laudenſes facto impetu, pulſoque Guarnerio Auſpergenſi, non tam excutere, abhorrereque jugum Cæſareum, quam miniſtrorum importunos mores, & inexplebilem avaritiam odiſſe docuere: namque ſe Cæſari, Matthæoque Vicecomiti parituros oſtenderunt. Placentia vero ejuſdem Matthæi dominio acceſſit. Nam Gibellini pulſis Guelphis Alberto Scotto manus injecerunt, & eo Mediolanum in vinculis miſſo, Galeacium dominum creant. His fluctibus res Italæ agitabantur, cum Henricus adverſam valetudinem ſentire cœpit, & tamen Piſis digreſſus Munatenſem & Florentinum agrum invadit: tum Senarum mœnia prætervectus ſecus montem, cui Aperto nomen erat, caſtra locat: hic pergravavit morbus, & ex tertiana in continuam febris verſa; nec remedia ægrotantem levabant: ergo Medicorum monitu maceratenſes balneos petit: quibus nihil proficientibus Bonnmconventum deſertur: ſed eviecrat vis morbi medicamentorum omnium virtutem: atque ibi nono Kal. Septembris exſtinctus eſt, maximo omnium, qui eum ſectabantur, mœrore: amici cadaver Piſas detulerunt, ac regali ſumptu ſepelierunt.

FINIS.

TRISTANI CHALCI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

RESIDVA,

HOC EST,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XXI & XXII.

Et alia quae ſequens pagina indicabit.

E Bibliotheca Patricii Nobiliſſimi

LVCII HADRIANI COTTAE eruta,

STVDIO ET OPERA

JOANNIS PETRI PVRICELLI,

Sacrae Theol. Doctoris, & Laurentianae Baſilicae Archipreſbyteri.

Qui ſuum etiam illis Indicem Familiarum & Epitomas adjecit.

RESIDVA HIC CONTENTA.

HISTORIAE PATRIAE LIBER XXI. & XXII.

NVPTIAE MEDIOLANENSIVM DVCVM: ſive Joannis Galeacii cum Iſabella Aragona, Ferdinandi Neapolitanorum Regis nepte.

NVPTIAE MEDIOLANENSIVM ET ESTENSIVM PRINCIPVM: ſcilicet Ludovici Mariæ cum Beatrice, Alphonſi Eſtenſis ſorore: viciſſimque Alphonſi cum Anna, Ludovici nepte.

NVPTIAE AVGVSTAE: hoc eſt, Maximiliani Romanorum Regis, & Imperatoris jam deſignati, cum Blanca, Joannis Galeacii Mediolanenſium Ducis ſorore.

I M P R I M A T V R.

Fr. Baſilius, Commiſſarius Sancti Officii Mediolani.
Jo. Paulus Mazuchellus pro Eminentiſſ. D. Cardinali Archiepiſcopo.
Comes Majoragius pro Excellentiſſ. Senatu.

ILLV-

ILLVSTRISSIMIS AC GENEROSISSIMIS VIRIS,

VRBIS MEDIOLANI
PRAEFECTO
JVLIO DVGNANO
ET SEXAGINTA DECVRIONIBVS.

Hæc Triſtani Chalci *Reſidua* vos, PRAESTANTISSIMI HEROES, PATRIAEQVE MODERATORES AC PATRES, à litteratiſſimis æque ac prudentiſſimis Collegis veſtris, HIERONYMO LEGNANO, & MARCHIONE VERCELLINO MARIA VICECOMITE, recognita primum è nutu veſtro, ac deinde Veſtrum etiam omnium conſenſu pro legitimis comprobata, typis imprimi juſſiſtis. Eadem vero viciſſim non aliud profecto, quam veſtrum Nomen Ampliſſimum, præferre jam geſtiunt. Quorum enim beneficio è tenebris in publicam lucem, pene redivivi fœtus, prodierunt; eorum quoque patrocinio deinceps foveri præoptant; vitamque ſuam iis acceptam referre palam & ingenue conteſtari, à quibus eam vere acceperint. Graviſſimo nimirum Concilii veſtri judicio ſancitum alias fuit: VT, QVAE EXSTARENT VETERVM HVJVS VRBIS ANNALIVM PVBLICA LVCE VESTROQVE NOMINE DIGNA MONVMENTA, SEV PRIVATIS IN BIBLIOTHECIS EXSCRIPTA, SEV TYPIS OLIM IMPRESSA, EA VOBIS AVCTORIBVS DENVO PRO VESTRI NOMINIS DIGNITATE CVDERENTVR: ſicut etiam initio Nuncupatoriæ viginti priorum ejuſdem Triſtani Librorum Epiſtolæ, non abſque debita decreti tam ſapientis commendatione, memorabatur. Quemadmodum igitur propterea priores illos Libros, favore veſtro primum editos anno Seculi hujus vigeſimo ſeptimo (cum Præfectus urbis eſſet FABIVS FRANCISCVS DVGNANVS, nunc Regius Senator, ac meritiſſimus) Vobiſque nuncupatos, apprime placuiſſe, compertiſſimum eſt; ſic etiam iſtis ejuſdem Chalci *Reſiduis* exitus æque ſaltem fælix exſpectandus hoc tandem anno videbatur; quo videlicet anno Præfecturam pariter Urbanam ſumma cum laude JVLIVS adminiſtraret DVGNANVS, ejuſdem Fabii Franciſci digniſſimus frater. Sed iſtis fortaſſe propria nunc quædam & major gratia non deerat vel eam præſertim ob cauſam; quia nunc tandem inventa ſint; cum alioqui vel omnino neſcirentur, vel ſaltem pro deſperatis ac perditis haberentur. Illud vero etiam huc accedebat; quod ejuſmodi munus, ſive potius amoris & obſervantiæ teſtimonium, non tam ego, quam Vir eximius Vobis offert, LVCIVS HADRIANVS COTTA, juvandæ Patriæ cupidiſſimus; cujus in Bibliotheca illud auſpicato inventum fuit; quique perhumaniter illud mihi communicavit ad hunc proprie finem, ad quem ſimiliter ego quoque cæteroqui anhelabam. Quod ſi forte Vos (quemadmodum ego certe rogo & obteſtor) ſtudium quoque meum hac in parte operamque probare ac patrocinio complecti veſtro non dedignemini; efficiam profecto, ut talis erga me beneficii neque Vos, nec Ordinem unquam veſtrum, neque communem hanc Patriam pœniteat. Multæ ſiquidem præſto mihi ſunt Hiſtoriæ noſtrates, ab aliis olim Scriptoribus diligenter ac fideliter elaboratæ, neque typis hactenus unquam evulgatæ, aut ſaltem in præſenti raræ admodum & pauciſſimis cognitæ: multa inſuper ego quoque variis ex Archivis, necnon etiam è Libris vel impreſſis vel ſolummodo manuſcriptis, jam collegi, & inceſſanter, undecumque poſſim, colligere meditor: quibus omnibus Hiſtoria Mediolanenſis, convenienter ad veſtrum illud decretum, illuſtrata plurimum

mum & aucta, de tenebris & erroribus triumphare ſecura poſſit, nativamque nobilitatem ac præſtantiam ſine fuco & ceruſſa oſtentare, ſimul & admirationi omnibus eſſe. Magna ſunt, quæ polliceor. Magna ſane: non inficior. Atqui nihilominus etiam confido fore, ut Voſmetipſi tandem longe majora eſſe fatcamini; ſi forte per Vos detur, ut ego promiſſis fidem re ipſa præſtare poſſim. Deus interim Vos Vobis & univerſæ Patriæ mihique diutiſſime ſervet incolumes. Mediolani anno Domini MDCXLIV.

Deditiſſ. & Obſequentiſſ. Servus

JOANNES PETRVS PVRICELLVS,
Laurentianæ Baſilicæ Archipresbyter.

SEXAGINTA VRBIS MEDIOLANI DECVRIONES,

ad quos præcedens Epiſtola dirigitur.

EQVES CAROLVS VICECOMES, REGIVS AERARII PRAEFECTVS.
COMES CONSTANTIVS TABERNA.
COMES LVDOVICVS MELTIVS, J. C.
MARCHIO FRANCISCVS MARIA VICECOMES.
COMES JOANNES AMBROSIVS PECCHIVS.
LVDOVICVS CRIBELLVS.
JOSEPH RAVERTA.
COMES PHILIBERTVS SOMALIA.
JOANNES BAPTISTA ARCIMBOLDVS.
COMES HIERONYMVS BARROVVS.
COMES ANTONIVS CORIVS.
JACOBVS MARIA STAMPA, EQVES S. JACOBI.
JVLIVS SCLAFENATVS.
ALEXANDER VICECOMES.
COMES CAROLVS FRANCISCVS SERBELLONVS..
FRANCISCVS CASTILLIONEVS.
COMES JACOBVS MANDELLVS, EQVES S. JAC.
JOANNES PETRVS NIGROLVS.
COMES BARTHOLOMAEVS ARESIVS, PRAESES MAGISTRATVS ORDINARII.
MARCHIO AVGVSTINVS LITTA, EQVES SANCTI JACOBI.
ALEXANDER PANIGAROLA, EQVES S. JAC.
JACOBVS FAGNANVS.
JOANNES BAPTISTA DE PLENIS.
FABIVS FRANCISCVS DVGNANVS, SENATOR.
PETRVS PAVLVS MAGIOLINVS.
COMES ALBERTVS VICECOMES.
GEORGIVS TRIVVLTIVS.
COMES CAROLVS VICECOMES.
CAMILLVS LONATVS.
COMES ANGELVS TRIVVLTIVS, EQVES S JAC.
HIERONYMVS LEGNANVS.
GEORGIVS RAINOLDVS.
JOANNES BAPTISTA ORRIGONVS.
HIPPOLITVS BRIPPIVS.
RAYMVNDVS FOPPA.
COMES CAROLVS TABERNA.
COMES CAROLVS ARCHINTVS, J C.
ANTONIVS ALIPRANDVS.
AVGVSTINVS CAIMVS, EQVES S. JAC.
HIERONYMVS MONTIVS.
HIERONYMVS FAGNANVS, J. C.
PRINCEPS HERCVLES THEODORVS TRIVVLTIVS, EQVES AVREI VELLERIS.
JOANNES BAPTISTA HOMODEVS, QVAESTOR.
JOANNES ANGELVS PORRVS.
COMES PYRRHVS VICECOMES BORROMAEVS.
MARCHIO VERCELLINVS MARIA VICECOMES.
MARCHIO MAXIMILIANVS STAMPA.
CAESAR RHO.
AEGIDIVS ROMA.
COMES GVID-ANTONIVS STAMPA.
COMES ALOYSIVS ARCONATVS.
MARCHIO TIBALDVS VICECOMES.
HYACINTHVS ORRIGONVS, QVAESTOR.
PHILIPPVS CORIVS.
COMES HORATIVS ARCHINTVS.
MARCHIO CAROLVS GALLARATVS, J. C.
JOSEPH CRVCEIVS, J. C.
COMES VALERIANVS SFONDRATVS, EXERCITVVM COMMISSARIVS GENERALIS.
JOANNES BAPTISTA VICECOMES, J. C.
JOANNES BAPTISTA GLVSSIANVS, PROTOPHYSICVS.

PRAE-

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

HVMANISSIMVS æque ac Nobiliſſimus hujus urbis Patricius, LVCIVS HADRIANVS COTTA, nou ita pridem à me rogatus evolvebat omnes ea ſua Majorumque ſuorum Bibliotheca libros; ſi forte quippiam exſtaret, quo Sanctus è ſua familia Herlembaldi, necnon etiam Sancti ex Alciata ſtirpe Arialdi, cui plurimum ille cum Landulfo fratre ſuo favit, illuſtrari Vita poſſet, quam ego typis aptabam. Forte autem fortuna ex improviſo præter omnem opinionem ac ſpem iſthæc illi ad manus acciderunt Triſtani Chalci Reſidua: de quibus cæteroqui nihil antea innoteverat; cum viginti priores Hiſtoriæ Patriæ Libri decimo ſeptimo ab hinc anno primam in lucem typis ederentur.

Cæterum hi duo poſtremi ejuſdem Hiſtoriæ Libri ab anno Chriſti ſupra milleſimum trecenteſimum decimo tertio ad vigeſimum tertium pertinuere. Quod autem obſervatione dignißimum erat, eorum exemplar ſemet aperte prodit ipſiuſmet Triſtani Chalci manu conſcriptum. Multa quippe ideutidem hic occurſant emendata, detracta, vel addita, pro eo tantum jure, quod ſolis Auctoribus in ſuas Lucubrationes, ceu patribus in ſuos filios, convenit. Idipſum vero apertiſſime ſic etiam contueri licet in eo Bibliothecæ Ambroſianæ Codice, quo viginti priores Libri, eodem prorſus cum iſtis charactere pariter ac formula conſcripti, continentur, ac quibus iſti duo poſtremi citra dubium ſubnectendi erant; ſicut è poſtrema Libri ejus vigeſimi & è prima iſtius vigeſimi primi pagina, inter ſe collatis, liquidiſſime conſtat. Illum autem Triſtani eſſe autographum (præterquam quod prædicto pariter argumento paßim commouſtratur) indubitanter nobis ac multoties affirmavit etiam ſummæ Vir prudentiæ fideique indubitatæ, ANTONIVS OLGIATVS, ejuſdem Bibliothecæ primus & ab ejus initio in præſentem uſque diem Præfectus, in omnem poſteritatem pro ſuis meritis commendatiſſimus: quinetiam FVNDATOR IPSE, FEDERICVS CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPVS BORROMAEVS, OMNI LAVDE MAJOR, hoc idem conſtanter aſſerebat ſe certo ſcire. Quocirca non impar itidem judicium de duobus hiſce Libris feratur, neceſſe omnino eſt: ac proinde talibus è Triſtani autographis alia diverſi charactēris exemplaria, ſi forte aliquando ab ipſis diſcrepant, emendentur.

Sed hæc ipſa charactēris inter ejuſmodi Libros ſimilitudo noſmetipſos inſuper admonet, reliqua item tria iſthæc Opuſcula Nuptialia nihilo minus Triſtani autographa eſſe; quamquam hæc ille multo diligentius ac politius (ſi non ad rectē, certe tamen ad belle ſcribendi ſcientiam & artem) velut extrema ſcriptoris excellentis manu, & in pergamena charta conſcripſit; atque illamet etiam fortaſſe ſunt exemplaria, quæ ipſe donavit iis, quibus Lucubrationes ejuſmodi ſuas nuncupaverat; & illud præſertim, quo priora duo continentur Opuſcula.

Quandonam vero tria iſthæc ille Opuſcula conſcripſerit, vel ex iiſdem ſatis intelligi datur. Primum ergo conſcripſit anno Chriſti ſupra milleſimum quadringenteſimum octuageſimo nono: ſecundum nonageſimo primo: tertium autem nonageſimo quarto, ſicut in fine legitur; tametſi poſtea Nuncupatoriæ illi, & quidem primævæ, ad Heraſmum Braſcam Epiſtolæ nonageſimum ſeptimum recentiori charactēre annum adjecerit. Quamobrem iſthæc antea conſcripſerat, quam proſequendæ poſt Georgium Merulam defunctum Hiſtoriæ Mediolanenſis provinciam, ſibi demandatam, ſuſciperet.

Jacobus enimvero Philippus Bergomenſis in Supplemento Supplementi Chronicarum, & in ſexti decimi Libri fine, profitebatur, annum Chriſti tertium ſupra milleſimum quingenteſimum ſibi ætatis eſſe ſuæ ſexageſimam nonum. Eodem autem Libro, ad annum milleſimum quadringenteſimum nonageſimum, tradiderat, ex hac vita Merulam evolaſſe nonageſimo quarto ejuſdem Sæculi anno. Certe autem nonniſi poſt biennium ab ejus obitu Triſtanus eam provinciam ſuſceperat; ſicut ipſemet in ſuæ Hiſtoriæ Patriæ Præfatione laculenter teſtabatur. Itaque nonniſi poſt nonageſimum ſextum ſemet ei contexendæ Hiſtoriæ applicuit; atque adeo nonniſi ſub ea tempora, quibus Res Mediolanenſis adventu Gallorum tantopere perturbata multos in annos fuit. Quippe nonageſimo nono ſubinde anno Rex Galliæ, Ludovicus Duodecimus, miſſo in Italiam exercitu, atque mox etiam ipſe ſubſecutus, Mediolanum & univerſum ejus Ducatum in ſuam redegit poteſtatem: ac Ludovicum Mariam Sfortiam Ducem noſtrum, Triſtanique Mæcenatem, in Germaniam protinus fugere coegit: & alia funeſtiora, quæ illius Ævi Scriptores communiter narrant. Qua quidem rerum perturbatione, mirum eſt profectō, niſi etiam Triſtano proſequendæ Hiſtoriæ voluntas ad minus deſerbuerit; tametſi eundem ab ipſomet etiam Francorum Rege, jam Mediolani Duce, habitum in honore ac pretio reperiam.

Anno ſiquidem ſupra milleſimum quingenteſimum tertio Regius jam erat Secretorius: & hoc ille titulo inſignis, ejuſdem anni Kalendis Auguſtis, aureum Cenſorini DE DIE NATALI Librum, & alia nonnulla aliorum Opuſcula, typis Mediolanenſibus edita, officioſus nuncupavit STEPHANO PONCHERIO; cum nuper è Regio Senatus Mediolanenſis Præſide provectus ad Pariſienſis Eccleſiæ Pontificatum fuiſſet. Sic etiam Regio-Ducales Litteras,

ab ipſo, tamquam Regio Secretario, ſubſcriptas anno poſtea ſexto dieque trigeſima prima Octobris, & rurſus anno ſeptimo dieque Julii quinta, nobis nuper oſtendit ORNATISSIMVS OMNI ERVDITIONIS ETIAM LAVDE MARCHIO VERCELLINVS MARIA VICECOMES. Quo pariter indicante, vidimus etiam publicum anno ejuſdem Sæculi decimo ſexto ac decima tertia Octobris die Inſtrumentum: in quo ille jam inter mortuos computabatur, relictis poſt ſe uxore Domina Suſanna de Calcaterris, & ex ea filio Joanne Franciſco.

Intra ſeptimum igitur ac decimum ſextum ejus Sæculi annum Triſtanus noſter occubuerat. E vigeſimi ſecundi autem Libri exitu illo ita manco & imperfecto, qualem ipſe poſteris reliquit, facile nos interpretamur, eundem, morte præventum immaturâ, non ultra ſcribendo procedere potuiſſe, cum alioqui jam inde ab initio ſuſceptæ poſt Mernlam ſcribendi curæ filios & nepotes Matthæi Vicecomitis tractare cæpiſſet eo animo, ut, quæ à fine Merulæ reſtabant, ea ipſe continuato protinus tenore proſequeretur; quemadmodum ipſemet in ſua Præfatione *recenſuit. Quo quidem caſu conſiſtere ibi coactus eſt, unde majores ac fæliciores facere progreſſus debuiſſet, atque etiam potuiſſet. Poſtremo igitur illi eidem Libro ne Notas quidem ullas marginales adjecit, ſed ſolum Chriſti annum milleſimum trecenteſimum vigeſimum; & hunc junctа Libri ejuſdem primordia. Etenim tam ſingulos Librorum titulos, quam ejuſmodi Notas (id quod in Opuſculis etiam illis Nuptialibus obſervare licet) rubro formare ſolitus erat Chalcus charactere: nobiſque propterea videtur earum ſimul omnium adjectionem in illud reſervaſſe tempus, quo Librum quemque integrum exſcripſiſſet.*

Cur autem genuinum & purum Triſtani cognomentum, non CALCHI, (ſicut in priorum viginti Librorum Editione retentum eſt) ſed potius CHALCI nobis eſſe videatur, hæ fuerunt rationes. Ipſa in primis Triſtani autographa, quæ à nobis hactenus conſpecta ſunt, ita prorſus ac perpetuo ſe habent. Sic etiam Triſtanus ipſe Regiis ſemet Litteris ſubſcribebat, & iis nominatim, quas paulo ante innuimus. Nec aliter ante ipſum ſeſe ſubſcripſerat Bartholomæus Chalcus: quem ipſe ſui cognominis ſplendorem, ſuæque dignitatis auctorem prædicare gratus conſuevit. Hic enim non modo ſub tribus noviſſimis ante Ludovicum Regem Principibus noſtris, ſed etiam ſub ipſomet Ludovico, fuerat Principalium Secretorum Magiſter: noſque multas ejuſmodi Litteras & Diplomata interim ab eo ita prorſus ſubſcripta conſpeximus. E quorum certe numero illud etiam eſt, quo Ludovicus idem Rex, cum nuper hoc Ducatu Statuque Mediolani potitus eſſet, ejus regimen ſanxivit; quodque Viglevani datum anno Dominicæ Nativitatis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono, die undecima Novembris, adhuc archetypum in Archivo civitatis conſervatur. Sed ejuſmodi probationibus accedit etiam Diamantis auctoritas Marinoni: cui conſentit etiam Paulus Morigia, in ſua Mediolani Hiſtoria, *Lib. III. cap. II. Marinonus enim, (cujus exemplar manuſcriptum nobis humaniſſime ſuppeditavit è ſuo Muſeo ALOYSIVS ECCLESIA, meritiſſimus urbis Secretarius) cum de multis Nobilium Familiis diſſereret, perſuaſum ſibi eſſe profitebatur, iſtam Chalcorum Familiam prima origine Græcam eſſe, ſummque ſortitam cognomentum è Chalcide civitate in Enbœa Inſula. Quod pro rei veritate ſi forte ita ſe habeat; certe quidem civitas illa Græce, non* ΚΑΛΧΙΣ *ſcribitur, ſed* ΧΑΛΚΙΣ: *cui propterea dictioni (& ſic de aliis quibuſdam ſimilibus, è Græco Idiomate petitis) ad purum & ſincerum unice congruit, non CALCHI, ſed CHALCI cognomentum.*

Sicut autem, Benigne Lector, inter hæc Triſtani Reſidua *tibi ſunt in promptu* Nuptiæ Joannis Galeacii, *ſic etiam illas tunc temporis deſcripſit STEPHANVS DVLCINVS, Scalenſis hac in urbe Canonicus; necnon etiam NICOLAO LVCARO, Rhetori Cremonenſi, nuncupatas typis hic evulgavit anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono. Sed rariſſima hoc tempore ſunt ejus exemplaria: & unicum tantummodo hactenus ego in Ambroſiana vidi Bibliotheca. Quod ſi præterea JASONIS MAYNI* Orationem, *coram Maximiliano Romanorum Rege habitam, legere cupis integram, quemadmodum ille verbatim à ſe recitatam affirmavit, & non tantum ſicut hic à Triſtano, Auguſtis conſita Nuptiis, ſummatim recenſetur; eandem invenies in Secundo Tomo, ex Bibliotheca Marquardi Freheri primum edito Francofurti anno Sæculi præſentis trigeſimo ſeptimo. Eſt autem inſcriptus, GERMANICARVM RERVM SCRIPTORES VARII, PARTIM HACTENVS INCOGNITI, &c.*

Quoniam verò tibi, Lector, facile placebit etiam ex ipſiſmet Triſtani exemplaribus ea propriis dijudicare oculis poſſe, quæ nos de ipſis in præſenti Præfatione diſſernimus; hoc denique moneo, ut eadem poſtmodum in Ambroſiana requiras Bibliotheca. Illi ſiquidem largiri ea ſtatuit humaniſſimus bonique publici amantiſſimus Cotta, qui mihi eadem hactenus commodavit.

INDEX

INDEX
FAMILIARVM, ET PERSONARVM,
AD VNAMQVAMQVE FAMILIAM SINGILLATIM ATTINENTIVM IN HIS TRISTANI CHALCI RESIDVIS.

A.

Abiati.
Ambrosius.
Advocati.
Symon.
Ubertus
Adurni.
Augustinus.
Aldigherii.
Paulus.
Alemani.
Petrus.
Ab Alice.
Bonifacius.
Anguissolæ.
Lancelotus.
Antelminelli.
Aldigerius.
Aragonii.
Alphonsus.
Alphonsus.
Ferdinandus.
Isabella.
Arcelli.
Leonardus.
Arcimboldi.
Guid-Antonius.
Arengerii.
Paulus.
De Armis.
Jacobus.
Auriæ.
Bernabos.
Conradus.
Valencina.
Austriaci.
Henricus.
Maximilianus.
Sigismundus.

B.

Baucii.
Beltramolus.
Ugo.
Beccariæ.
Castellinus.
Joannes.
Becchi.
Acquirantes.
Bentivoli.
Annibal.
Bolognini.
Petrus.
Bonacossæ.
Passarinus.
Scaliger.
Bonromei.
Joannes.
Bonsignorii.
Emblavadus.
Bontemps.
Joannes.
Bottæ.
Bergomius.
Brascæ.
Herasmus.
Breisach.
Marchoaldus.
Burri.
Bonacossa.
Otholinus.
Buzalini.
Gerardus.

C.

Camedoiæ.
Ascardus.
Campani.
Ugutus.
Campioni.
Antonius.
Cancellarii.
Cardani.
Cardonæ.
Raymundus.
Carii.
Ubertinus.
Carrarii.
Jacobus.
Jacobus.
Carreti.
Henricus.
Marcus.
Casates.
Gulielmus.
Paganus.
Castracanes.
Castrucius.
Cavalcaboves.
Aloysius.
Jacobus.
Chalci.
Bartholomæus.
Jo. Augustinus.
Tristanus.
Columnæ.
Gaudentius.
Comites.
Salabruga.
Corriciani.
Jacobus.
Corrigii.
Gibertus.
Matthæus.
Nicolaus.
Symon.
Cribelli.
Lucas.
Symon.
Curcienses.
Raymundus.
Curiagi.
Bonifacius.
Gulielmus.

D.

Delphini.
Ugo.
Dossiæ.
Emmanuel.

E.

Ab Ecclesia.
Maximus.
Enzolæ.
Gerardus.
Obizo.
Estenses.
Aldebrandus.
Alphonsus.
Beatrix.
Beatrix.
Franciscus.
Hercules.
Hercules.
Isabella.
Sigismundus.

F.

Fasioli.
Franciscus.
Nerius.
Ugutio.
Ferruffini.
Fisiragæ.
Antonius.
Flisci.
Carolus.
Hiblatus.
Isabella.
Philippinus.
Francesii.
Muciatus
Fulgosii.
Furiensis
Petrus.

G.

Gallerates.
Joannes.
Petrus.
Gallicii.
Carolus.
Gambaterisæ.
Riciardus.
Garbagnates.
Franciscus.
Garimberti.
Franciscus.
Gavaciæ.
Gucius.
Genarii.
Antonius.
Gluffiani.
Castellanus.
Gonellæ.
Gonziagæ.
Franciscus.
Rodulphus.
Grimaldi.
Gaspar.
Rabella.
Raynaldus.
Grunesten,
Henricus.
Guizardini.
Jacobus.
Petrus.

H.

Horti.
Andreas.

I.

Inviciati.
Ilei.
Jacobus.

L.

Lanciavegiæ.
Landi.
Conradus.
Manfredus.
Opizzones, seu Vergusius.
Languscí.
Philippinus.
Riciardinus.
Lanterii.
Paulus.
Laudenses.
Girardus.
Licorvi.
Petrus.

M.

Malaspinæ.
Nicolaus.
Spineta.
Maletæ.
Nicolaus.
Manassi.
Theodorus.
Mandelli.
Imblavadus.
Manlii.
Conradus.
Mantuani.
Bochalinus.
Margolii.
Berardus.
Marioli.
Jo. Antonius.
Marliani.
Fabritius.
Marmotoni.
Daniel.
Mascarati.
A Mulla.
Nellus.
Mayni.
Jason
Mechar.
Gaspar.
Medices.
Laurentius.
Petrus.
Merlani.
Merulæ.

TRISTANI CHALCI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XXI.

EPITOME.

Henrici Septimi Regis mors Guelphis lata, Gibellinis tristis. Pisani ac Longobardi semet ad arma parant. Vicecomites suis prævalent hostibus; tametsi semel ab ipsis victi. Montisclericuli Castrum à Parmensibus obsessum, seseque illis in deditionem tradit, statimque traditur exudioni. Concilium ad Vicumam celebratur Allobrogum. Ejus decreta, & pernitiosa inde certamina. Moritur Clemens Pontifex, ac biennio Sedes vacat. Moritur & Rex Francorum Philippus, ac deinde Ludovicus: & in Regnum Carolus Valesius subjicitur. Imperium sibi duo vendicant; sed Ludovicus, Bavariæ Dux, illud sibi armis ac certamine obtinet. Lucenses, auxilio Roberti Regis, alio implicitis bello, frustra expellatis, Ugutionis Fasiolo sese subjiciunt: & hic certaminis ibidem subinde obortæ compescit. Sed & Aretio potitur; at in breve tempus. Conventus Parmæ habitus. Nuptiæ inter Gibertum Corrigium & Magdalenam Rubeam celebratæ. Castoni Turrians, Mediolanensis Archiepiscopi, sacra fulmina in Matthæum ac filios Vicecomites: & aliorum bellici apparatus in ipsorum pernicies; sed irriti. Vincentinos, à Patavinis obsessos, Canis Scaliger liberat. Ubertus moritur Vicecomes, quatuor post se filios relictis. Obortæ Parmæ contentio inter Giberti Corrigi propinquos, demum sedatur. Ingens contra Ugutionem ad Lucam exercitus; sed ille tamen vincit. Galeacius Vicecomes, Derthonæ potitus, arcem in confinentibus Padi & Friæ ædificat. Matthæi pater eam reficit, & ab impedientibus tuetur. Papia etiam potitur, ibique arcem constituit, & ab exilio Episcopum revocat. Alexandrini quoque suam illis urbem tradunt. Jacobus Cavalcabos Cremonæ ac Brixiæ dominium accipit. Cremona non multo post ad Gibertum Corrigium transit, nec sine magna ipsius apud multos invidia; sicut etiam Parma postea magnum subiit discrimen. Itaque Parma pariter & Cremona sese illius regiminis subduxerunt. Pisæ & Lucam Ugutio amittit ob suam tyrannidem, ac nominatim erga Castruccium Castracanem, nobilitate generis ac rebus præclare gestis insignem. Romanus jam tandem Pontifex, satagente Francorum Rege, creatur Joannes Vigesimus secundus. Clementis Decreta hoc confirmat: cumque Ludovicum Bavarum Imperatoris etiam titulo privasset; ille palam rebellavit. Alexandrinorum interea fines à Riccardo Gambatersi & à Bancio infestati. Matthæus illis Vicecomes auxilio subinde fuit. Opicinus Spinula moritur. Matthæus ædificando terit otium Mediolani: Ædesque Duodecim Virûm, publici commodi Provisoribus, ac duplicem porticum marmoreo parietè constituit. Ut autem Pontificis iram declinaret, titulum exuit Vicarii Cæsarei, seque populi Capitaneum ac Libertatis Defensorem inscripsit. Irascitur inde nihilominus Pontifex: & sicut, invito Matthæo, Arcardum promovet ad Mediolanensem Archiepiscopatum; ita Castone Turriano Patriarchatum Aquilejensem tradit; ipsumque quin etiam Matthæum communione Fidelium privat. Gibellinorum Guelphorumque nomen Parmæ veritum; vicibusque supremus Magistratus ad sex tantum menses constituitur, & Capitaneus populi appellatus, ac Gerardus Buzalinus electus. Hinc ab Amicis Corrigii, tum ab ipsomet etiam Corrigio, multa mala illata. Cremona obsidione cingitur, nec multo post liberatur. Ferraria veteres ad Dominos redit, Estensee. Inter Stephanum Matthæi filium & Valentinam Bernabovis Anguillæ filiam nuptiæ pactæ, aliis Genuensibus diversa factionis principibus invidiam & suspicionem injecere. Spinulæ per ipsos propterea revocantur ab exilio in urbem; sed non diu morantur. Matthæus igitur, sibi junctis & Spinulis & Auriis, Genuam ipsam obsidione premit: ac ne regatus quidem per Legatos desistit. Genuenses Roberti Regis opem impensius implorant, eique deditionem urbis pollicentur. cumque ipse advenisset, eandem illi dedunt; sed ne propterea quidem à se bellum propulsant. Inter hæc Pontificis mandato Matthæus Aventinem vocatur ad reddendam eorum rationem, de quibus accusabatur. Sic etiam contra ipsum Canis Scaliger à Francisco Turriano sollicitatur. Super hic ergo ipse Colloquium Soncini cum Sociis habet: ibique Canis idem Scaliger communi consensu Capitaneus Societatis decernitur, necnon etiam Passerinus Bonacossa promissis in fide confirmatur. Ad Genuam rursus acriter pugnatur: cumque Matthæi demum exercitus recessisset; ipse quoque Rex Robertus Aventinem inde discessit. Matthæus enimvero novis sibi auxiliis comparatis Genuam retentat. Vario hîc exitu terra marique pugnatum. Nec defuere, qui Vicecomitem inde ad sua tutanda conarentur avertere. In Cremenses deinde, tum etiam in Brixienses Matthæus movit. Gibertus etiam Corrigius, ab Etruscis Urbibus creatus universi nominis Guelphi Capitaneus, in Brixiensem, Bergomensem, ac Cremonensem agros infestum irrupit. Inter hæc Corrigius & Turrianus assiduitatem contrahunt. Ugutio pariter Fasiolus cum Spineta Malaspina conspiravit, ut in antiquum Lucæ Pisarumve imperium rediret; sed frustra. Sacros Moguntiæ (sive Modoetiæ) Thesauros, a Turrianis olim pignori fœneratoribus locatos, Matthæus Vicecomes redimit; atque suis loculamentis restituit. Canis Scaliger, Patavinum affectans regnum, nihil non tentat. Sed Patavini auxilio à Federico Duce Austriæ obtentis eum repellunt, & opulentis ejusdem castris potiuntur.

INTEMPESTIVA Henrici mors alios tristis, lætaalios atque peroptabilis accidit. Nam, ut varii erant animorum habitus, ita hunc exultavere Guelphi nominis Propugnatores; & Gibellini, non secus atque ignes injecta aqua, oppressi sunt inopinato illo atque inexspectatissimo nuncio. Pisani in primis pavefacti satis præsentibus rebus consuluisse crediderunt; si Ugutionem Fasiolum militiæ suæ Principem pararent. Itaque huic quibuscumque conditionibus ab Genua evocant, pecunias ad conducendos milites abunde præbent. Neque is conditiones tali tempore oblatas repudiavit: imprimisque Germanos equites, qui amisso Rege oberrabant, conducit: nec pauci Itali accessere. Quorum

rum multitudine fretus ſe Piſas Ugutio contulit: & finitimis hoſtilia molientibus fortiter reſponſurum ſe declaravit.

In Longobardis autem Albertus Scottus, clam Mediolano digreſſus, in agrum Placentinum ſe contulit. Nihil non moliturus, quo patrem & opes recuperaret, amicos convocat. Præter conſanguineos & domeſticos acceſſere ad eum Philipponus Languſcus, Symoninus & Paganus Turriani. Cum ſatis copiarum coiviſſe videretur, Placentiam aggredi conſtituunt. Tenebat eam Galeacius Vicecomes: qui nec ignarus eorum, quæ inimici parabant, validum & ipſe exercitum contraxit, pugnæque ſe obtulit advenienti hoſti. Certatum eſt acerrime. Superior jam videbatur Galeacius; cum Philipponus, inclinatam ſuorum aciem reſtituere nixus, pene circumventus eſt. Alteri agmini præerat ejus Propinquus, è Sancto Nazario cognominatus. Qui ubi Languſcum telis peti cognovit, ſtrenue in confertos hoſtes incurrit, pugnamque aliquantiſper reſtituit. Tamen perrumpere ad illum non potuit: neque tantum virium habuit, ut ſe amicumque ſervaret. Profligatis aciebus, ambo capiuntur, vivique Mediolanum perducti.

Exterriti ea clade inimici Vicecomitum continuo Conventum Papiæ indicunt. Convenere Ugo Baucius, & Thomas Neapolitanus Schiracii Comes, & Franciſchinus Turrianus: factaque conſpiratione, equitum duo, peditum circiter decem millia contraxere in agro Laumellino. Quibus mox cis Ticinum traductis, Abiatum oppidum aggrediuntur; ſed haud ita facile potiuntur. Validum inerat præſidium. Tum ſubmiſſi à Mediolano ſexcenti equites; quibus præerat Theodorus Marchio Montisferrati, Salabruga Comes, ex Germania accitus: hi pugnam committere coacti, à multitudine ſuperantur. Theodorus ubi inclinatam aciem vidit, fuga ſibi conſuluit. Salabruga cum filio captus eſt. Ab ea victoria Turrianus, in agrum Seprium excurrens, Legnanum uſque prædabundus devenit. Thomas quoque Schiracius, fugientes perſecutus, vicos diripiebat. Et dulcedine prædæ longius provehuntur milites; ſed dum latius ſparguntur, debiliores cohortes efficiebantur; & proinde obnoxii populorum violentiæ, quos diripiendo per maximas injurias in ſe irritabant. Ab indigenis vicatim opprimebantur: occurrebat præterea cum integris copus, quacumque denſius agmen eſſe nunciabatur, Vicecomes, & præda impeditos obterebat. Sic, cum temperare in victoria neſciverint, eandem amiſere. Nam cum multi cæſi fuerint, mille & amplius capti ſunt. Cæteri, qui elabi potuere, alii Papiam, alii Aſtam ſe recepere. Thomas quoque triſtis & mœrens eodem profectus eſt.

Per eoſdem dies obſidentibus Parmenſibus oppidum, in ripa Niciæ amnis ſitum, quem Montem Clericuſum vocant, & quem Joanninus Sancto-Vitalis tuebatur; ejus auxilio miſit Mattharus Vicecomes ex fœdere quingentos equites, & paulo plus mille peditum. Sed hi, magnitudine apparatus hoſtilis perturbati, minime penetrare ad oppidum potuere. Joanninus, cui præter Vicecomitem gens etiam à Palude cognominata obſtricta jurejurando erat: cum nulla ex parte patere aditus auxiliis commeatibuſque videret; pridie Kalendas Novembres, pactus ſuam & ſociorum ſalutem, deditionem fecit. Parmenſes ſtatim arcem, rebus ſuis inportunam, ſubrui atque ſolo æquari juſſerunt.

In Gallia autem Clemens Pontifex Chriſtianos Principes in Concilium ad Viennam Allobrogum vocavit. Affuere Philippus Franciæ Rex, & duo filii, Ludovicus Navarræ Rex, & Carolus Valeſii Comes, tum Edoardus Britanniæ Inſulæ Rex. Hic multa de Tranſmarina Expeditione agitata ſunt, & alia ad augendam majeſtatem Pontificiam pertinentia: atque illud in primis, *Ut deſignato in Germaniæ Cæſare jura & nomen Imperatoris à Romano Pontifice acciperet*; quod tamen ab aliis longe antehac inſtitutum fuiſſe non ignorabatur: item, *Ut, mortuo Imperatore, per omne Interregni tempus Italicarum urbium gubernatio penes Romanum Pontificem foret.* Statimque urbes, quæ Ditionis Cæſareæ fuerant, tradi Roberto Regi procurandas juſſit; ac nominatim Ferraria illi ceſſit. Quæ res inaudita, & nunquam antea tentata, graves motus & perniciosa certamina excitavit. Siquidem ii omnes, qui Henrico adhæſerant, ceu religionis rebelles vexari ubique cœpere.

Sed parum diuturna voluptas tantæ acceſſionis rerum ei ſtetit. Pridie namque Kalendas Majas anni milleſimi trecenteſimi decimi quarti Clemens obiit, non longe ab Urbe Carpentorato, loco, quam vocant Rotam Mauram Caſtri Montiliorum. Poſt cujus mortem Eccleſia biennium ſine Paſtore fuit, contentionibus & diſcordiis Patrum: qui, Conclavi diffidentes digreſſi, urbeque Carpentorato dilapſi, ut in unum redirent, & rei Chriſtianæ conſulerent, addici citius non potuere. Cæterum haud ita multo poſt obitum Clementis, Philippus quoque Francorum Rex illum ſecutus eſt: & Ludovicus filius, ſucceſſor declaratus, non perennavit. Quare res Galliæ ad Carolum ſecundo genitum, Valeſii Comitem, deferuntur. In Germanis quoque ſummo in diſcrimine negotia publica fuere. Ex obitu Henrici duo paribus ſuffragiis Cæſares creati, Ludovicus Bavariæ, & Fredericus Auſtriæ Duces. Quorum alter, ut alteri cederet (nam duos ea ſella non capit) adduci per communes amicos nequaquam potuere. Armis igitur & prælio decidere cauſam placuit. Comparatis copiis, commiſſoque certamine, Fredericus ſuccubuit. Ludovicus extemplo Imperatorem ſe nuncupat.

A.C. 1314

In Etruria vero Ugutio Faſiolus, Piſis potitus, Lucenſes tentabat: injuriis & damnis atterebat: nec à Roberto, in cujus tutela ſpem omnem locaverant, auxilia ulla apparebant. Implicaverat ſe Rex Siculenſi bello. Scribit Guilielmus Ventura, ſe ab iis, qui interfuerant expeditioni, acceptiſſe: eum trajeciſſe in Inſulam cum uxore & liberis, cum quatuor equitum, peditum vero ſexaginta millibus: claſſem habuiſſe centum & viginti triremium, præter alias varii generis ducentas: obſediſſe Drepanum urbem, ſex menſes fruſtratum, conflictatumque fame, majorem exercitus partem amiſiſſe: ac demum pacem à Frederico petiiſſe: &, dum reverteretur, magnam partem reliquiarum naufragio periiſſe. Sic fraudari opinione Lucenſes, deſtitutique auxilio, iis legibus, quas Ugutio dixit, pacem accepere. Reducti in patriam Gibellini, & Alborum factio fugata. Potitus Luca Ugutio, juſtum exercitum comparat, loca ditionis Florentinæ infeſtat: quæ dum incurſando prædandoque vexat, avocatus Lucam eſt tumultu oborto. Reducti exules agros & bona ab adverſariis repetebant: ſuperbe & contumelioſe agebatur: atque ab jurgiis & conviciis ad arma ventum eſt. Ugutio urbem ingreſſus, certantes compeſcuit, agentesque prædas verbis muſque cohibuit: &, ceu æquus omnibus veniſſet, neminem de injuria dubitare juſſit. Guelphi tamen, tali Duci, & qui factionum ſtudiis multum obſequeretur, non ſatis confiſi,

fisi, populariter digredientes, una cum Roberti Regis Vicario patria cesserunt. Quibus fugientibus, adversarii non solum sua recuperarunt, sed & illorum domos opesque custode carentes invasere.

Compositis rebus Lucensibus, Ugutio Aretio quoque potitur, dedentibus civi suo patriam Tarlatis, qui illius favore & auxilio reducti domum ab exilio fuerant. Qua rerum accessione territi Florentini, Robertum enixe rogant, ne desit periculo suo: auxilia quamprimum mittat; si ab hostili jugo salvos se velit. Talibus precibus victus Robertus, Petrum fratrem, Tarenti Principem, & Carolum filium, cum mille equitibus in Etruscos misit. Quorum metu, simul & opera Guidonis Petramalae Episcopi, qui, quamvis ejusdem factionis homo, tamen aegre ferebat, Tarlatos principem in urbe locum tenere, Aretini ab Ugutione defecere. Et Parmae Conventum habuere Ugo Baucius, Symon Corrobianus Vercellensis, & complures alii Heroes: qui, multa cum Giberto Corrigio colloquuti, illi non solum restitutionem exulum, sed etiam, affinitatem ut cum gente Rubea contraheret, suaserunt. Sic Gibertus, jam annum matrimonio solutus, amissa Helena Languscii filia, duxit Magdalenam, Guilelmo Rubeo natam. Quae nuptiae magna cum omnium laetitia ac celebritate actae sucre. Quibus peractis, reversi sunt Papiam Baucius & Corrobianus. Jamque eodem ex Transalpina regione advenerant alter Ugo, cognomento Delphinus, cum trecentis equitibus: & Castonus Turrianus, Mediolani Archiepiscopus, qui Massiliae jamdudum exulaverat, & Matthaeum ac filios Vicecomites interdictione Sacrorum & aliis facerdotalibus telis persequutus, infames ignominiosoque fecit. Caeteri militares copias adversus eosdem contrahebant (conspiraverant enim acerrime in eorum perniciem) auxiliaque mittebant Bononia, Patavium, Cremona, rum pulsi Bergomo & Laude, & Albertus Scottus Placentia ejectus. Ac cum primo Mediolanum appetere constituissent; mox tamen, cognito Matthaei apparatu, Placentiam declinavere tanto validiori manu; quod & per Padum classis, terrestri exercitui auxilio futura, adnavigabat, & lateri, ut ajunt, adhaerebat. Addidit se his Gibertus Corrigius cum Parmensi & Rhegiensi militia. Jam suburbana loca lustrabant, & terrorem tumultumque se facere posse civibus confidebant; cum, constantibus in fide amicis, & fortiter obsidionem toleraturos se ostendentibus, alacrior ad tuendam civitatem Galeacius effectus est; & taedio affecti hostes, attritique opibus, sponte obsidionem solvere; atque, alius alio dilapsis, Delphinus & Baucius Derthonam, quae civitas sub imperio Roberti habebatur, redeunt. Ubi non multo post à conjuratis Baucius circumvenitur: tumultusque ingens excitatus est; sed is, à praesidio suo defensus, qua iter fugae patuit, elapsus est, eumque propterea infensissimum sibi metuens Derthonensis, vocato Vicecomite penitus à Roberto defecit.

Hisdem diebus Patavini gravi obsidione Vincentiam premebant: quam paribus viribus Canis Scaliger, Veronae Dominus, tuebatur. Itaque tandem eruptione facta Patavinos afflixit: è quibus mille & quingenti occubuisse traduntur, longe plures capti: in quibus inventi sunt illustres Viri, Jacobus Carrarius jam supremum locum in Patavino populo adeptus, & ejus nepos Marsilius Guilelmi Rubei filius. Quorum casu cognito, Gibertus Corrigius, recenti affinitate impulsus, quam celerrime ad Scaligerum convolavit, atque aegris animis interce-

dens, pacem fieri procuravit: quae ita sancita est, ut Vincentia sub Scaligeri ditione maneret.

Sequitur annus decimus quintus supra mille & trecentum; quo Ubertus Vicecomes, Matthaei frater, magno ejus moerore atque incommodo decessit. Elatus honorifice fuit nono Kalendas Majas in Aedes Eufforgianas. Quatuor autem cum suscepisse filios lego: mares tres, Otthorinum, Joannem, & qui ab urbe, in qua vel ortus sit, vel pater Magistratus erat, Vercellinus nuncupatus: foeminae Margaritae nomen fuit: quae nupta Franciscolo Pusterulae, ditissimo Mediolanensi, parum felix matrimonium sortita est. A. C. 1303.

Interea Parmae orta est contentio inter propinquos Giberti Corrigii. Paulus Aldigerius, Guilelmi Rubei gener, ab exilio cum caeteris reversus, redire in bona sua Baganzolae jure nitebatur: & Magistratus facultatem in id concesserat. Matthaeus Corrigius, Giberti ex patrucle nepos, qui forte ex rebellione fortitus ea fuerat, molestè id ferebat: atque, ne oppido decederet, cum propriis opibus, tum patrui favore contendebat. Aldigerius, injuriae (seu ea aperte seu clam fieret) impatiens, ad nova consilia animum applicat. Conspiratio ingens fit: in qua & Matthaeus Vicecomes, & civitates, Bergomum, Laus, Placentia, Mantua, Verona, nomina dedere. Et cum ad constitutum diem vicumque Sancti Quirici auxilia caeteri mitterent; à Vicecomite Luchinus filius, primae pubis adolescens, cum sexcentis equitibus datus est. Et facto impetu ad Baganzolam, arcem quoque expugnavere: &, direptis rebus, quae auferri poterant, Sanctum Secundum, quod oppidum tecens Rubei constituxerant, invadunt: & quamvis acriter defenderetur, tamen diuturnam vim inclusi perferre non potuere; quare, pacti salutem cum rebus, decessere. Ingressi Aldigerius & socii locum, opulentius munivere: multaque inde detrimenta Parmensibus intulere. Mox Junio mense reconciliata pax inter eos & cives est, tanta animorum redintegratione, ut cunctae simul Factiones, Nova & Vetus, Ecclesiastica & Caesarea, & si qua alia discordantium nomina erant, abolita praeteritorum memoria, in patriam redierint: celebraverintque simul summa hilaritate diem quintum decimum Augusti, qui insignis est anniversaria memoria Virginis in caelum assumptae.

Inde Luchinus Vicecomes in Etruriam transivit, auxilio futurus Ugutioni, de universa rerum summa periclitanti. Nam per eosdem dies praeter Petrum, quem supra memoravimus, alterum quoque fratrem, nomine Philippum, Tarentinorum Principem, & ejusdem filium, Robertus Florentiam miserat: quibus aggregati sunt universi prope Etruriae Flaminiaeque Guelphi. Ad sexaginta millia peditum, equitum vero quinque millia coivisse, Parmensis Scriptor tradit. Qua multitudine Lucam invasuri, cunctos pene ejus urbis amicos exterruere. Nec ita multo post arcem, excelsam in rupe sitam (Montem Catinum vocant) proditione custodiam occupant: atque ad ejus radices castra ita collocant, ut & facilem aquationem ex Nebula fluvio haberent, & tuti ab hostium incursione forent. Ugutio autem, cui Gibellinorum auxilia non deerant, quamvis longe impari numero, tamen, utcumque poterat, se opponebat; & hostes ne ulterius procederent nitebatur. Cum sic aliquot dierum moram fine aliquo effectu extraxissent, demum Philippus, multitudine sua fretus, transire fluvium, & commeatuum viam Ugutioni intercludere voluit. Cujus consilii per exploratorem monitus Ugutio, statim succendi cremariique jus-

sit quascumque domos potuit oppidi Barsollis, quod hostile erat, & partem exercitus sui occupatam habebat: hisque copiis in castra revocatis, acies instruxit, & qua agmina hostium dirigebantur, emisso Primam aciem Francisco filio dedit: ipse, huc illuc oculos vertens, omnia momenta observabat. Tumulus erat quidam medius: quem ut occuparent, Philippus suis mandavit. Sed cum hostes jam discederent; conferre manum cogunturi: audacterque pugnantes antesignanos omnes, & Franciscum ipsum debellant, atque occidunt. Habebat Ugutio Germanorum egregiam bello manum; quos, ut se vertentes, prima illa Philippi acies declinavit. Ergo in secundam irruere: eaque obtrita, in alias deferuntur. Tantaque fuit eorum vis, tamque vehemens furentium impetus, ut nec Gallorum (ut verbis ipsius Ugutionis utar) superbia, nec Apulorum fallacia, nec Florentinorum astutiæ, nec Bononiensium calliditas, nec Guelphorum omnium dealbatæ deceptiones, resistere potuerint: continuoque clypeos in terga vertentes evitare fuga imminentem cædem conantur. Sed insequentes victores tantam stragem edidere, ut tecta cadaveribus ingentia terrarum spatia brevi apparuerint: nec pauciores captivi fuerint; cum spoliati in vincula que redacti numerum custodum longe excederent. Victoriam Ugutinni illustriorem fecerunt duorum Principum inter reliquos postrato inventa cadavera, Petri, & Caroli; nam Philippus cum paucis fuga evasit. Hæc ex Epistola Ugutionis ad Gemmenses, in eorum Annalibus reperta, quam brevissime potui, retuli: non ignarus, aliter ab aliis, & à Merula verbosius, quam par fit, & veritas se habuerit, tractari. In eo etiam prælio cruentus ortus Castrucii Castracani, Lucensis viri; de quo 1000x plura dicentur. Acta autem ea sunt quarto Kalendas Septembres.

Per quod tempus Galeacius Vicecomes, Derthonæ potitus, jubente patre arcem in confluentibus Padi & Friæ ædificat; ut munimentum haberet, quo juto ad amnem comeare posset. Interdum enim procurrentibus hostibus transitu Padi prohibebatur. Opus incœptum, & de nomine factionis suæ Castrum Gibellinum vocitatum, byemantes aquæ & fluvius plus solito exundans subvertere: quod Matthæus comparata materia reficere continuo cœpit. Ægre id erat Baucio: qui arce in viscenibus sociorum excitata videbat multum de auctoritate sua diminutum iri. Quare ab Alexandrinis, Altensibus, Papiensibus, & Vercellensibus auxilia accersit: & fluvio naves comparat, terraque & aqua circumdat arcem, atque oppugnare incipit. Facientes opus, & milites, qui excubabant, primo impetu intra munitiones se recipiunt: defensionique sese expedientes pugnam fortiter eo die sustinuere. Supervenit mox Marcus Vicecomes, Matthæi filius: nec ita multo post pater ipse cum Guarnerio, Germanorum equitum ductore: castrisque haud longe ab hoste positis Bauciun prope circumvenit. Erant cum eo Ugo Delphinus & Turriani: cum quibus aliquot horas æquo Marte pugnatum est. Nec temere alias major cædes facta est. Cecidit Zonfredus Turrianus, Pagani Episcopi frater: & Adoardus, Muschæ filius, captus cum octoginta aliis Nobilibus. Cæteri, qui à clade superfuere, Papiam se recepere. Hos Matthæus desequitur: ac, Luchino & Stephano filiis præmissis, obsidere eam urbem instituit. Postridie Idus Novembres, sulcitata inter cives discordia, pugnatum intra mœnia est. Ricardinus Languscus, qui de salute sua actum cernebat, fortiter dimicando interfectus est. Occubuere pariter quindecim alii clari viri; duo Guidonis Turriani filii & alter Guidectus capti sunt. Pontus urbe Matthæus populo Luchinum Prætorem dedit: tributa imposuit: necnon arcem inædificare cœpit, ac præsidio munivit; ut esset quo inde quieti animi a novandis rebus deterrerentur. Præterea Isnardum Episcopum, jamdiu Sacerdotio pulsum, ab exilio revocavit, & in Pontificalem Sedem restituit.

Jam Matthæus maxima opinione atque favore in Longobardis erat; cum Alexandrini cives pariter atque exules de urbe illi tradenda cogitarunt. Nam magnitudine mutuorum incommodorum utraque Factio in gratiam alterius redire, & pacata patria frui optabat. Matthæo & Marco filio arbitrium componendæ pacis concedunt. Tum Thomas Puteus, & Bonifacius ab Alice, qui à Roberto Rege equestria ornamenta consequuti fuerant, publico nomine Ugoni Baucio denunciant, ut quamprimum finibus decedat. Matthæus deinde ex consilio omnium Nobilium & Jureconsultorum dixit: Quodcunque Curatores Reipublicæ, servato judiciorum ordine, apud Alexandrinos statuissent, id ratum foret: Ut reducti exules contumelias & damna sub abolitione anteactorum adversariis condonarent: Et à sententia Matthæi nulla provocatio esset. Tres in primis familias, quæ jam quinquennium exulaverant, Lanciavegias, Merlanos, & Invicinatos, cum iis, qui illorum partes sequuti fuerant, restituit. His quidam addunt Ferrufinos: putantque sic dictos, quod eorum progenitores dilu Rufini fuerint. His sic constitutis, Matthæus duabus urbibus, haud multum inter se distantibus, Alexandriæ & Derthonæ, unum Præsidem dedit, Marcum filium.

Sub anni finem Jacobus Cavalcabos, Vitaliani Marchio, accersitus Cremonam, ejus urbis imperium indeptus est: & mox, ineunte sequenti Januario millesimi trecentesimi decimi sexti, vocatus Brixiam est. Brusati & Confanonerii adversus Episcopum, & consanguineos, qui erant è gente Madia, cæterosque Cæsareæ factionis amatores arma sumpserant: gravique & cruento certamine edito, victores evaserant. Quibus cedentibus dominio, Cavalcabovi Brixia accessit; eique Prætura in quinquennium decreta. Sed non ita multo post ejusdem imperium ac tyrannidem pertæsi Cremonenses cives, Amnati, & Poncinus Ponzonus, urbe egressi, in propinqua oppida abierunt. Sequuti eos agminatim sunt clientes & propinqui. Et mox Parmam profecti, Gibertum Corrigium permoverunt, ut causam suam susciperet. Et primo missis Legatis reconciliare eos nequicquam tentavit. Igitur mox ipse cum equitatu Cremonam proficiscitur: declarataque periculi magnitudine, in quo salus civitatis ob iras exulum versaretur, Cavalcabovi persuasit, ut se Regno abdicaret. Tunc revocatis Poncino & sociis, & patriæ restitutis, odia & discordiæ civiles longe exarsere. Quarum occasione Gibertus, qui & militari manu prapotens erat, Dominum se declaravit: palamque jurejurando affirmans, se juste & recte Reipublicam administraturum, Prætorem dedit Gilolum Putalium & Vicarium instituit Gerardum Enzolam, cæterosque Magistratus immutavit. Conflavit ea res incensectatam Corrigio invidiam: finitimique omnes & propinquitate sanguinis conjuncti in eum conjurarere: Canis Scaliger, Passerinus Bonacossa, Episcopus Brixiensis, & Matthæus Vicecomes. Quibus terra Padoque copias parantibus, ingenti exercitu Cremonam cinxere. Sed eum nullus ordo in castris, nulla fere disciplina militaris servaretur: vagarenturque latius prædabundi milites; defecere statim commeatus, conclusque sunt quinto decimo die ob inopiam rei frumentariæ recedere.

Gibertus, composito negotio Cremonensi, Parmam repetit: ubi per tumultum populi sub Idus Julias

A C. 1315.

Julias ſummum rerum diſcrimen adiit ab iis, à quibus minime metuebat. Genet namque ejus Joannes Quircus Sancto-Vitalis, & Rolandus Rubeus uxoris frater, & Paulus Aldigerius, & Bonacurſius Rogerius ſororii, Obizo Enzola, Matthæus Monticulus, Bonifacius & Guilelmus Curiagi, plebem in arma concitarunt, ſubinde clamantes: *Vivat libertas, & moriatur Corrigia.* Sicque cum turba in forum vadentes, cum exterruere adeo, ut is nihil antiquius fuga duxerit, atque perdifficulter cum fratre & filiis elicentibuſque perpaucis evaſerit. Recepit autem ſe in oppidum, cui Caſtronovo Corrigiorum nomen eſt: ſalvaque illi manſit juriſdictio Guaſtallæ, Guardaſoni, Campigini, & Bazani. Nec ita multo poſt, amiſſa ſpe omni, in Apuliam ad Robertum Regem conceſſit. Nam Parmenſes, conſtituta Republica, palam ſeſe jurejurando obſtrinxerant, neminem amplius ſe Parmæ regnare paſſuros. Idemque mox Cremonæ factitatum eſt, ejectis Magiſtratibus, & actis ejuſdem utrobique reſciſſis.

Dum hæc in Longobardis aguntur, in Etruria quoque mutatæ res ſunt. Gravis Tyrannus civibus ſuis eſſe coeperat Ugutio Faſiolus. Alios pecunias imperando, alios affictis criminibus conveniendo vexabat. Quo quis opibus, aut ingenio, aut gratia populi, plus valebat, eo propior noxæ erat: inhumana præterea crudelitas illius ingenium, ſupraquam homines ferre poſſent, efferaverat. Erat illi Nerius filius, probus adoleſcens, & dignus juvenis, cui melior pater contigiſſet. Huic mandat, ut Caſtruccium Caſtracanum, quoquo modo poſſit, detineret. Is, ſimulato convivio, Caſtruccium, quo perfamiliarius utebatur, invitat. Profectus ad epulas juvenis, nihil inſidiarum metuens, detinetur. Erat unius nominis in civitate Caſtrucius. Itaque affines & propinqui ad Nerium concurrunt: quid cauſæ novæ detentionis ſit, exquirunt. Prætenſa eſt homicidia, jam publice patrari, & jam publicis decretis aboliti. Quæ cum minime digna exiſtimaretur, quæ in crimen hoc tempore retraheretur; inſurrexit univerſa Lucenſis juventus: &, quo unius ſupplicio Caſtrucius afficeretur, intercidit. Ea ubi reſcivit Ugutio, qui tunc Piſis agebat, cum equitatu Lucam contendit. Piſani vero, ſeu conſpirationis conſcii, ſeu repentina deliberatione inita, ſtatim portas claudunt, atque rebellant: nunciumque ad Lucenſes præmittunt, qui facti ſui certiores eos redderet, & urbem populari præſidio cuſtodiri diceret, hortareturque, ut in libertatem vindicarent. Tunc populus armis raptis templa ſacraſque ædes, quæ apud illos aſcium vicem præſtant, occupant, ac muniunt: Caſtrucium ſalvum & incolumem expoſcunt. Exhibuit eum Nerius ita, ut erat in compedibus ferreis. Enimvero tunc multitudo magis accenſa furere, atque inclamare, ut ſolveretur, ac dimitteretur. Sic liberatus Caſtrucius & periculum capitis evaſit, & princeps conjuratorum factus Tyrannos urbe ejecit. Qui etſi mox res maximas geſſerit, & Vicecomitum æmulatus ſanctiſſime coluerit, dignum duximus, pro quo gentis ejus & anteactam vitam relaturi, paulum à præſenti narratione digrediamur.

Lucæ Antelminella familia multiplici ſtirpe claruit. Ea hinc enim prodierunt Savarigii, Mugice, Gonellæ, & Caſtracani. Ex his ortus Gerius filium ſuſcepit Caſtrucium ex Puccia uxore anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo primo: quem parturiens mater ſomniavit, ex utero flammam exiiſſe, quæ late circa omnia comprehenderet, ac ipſamque matrem adureret. Quo viſo exterrita infantem edidit inuſitatæ magnitudinis: & optima de eo concipiens pater diligenti cura educavit. Cum jam ad vigeſimum ætatis annum adoleviſſet; mutatione rerum Lucenſium (nam Factio Nigra Albam ejecit) pater cum unico filio & uxore Ancoram demigravit: atque ibi interque parens brevi deceſſit. Caſtrucius longius à patria ac Italia ipſa digredi, & in Britanniam Inſulam ſe conferre ſtatuit: ubi clarus Odoardo Regi erat Aldigerius Antelminellus, magnis opibus mercatura quæſitis. Ad hunc profectus juvenis, atque benigno hoſpitio exceptus, brevi Linguam Britannorum edidicit; & in familiaritatem Regis pervenit, illi maxime gratus ex ludo pilæ, quo cunctos æquales ſuos ſuperabat. Sed ex eodem invidia contracta, neceſſitatem deferendæ Inſulæ habuit. Namque in rixa à Regulo quodam pugnis petitus illum gladio trajecit: quod per ſe ingens crimen eo gravius viſum eſt, quod, ſpectante Rege, patratum fuit. Sed Caſtrucius ab amicis in tumultu ſervatus, clam ex Inſula in continentem Galliam tranſmiſſus, militiæ ſeſe accommodavit: rudimentaque poſuit ſub Alberto Scotto Placentino, & Muciato Franceſio Florentino, qui duo Itali Heroes ampliſſima tunc ſtipendia faciebant ſub Philippo Francorum Rege, quadringentos equites & duo millia peditum agentes. Demde ut audivit, Lucam gravi bello ab Ugutione premi, rediit in patriam, ad capiendas majorum rerum occaſiones; ſtatimque adhæſit Henrico Bernardino, diverſæ factionis homini; quocum ad conſtitutam diem portam effregit, & Ugutinnem cum Germana Piſanaque manu intromiſit. Nunc autem, ut (quod Tyranni facere ſolent) gratiam accepti beneficii Ugutio referret, inter primos, quos perimere cogitaverat, tollere conſtituerat, ut nimis audacem, & ad omne facinus promptum; niſi aliorſum vota, ut docuimus, cecidiſſent. Nam, amiſſo duarum pulcherrimarum urbium imperio, Ugutio ad Proceres primo Malaſpinas, demde ad paterna oppida rediit, & ibi conſenuit.

Inter hæc res Eccleſiaſtica Summum tandem Sacerdotem nanciſcitur. Opera & diligentia Ludovici Francorum Regis id factum fuiſſe traditur: qui ad tollendas Cardinalium diſcordias fratrem Lugdunum miſit, declaraturum, niſi jam tandem de Pontifice convenirent, poteſtatem omnem & jus creandi Sacerdotis ab ipſis ad Generale Concilium rejecturum. Ergo Conventu habito tertio Kalend. Septembris Jacobum Oſſam, genere Vaſconum, Cadurco urbe oriundum, & tunc Portuenſem Epiſcopum, creavere, Joannemque ejus nominis Vigeſimum ſecundum vocitarunt. Qui ſtatim rata habuit, quæ ante Clemens ſanxerat: ut deſignati Cæſares, priuſquam nomen Imperatorum ſumerent, Romano Pontifici ſe obnoxios in jurando profiterentur: Quando, mortuo Imperatore, electio ſucceſſoris longius differretur, per omne interregni tempus res Italiæ univerſæ nutu Pontificis adminiſtrarentur: Sicilia Regnum, quando jam Pontifices Romanam Provinciam feciſſent, extra Cæſarum ditionem perpetuo foret. Sub his Ludovicum Bavarorum Ducem, qui ſe Imperatorem hujus nominis Quartum inſcribebat, titulo privat. ac, ne Romam ſe invito peteret, monet. Qua denunciatione irritatus Ludovicus palam Pontifici rebellat.

Per idem tempus Richardus Gambateſa, à Roberto Rege in Italiam miſſus, multas ſagittariorum turmas è Narbonenſi Gallia adduxit: Baucius quoque quingentos equites habebat. Hi, fines Alexandrinorum invadentes, brevi complures caſtella partim metu, partim deditione ultronea cepere, Oviliam, Solerium, Quadragintafamilias, Boſchum, & Caſtellatium. Utentes aliqua difficultate, Fibinnas expugnant, ac funditus ſubruunt. Non parvo uſui his erantadhuc nobiles Alexandrinorum familiæ, Trotti, & Putei: qui, Baucio conjuncti, duces itinerum & auctores ſe præbebant

reponendarum injuriarum iis, à quibus ſe læſos arbitrabantur. His rebus cognitis, Matthæus, quam celerrime potuit, ad mille equites contraxit: atque trans Padum ad Marcum filium mittit. Is, novo præſidio ſubnixus, Bolchum & Caſtellatium recuperat ac diripit. Captivi multi in poteſtatem venerunt: in quibus ſupra centum Nobiles fuere, & omnium viginti ex Putcorum gente, qui vincti Mediolanum mittuntur. Inde Augusta Bucinorum accolarum deditione recepta: atque hic in carcere repertus Antonius Fifiraga, Laudenſis: qui Mediolanum deductus, in vinculis apud Matthæum Vicecomitem reliquum vitæ exegit.

Peridem tempus obiit etiam Opicinus Spinula, qui univerſam Vallem Iriæ obtinebat: atque teſtamento Argentinæ filiæ, quam Theodoro Marchioni Montisferrati matrimonio junxerat, legavit quicquid juris in oppidum Serram-Vallem, quæ Friam claudit, habebat. Interea Mediolani jus ex Prætura ſemeſtri uterque ſpatio dixere Jacobus Corriciatus & Bonifacius ab Alice: ille Parma, hic Alexandria oriundus: & Matthæus Vicecomes, ædificando otium terens, forum ornavit, ædes excitavit, in quas Duodecim Viri, publici commodi Proviſores, conveniunt. Hi cebus cibariis pretia, ut per ſingulos pene dies variantur, ſtatuunt: mercaturæ præſunt: de mercatura & ponderibus jus dicunt: opificum fraudes cognoſcunt, & caſtigant. Item duplicem porticum marmorco pariete ſtruxit cum imaginibus amicorum Numinum: inter quas Divæ Agneti quotannis ſuo die cereus longæ haſtæ præfixus accenditur, ac totus ardere permittitur. Res & Auctoris nomen in patente Tabula adhuc legitur.

A. C. 1311. Anno milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo Joannes Pontifex decreverat, ut ſupra diximus, juris Eccleſiaſtici & arbitrii Pontificum fore urbes & populos Italiæ tantiſper, dum novus Cæſar crearetur. Quod Matthæus Vicecomes in ſe veluti certiſſimum telum dirigi perſpiciebat. Ut tamen item Pontificis declinaret, Vicarii Cæſarei titulum exuit; Capitanei populi, & Defenſoris libertatis ſuſcipit. Quod Pontifex ſui illudendi cauſa factum exiſtimavit: ac propterea, ne cæteri exemplum ſequerentur, Regnumque ex procuratione facerent, per Litteras publicas iis omnibus mandat, qui juſſu Henrici imperia & juriſdictiones habebant, ut nihil deinceps pro opinione Cæſarum gererent: Pontificiamque Majeſtatem in hoc agnoſcerent, donec verus Cæſar declaratus foret; quando Ludovicus Bavarus minime legitimus haberetur. Hoc velut primo Pontificiæ indignationis in Vicecomitem fundamento jacto, aliæ ſuper aliis cauſæ brevi accumulatæ ſunt. Forte Caſtono Turriano Sacerdotium Mediolanenſe à ſe abdicante, illudidem contulit Pontifex Aicardo Camedojæ, genere Novarienſi, Fraternitatis Prædicatorum principi, & Theologo eximio. Id vero Matthæus, ad firmandas opes plurimi momenti eſſe ratus, Joanni filio conferri cupiebat: &, quantum ſua amicorumque & populi prærogativa poterat, deligi filium Archiepiſcopum Mediolani curavit: & Aicardum, ad Sacerdotium venientem, non ſolum non urbe, ſed nec finibus Regni admiſit. Hoc Pontifex perindignum ratus, non ſolum Joannis Vicecomitis electionem averſatus eſt, ſed cum, patremque, & cunctos eis faventes exſecratus deteſtatur, neque inter Chriſtianos nominari eos voluit; cæterum Turriano opulentius Sacerdotium, &, quo tuto proculque paniæ molcſtus frueretur, Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarchatum contulit.

Parmenſes autem, pulſo Giberto Corrigio, præcipuum conſtituendæ libertatis fundamentum duxerunt, ne quis amplius Gibellinos Guelphoſque nominaret. Aboleri, ſi fieri poſſet, ac penitus è medio tolli hæc, ut tetra & perniciosiſſima vocabula, optabant. Id quod non bene adhuc video, utrum eodem tempore alia quoque in civitatibus factitatum fuerit; propterea quod & Genuæ mutata lego in Rampinos Maſcaratoſque, & Piſtorii Pantiaticos Cancellarioſque vocatos, atque aliter alibi dictos.

Parmæ quoque Capitaneum populi, qui ſupremus Magiſtratus, ſed ſemeſtris tantum foret, creavere: & ex commendatione Canis Scaligeri Bonacoſſæque Mantuani acceperunt Gerardum Buzalinum, Mutinæ oriundum: & amici Corrigii, cernentes ſe nullo numero haberi, urbe ceſſerunt. Tunc populus, ſumptis armis, Brixellum obſedit, captumque & ambuſtum ſpoliavit: atque, ut diluvium in caſtella inimicorum immitteret, aggeres Padi abrumpere nixi duobus in locis ſunt; ſed, exitu optato non ſuccedente, ab incepto deſtitere. Dum domum redeunt, Cohentium vicum juxta Niciam flumen combuſſere. Per quod tempus reverſus ex Apulis Corrigius, nonnullos milites ex equitatu Roberti Regis adduxit, & ſtatim reponere injurias damnaque hoſtibus ſtuduit: Martoranumque, & Coloretum, & Caſaltonum per vim cepit: coloniſque interfectis, ignem ædificiis ſupponit, bona diripit. A Monticulo vero & Sorbulo, non paucis ſuorum amiſſis, repulſus eſt. Tentavit inde Cruniacum, pari damno accepto. Cumque interim venirent auxilia à Mediolano, Placentia, Mantua, Verona, Marchionibus Maſpinis Nicolao & Spineta, (erant autem circiter mille equites) eorum adventu deterritus Gibertus, ad reconciliationem cum civitate deſcendit, pacemque impetravit tertio Idus Septembris. Inde Cremonam ducti exercitus fuere, & integrum menſem Octobrem obſedere: mox coacti aquarum magnitudine cedere, gravi oppreſſione civitatem liberarunt.

Interim Ferraria ad veteres Dominos Eſtenſes, Franciſcum & Aldebrandum filios, rediit. Nam peroſi cives Hiſpanam tyrannidem, his clam vocatis, populari tumultu regionem Pádo proximam invadunt. Hanc Diegus, Roberti Regis Præfectus, cum præſidio tenebat. Dum pugnatur, ac modo hi, modo illi pelluntur, matare affuere Eſtenſes, magnamque cædem in peregrinos ediderc. Alu trans Padum fugere conati, dum turmatim naves conſcendunt, nec rationem oneris habent, demerſi ſunt. Diegus, in deſperatione rerum cum paucis evadens, Bononiam ſe contulit.

Cæterum Matthæus oblatam ſibi occaſionem cum vidiſſet amicitiæ jungendæ cum viro inter Ligures clariſſimo, & in Gibellina Factione potenti, privatum etiam fœdus adjecit; pactæque ſunt nuptiæ inter Stephanum filiorum Matthæi poſtremum, & Valencinam Bernabovis Auriæ filiam. Qua re Genuæ vulgata & perſpecta magnificentia apparatus, quem ducendæ ad virum puellæ gratia inſtruebant, magnam à diverſæ Factionis principibus, Carolo Fliſco, Rabella Grimaldo, cum Salvaigis & aliis compluribus, invidiam conflavit, ſuſpicantibus, majora illum privato ſtatu moliri. Igitur extorres Spinulas accerſunt, & redirum in patriam pollicentur; ſi ſecum bona fide ad convellendum Auriam conſpirent: atque intro fœdere introducitur Spinula. Id agre & pavori maximo Auriæ fuit, cogitanti, ſe inſcio, inimicam gentem domum reductam: cumque cætera ſigna parum benivolum multitudinis animum in ſe declararent, ſeſe è medio cripuit, ac Savonam & Albingaunum contulit. Ejus diſceſſu, velut gravi adverſario liberati, Fliſci & Grimaldi contemnere Spinulas, ac nullam fere in partem publicorum commodorum atque honorum recipere, omnia

ſibi

fibi arrogare. Ludibrio ſe haberi indignantes Spinulæ, rurſus patria abeunt: & vicos ac caſtella celebrantes ad novam fortunam animos erigunt. Matthæus, duarum nobilium familiarum fuga audita, vanè afficitur. Nam & ex incommodo amicorum non dolere non potuit: &, quod hæc diſcordia multum collatura eſſet ad contuodendos hoſtes, non parum lætitiæ ſenſit. Quare hortatorias & ſpei bonæ plenas litteras ad otramque gentem mittit; ſolatur; pollicetur; invitat: ad ſe veniant, opes & conſilia communicaturi. Nec mora miſſis nunciis pax & ratio gerendi adverſus Genuam belli inita.

A. C. 1318. Ac ſuccedente vere anni milleſimi trecenteſimi decimi octavi, coacto Derthonæ exercitu, curam totius negotii Matthæus demandat Marco filio, qui & regioni Tranſpadanæ præerat, & crebris prælus, adverſus regios Procuratores geſtis, virtutis & induſtriæ bellicæ ſpecimen præbuerat. Jam copiæ bifariam Apenninum tranſgreſſæ, utroque ab latere obſidere Genuam cœperant: qua ſcilicet dives Porcifera vallis, & qua Feritor fluvius (Biſamnem à confluentibus aquis poſterior ætas vocitat) claudunt. Aquæductum, in urbem defluentem, abrumpunt: ſuburbana ædificia comburunt, alia prædantur. Nam cives, hoſte appropinquante, viribus diffiſi, mœnibus ſe incluſere, turrimque in Phari munierunt. Hanc exules circumſedérunt, & duobus fere menſibus oppugnarunt. Pulchrumque fuit videre, quam ſolerti machinamento porrecta obſeſſis cibaria telaque fuere. Nam, cum à terra non poſſent, applicata littori triremis noctu eſt: & funis à ſummo ejus malo ad turris fenſtram deligatus: per quem puer, vaſi ligneo incluſus, ultro citroque neceſſaria comportabat. Quæ via cum percommoda videretur; ut diutius ea, etiam ſæviente mari, uti poſſent; pro triremi navem onerariam ſubjiciunt, ac dejectis anchoris firmant. Quod ubi Marcus cognovit, turrim exſcindere parat; tigna ſupponit; & extrema minitatur. Deterriti obſeſſi, cum inſuper ob ſævitiam maris ſolita ſolatia habere non poſſent, deditionem fecerunt. Eorum ſeptem Marcus male mulctavit: atque incluſos ligneæ machinæ jactari in ſubjectos ſcopulos & ſaxa maris juſſit.

Tum in regionem Sanctæ Agnetis vis belli tradicta eſt: & perterrefactis iis, qui in præſidio erant, facile loco potiti ſunt: ingentemque prædam invenere; quia magna pars civium pretioſam ſupellectilem & ornamenta domorum eo congeſſerant. Imminente muris Marco Vicecomite, ædificia intramurana, quæ à Fidei templo ad Caſtelletum uſque pertinebant, incenſa ac diruta fuere. Diuturnis malis afflicti cives, cum neque in deditione honeſti quicquam cernerent, neque aliunde ſpes auxilii foret, ad peregrinam opem animum conjecerunt. Duplicem Legationem expediunt: ad Robertum Regem unam, auxilium petentes, ac deditionem illi pollicéri jubentes: alteram ad Matthæum Vicecomitem, & Publicum Mediolanenſium Conſilium. Cujus primores in conſpectum admiſſi, in hunc modum verba fecere: *Naturalis uſus atque rerum experientia comprobatum eſt, (Viri Mediolanenſes) amicitia jura, quo diuturniora & beneficiis aucta fuerint, eo ſanctiora firmioraque eſſe: nec facile mutari, etiam ubi ſpes mediocris emolumenti offeratur. Miramur ergo, quod cum antiquiſſima benevolentia, diutinum hoſpitium, & perpetua commercia civibus veſtris cum noſtratibus viguerint: nullum bellum, nulla inimicitia cauſa lęſerit; nunc rebellibus noſtris, & hoſtilia omnia adverſus patriam intentantibus, opem & auxilia prabeatis. Quibus ſi tumet, ſi umbra veſtra admatur; ut ſubito dilabantur, neceſſe erit. Quare, ut officii memores Duces veſtros ſignaque veſtra ex caſtris hoſtium noſtrorum revocetis, petimus & rogamus.*

Id profecto maximo rerum noſtrarum commodo cedet: nec minus veſtra referet. Patebit enim Mediolanenſi, juxta ac Genuenſi, ampla apud nos communitas, ſive invicem commutare, ſive navibus noſtris longinquas in terras devehere mercaturas velint. Quorum neutrum ſperare ab adverſariis noſtris debetis. Siquidem & eo ſunt ingenio, ut vel maxima beneficia ſoleant ſumma ingratitudine compenſare: & ea infelicitate premuntur, ut, etiamſi vicerint, nihil commodi vobis afferre poſſint. Novimus mores & opes hominum: nec nos adverſus eos iniqua tentavimus. Vicem & offenſas repoſcimus: eorum injuria conſpectu patrie, aris focisque prohibiti.

His auditis, deliberandi, quid reſpondeant, ſpatium Mediolanenſes ſumunt. Ligures interim perambulando urbem, Potentiorumque domos viſendo, prædicare vetuſtum amorem duorum invicem populorum, magnitudinem evidentis commodi, ſi ſocietatem ſuam non deſpiciant: contra, odia, prædas, detrimenta, ſi ſecus fecerint. Tum revocatis in Conſilium ita reſpondetur: *Fateri quidem Mediolanenſes, nullam apud ſe exſtare cauſam, propter quam non amare Ligurem debeant, ſed vehementer potius diligant. Non oblita ſibi mutua officia, & quaſi neceſſitudinis contracta jamdiu vincula. Sed hæc cum iis intercedere, qui veri Ligaſtina libertatis principes ejecti domo nunc exulent, & per maximam injuriam patriis opibus, liberis, conjugibus careant, & quibus opem implorantibus deeſſe nullo pacto poſſint. Caterum ſe pacis & concordiæ dulciſſima nomina bellicis incommodis ſemper prætuliſſe, ac potiora in omni negotio duxiſſe. Hæc eadem ſe nunc quoque libentius amplexuros; ſi æquo jure cum cæteris vivere in patria amicis ſuis Auriis Spinulaſque liceat: quibus, ne arma ſua negent, ubi agendum bello ſit, fœdere adſtringuntur.*

Ad hæc ſurrexere Legati; & paucis negotium abſolventes: *Quandoquidem*, inquiunt, *turbidiora adverſus nos ſpectare videmini; ſcitote, nec animum Genuenſibus ad ſuſtinendum bellum deeſſe, & tantum præſtantium virorum numerum opeſque & copias ſupereſſe, ut confidant, poſſe & ſcire libertatem ſuam tueri. Quæ ſi deficiant; id ingenii & induſtriæ ineſſe, ut virum, cujus penitus incolumes à quocumque hoſte præſtentur, electuri ſint.* Et cum his Genuam redeunt.

Genuenſes, eorum relatione audita, & omnia ad bellum ſpectare cernentes; ſtudia & cogitationes omnes ad Robertum dirigunt; enixiuſque per Oratores ſuos petunt opem, & liberam deditionem urbis paciſci jubent. Interea arma expediunt, exercitum augent, delectumque totis vicis habent; ut ingruentem vim tantiſper, dum à Rege auxilia adventent, ſuſtineant. Spinulæ vero & Auriæ gratias Matthæo agere: exultare lætarique tali reſponſo hoſtibus dato: imperium urbis brevi ſe ei daturos: denique victoriam ipſam, & majora viribus repromittere. Sic bello penitus decreto, etiam affinitas cum Auria perficitur; traductaque tunc Valencina. In cujus cognomine Merula egregie erravit: qui credidit, & ſæpius repetendo aſſeveravit, è gente Spinula eam fuiſſe: quod ſecus nos ab integræ fidei monumentis percepimus. Sed & geminas nuptias celebratas dicit, datamque pariter Iſabellam Fliſcam Luchino, filiorum Matthæi tertio: quod longe alio tempore factum aperte conſtat.

Jam ab Neapoli Roberti juſſu mille & quingenti equites applicaverant: expoſitique in terram nutantes animos firmaverant, ſpemque melioris fortunæ fecerant; cum Marcus Vicecomes copias à mœnibus revocat, atque in montem Peraldum ſtativa transfert. Mox Robertus ipſe ſubſequutus cum uxore & duobus fratribus, quinque & viginti triremes agens, ad primum & vigeſimum Julii diem appulit: exceptuſque magnifice in Ædibus Prædicatoriæ Fraternitatis conſpitatur: ſtatimque ad cum viſendum convenere Prætor urbis, & Caro-

lus

lus ac Gaſpar Capitanei populi, & frequentes alii civium primores. Tum in templo majori concione habita, qui gerebant Magiſtratum, poteſtate omni ſe exuerunt: &, niſi Rex annueret, non ſumpturos ſe amplius ſignificarunt. Rex juſſit, ſuo unumquemque fungi officio. Tum delecti Publici mandati Adminiſtratores, (*Syndicos* vulgo vocant) per quos, conſentiente civitate, deditio facta eſt: ita ut urbici omnis negotii procuratio penes Robertum eſſet. Quæ, ac perpetua dominatio videretur, decem annorum ſpatio terminata eſt. Nec ita multo poſt Florentini, & reliqui, qui in fide regiæ ſocietatis manebant, circiter mille equites miſere: egregiam quoque manum Gibertus Corrigia adduxit. Quibus auctus Robertus exules aggredi ſtatuit: ac triduo poſt Nonas Sextiles ad quatuor millia peditum montem Peraldum adſcendere jubet, mox alios in ſubſidium miſſurus. Venientes turmas hoſtiles ex ſtrepitu ſenſere, qui pro cuſtodia collis excubabant; & dato ſuis ſigno acies in arma vocant. Confluxere ſtatim armati: & pro præſenti oumero impetum fortiter ſuſtinentes, Regios loco pellunt: ac cædendo ad portas uſque urbis deſequuti ſunt. Triginta equo merentes, & trecenti ex peditatu interfecti ſunt: inter quos Ligures haud multi fuere; quia bi, locorum periti, facilius, quam peregrini, in fuga elabebantur. Ab hac victoria Marcus domum, quæ juxta portam Sanctæ Agnetis munita præſidio & operibus ſtabat, ſubvertere ſtatuit. Ac propinquam primo cloacam altius effodiunt, fundamenta eruunt: & tigna, ſtipites, quibus ad tempus ſuſtentaretur, ſupponunt. Senſere effodi cuniculum, qui in urbe erant; ſed pro labefactatis fundamentis ſuppoſitas trabes ignorabant; ita & ipſi ſubterranenm ſpecum agunt. Dum alter alterum prohibere opere & inſidiis excipere nititur; pugna exoritur; grandiorque lapis, ab exulibus tormento emiſſus, Regios à ſpecula, qua caſtra proſpectabant, dejecit. Tunc ſubtractis è domo trabibus ruina fit: qua trecenti amplius bellatores obtriti; prout impetratis ad eorum cadavera erunda induciis compertum eſt.

Varia inde alia certamina acta ſunt. Quæ dum agerentur, altero & longe diverſo, nec minus premente, telorum genere Joannes Ponuſex pugnabat. Nam eo indignatus, quod Heroes Itali minime ſibi audiebant, ut, vacante Imperio, res Apoſtolicæ Sedis nomine gubernarent; contumaces diris inſectabatur; æternis Inferorum pœnis devovebat; Matthæum io primis Vicecomitem ac filios ſignanter petens, eos igni & aqua, &, ſi fieri poſſent, cælo & terra interdicebat, niſi Avenionem addicendam coram cauſam ipſimet venirent; neque enim excuſationes per Legatos auditurus erat. Non comparentes autem Chriſtiano Orbe exterminat: congreſſu, alloquio, hoſpitio excipi à quoquam vetat. Hæc autem objiciebantur: *Quod Sacra Vicecomites polluiſſent, Templa ſpoliaſſent: Virgines nobiles raptu, ſacras incaſtu violaſſent: Tormenta cruciatus ac cædes Religioſis Viris intuliſſent: Guilielmam, alieni Sacri Magiſtram, foviſſent.* Quæ quam recta, quam vera forent, vel ex ſolo notæ Meretricis nomine homines colligebant; cum conſtaret, abominandi Sacri auctores, quamprimum cognitum ſcelus fuit, juſſu Matthæi Primoribus Religionis traditos, & illorum judicio damnatos atque combuſtos fuiſſe.

Quæ etſi Matthæum non leviter turbarent; alia tamen ſuperadduta gravis periculi ambiguitas curas ejus cumulavit. Siquidem certior ſuorum litteris factus eſt, Canem Scaligerum à Franciſco Turriano & aliis Nunciis ſollicitari, magnaſque illi proponi conditiones, imperium totius terræ, quæ ab Alpibus ad Padum patet, & Sacerdotium Aquilejenſe; quod, cuicumque Canis opitulet; ceſſurum ſe Turrianus oſtendebat, modo Vicecomes Regno pelleretur. His auxius Matthæus, ut Scaligerum in ſocietate confirmaret, ſuſpicionemque omnem diſcuteret; Socios monuit, ut imminentia pericula propulſarentur, opus eſſe commoni inter ſe colloquio; proinde vel Venirent ipſi, vel Oratores mitterent. Locus Soncini non procul Cremona, dies in Decembrem menſem condictus. Quo poſtquam conventum eſt, clauſique in arcano Heroes ſunt; Matthæus Vicecomes, qui & ætate ſenior, & uſu rerum peritior habebatur, ſic fari cœpit: *Etſi neminem veſtrum, Fratres amantiſſimi, qui in hoc nobiliſſimo cœtu conſedetis, ignorare ſcio cauſam, propter quam huc advenimus; tamen, ut clarius noſcatis, & certius deliberetis, eandem vivavoco, & paulo uberius, quam litteris mandari potuerit, repetam. Notum nimium eſt, ſicuto poſt obitum Henrici Cæſaris, quem urvida nobis fata immature nimis ereripuerunt, Romani Sacerdotes, falcem (ut ajunt) in meſſem alienam immittere haud dubitarunt: ac novum cupiditati ſuæ titulum obtendentes jactant, vacante Romano Imperio curam & adminiſtrationem Rerum Italicarum ad Apoſtolicam Sedem ſpectare. Quod certe nuſquam lectum, nuſquam receptum arbitror. Repetantur quantumlibet antiqua licet; nec priſcorum Cæſarum temporibus, nec per Regna Gothorum, aut Longobardorum, nec poſt exſtinctam Caroli Magni progeniem, uſurpatum audietis. Recentiora evolvantur diuturna Fredericorum, Ænobarbi & Rogerii. Acris & diuturna rebellio utrinſque etiam ſtirpem invicem Romanis Pontificibus ſecerat. Haud tamen uſquam acceptæ, illos ultra Eccleſiam quicquam in Longobardis aſſeruiſſe. Notiſſime (ſi Dus placet) duo Galliæ, & quidem è Vaſconum genere, Clemens demortuus & Joannes præſens, inventi ſunt, quò opibus noſtris nitiantes id adſtruant: & quia cupiditati eorum non obſequimur, vel eſt, populos, conjuges, liberos, nos ipſos, non exponimus libidini Vicariorum & Præſidum Ultramontanorum; nos inſectatur, nos parum recte ſentire de Chriſto arguit, & hæreſeos damnat, ac infames toto Orbe facit; quaſi idem ſit Robertum, dudum in Salaſſos tranſmiſſum, & nunc Genua agentem, Dominum non recipere, hoſtilem exercitum finibus arcere, patriam ab vi externa defendere, quod Chriſtum abnegare, & a Catholica Fide recedere. O diligentem & mirificam Legis Evangelicæ interpretationem. Quia pauciſſima pars Italiæ ſubmittere cervicem Guelphe recuſat; ideo prave de Chriſto ſentit, & à Communi Religione digreditur. Invitus equidem iſta refero; quia non ſine ſuggillatione dici poſſunt ejus, quem vereri omnes & adorare ut Summum & Communem Paſtorem deberemus. Sed quando aliter vivere, aut dignitatem tueri non poſſumus; pereat potius quicumque nos odit, quam injuſtiſſimum jugum, quamdiu poſſimus, non detrectemus. Quare, ſi me auditis; conſulite in medium; dicite libere, quid facto opus cenſetis. Nec diſſimulandum eſt: Grave & periculoſum bellum imminet: Quicquid aliquis noſtrum peccet; ſcitote, communi pœna luendum: Nec pœnitentia juvabit, ubi admiſſus ſemel error fuerit; Auſpicatus loquar: Si unus noſtrum, vel omnes ſimul vicerimus, ea victoria ſalutaris omnibus futura eſt; honorem, ſtatum, exiſtimationem, & juſtitiæ cauſa opinionem ſervabit. Nam quamquam Marcus filius incluſos mœnibus Genua hoſtes premat; haud tamen in tuto res ſunt. Adventus Roberti Regis cum claſſe numeroſa, neſcio, quid paritura ſit. Mihi videtur ſtabiliendum eſſe inter nos novum fœdus: expromendas uberius, quam hactenus factum ſit, pecunias, ut copiæ augeantur, minumeque vires deeſſe nobis, ubi neceſſitas cogit, hoſtis intelligat: & ante omnia decernendum unum aliquem cenſeo, qui Caput ſit Sotietatis noſtræ, & curam ac adminiſtrationem præſentis belli gerat.*

Hunc ſermonem Pallavinus Bonacoſſa, qui Mantuæ imperabat, talibus verbis excepit: *Vera, certa, & Soli hinc claſſura loquutus eſt Vir inclytus*

& obſervandus, Matthæus Vicecomes: quæ ſi ipſe tacuiſſet, proponenda a nobis, examinandaque, ac omni conatu exſequenda forent. Quid enim honeſtius, quid juſtius, quam propria tueri? Quid magis pium, quam inhumanas efferasque Gentes, & quorum vita præda eſt, arcere procul à patria, & populis, quorum tutelam, vel conſenſus hominum, vel ſors noſtra nobis dedit? Notum univerſo Orbi eſt, nos Imperiali auctoritati obnoxios, & id tueri debere. Notum quoque, Pontificem (pace tanti nominis dictum ſit) non juſta aliqua ex cauſa nobis adverſari; ſed, ut Guelphum tantum (proh nefanda cogitatio!) procellere in Italis faciat, inimicitias exercere: & proinde ab officio Paſtoris, & qui Chriſti maxime vicem profiteatur, longe recedere. Quocirca æquum cenſeo, & prudenti Matthæi conſilio adſtipulor: ut, quanto ex adventu Regis Roberti auctiam adverſariorum potentiam novimus, eo amplius & nos vires noſtras extendamus: neque impenſa parcamus, dum utiliter exponere pecunias poſſumus: conſpiremus quoque arctius, & unum corpus unamque animam ex multis membris faciamus. Sit Canis Scaliger unus homo, cui ſumma hujus adminiſtrandi negotii demandetur. Congruit hæc ei cura, qui & opibus & domino inſignis eſt, tum viris, armis, equis ad bellum paratis inſtructus, ingenio corporeque militaribus negotiis exercitato, & ad tolerandas vigilias patienti. Jam ætas perflorida, & valitudo proſperrima. Quare hunc Principem Societatis noſtræ declaro: & ſtipendium ad alendos ornandoſque milites idoneum decerno.

Ad hæc Scaliger: *Haud quidem ea in ſe agnoſcere,* ſubjunxit, *ut tot præclaris Ducibus præferri mereatur: multos dignitate, opibus, ætate, experientia rerum potiores eſſe, quibus fortaſſe prudentius res tanta demandaretur. Quod tamen ſi ita ſtatuerent; ſe pro virili enixurum, ut quam maxime opera ſua eos pœniteat. Cæterum quæ de magnitudine imminentis periculi dicta forent, ea veriora veris eſſe: & paribus ſtudiis incumbendum, ut omnino finibus hoſtes prohibeantur, ac potius internecione deleantur.*

Hæc cum cæteri adſtantes, & Legati abſentium collaudaſſent; itur in novum fœdus. Scaliger Princeps, ſeu, ut dicebant, Capitaneus Societatis declaratur: Matthæus Vicecomes, quantum poſſet, ope & conſilio communem cauſam juvaret. Qui & ſubinde Scaligerum compellans, *Fili chare,* inquiebat, *debella mecum Liguſtinos Guelphos; & ego tecum debellabo Patavinos.* Sub his & mutua conviviа lautiſſime agitata, & pecunia Scaligero non mediocris data. Paſſarino Bonacoſſæ, ut ſpe emolumenti conſtans in fide perſeveraret, Dominium Cremonæ promiſſum eſt. Effectumque, ut Poncinus Ponzonus, qui favore ſuo eam urbem paulo ante è manibus Jacobi Cavalcabovis eripuerat, ſeſe illius dedititium profiteretur, ejuſque auctoritate populum regeret. Patavini autem per idem tempus ſibi publico Conſilio Capitaneum primo, deinde Dominum elegerunt Jacobum Carrarium, Marſilio genitum.

A.C. 1319. Anno milleſimo trecenteſimo decimo nono Robertus, ſocietate Scaligeri fruſtratus, exules quibuſcumque conditionibus reconciliare cum adverſariis ſtuduit. Sed hoc quoque parum proſpere ſuccedente, Marcum minis aggreditur: verbis facta addit: claſſem expediri jubet: impoſitiſque militibus, & Præfectis fratre Principe, & Simone Turriano, quam longiſſime in altum navigare, tum reverti: & vicum Sextum, quem parum diligenter cuſtodiri noverat, petere. Ipſe interim cum robore exercitus in montem Peraldum progreditur. Exacto meridie reverſa claſſis conditum petit locum. Dumque milites in littore exponuntur, Marcus occurrit, atque in littore palantes ad naves repellit. Demum turma ſagittariorum profilit, quæ Germanum equitatum arena excedere cogit. Tum ſublato clamore, & reliquis claſſiariis ſubſequentibus, hoſtem uſque deſequuntur. Hic conantem retentare ſuos à fuga Marcum loco propellunt. Cædes ingens. Perſequendi finem imminens nox fecit. Tunc Marcus defectionem ſuorum veritus, collectis clam vaſis, ſuburbiis Genuæ receſſit, exercitumque eis Apenninum reduxit. Sequuti exules, Buzalam, Gavium, & Litabium, ad amicos ſeſe recepere. Victores poſt multa pretioſa in ſtativis Marci inventa, ab odio & ſtudio vindictæ plurima ædificia Porciferæ vallis ſuccendere. Genuæ autem pro re bene geſta cuncta lætitiæ ſigna edita ſunt. Supplicationes indictæ, & Cineres Jo. Baptiſtæ circumlati: Rex & uxor cum Primoribus civitatis templa ſaluarunt.

Quibus peractis, Robertus cauſatus, gravi de re convento Pontifice ſibi opus eſſe; tertio Kalendas Majas Genua digreditur; atque Aventionem petiturus in Galliam navigat. Liguribus Præfectum reliquit Ricardum Gambaterſam. Quod quamquam trepidantibus Gibellinis non parum ſolatii attulerit, ecu gravi onere Regii nominis exoneratis; Matthæus tamen, haud temperaturum illum à turbulentis conſiliis ratus, tam prono præſertim & infeſto Pontifice; finitimos omnes Socios excitat, & fœderis admonet. Tum ad externam implorandam opem Legatos in Siciliam & Conſtantinopolim mittit. Erat è re Theodori Marchionis Montiſferrati ſuſtineri bellum; ut ea, quæ uxoriæ dotis nomine, & item teſtamento ſoceri acceperat, tueretur. Nec inviti Fredericus Siculus, & Andronicus Paleologus in ſocietatem adverſus Robertum venere. Item Joannes, Henrici Cæſaris filius, Boemorum & Poloniæ Rex, & qui in Italia ſtudebant Cæſarco nomini, Matthæo favebant. Dumque cætera expediuntur, Matthæus cum Oratoribus Conſtantinopolitanis Religioſum è Ciſtertienſium Ordine Venetias miſit, qui pro vetere amicitia pecuniam mutuam peterent. Sed nequaquam par opinioni reſponſum datum eſt. Quippe ob magnam & inveteratam cum Vicecomite amicitiam Venetos libenter morem geſturos, ubi præcipue de tuendo Regno agatur: cæterum pecuniam, quæ publicitus ſervatur, adeo obſtrictam eſſe; ut, niſi vocatis ſæpius in Curiam Patribus, rogatiſque ſententiis, exponi extra publicos civitatis uſus non poſſet. Neque Ærarium pati in præſens, ut quicquam erogetur; quia, cum Turcæ, trajecto Helleſponto, Thraciam Græciamque vaſtarent, præbenda affatim ſtipendia militibus, & alendi exercitus ad eos fines tuendos forent. Quare ignoſcerent Matthæus & Imperator; ſi pecunia non accommodaretur.

Inter hæc, ne ſpe longinquiorum propinquiora auxilia deeſſent, Matthæus Marchionem Montiſferrati Mediolanum evocavit: & cum ſplendido comitatu obviam profectus, honorifice in urbem introduxit. Conductus præterea eſt ex Germania novus Ductor, Guarnerius Umbrech cum novo milite: cui Marcus Vicecomes ſocius adjungitur. Hi Padi accolas, qui Roberti nomen profiterentur, invadunt: atque Aſtam petentes, ad foſſam uſque urbis venere. Erant cum his exules, cum quibus nonnulli cives conjuraverant. Ac jam mœnia aſcendere conati ſunt; ſed, detectis inſidiis, ab oppidanis dejiciuntur. Marcus, rei difficultate perſpecta, in Alexandrinos revertitur, & Gamalerium oppidum capit.

Non ita multo poſt à Veronenſibus cæteriſque ſociis auxilia ex fœdere venere. Quibus aucto exercitu, Marcus denuo Genuam tentare conſtituit: ac ſuperato Apennino, per eaſdem valles, quas ſupra memoravimus, ad mœnia uſque urbis devenere. Eodem tempore infeſta claſſis, Savonæ orbarmata, ducente Conrado Auria, in conſpectu adſtitit. In hanc cives Gaſparem Grimaldum cum onerariis triremibus mittunt. Qui ut incurſus hoſtium validos ſuſtineret, concatenari naves ſuas juſſit; ut ſui quaſi ex quadam arce pugnarent. At

adverſarii ſuas expeditas & celeritate eludentes agebant. Sero ſenſit inutilem ſibi ſuiſque ſuam fuiſſe artem Grimaldus; deſideratiſque plurimis ſociorum (nam victi in mare ſe præcipitabant) partem etiam navium amiſit, reliquas ægre in portum reduxit. Interea & Marcus, rem proſpere gerens, Turrim Phari, quam cives temporaria munitione reſtituerant, ad deditionem compulit: & in monte Peraldo ligneum caſtellum excitavit, quod à poſteris lapide conſtructum *Baſtia* nomen tenuit: atque hoc oppoſuit alteri, intra conjectum ſagittæ ab adverſariis muro ædificatæ, quæ *Caſtellatum* nunc quoque vocatur. Jam arctior inopia urbem premebat, nec convehendi commeatus ratio conſtabat; cum decem & octo triremes frumento onuſtas, à Roberto miſſas, divertiſſe ad Naulum oppidum exules cognovere: atque profecti magnam partem intercepere; nam paucas quaſdam in terram ſubductas Galli ſervavere. In his anguſtiis cum ſita res Genuenſis foret; ſupervenere decem aliæ ab Oriente triremes: quæ ex Pontica negotiatione reverſæ cum Neapolim appuliſſent; Ducem earum monuit Regis Roberti filius, gravi fame laborare patriam; quare conſulere, ut, depoſitis mercibus, conditioni temporum inutilibus, frumentum tolleret, ac Genuam deportaret. Uſus regio conſilio Navarchus eodem momento in portum delatus eſt, quo forte inimica claſſis aberat: ac peroptato ac neceſſario commeatu obſeſſos juvit, ac penitus ſublevavit. Quin tantum animorum civitati adjectum eſt, ut confeſtim ſex & viginti alias, quæ in portu ſtabant, armarint Præfecto Rainaldo Grimaldo; qui hoſtes inſectatus, tota ditione Liguſtica fugavit, & duas onerarias naves ſale plenas ex Savonenſi portu eripuit.

Tum celeberrimi in Italia nominis Raimundus Cardona, à Roberto miſſus, quinque & viginti alias ex Narbonenſi Provincia advexit. Qui monitus, paulo ante abiiſſe hoſtes, atque Orientalem oram tenuiſſe; eos ſine mora inſequitur; ac circa Illicem, Portus Veneris oppidum, deſtitutas remige & præſidio naves invenit, atque abduxit. Reverſus Genuam, magno honore & collatis muneribus recipitur. Cardonam nativo & uſitato nobilis nunc quoque in Hiſpania familiæ nomine nuncupavi, non ignarus, interverſam à Merula, ſed patrum probe, dictionem: qui, devitato illo, ut putavit, barbaro vocabulo, Cardanum dicere maluit, & frequentavit. Sed hæc eſt nobilis & vetuſta Mediolani gens, ab oppido ejuſdem nominis appellata. Cæterum, dum ea agerentur, quinquaginta triremes, ab Frederico Rege in auxilium Sociorum Vicecomitis miſſæ, in mare Ligulticum devenere. Sed ubi profligatos eos & mari ceſſiſſe, & omnia Genuæ confirmata, Dux eorum cognovit: tum quod, propinqua hyeme, haud diu morari poterat, retro in Siciliam redit. Hæc mari geſta.

Terra autem Ugo Baucius, ut Marcum Vicecomitem ad ſua tuenda averteret, agrum Dertho-nenſium invadit; & Novas oppidum (incertum, vi, an deditione colonorum) recepit; & poſtridie Kalendas Decembris, prodente Bonifacio ab Alice è gente Guaſca, ea parte urbis Alexandriæ potitur, quæ Tanaro amne intercluſa priſcum nomen Bergolium ſervat. Et Symon Turrianus, Valentium cum ſexcentis equitibus profectus, illud pariter oppidum recipit: & ſimul Padum trajicit: effuſuſque in patentes Laumellinæ oræ campos, ad Ticinum uſque prædando pervenit: ac vicinam omnem regionem inopinato pavore complevit. Sed opponit illi Matthæus Lucbinum filium, qui ſtatim prædatores trans Padum repulit: ac ſimul ipſe Alexandriam proficiſcitur, quo ſuis, qui in fide manebant, auxilio foret. Et forte Baucius lignandi cauſa magnum numerum carrorum in proxima Montiſcaſtelli nemora miſit: ſeque cum levi armatura præſidio eis futurum oſtendit. Monitus Luchinus, cum parva manu Ducem hoſtium oppido egreſſum, & proinde occaſioni, quæ ſæpius optari quam contingere ſolet, obnoxium, copias bifariam dividit. Partem trans Tanarum mittit; partem ſecum ducens, incautum hoſtem circumvenit. Cognovit ſtatim Ugo, quo ſe loci præcipitaſſet: & contractis ſuis in ordinem, ferociter pugnavit. Sed ſuperabat adverſariorum multitudo, & undique tela ingerebantur. Ugo, ex ingenita ſuperbia victum ſe fateri recuſans, manu Ugeti Campani transfixus occubuit. Cæſo Duce, cuncti, qui ſupererant, capi ſe permiſere: inter quos repertus Bertramolus Baucius, defuncti Ducis nepos, magnæ ſpei adoleſcens eſt: quem Mediolani diu Matthæus, ut in vinculis, honorifice habuit. Luchinus autem Alexandriam petenti Aſtenſi Ugonis corpus ad ſepulturam conceſſit: luxereque hominem viri pariter & mulieres, atque ſumptuoſo funere extulerunt.

Per idem tempus obſides Cremenſium, qui Mediolani habebantur, aufugerunt. Iratus popularibus eorum Matthæus, quorum dolo id factum fuiſſe exiſtimabat, militarem turbam trans Abduam ad Vailatum oppidum contrahi juſſit. Quæ priuſquam ad juſti exercitus numerum coiret, Cremenſes cum finitimorum auxiliis circumvenere Vailatum, ac probris hoſtem lacceſſere. Eorum temeritatis & petulantiæ impatiens nullo Mediolanenſis erupit. Ira fecit, ut turbatis animis ordines non ſervarentur. Ita tumultuarium certamen fuit: & ex errore multos ſuorum Mediolanenſes deſideraverunt, atque in primis claros virtute dignitateque viros, Gualterium Germanum equitem, & Emblavadum Bonſignorium. Matthæus, ignominiæ acceptæ impatiens, exercitum quam poteſt maxime auget, exciſurus mœnia domoſque rebellium, ſi occaſio rerum par deſiderio ſuiſſet. Sed ab eo temporis iniquitate excluſus copias reducit: deinde, adjuvantibus Scaligero Bonacoſſa Mantuano, Brixianum agrum invadit. Deſtituti omni finitimorum ſpe cives opem ab Etruſcis civitatibus & Bononienſi implorant. Ducentis equitibus eorum auxilio deſignatis præficitur Aloyſius Cavalcabos. Ei Gibertus Corrigius iter ad Padum & pontem Brixelli expedivit. Contra vero tranſitum impedire conatus eſt Bonacoſſa. Sed cum paucioribus, quam opus foret, rem tentavit, & propterea cum ſuorum ſtrage repulſus eſt: & rei infeliciter geſtæ Poncinum monuit: atque, ut celeriter cum armata manu inſequeretur, effecit. Jam vero ad ripas Ollii fluminis Aloyſius pervenerat: & cum jam partem copiarum tranſmiſiſſet, eo magis obnoxius excipiendæ injuriæ fuit. Irruente ferociter Poncino, fortiſſimus quiſque ex acie ejus cecidit. Ipſe & cæteri, qui ſuperfuerunt, abjectis armis, equiſque ſine ſeſſoribus relictis, per devia & incognitos calles Brixiam evaſere. Poncinus & omnis turba victrix onuſta ſpoliis hoſtium læti Cremonam rediere.

His actis, Bononiam Gibertus Corrigius contendit: ubi conſenſu Etruſcarum civitatum, Florentiæ, Senæ & Peruſiæ, tum populo Flaminiæ, Capitaneus & Signifer totius Guelphi Nominis creatur: milleque equites, & tria peditum millia attributa ei ſunt. Quo ornatus titulo Guaſtallam reverſus, & Pado ponte juncto Brixiam contendit. Madiorum caſtella infeſtus aggreditur: Gaydum oppidum expugnat ac diripit: ac cætera ita afflixit: ut inquieti quicquam ab exulibus deinceps Brixia vix ſenſerit. Inde Bergomenſem agrum populatur. Mox, docente Jacobo Cavalcabove, inſtructam eſſe Cremonæ occupandæ conjurationem; eo nocturno itinere proficiſcitur: & perfra-

cto urbis muro intromiſere milites, unaque portarum capta eſt. Et turba ingreſſa Potentiorum domos populatur: inde tenuiorum quoque opes invaſit: ac omnia ſine diſcrimine confuſa ſunt: & cladem, qualem raro aliàs, peropulenta civitas accepit. Poncinus cum in tumultu & hoſtium manu cuncta eſſe perſpexiſſet; ab averſa porta emiſſus abiit. Cavalcabos denuo urbis dominium occipit.

Inter hæc, ut certiori vinculo ſe invicem tuerentur, Corrignus & Turrianus affinitatem contraxere: Symon, Giberti filius, filiam Franciſci Turriani ejus, qui Guidone Mediolani Domino genitus fuerat, uxorem duxit. Et Ugutio Faſiolus, apud Scaligerum ſtipendia faciens, nihil magis animo agitabat, quam ut in antiquum imperium Lucæ Piſarumve rediret. Forteque ei oblata eſt occaſio conſpirandi cum Spineta Malaſpina: qui, non exiguæ auctoritatis vir, complura oppida in Lunenſi poſſidebat, commoditatemque ad occupandas Piſas allaturus videbatur. Nec ignaro Scaligero iſta agitabantur. Itaque, acceptis ab eo quatuor ecentum equitibus, Parmam uſque Ugutio penetravit. Sed non latuere doli. Piſani & Lucenſes junctis armis præoccupandum hoſtem decernunt: & conſcripto exercitu, ſummæ rei Ducem præficiunt Caſtrucium Caſtracanem Antelminellum, cujus originis & fortunæ mentionem ſupra habuimus. Is confeſtim ditionem Spinetæ invaſit, & brevi oppida omnia in poteſtatem redegit. Spoliatus fortunis Spineta, cum uxore & liberis in exilium abiit: ſicque & Ugutionis conatus evanuere, & Caſtrucius ob rem bene geſtam conſenſu Optimatum Dominus & Protector Lucenſis civitatis creatur. In cujus rei tempore non ignoro Blondum, & qui eum ſequuntur, diſcordare: exiſtimantes, eodem momento Caſtrucium imperium Lucenſe indeptum, quo, ejecto Ugutione, capitis periculo creptus eſt. Sed triennium interceſſiſſe Chronica temporum illorum demonſtrant.

Cæterum in antiquiſſimarum rerum Monumentis legimus, Aream Domini apud Hebræos quodam prælio ab hoſtibus captam atque abductam, peſtilentem & perniciabilem omnibus, ad quos pervenerit, fuiſſe, donec multo auro argentoque ornata in locum ſuum remiſſa eſt. Phocenſes quoque in Græcia, occupato Delphici Apollinis Templo, ſacram omnem pecuniam ſuſtulerunt: quod quamquam neceſſitate aliqua compulſi fecerunt; mox tamen, à Philippo Macedonum Rege devicti, ſacrilegii pœnas dediſſe creditî ſunt. Apud Romanos quoque cum Q. Cæpio Conſul diripuiſſet Toloſanum Italiæ oppidum, & multum auri in Templis repertum fuiſſet; quiſquis ex ea direptione aurum attigit, miſero cruciabilique exitu periit. Et Pompejus Magnus .....

.....

Tali ſano exemplum his quoque temporibus contigit. Meminimus ſupra in rebus Longobardorum Regum, non mediocrem vim auri conditum Moguntiæ in Templo Divi Joannis Baptiſtæ, cura & diligentia Theodolindæ Reginæ. Ea, quantum hactenus viderim, religioſa & intacta manſit ad uſque Turrianorum tempora: qui, Regnum neceſſaria impenſa defenſuri, ſacro auro manum injecere, pignori fœneratoribus locavere: à quibus ad alios atque alios mercatores tranſivit: obſervatumque eſt, eos omnes omnibus fortunis ſubinde excidiſſe. Abfuit autem per ſex & quadraginta annos: cum demum Matthæus Vicecomes admonitus, quorum in manibus Theſauri erant; eos perſoluto pretio redemit, atque liberaliter ad loculamenta ſua hoc anno remiſit. Quod quo difficiliori tempore & rerum conditione perfecit, eo diuturniorem in gente ſua fortunæ proſperitatem ſanciviſſe.

Dum ea in Liguribus & Circumpadana Italia geruntur, Canis Scaliger, animo agitans Patavinum Regnum, primæ occaſioni, quam nactus eſt, potiundi oppido Monteſilice non defuit: ejuſque arcem per proditionem occupavit. Diſtat ea Patavio decem non amplius millibus paſſuum, loci natura & humana arte munita, prope inexpugnabilis. Frequenti colono habitatur. Planities ſubjacet uberrimi campi, à re ipſe Divitis nuncupati. Nec aquarum calidarum thermæ deſunt. Inde tuto excurrendi in ſubjectam regionem cum facultas foret: paulo poſt Eſten & Montagnanam occupavit. Cumque jam propius urbem excreitus evagaretur; ſuſpenſum demum bellum eſt; &, inducis factis, Veronam Canis rediit, gravi relicta inter Patavinos cives diſcordia. Qui dum mutuis injuriis & cædibus ſe conficiunt, id, quod hoſtis optabat, peragebant. Sed non ita multo poſt Canis bellum renovat: atque hoſtiliter diſcurſans, inomnem ætatem & ſexum gladios ſtringebat. Inopes rerum ſimul & conſilii Patavini de peregrino auxilio cogitabant. Cumque alii Pontificem & Roberti Regis auctoritatem proponerent; Tarviſinorum ſententia fuit, ut Fredericum Auſtriæ Ducem potius eligerent, qui & propinquitate loci commodius adiri, & opinione Germanicæ militiæ majori terrori adverſariis futurus videbatur. Ad hunc igitur miſſis Oratoribus, brevi deditionem conficiunt iiſdem conditionibus, quibus & Tarviſini ſeſe eidem addixerant: & protinus Vicarius datus, qui & populum regeret, & Cani denunciaret, rem ſibi cum Duce Auſtriæ deinceps futuram. Sed id minime curavit Canis: eoque majoribus viribus bellum inſtaurat, quo potentiorem hoſtem cognoſcebat. Jam urbem arcta obſidione premebat: cumque prope eſſet, ut fame coacta deditionem faceret; importatis commeatibus extracta ſpes hominum eſt in aliquot menſes. Demumque Comes Guriciæ, mille equitum præſidio accepto, tanta celeritate ſupervenit, ut prius Paduam ingrederetur, quam ejus adventum Canis ſenſerit. Poſtero die in aciem deſcenſum eſt, & ſummis viribus pugnatum. Demum Scaliger, mille & quingentis ſuorum deſideratis, & equo ipſe ſuffoſſo, cedere acie coactus eſt: caſtraque ejus, rerum affatim plena, prædæ hoſti ceſſere. His peractis, Guricius quaſi in liberatione urbis mandata adimpleviſſet, ſeque ulterius infeſtum Cani non futurum oſtenderet, induciæ factæ ſunt; quibus permiſſum eſt Cani, quæ de Patavino agro cepiſſet, retineret.

TRISTANI CHALCI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

HISTORIAE PATRIAE

LIBER XXII.

EPITOME.

Nuptiæ Mediolani celebratæ, ac juſtitium interea indictum. Novus urbis Prætor cum exercitu miſſus ultra Abduam, dum populatur, amittit filium. Robertus Rex apud Pontificem agit, ut Genua obſidione liberetur, atque Matthæus Vicecomes ab imperio Mediolanenſi deſciatur. Cardinalis unius ad ipſum Legatione hoc ita primis tentatum; ſed fruſtra. Veniendum igitur ad arma duxerant. Miſſus eſt contra ipſum exercitus: cujus Duces Philippus Valeſii Comes & Carolus Gallicius erant. His etiam Florentini acceſſere. Matthæus ex adverſe exercitum colligit non minorem. Philippus, ab exulibus Papienſibus Papiam, à Turrianis Mediolanum avocatas, pecunia tandem illectus Vercellas petit contra Ticones, illius arcis poſſeſſores, quas ipſemet etiam Matthæus fovebat. Galli porro, ad colloquium cum Vicecomite congreſſi, ac partim rationibus, partim auro perſuaſi, re infecta, redire in Galliam decreverunt. Matthæus inde Ticones eruptus fovet, ac in tempore juvat: eumque Septimum in agrum receſſiſſet, mox Mediolanum revertit. Patavium ſub Ulrici Walſe regimine perſeverat. Moritur Matthæi uxor, jam decem liberorum mater. Ex his unus Marcus, interceptis cibariis, quæ Vercellas comportabantur, ipſamet etiam deinde potitur urbe: multoſque hoſtium ad Matthæum patrem mittit: qui carceribus perpetuis addicti aumquam poſtea comparuerunt; excepto Epiſcopo, inde fuga elapſo. Pontifex interim ac Robertus Rex alterum delegunt Ducem belli contra Vicecomitem gerendi: Raimundum videlicet Cardonam. Marcum filium Matthæus illi opponit, tum & alios ſubmittit. Galeacius inter hæc Cremam obſidere meditatus, bellum inde Cremonam transfert: eamque demum ad deditionem coegit. Solemnes nuptiæ in urbe Parma celebratæ. Vergufius Landus à Galeacio deficit. Privatur inde Ripalta, Ditionis ſuæ oppido, poſtquam nihil auxilii a Beltrando reportaſſet Cardinali, ad quem confugerat. Idem certe Cardinalis interea Matthæum Eccleſiaſticis præceptis exagitat: vocatumque ut cauſam cujus accuſabatur, coram dicat, neque comparentem, diris devovet: quin etiam propoſito Indulgentiis ad arma contra ipſum ſuſcipienda Fideles ſollicitat: nectum etiam Interdicto Mediolanum ſubjicit. Fredericus quoque Auſtrius, in ipſum incitatus, militet jam miſerat; cum Matthæus ad eum miſſa Legatione illos a ſe averſit; præterquam quod in id ipſum nuncios ad Beltrandum & ad Scaligerum, apud quos alia moliuntur, direxerat. Beltrandus conditiones pacis proponit; ſed ea Matthæo non probantur: Sacerdotes aliquot Mediolano ad ſe accerſit; à Matthæo non gravatim dimittuntur; & cum mandatis, ut ſuo nomine Pontificem regant, ne, quod contra Robertum Regem ipſe facit, ille vertat in ſui contumeliam: Epiſcopum Parmenſem mittit, qui Matthæi exploret voluntatem; Matthæus reverenter illum adit: Matthæum denuo & filios Valentinum ad cauſa dictionem vocat; Matthæus Duodecim ex Primoribus civitatis illuc mittit; qui, cum Cardinalem audiviſſent, pacem concluſere. Matthæus è propinquoribus civitatibus amicos Proceres ad conſilium convocat. His etiam Galeacius ab urbe Placentia, relicto ibi Actio filio, urbiſque cura civibus commendata, ſuperveni, patrem animavit, & omnem negotii hujus curam ſibi ſuſcepit. Matthæus ergo templa interim reverenter adoebat, ſeque palam & dictis & factis Catholicum, & ab omni hæreſeos labe immunem profitebatur. Cumque Modetiam perrexiſſet, ut Joannis Baptiſtæ templum reverenter ſalutaret, ac theſauros paulo ante à ſe pecunia ſua redemptos, illique reſtitutos recognoſceret; ibi languore correptus, indeque ad Creſcentiagi Cœnobium adſportatus, occubuit, ac ſine funeris pompa ſepultus eſt. Obitum tamen Galeacius tantiſper occultavit: eoque jam tandem vulgato, cives ad concionem vocat, communique conſenſu perpetuus & ipſe urbis Dominus declaratur. Eodem igitur & ipſe Oratores ad Beltrandum remittit; neque tamen quicquam interim remittit è cura belli, quod ad Baſſignanam contra Raimundum gerebatur. Atrox illic prælium, & utriuque cædes; ſed Vicecomes tamen victor. Pacem Oratores paratam retulere; ſi Galeacius dominio cederet. Quod quia ille detrectabat; acerbo de ipſo tota paſſim urbe plerique obloquuntur. Varia interim prodigia in aere apparuerunt: neque deerat, qui gravia imminere mala prædiceret. Vergufius Landus, acceptis à Beltrando præſertim ac Raimundo militibus, Placentia potitur: qua Pontifici nunciata res gratiſſima fuit. Modetiam ſubinde occuparunt, quem etiam Mediolani ad ſuburbium Ticinenſe caſtra locaverunt. Brevis tamen ibi mora, deficientibus cibariis, & ingruente hiu. Itaque Modetiam receſſum. Interea Mediolani ſeditio in Galeacium invaleſcit: & ille propterea ſemet ad urbem Laudam recipit: novaque Mediolani adminiſtratio conſtituitur. Galeacio tamen multis auxiliares copias ſubmittunt: brevique ab ipſa Modetia recuperatur. Quod Mediolanenſes egerrime ferentes, eandem protinus amicorum ope obſederunt, excidioque tandem ac rapinis prædæ tradiderunt. Exinde tamen Mediolani metus ingens ac dubitatio, necnon etiam torpor, & ſegnities, & diſcordia inter ipſos etiam conjuratos.

PRINCIPIO anni milleſimi trecenteſimi vigeſimi celebratas Mediolani fuiſſe nuptias lego in Diarus Juriſperitorum: atque ob ſacra connubialia ſuſpenſas in Foro fuiſſe cauſas. Arbitror, tunc Matthæi Vicecomitis nurus junctas ſponſis ſuis fuiſſe. Mox pridie Idus Februarias Paulus Arengerius Præturam Urbanam invit. Qui Nonis Maji trans Abduam cum exercitu miſſus, dum ſubjectum Romano oppido agrum populatur, filium, egregiæ ſpei juvenem, telo ictum amiſit. Relatus Mediolanum adoleſcens,

A. C. 1320.

ſcens honorifice pro patris dignitate tumulatur.

Interea Robertus apud Pontificem agebat, ut Genua obſidione liberaretur, & Vicecomes Mediolanenſi tyrannide dejiceretur. Duplex proviſio decreta: altera, quæ ſcripto & Legatione; altera, quæ vi & armis confiecretur. Legatus in Italiam miſſus Beltrandus Poretus, vir genere Pictavienſis, & titulo Sancti Marci presbyter Cardinalis Romanæ Eccleſiæ. Is Aſtam primo petiit: atque inde litteras & nuncios ad Matthæum mittit. Hortantur & ſuadet, ut Genua & finibus Ligurum penitus abſtineat: tum cætera, quæ ex decreto Patrum Pontifici deberentur, præſtaret. Matthæus, quid ſibi in his Pontifex arroget, ignorare ſe, reſpondet. Notorium quidem Orbi eſſe, & à Majoribus ſe accepiſſe, univerſam ornm Ligusticam Imperatoriæ ditionis eſſe: Mediolanum vero ipſum, prope pro monſtro ſibi videri, quod quiſpiam Eccleſiaſticus aſſerere audeat: Cæſarem ſemper hic cultum fuiſſe: &, quoad vires ſibi ſuppetent, ſe culturum. Si qua alia in re officium ſuum requiratur, libentiſſime obſequuturum.

Hæc ubi in Gallia recunciata ſunt, haud ſecus accepta fuere, ac ſi extremæ contumaciæ reus Matthæus foret. Itaque omnium ſtudia ad belli conſilia converſa ſunt. Cujus ſummæ præficiuntur duo Duces Philippus Valeſii Comes, & Carolus Gallicius: ille Francorum Regis frater, hic ex altero Carolo ejuſdem nepos. Additus conſilio prudens & rebus geſtis clarus Berardus Margolius, Roxii Comes. Qui Avenione congregati auſpicia bene gerendæ rei, titulum militiæ à Pontifice accepere. Ad mille autem equirum in Aſtam Junio menſe deſcendere, immenſo Guelphorum gaudio: nec diſpari honore acceptus ab iiſdem eſt Philippus. Qui, Principis Pedemontani amicitiam ante omnia aucupandam ratus, ſtatim illi donavit Savignanum, ex ditione Roberti Regis oppidum. Quo facto multum de judicio & exiſtimatione apud ſuos amiſit: qui indignum cenſebant, ab homine peregrino, & alienis auſpiciis res gerente, arces & caſtella donari: & fines, quos augendos ſuſcipere debuiſſet, nondum peritus locorum immittere.

Florentini quoque, eorum adventu cognito, quantum poſſunt, militum contrahunt, auxilia à ſociis accerſunt. Mille circiter equites coacti, & peditum longe major numerus: qui in deſcenſu Apennini invadere Vicecomitem jubentur; &, ſi poſſent, Philippo ſeſe conjungerent. Matthæus pariter omnia circumſpicere: ne impar viribus ſit, operam dare: ab Aretio, & Luca, & cæteris Cæſarei nominis amicis auxilia petere. Et undique ad eum copiæ confluebant: & aderat Germanorum cohors, ex exercitu Henrici ſuperſtes, & Italicæ militiæ gnara. Luchinum & Stephanum filios his præfecit. Galeacium à Placentia evocat: qui raptum montanam juventutem obarmat. Novariam convenire omnes jubentur. Jam Philippus, hoſtilium copiarum Ductor, Valennium venerat: & multitudine Competitorum, in diverſas partes vocantium, in diverſa animus ejus diſtrahebatur. Ad eum enim, tamquam Principem & univerſalem Vicarium, hominum concurſus fiebat. Patienſis exules, ut reſta ſecus Padi ripas Ticinum duceret: Turriani, ut Mediolanum potius appeteret; quod caput eſſet, & proinde integris viris aggrediendum; inde omnia plana futura, & ad votum ſucceſſura. Sed cum propinquitate loci, tum quod decem millia aureûm præſentis pecuniæ oblata ſunt, cum ad ſe avertit Symon Corrobianus, Vercellenſis: qui Ticioni infeſtus, cum domo & finibus exturbare nitebatur. Tenebant autem Ticiones arcem Vercellarum: ac, ne deficerent, Matthæus omni ope curabat: exercitumque ad ipſas Seſſitæ amnis ripas promovit. Allabitur mœnia fluvius: ſic intueri caſtra amici pariter atque hoſtes poterant, ac pro animorum habitu ſpem metumque ex eo capere. Ad triginta enim hominum millia jam habebat. Quorum virtuti etſi ſatis confidere poterat; tamen nec ab occultis artibus, ſi qua avertere vim belli poſſet, Matthæus ceſſabat. Ac demum pacis mentio Gallis placuit: veneruntque Duces ipſi in colloquium. Ex prior Galeacius ſic verba fecit: *Si in Orbe terra ii, qui cæteris hominibus præſident, legibuſque & imperio populos cohibent, intra munera ſui finesque manerent; profecto æquabilius conſtantiuſque res humanæ ſeſe haberent; nec nunc Tibi gravis & periculoſi belli provincia injuncta foret; nec nos cogeremur arma ſumere, exercitumque ducere adverſus Gallicam gentem, cum cujus Regibus longa ſanctaque amicitia, ac mutuis beneficiis ancta nobis intercedit. Pater & nos filii nomen veſtrum, quotiens ex Gallia quiſpiam tranſivit, prope religioſe coluimus. Cum vero ad ſalutandum patrem tuum, qui culmen Regni tenebat, veni; quam benigne, quam honeſte exceptus ſim? Certe, ſi cætera ignorantur; munera & militaria ornamenta, mihi in conſpectu totius Galliæ collata, ſatis declarant. Fratrem Carolum, qui nunc regnat, annos ad hinc circiter viginti Romam petentem, Mediolani comiter & honorifice excepimus. Abeuntem muneribus proſequuti, opportuna quoque itineri ſuppeditavimus. Nec iſta objicienda beneficii gratia dicta putes. Tantum ut ſcias, intercedere nobiſcum amicitia jura, non armorum, non ut inimicis noſtris morem gerens fines noſtros hoſtiliter invadas. Duces, parendum Pontifici eſſe, cujus juſſu Alpes ſuperata ſunt. Equidem, Pontificis numen in terris maximum & venerandum eſſe, non abnuerim. Sed & ipſe homo eſt, & falli judicio poteſt; cum præſertim factioſis hominibus Aula patet. Proinde videndum eſt, quam ſit æquum ejus imperium, quam juſta in nos arma moveat. Procurationem in Longobardis Henricus Septimus, legitimo & ſolemni Cæſarum more Romæ coronatus, nobis tradidit: ſicque ejus juſſu Mediolanenſi & cæteris urbibus præſidemus. Nullam Pontifex, aut Eccleſiaſticum Ordinem profitens homo, injuriam intulimus. Gennenſium tantum exterres, popularium inſidiis domo pulſos, & à nobis opem imploranteſ, juvimus. Quid hoc rei eſt? ut nos à grege Chriſtiano exterminare ſummus Vigeſimus ſecundus debeat? Huene eſt Sacra attrectare? Templa ſpoliare? Virgines religioſas violare? Sedemne Petri, & ipſam urbem Romam prædatis tibi videmur? Et tamen exſecrationes deteſtandas ac ignominia plenas in nos parare videtur: & Tui ad nos perdendos cum exercitu mittendi auctor impulſorque fuit. Cui quidem obtemperare cupimus, mandatiſque parere paratiſſumus; modo tantiſper flectatur, & ab odio in nos concepto recedat; ne in ordinem nos deducat; inimicorum libidini ſubjiciat, Cæſareo munere privet, futuros ſimul ludibrio iis, qui nos patrio ſolo evolvere ſtudent. Atque ut credas re ipſa, quæ dico, præſtare velle: jam ſpondeo, nos Fratre Rege, vel Te, diſceptatore de iis, quæ in controverſia ſunt, uſuros: Nunquam auctoritatem veſtram, & quodcumque cenſuerit, defugiemus. Amplectere mentem hanc: & ſuſcipe cauſam, quæſo, eorum, qui nihil hoſtile adverſum vos cupimus, qui reſpectu gemus veſtro & diligenti obſervantia in Francorum Reges tenemur. Cave, quiſquam tibi perſuadeat, ut congreſſu pralio nobiſcum malis, qui invitis adverſus vos pugnamus: qui, in patria arma tenentes, & ducere mora ſedendoque bellum poſſumus: & ſi quod detrimentum fortuna, quam non ignoro plurimum in bello poſſe, attulerit; facile reparare vires exercitumque reſtituere finitimorum auxilio poſſimus. Tibi, in peregrina terra agenti, unum adverſum prælium totius belli finem afferet. Nam ſi quid alicunde exſpectas: ſi ab aliquo Italia angulo ſpe auxiliorum ſovemini; ſcito, procul omnis eſſe tricliniorum iſtud a cu-

lona illa, ut dici apud nos ſolet. Longe diſtat Etruria à Salaſſis, Atrius à Seſſite, Florentia a Vercellis. Tota Longobardia languido, noſtris amicorumque noſtrorum ſepta armis, eorum ubi Te cognus intercludit. Praterea inops & ſibi diſcors populus ſæpe majora viribus promittere non erubeſcat.

Efficax hæc oratio apud Philippum fuit, juxta æſtimantem & periculi ſui magnitudinem, & cauſæ apud ſuos iniquitatem. Ad hæc ingens vis auri, clanculum data, mollivit animos. Itaque pax brevi ſic facta, ut Philippus & Margolius trans Alpes redirent, Corrobiano in tres menſes infeſtus Galeacius non foret. Reverſis in Galliam Ducibus non mediocri vino datum eſt; quod, nulla commiſſa pugna, ac ne hoſtili quidem terra adita, à negotio diſceſſiſſent. Reſpondit Philippus, nec ad tempus veniſſe auxilia Sociorum, nec pecuniam ad ſolvenda militibus ſtipendia datam: magiſque ex uſu belli & Gallici nomiois dignitate fuiſſe, exercitum ſervare, quam deſerimini Martis & fortunæ varietati tot præſtantium virorum ſalutem objicere. Philippo id tantum profuit, quod Regis frater erat. Margolio enim, avaritiæ & levitatis ſummæ vel potius perfidiæ damnato, cum bonorum omnium mulcta, ignominioſa etiam mors irrogata eſt. Eorum digreſſu Symon Advocatus cum nulla ratione reconciliari Vicecomiti poſſet, per induciarum tempus oppidum Corrobianum (unde alterum illi cognomen) & partem urbis à ſe occupatam, præſidio valido, armis, commeatuque munit. Contra Matthæus Ticionem exitius fovere: &, exacto trimeſtri, Marcum filium aperte in auxilium mittere. Ipſe interim, per Octobrem menſem in agrum Seprium ſecedens, Nervianum & Angleriam petit: moxque ad urbem rediit. Per idem tempus Patavinam urbem obtinebat Ulricus Walſe, Præfectus Stiriæ, Frederici Romani Regis nomine. Hunc Canis Scaliger diu multumque oppugnavit. Sed tandem ipſe ingenti prælio victus ceſſit: & Patavini leges, ad quarum normam viverent, ab Ulrico accepere.

A. C. 1314. Sequenti anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo primo domeſticum luctum Matthæus paſſus eſt, defuncta conjuge ejus, Bonacoſſa Burra, jam decem liberorum matre. Quorum quinque maſculorum ſupra infraque mentionem habemus: fœminarum primam, Catherinam, matrimonio Albuini Scaligeri junctam, ſupra ab hinc tres & viginti annos docuimus: reliquarum nuda tantum nomina in Parentalibus libris, quos Sacerdotes ad anniverſarias defunctorum expiationes ſervant, inveni; adeo illas injuria temporum obſcuras reddit. Floramonta & Margarita in Divi Franciſci, Achilla & Zacharina in Euſtorgii Ædibus, ubi & mater, ſepultæ ſunt.

Cæterum interea procedebat obſidio Vercellenſis. Corrobianus ſpe propinquorum auxiliorum ſuos jam langueſcentes ſuſtentabat. Erant adhuc Valentii & in Bergolio Alexandrino Hiſpani equites ſexcenti, præterea Itali multi, qui à popularibus domo ejecti exulabant. Hi fruimenta & cibaria contractis undique plauſtris & jumentis imponunt, ac ea Vercellas ducere parant. Marcus, Matthæi filius, qui huic expeditioni præerat, per exploratores cognovit adventantium numerum, vires, & impedimentorum magnitudinem. Fit eis obviam cum Prætore Urbano: qui recens in ſupplementum attriti per hyemem exercitus egregiam bello manum adduxerat. Haud mora pugnæ, ubi in mutuum conſpectum ventum eſt, fuit: atque ex certamine ingens cædes edita. Petrus, Licorvi Comes, ordinem apud adverſarios ducebat. Hic ſtrenue pugnanti Marco ſe opponit: &, niſi à ſuis deſtitutus ſuiſſet, memorandum aliquid edidiſſet. Sed, equo ſubtoſſo, graviter & ipſe vulneratus in terram evolvitur: cujus caſu trepidavit reliqua acies, tergaque univerſi dedere. Trecenti & amplius cæſi, longe plures capti, commeatuum vis omnis direpta. Licorvus pro mortuo habitus tamdiu inter cadavera jacuit, donec, digreſſis victoribus, tuto ſe conſurgere poſſe vidit: ſeque ad ſuos recepit. Hoc prælio Corrobianus, & cuncta Advocatorum Factio adeo fracta animo eſt; ut, deſperata ſalute, ſupplices zonis collo demiſſis munito loco deſcenderint; &, veniam erratorum petentes, arbitrio victoris ſe arcemque permiſerint. Marcus ex his Symonem ipſum, & Epiſcopum, duodecim præterea alios delegit: quos vinctos Prætori Mediolanenſi tradidit, ad patrem ducendos. Matthæus eos perpetuis carceribus addixit: nec amplius poſtea comparuere, uno tantum Epiſcopo excepto. Qui, cum ex diuturna mora tædio affecti cuſtodes largius potaſſent, dormirentque profunde, tunicam & capitis tegumenta paleis opplevit; & imaginem loco ſui inter dormientes collocat; ipſeque per latrinam elapſus evaſit. Amici deſcendentem mœnibus, intre excipiunt, atque incolumem Bugiellam oppidum perduxere. Receptis Vercellis Marcus Prætorem ex arbitrio imponit: & Ticiones, victoria exultantes, nec à cupiditate ulciſcendarum injuriarum temperantes, altas opulentaſque Advocatorum domos invadunt, bona diripiunt, ædificia igni ferroque evaſtant, atque eynliis ſundamentis ſolo æquarunt. Ita perhoneſta ſui parte urbs clariſſima deformata eſt.

Pontifex autem & Robertus, Philippianæ expeditionis ſpe fruſtrati, ſummam belli delegant Raimundo Cardonæ: cujus militaris virtus ſpectata paulo ante Genuæ fuerat. Is, haud ſane felicioribus, quam Philippus, auſpiciis electus, pridie Idus Majas Aſtam ſe cootulit. Confluxere ſtatim ad eum Proceres partium ſtudioſi, & mercenarii milites, & qui pro tuenda Factione in armis erant. Matthæus, adventu novi hoſtis audito, Marcum filium cum præſidio Alexandriam proficiſci jubet. Qui, trajecto Tanaro, oppidum Quadraginta-Familiarum recipit, Solerienſium conterminos agros populatur. Cootra adverſariorum quingenti equites, à Valentio tranſmiſſi, Montem-Caſtellum diripiunt atque ſuccenduot. Mox Raimundus ipſe ſubſequutus Quadraginta-Familias expugnat: Germanos equites in præſidio captos abduxit. Acceſſit paulo poſt novus ex Gallia equitatus. Quibus auctus copiis Montem tranſgreditur, & Occimianum per deditionem recipit. Inde in Alexandrinos verſus, eorum agros evaſtat: vicinos Derthonenſes adoritur: ac Ponte-Curono oppido (cui nomen præterlabens fluvius dedit) potitur. Trepidabant ergo oppidani magnitudine detrimentorum: & nova conſilia capere ferebantur. Marcus ab Alexandria ſubito, quas poteſt, copias contrahit: atque populabundo hoſti occurrit. Sed in certamen ullum ventum non eſt; quia uterque, alterius opinione magna imburus, mutuo metu ſeſe in caſtris continuit; & veluti defugientes conſpectum abiere. Ex itinere Raimundus Bacienorum agros populatus, tumultum in oppido excitavit: ac brevi ſine pugna eo potitur. Amici Vicecomitis in arcem confugere. Quibus ut auxilio foret, Stephanus copias continuo à Vercellis ac Sociis evocat. Matthæus inſuper Jacobum Iſeum, Prætorem urbis, è Mediolano ad eum mittit. Sed tranſire Padum, occupatis ab hoſte clauſtris, non potuere. Itaque Stephanus, fruſtra perrumpere conatus, retroceſſit. In hoc diſcrimine rerum Matthæus Gerardi-

num

num Spinulam, virum opibus & uſu rei militaris ea tempeſtate clarum, accerſit: ſummumque illi imperium adverſus Cardonam tradit. Is, Stephano & Uſeo conjunctus, ſæpe quidem hoſtem in certamen provocavit. Sed cluere unquam non potuit; ſatis in præſenti actum exiſtimante Raimundo, ſi parta tueretur, & tranſitu Padi inimicos arceret.

Inter hæc Galeacius, Placentiæ agens, obſidendæ Cremæ negotium ſuſcepit. Socios habebat Poncinum Pontonum, & Opizonum Landum, qui longe notior eſt fortuito cognomine, Vergusius paſſim nuncupatus. Sed cum potiri oppido non poſſet, agrum evaſtat. Defenſores inerant Turrianus Patriarcha Aquilejenſis & ſeptingenti à Brixia Cremonaque viri. Tum Galeacius bellum ad Cremonam transfert: ac, caſtris ad portas poſitis, eam undique circumvallavit. Vergusius & Poncinus regionem populantur. Quos præda colubere conatus Comes Sartyranæ, cum centum equitibus illis occurrit. Commiſſo certamine, majori parte ſuorum amiſſa, ægre cum paucis evaſit. Altera hoſtium turba ex Cremenſi cum præda revertebatur: in quos invecti alacres ex recenti victoria Duces, facile perturbarunt, & late fugatos impedimentis omnibus ſpoliarunt. Amicolus Turrianus, & Maximus ab Eccleſia cognominatus, intercepti Placentiam ducuntur. Jam arcta erat Cremonæ obſidio: & fames populum varia loqui cogebat. Jacobus Cavalcabos, viribus diffiſus, clam cum pecunia egreſſus, Bononiam & ad Etruſcas civitates abiit. Docet, quo ſumma rei loco ſita ſit, & quanti referat Cremonam amitti; poſſe tamen adhuc defendi, ſi celeriter auxilia ſubmittantur. Denique ſexcenti equites armati fuere, & ei attributi: ſimul Franciſcus Scottus, qui tunc Placentia exulabat, in ſocietatem aſſumptus. In Parmenſem agrum conveniunt, imbuti ſpe Padum trajiciendi per ditionem Giberti Corrigii. Sed is præter opinionem ſpiritum diutino morbo conflictatus poſuit. Obiit autem quinto Kalendas Sextiles in oppido Caſtronovo Corrigiorum. Ergo per montana circumflectentes, in Placentinum perveniunt: oppidum Bardum circumſident. Sed arcem fortiter Galeacii nomine tutatus eſt Nellus à Maſſa cognominatus. Reliquis hoſtium incurſionibus Manfredus Landus occurrebat, &, quantum poterat, à præda arcebat.

Cavalcabos, ubi cognovit laxatam Cremoniæ obſidionem, ab obſidione Bardi recedit: &, dum reliquæ acies ordine ſequerentur, ipſe cum viginti, aut paulo amplius, fortiſſimorum virorum præcedit: nec ita multo poſt in exploratores inimicos incidit. Coactus cum pluribus inire certamen, ſtrenue quidem aliquandiu dimicavit; ſed numia imparitas bellatorum obfuit. Cecidit graviter vulneratus Ductor; & Parmam relatus, brevi animam reddidit. Leonardus Arcellus, inter captivos inventus, Mediolanum perducitur.

Hac cuſta liberatus Galeacius (nam exteras copias ſubſequentes, Ductoris vulnere conſternatas, facile profligaverat) exercitum reducit Placentiam: &, acceptis à patre in ſupplementum quatuor millibus peditum, & quingentis equitibus, per Decembrem Cremonæ obſidionem inſtaurat: clauſtra terra Padoque occupat, ac præſidiis firmat. Nec receſſit, quamvis hyberna frigora urgerent, & perincommode miles ſub pellibus & tentoriis duraret.

A.C. 1322. Denique, appetente vere anni milleſimi trecenteſimi vigeſimi ſecundi, cives, deſperato undique auxilio, deditionem paciſcuntur. Peregrini omnes, ab averſa porta emiſſi, incolumes abire permiſſi ſunt. Galeacius, urbem pacato agmine ingreſſus, à vi & injuria tutos cives præſtitit, ſtatumque civitatis ad arbitrium compoſuit, reditumque cunctis exulibus conceſſit, præterquam nominis Cavalcabovis. Reverſus Placentiam, eo Beatricem uxorem cum Actio filio jam pubeſcente accerſivit.

Eodem tempore Parmæ perquam celebres nuptiæ actæ ſunt. Joannes Quilicus Sancto-Vitalis Vanninam filiam filio Ugolini Rubei Andreaſio deſpondit. Univerſa Nobilitas ad ſolemnia invitata: quadringentæ matronæ honeſtæ cultæque, viri ſupra mille affuere. In Epiſcopalibus Ædibus prandium paratum eſt; quia privata domus multitudinem convivarum non capiebat. Epularum omniſariam mira abundantia, & ſupra modum cenſus illius. Vergusius vero Landus, ſeu invidia ſeu diffidentia potentiæ Galeacii, ab eo defecit. Sunt qui cupitam eidem putent fuiſſe Blanchinam Vergusii uxorem, vocatamque ab eo ad diverſorium ſuum. At matrona pudicitiæ metuens, longum propinquorum ordinem duxit. Quos ut Galeacius conſpexit: *Non opus erat*, inquit, *ut tot ſtipata viris matronisque accederes.* Illa erubuit: &, *ſe alio tempore venturam*, reſpondit. Reverſa domum conſcendit equos, & in tuta abiit. Ex eo veritus Galeacius, Vergusium non quieturum à turbulentis conſiliis; primum providit, ne quid is maligni in finibus patrare poſſet; eripuitque ei Ripaltam, oppidum non procul Placentia ſitum. Sed mox eandem Vergusius per fraudem, & ſtudio inquilinorum adjutus, recuperat. Raptim contrahit agmen Galeacius, & arcem natura prope inexpugnabilem circumſidet. Fames & rerum inopia mutare conſilium coegit. Venturum ſe in poteſtatem inimici, li in ea perſiſteret, Vergusius cognovit. Itaque, relictis qui eam cuſtodirent, clanculum deſcendit, atque ad Cardinalem Beltrandum profectus eſt. A quo cum nihil, ut in præſenti adjuvaretur, impetraverit, ſpatium Galeacio cogendi obſeſſos ad deditionem Ripaltæ præbuit: quam ira accenſus everti ad fundamenta juſſit.

Interea Beltrandus Eccleſiaſticis imperiis Vicecomitem agitabat. Demum Mediolanum venere clari Sacerdotes, Matthæo denunciantes, ut Aſtum ad Beltrandum, vel in Gallias ad Pontificem ent: cauſam, cujus accuſabatur, coram dicturus; quando ejuſmodi eſſet, ut per nuncios aut procuratores confici non poſſet: dieſque ad id præſcripta. Excuſare Matthæus primo ætatem ſuam; quippe ſeptuagenarius longinqua itinera obire non poterat: deinde propinquiora loca longe ſibi ſuſpecta eſſe; ut in quibus inimica Factio, & ii, cum quibus de imperio & vita dimicaverit, plurimum poſſent. Dari ſibi verba, & Pontificiam eludi auctoritatem arbitratus Beltrandus; litteras Joannis publicat; & pro Pontificali Æde ſubſtructo tabulato conſedit inter Aicardum Camedojam titulo tenus Mediolani Archiepiſcopum, & Bernabam Priorem Provincialem Fraternitatis Prædicatorum, Pacem Vedanenſem, Jordanum Montecuchum, & Honeſtum Papienſem, Inquiſitores pravæ Hæreſeos: & alta voce recitato Verſiculo, EXSURGAT DEUS, ET DISSIPENTUR INIMICI EJUS, exſecrabiliter & acerbiſſime in Matthæum & filios invecti ſunt: vocaruntque ceu contemptores Dei ad certam diem, ad purganda, quæ eis crimini dabantur. Alioquin pro impiis & neſariis hominibus haberentur: cuicumque injuriæ & probro obnoxii forent: denique commercio Chriſtiano eliminarentur. Poſtridie Kalendas Februarias ex eodem ſuggeſtu eadem repetita ſunt. Tum, ceu res Chriſtiana ſummum in diſcrimen adducta foret, ſub Vexillum Sancti

Petri

Petri vocati ſunt, quicumque dignitatem & opes Eccleſiæ ſalvas vellent, propoſita ſcelerum expiatione & æterni ſæculi felicitate iis, qui nomen in id (non ſecus ac ſi adverſus Saracenos pugnaretur) darent. Ingens numerus ea ratione arma tulit: & quamvis hyems egelida foret, ejectuſque Baciennorum oppido Raimundus eſſet; mox tamen Derthona cum arce potitus per proditionem eſt; & Valentium profectus Beltrandus deteſtationes in Vicecomitem iteravit. Præfectura, Magiſtratu, juriſdictione privavit: igni & aqua interdixit: devitari ab omnibus, ceu peſtem quandam, juſſit. Id quod cum in plurimis Roberto addictis urbibus, tum Genuæ, primo Jejuniorum die factitatum eſt, frequente populo majorem Ædem ſalutante. Sed paucos commovit in Matthæum exſecratio, arbitrantes, falſo eum inſimulari. Itaque & edicta & promiſſam expiationem plurimi adſpernati ſunt: nec defuere qui Tabellas pro roſtris ſuſpenſas ſpiculis ſagittiſque confixerint. Alii conſtantiores alacrioreſque erga Matthæum facti ſunt; quoniam non de religione præceptiſve Divinis agi, ſed de Longobardiæ Regno, nemo dubitabat. Id quod etiam Franciſcus Petrarcha in Opuſculo, cui titulum non inſcripſit, declaravit: iniquum & prodigio ſimile eſſe teſtatus, Pontificem tanto ſtudio perdendæ urbis ampliſſimæ Mediolani flagraſſe; quaſi Damaſcum vel Memphim debellandam ſuſcepiſſet.

Sed non his contentus Joannes, novum hoſtem ex altera parte, ut ancipiti bello facilius Matthæus opprimeretur, ſuſcitat. Contracta erat affinitas inter Robertum Regem & Fredericum Auſtrium, qui de Romano Regno cum Ludovico Bavaro contendebat. Namque hujus primogenito ſoror Roberti nupſerat. Hoc jure, tum multa alia pollicendo Pontifex, ut arma Auſtrius in Vicecomitem, tamquam omni divino humanoque præſidio privatum, ſumeret, effecit. Præmiſſus eſt Henricus, Frederici frater, cum equitatu mille & quingentorum bellatorum: qui Tridentino ſaltu tranſmiſſus, in Brixianum agrum deſcendit tertio Idus Apriles, quo ſorte die celebritas Palmarum apud Chriſtianos agebatur. Aggregati ſunt voluntarii milites ad duo millia, & vicinarum urbium extorres, & reliquiæ Turrianorum circa Venetias exulantium.

Pertimuit Matthæus, ab novo & inexſpectato hoſte ſe peti; & plus oneris, quam ferre poſſet, ſibi cumulari. Præterea fremebant populi interdictione Sacrorum; & quod æterno devoti ſupplicio viſitare templa, mortuos pro more ſepelire non poſſent. Conſilium tempori reique haud incongruum cepit: & quo magis, quam viribus, procellam imminentem diſcuſſit. Nuncios ad Beltrandum mittit, qui de compoſitione & concordia agerent: alios ad Scaligerum, qui Henricum quacumque arte avertere ſtuderet. Tertia item Legatio, ad Fredericum ipſum decreta, hujuſmodi mandata pertulit: *Si, quorſum tenderent præſentia Summi Sacerdotis ſtudia conatuſque, perſpiceres, Princeps clariſſime; haud profecto, opinamur, arma adverſum nos hoc tempore moviſſes; aut Henricus frater tuus bellum in Longobardis tuo juſſu faceret. Pratenditur ab Apoſtolici Culmine Miniſtris, Tibique (ut audio) perſuaſum eſt, Matthæum Vicecomitem effectum eſſe contemptorem Dei, rebellem Eccleſiæ, hæreticum maximum fore, ac propterea ex mortalium conſortio exterminandum. Ejuſdem crimina contumacieque culpatur civitas tota; quod tamquam fautrix & alumna impio hominum cœtui retineat, nec arma contra caput, atque ab ſe non ejiciat. Sed ſit pax omnibus: quieſcat aures veſtræ: & cum communis Paſtoris venia fari pauca licebat. Longe aliam cauſa ſint, Rex Auguſte, quam qua Tibi ſuggeſta eſſe videmus. Matthæus non adverſatur Religioni:* A *non contradicit Numinibus, nec præceptis Divinis: Sacra usu contemnit; immo ea omnia religioſiſſime ampleſtitur, colit, veneratur, adorat. Et, ut omittamus reliqua, ſatis exempli eſt recentiſſimum illud & apud nos percelebre factum. Theſaurum Moguntinos ſuſtulerant priſci ex ædibus Divi Joannis Baptiſtæ: maximoque in periculo quadraginta & amplius annis apud varios funeratores verſati ſunt. Quos ubi Matthæus Vicecomes latitari compertum habuit; quamvis diutino bello preſſus, ſua tamen pecunia confeſtim redemit, ac integros in loculamenta antiqua reportari curavit. Hocne eſt infidelis & Saraceni hominis, ne iſti vocant, argumentum? Minime profecto. Quid ergo eſt? Nimirum vaſana cupiditate ardet, impotentique deſiderio tenetur Joannes Vigeſimus ſecundus toti dominandi Italiæ. Vellet per occaſionem contentionis veſtræ cum Ludovico Bavaro privare Vos Regno Majorum. Aſſerit enim, & toto orbe vulgavit, vacare Regnum Romanum, & nullum Cæſarem juſte imperare; & in hujuſmodi controverſia gubernationem Italiæ ad ſe ſpectare. Sic ergo & Tibi injuriam facit: & per favorem tuum à Germanis ad Gallos jura Auguſtorum transferre vellet. Id quod indicat univerſalis Procuratio Roberto Regi delegata: quem nobis Dominum impoſuere nuntii. Huic cupiditati quia Matthæus reſiſtit: quia decedere Dominio Mediolani non vult: quia id ſe auctoribus Cæſaribus obtinere profitetur; idcirco hæreticus habetur, profanus eſt,* B *& Chriſtum abnegat. O inclytam Pontificis curam! Qui inter populos Chriſtiani orbis nutrire pacem, Regum concordiam, & ſubditorum omnium benevolentiam pari affectu ampleſti deberet: is maximas ſeditiones, turbas & bella concitat, fatiſque fovet: & cum, cui Cæſarum nomen invitum maxime eſt, tollit favore, & alterum deprimit: denique Claves Petri, aperiendo cœlo datas, vexillo bellico pangendas, & Chriſtianis contra Chriſtianos ferendas tradit; & contra Hæreticos procedere ſe jactat? quis a Vobis, contra veſtros ac jura veſtra ut feratis arma, flagitare non erubuit. Sed vis ne Tu, Auguſte, Mediolanum petere? Move, ſcribe ad Matthæum; jam tibi* C *aperta planaque omnia erunt. Una litterarum ſignificatione & Coronam Regni & Regnum ipſum Longobardorum Matthæus & quinque generoſi filii Tibi tradent. Utinam in cæteris tam quietum ſolidumque conſtaret Imperium, quam Tibi res noſtra libera expeditaque erunt. Profecto jam Vobis cuncta triumpharentur Italia. Immenſa ſunt Vicecomitis opes, clientela, fœdera, amicitia, exercitus invicti: Civitas omnium rerum copia abundans, qua gerendo bello neceſſaria opportunaque ſunt: &, quod omnia vincit, nativus in Cæſarem Cæſaſque Nuncios, & obſequendi affectus. Quare ſuppliciis ac ſupplices petimus, arma tua à nobis avertas, Henricum revoces; ne, dum fallacibus ſuaſoribus nimium credis, in Te ac tuos & juris Cæſarei & Imperatoria poteſtatis exi-* D *dium vrat.*

Movit hæc oratio Fredericum: &, ut eadem ad Proceres referrentur, Concilium vocavit. Univerſi cenſuere, Cæſarum jura eſſe defendenda, neque vires Imperii eſſe negligendas: procul dubio in Vicecomite magnum momentum verti: eo pulſo, opes Regni, & exiſtimationem Imperii valde imminui; quare protegendum eum, & gentem amicam ſervari oportere. Ita confeſtim dimiſſi cum litteris nuncii Henricum monent, ut quam honeſte poſſet, ab incœpto ceſſaret, ac exercitum in Germaniam reduceret. Ad hæc non levis pecunia contributa eſt: & quinquagiota aureorum millia in viaticum Henrico depenſa. Qui ſtatim nectendo moras in negotiis, nec ea obeundo, quæ uſus belli poſcebat, ſuſpicionem mutati animi apud hoſtes præbuit. Brixiani primi fraudem veriti colligere vaſa, domumque abire. Hos inſequitur Henricus: &, ceu à deſertoribus proditus, ſolvendi exercitum occaſionem habuit. Veronam profectus, à Scaligero comiter & honorifice accipitur: ac amplis muneribus donatus in Germaniam abiit.

Cæterum Beltrandus cum arbitraretur, Matthæum ſero

ſerio ad pacem inclinare: ac ita affectum, ut ad quaſcumque conditiones deſcenderet; nuncios miſit, qui eas proponerent, ac ea ſuaderent, per quæ reconciliari Pontifici poſſet. Petebat autem, ut Matthæus Dominationi renunciaret, ac civitas veniret in manum Pontificis, tantiſper paritura, donec unus rebus præficeretur, quem Germani Proceres legiſſent, & Pontifex Apoſtolica auctoritate ratum feciſſet. Reddi præterea urbibus captivos, & Turrianos in ſua reſtitui, & in adminiſtrationem publici negotii conſortes recipi. Sed hæc Matthæo non placuerunt: & plurimorum animi offendebantur, ea poſtulari, quæ præſtare iniquum & periculoſiſſimum foret. Nam in imperium externi Regis concedere, & novum in Italia Procuratorem conſtitui, quid, niſi omnia confundere, & mortalium ſtatum perturbare eſt? Porro Turrianos in urbem recipere, nil aliud eſſe, quam intra viſcera exſtinctum ignem ſuſcitare, & urbem in proprias clades denuo obarmare; quando eo furoris ventum ſit, ut nulla ſolida pax ſperari ab his poſſit, quos ab inſidiis & fraudibus temperaturos, nuſquam credibile ſit. Cum talia paſſim obmurmurarentur, nihil certi reſpoſum eſt.

Tunc Beltrandus religioſos Patres, qui Mediolani perpetua Sacerdotiorum magiſteria gerebant, ad ſe vocat. Hi continuo Matthæo ſignificant, à quo vocati fuerint: & abeundi veniam petunt. Matthæus haud gravatim obſequitur. Inſuper mandata addit: *Rogarent Pontificem, ne in contumeliam ſuam verteret; ſi quid pro tuenda libertate, & ſalutis cauſa adverſus Robertum, vel cum maxima ejus offenſa, allum eſt. Semper Romani Sacerdotes imperia & auctoritatem ſe plurimi feciſſe, & privatis deſideriis præverriſſe. Satis intelligere, quam turpe & ignominioſum ſit ei non parere, qui in terris vim Numinis habet, & non ſolum hominibus vivis, ſed animis quoque defunctorum imperat. Ac propterea, ne ejus Citationes contempta videantur, omnino ſe facturum nuncuparent, ut a crimine rebellionis atque impietatis abſolvatur.* Grata hæc Beltrando fuere: atque ad explorandam Matthæi mentem Epiſcopum Parmenſem Mediolanum legat: qui metu Interdictorum ingreſſu urbis abſtinuit. Matthæus in ſuburbanum illum reverenter adiit: cui Epiſcopus conditiones narrat. Quarum ſumma eadem fere erat, quæ ante propoſitæ ſunt. Poteſtati Pontificiæ permitti rem Mediolanenſem oportere; quando morte Cæſaris per omne interregni tempus univerſa Italia ditionis Pontificiæ facta cenſeatur. Tum æquum eſſe, ut Vicecomes opes & regnum, quod patruus Otho beneficio & favore Pontificum obtinuit, à Pontificibus agnoſcat: &, cum illi exigunt, reddere debeat. Itaque obtemperandum mandatis eſſe, ut horrendis vinculis exſolvatur, & civitas Sacra recipiat. Adſtabant plerique ex Primoribus urbis: quorum nonnulli, tædio exſecrationum affecti, parendum eſſe Pontifici, ajebant. Alii contraria dicere: Si Roberto, odium profitenti, ſubjicerentur, exuleſque in urbem recepti forent; nullam civibus quietem futuram; crudeliora ab iratis Dominis, quam à barbaris Tyrannis paſſuros. Unus Franciſcus Garbagnates adverſus poſtulata inſolentius loquutus fertur. Cui Epiſcopus adeo vehementer crucem & ignominioſam veſtem minatus eſt, ut paveos & dejectus animi, qua conſueverat, poſthac libertate uſus non ſit. Beltrandus, cum nihil certi ab Epiſcopo reſponderetur, Matthæum denuo & filios Valentium ad cauſæ dictionem vocat. Matthæus duodecim ex Primoribus civitatis deligit: quos, veluti totidem civitatis lumina, ad extremam manum his negotiis imponendam mittit. Hi fuere duo Guilhelmi Puſterlæus & Caſates, Mucius Mogunciacus, Francinus Vicecomes, Andreas Hortus, Stephanus Vicomercatus, Riciardus Pirovencus, Otholinus Barrus, Lucas Cribellus, Imblavadus Mandellius, Bellinus Petra-ſancta. Qui Alexandriam primum profecti, Marcum ibi ſalutarunt. Inde Valentium petitum. Beltrandus, virorum numero & nobilitate motus, eis ab oppido occurrit. Poſtridie, adſtantibus ſex Sacerdotibus, qui paucis ante diebus ad eum venerant, commemorat, quid juris & poteſtatis Pontifex in Italiam haberet: & ſicuti civitates etiam, quæ Cæſaribus addictæ videntur, ejuſdem ditionis forent. Tum poſtulat, ut Matthæus, depoſito regno, procurationem ei tradat, qui à Pontifice delegaretur: Turriani in patriam admitterentur: captivi relaxarentur. Hi autem nominatim erant Philipponus Languſcus, Antonius Fiſiraga, Symon Corrobianus, Amoratus Turrianus, & complures Alexandrini ex gente, cui à Puteo cognomen inditum eſt. Poſt hæc Legatos ipſos ſic alloquutus Bertrandus fertur: *Lator equidem plurimum, hodie mihi datum eſſe, ut ampliſſimos civitatis Mediolanenſis Viros non ſolum præſentes & de facie intuear, ſed etiam auctores & ſequeſtros componendæ pacis, & teterrimi belli ſuccendi habeam. Nam extra publicam cauſam omnes mihi fratrum inſtar chari eſtis: nec me latet, quam diligentes communis Matris Eccleſiæ cultores obſervatoreſque ſitis; quamvis pancorum reſpectus vos contra nos palam cogat. Nec contra vos civitatemque veſtram hæc arma parata ſunt. Unus Matthæus tanti cauſa mali eſt: eni numquid mancipati eſtis? atque in illius ſervitutem nati atque educati, ſine Vicecomite vivere ac Reipublicam adminiſtrare neſcietis? Jugum perpetuum cum aterna animarum pœna ferre ita decretum vobis eſt? Abſit hoc a tot tantorumque civium prudentia. In manu veſtra eſt totius negotii ſumma. Ille, ſine conſilio, auxilio, opibus veſtris, durare non poteſt. Ite, conſpirate in unum: atque animal male conciliatum, hominem propudioſum, & monſtro in Eccleſia Dei ſimillimum extrudite: in ultimos terrarum fines deportandum ejecite; niſi malit ſupplex Pontificem adire, pedemque de more oſculari; qua ratione & illi & vobis pax parata eſt; & ſublatis Interdictis Sacra urbi reſtituentur.*

Ab hoc ſermone dimiſſi varia ſecum cogitare: tum ſenſim quiſque proximum interrogare, quid ſentiret: tandemque in illius ſententiam devenere: & reverſi ad Cardinalem, pacem ex auctoritate ſua conficiunt. Quam ut intellexit Matthæus, quamvis ei non aſſentiretur; tamen ratam ſe habiturum dixit; ſi per eam ſalvus ipſe, ſalvi filii, ſalvæ opes forent. Dubitabat enim, eos in caput ſuum conjuraſſe. Cæterum confectæ pacis fama vulgata lætabunda plebs per totam urbem diſcurrit. Matthæus vero curis anxius alia conſilia quærit. Propinquiorum civitatum amicos Proceres ad ſe vocat: Galeacium filium, qui Placentiæ præerat; Riciardum Ticionem à Vercellis, Cacinum Torniellum à Novaria; Franchinum Ruſcam à Como, & Guiardum Laudenſem, Caſſini Comitem, cujus jam quadraginta annos patria exulantis pater in Prætura Piſana obierat. Jam cuncti præter Galeacium venerant. Qui in conſilio admoti, uno ore acerbius voluotatem Pontificis inceſſere ac lacerare: &, omnia potius toleranda, aſſerera, quam Tranſmontanorum libidini atque avaritiæ ſubjicerentur. *Parcius loquamini*, inquit Matthæus; *Si non perſona, ſaltem vos tangat Clavium reſpectus. Id Chriſti vexillum eſt. Ite, & decernite pacem, cui acquieſcere cunctis valeamus.*

Interea Galeacius, patris litteris acceptis, componendos prius Placentinorum animos, quam ea urbe decederet, ſtatuit. Atque eos in primis in concionem vocat, quorum opera ac favore urbem obtinuerat: & in hunc modum verba fecit: *Qua cauſa nunc me in patriam vocet ac trahat, neminem veſtrum ignorare arbitror. Bellum à Pontifice indictum: immiſſi cum exercitu prædones ad devaſtandos fines: publi-*

blicata deteſtationes adverſus nos patrem exagitant. Qui quamvis ſenio gravetur, haud tamen ita confectus eſt, aut ita impos animi experſque conſilii eſt, ut remedia malis invenire neſciat. Quorum laborum ut ei ſocius ſim, Mediolanum petere conſtitui. Vobis urbem hanc pacatam relinquo. Actius filius Prator eam cuſtodia præerit. Adoleſcens eſt; vet illum conſilio & cæteris muneribus juvabitis. In manu noſtra ſunt arces, caſtella, vici. Ab uno damnaxat Vergilio Lando diligentius cavendum eſt: qui, quia ob ingenitam ſuperbiam pati amicitiam noſtram non poteſt, vovere in exilio mavult: neque ceſſaturum à ſtruendis inſidiis dolisque arbitror. Veſtrum autem erit diligenter ab eis proſpicere: atque in primis curare, ne milites noſtri langues abeant: etiam, ſi inſperatus hoſtis fines invaderet.

Ad hæc Manfredus Landus: *Conſilium tuum, Princeps humaniſſime, probamus omnes. Quocumque libet, pergas licet ſecurus de noſtra fide. Prompti in omnem eventum & alacres futuri ſumus: nullum periculum, nullum diſcrimen recuſaturi. Actio ita ac Tibi parebimus. Fortunas ac vitam, ſi opus fuerit, exponemus in ejus beneficium ac defenſionem.* Gratias pro fide & liberali animo Galeacius egit: ac inſuper magna pollicitus, Mediolanum proficiſcitur. Cujus adventu & dubiæ fidei cives exterrefacti ſunt, & amici confirmati ac lætati quamplurimum. Ingreſſus ad patrem, jam mœſtum & hæſitabundum, hortando monendoque pellere animo curas jubet, ac procul negotiis vivere: ſibi onus relinqui; brevi omnia ex dignitate & deſiderio eventura. Talibus filii verbis atque animoſitate exhilaratus aliquantiſper Matthæus reſpiravit: libenterque illi curam rerum ceſſit, ſubinde illum & virum & ſapientem eſſe dictitans. Ita amplius in Forum non venit; ſed templa araſque adeundo animum laxabat: &, quantum de ſe inimici mentirentur, qui hæreſcos inſimulabant, docebat: ac ſubinde proſtratus alta voce intonabat, CREDO IN DEVM, PATREM OMNIPOTENTEM, & reliqua, quæ in *Apoſtolorum Symbolo* habentur: ſubjungebatque, HÆC EST FIDES MEA, QVAM SEMPER TENVI. Juſſitque hæc publica tabula notari. Ivit deinde Moguntiam, templumque Joannis Baptiſtæ reverenter ſalutavit, & donaria paulo ante à ſe reſtituta recognovit. Hic in languorem incidit: &, deficientibus viribus, in quod non longe diſtat Creſcentiagi Cœnobium defertur: atque ibi vita exceſſit octavo Kalendas Julias, qui dies celebris anniverſaria memoria ejuſdem Divi Joannis. Mora ejus tantiſper occultam, dum filii ea compararent, quæ firmandis opibus muniendoque regno pertinebant. Sepultus quoque eſt ſine funeris pompa: & ſepulchrum ignotum manſit ob iram Pontificis: qui etiam mortuum vexavit: populiſque præcepit, ut oſſa ejus eruerent, & trita in pulverem diſpergerent: pari deteſtatione alligando eos, qui, quo minus id fieret, obſiſterent. Unde & male audire nec poſt fata quidem deſiit: aut quieſcere ab obtrectatoribus multos in annos manes ejus potuere. Nam & Antoninus Florentinorum Archiepiſcopus; mentionem de eo faciens, MORTVVS EST (inquit) MATTHAEVS VICECOMES DE MEDIOLANO: ET ANIMA EJVS SEPVLTA EST IN INFERNO. Cæterum Galeacius, ut ejus mortem celaret, Medicos ſubinde in cubiculum admittebat: remedia ceu ægroto parari curabat. Mox vulgato, eum defeciſſe, cives in concionem vocat. Juvabant agnati: circumſtabat militaris manus, & mercenariorum præſidium. Hic auctoritatem, quam pater obtinuerat, permitti ſibi curavit. Conſenſere tam Plebeji quam Nobiles. Ira perpetuus urbis Dominus ita declaratur: ſtatimque eoſdem Oratores ad Beltrandum mittit, de pace acturos: cum mandatis, ut quam æquiores fieri poſſet conditiones quæ-

A terent.

Neque tamen ſtudium intermittebat à ſcriben-

do milite, & confirmandis Ducibus, qui ad Baſſignanam oppoſiti Raimundo belligerabant. Is arcis muros tormentis exculſerat, & munitionibus circumvallaverat: &, ne quid opis fluvio ad obſeſſos ſubveheretur, tranſverſam catenam Pado objecerat. Longiorem moram peroſi Marcus & Gerardinus naves, ab Papia Placentiaque accerſitas, humeris hominum vehiculiſque in ſuperiorem Padi partem tranſportant, & ſociis navalibus complent. Tum terreſtri exercitu inſtructo aggredi hoſtem ſtatuunt. Duo millia &

B quingenti equites, peditum vero ad decem millia erant. Pridie Nonas Julias ſecundo amne delapſa claſſis navalem pugnam inivit. Sed pauciores Vicecomitis à pluribus hoſtium ſuſi fugatique ſunt. Interim terreſtre quoque prælium cœptum eſt, & cominus confertis manibus certatum. Vir virum, pes pedem terebat. Ab hora nona in veſperam continuatæ cædes. Superior peditatu erat Marcus: egregiamque manum ſibi ad ſubſidia ſervaverat. Cum hac jam ſeſſis pene omnibus tranſverſum in hoſtium equitatum intulit: ſuffoſſiſque equis militantes ſternit. Fuſa eſt eo impetu univerſa acies: & cædes magis, quam pugna, ſubſecuta eſt. Multi capti ſpoliatique ſunt. Raimundus quoque ipſe

C captus eſt; ſed, cum in amicorum manus incidiſſet, illico emiſſus eſt. Ex ejus vero exercitu ſexcenti equi; viri, qui eſſent aliquo numero, circiter quadringenti deſiderati ſunt. Ex altera parte iniri certum non potuit. Plures tamen interfectos convenit; quamvis victor Vicecomes apparuerit. Nam & caſtra Raimundi direpta ſunt, & obſeſſis in arce miſſum auxilium: & cum ſe parum ibi tutum Raimundus exiſtimaret; noctu Valentinum conceſſit, circitet mille equitibus ad defenſionem Baſſignanæ relictis. Tum Marcus arctius oppidum cingit: & quamvis inopia rerum obſeſſos conficeret; haud tamen difficulter paciſcentibus deditionem pepercit; atque, abire qui maluerunt, incolumes præſtitit. Ejus deditionis auctor perhibetur

D Petrus Valeſius, Ducis Auſtriæ Orator, qui pro Vicecomite militabat. Sic Baſſignana, pene amiſſa, retenta eſt.

Inter hæc Oratores ad Beltraudum profecti revertebantur. Qui ne Ticinum trajicerent, naves ad trajectum idoneas tolli Galeacius juſſit. Compertum habebat, eos, tædio exſecrationum & querimonis populi victos, cum Legato pepigiſſe, ut Dominum urbis penes Pontificem eſſet. Ita, ne

E ſuo ſermone popularium animos averterent, propius accedere prohibiti, Novariam redeunt. Mox tamen Mediolanum admiſſi id, quod res erat, docent: Pacem paratam eſſe, ſi Galeacius Dominio cedat. Cui petitioni tanto difficilius is aſſentiebatur, quanto recenti victoria melior conditio ſua facta; & contra deterior hoſtium, qui clade debilitati non mediocriter credebantur. Ac proinde ſilentium omnibus imperat. Supprimi tamen non potuit, quin Relatio vulgaretur, & in circulis omnique cœtu atque interpulas liberius acerbeque de Galeacio homines obloquerentur. Urgebat in

F primis Lodriſius Vicecomes: qui negabat perpetuum bellum pro eo habendum, cum potentiſſimis Regibus inimicitias exercendas, & animas ultro Inferis damnandas. Quibus vocibus multos ad nova adverſus Galeacium conſilia incunda permovit; ut cum regno & urbe extruderent. Sub idem tempus diverſæ in aere facies per nubila repræſentatæ ſunt: & quædam veluti capita hominum diſcurrebant nigra, alia alba: erant & rubra, quorum frontes alba vitra cingebantur. Haſtæ moveri, armatæ concurrere cohortes: ſcuta, galeæ, gladiorum ictus, jactuſque telorum, & varii armorum ſonitus audiri. Ad hæc Sutor veteramentarius, infimæ ſortis homo, in oppido Moguntiæ & jam biennio ante dixe-

dixerat, & nunc frequenter repetebat, externam venturam gentem, non ex Italia modo, ſed ex Gallia Germaniaque, qui oppidum ſubjugarent, populum maximis injuriis afficerent, ad extremam inopiam redigerent. *Jam video*, inquit, *pro pane & cibariis lancea & clypeo pugnari: alis incolla ex humeris bajulorum, alis feminſtulata è clibano rapiunt: ruunt illi in cades juvenum ſenioruinque: trahunt alii in ſtupra matronas virgineſque: captivitas undique agitur: &, qui captivos redimat, non reperitur.* Interrogatus, unde prodigioſa iſta haberet, reſpondit: *Admirabilis homo, cujus effigiem explicare nequeo, ſignificavit.*

Dum iſta computantes multorum animi exterriti forent; ecce novum negotium à Placentia nunciatur. Vergusius Landus non ceſſaverat apud Raimundum Beltrandumque jactare prædicareque, ſi audiretur juvareturque, poſſe ſe rem præſentibus temporibus percommodam & eis æque optabilem facere: Placentiam à Vicecomitis imperio ſe averſurum: atque illinc novum bellum ei illaturum: ſicque ancipiti negotio illum ruiturum. Probato ejus conſilio, dantur quot voluit milites: cum quibus dimiſſus Octobri menſe in Placentinum deſcendit. Adjunguntur ei Guelphi Papienſes, & Scotti, & Fulgoſii, aliique Placentini exterres: Manfredus quoque cum eo conjurat. Adventum hoſtium ſentiens Beatrix cum Actio filio, Proceres in conſilium vocat. Venere Manfredus Landus, ambiguæ fidei homo, tum Lancelotus Anguiſſola, Ubertinus Carius, & alii Primates. Omnes cenſuere, opponendum inimico exercitum, contrahendas undecumque copias, dum prohiberetur, ne propius malum accederet. Quæ dum providentur, Manfredus, per ſpeciem defenſionis in caſtrum Sancti Joannis profectus, in diverſas partes tranſit. Tunc deſcendente propius urbem Vergusio, oppidani diverſa ſentientes ad arma diſcurrunt. Tumultu & vario ſermone omnia compleri. Denique, nullo repugnante, altera portarum effringitur: & Vergusius intromiſſus eſt. Quod ut ſenſit Beatrix, continuo Actium cum paucis equitibus dimittit: atque, ut inquiſitores retardaret, ingentem per ædes pecuniam ſpargit: & in ea colligenda occupati hoſtes ſpatium elabendi Actio dedere. Nam is Fidentiolam, & inde Cremonam ſe contulit. Eundem mox ſequuta mulier eſt: nec potuere non honorifice etiam hoſtes eam ab urbe dimittere. Sic in dominium Placentiæ reverſus Vergusius, plenas lætitiæ & novæ gratulationis ad amicos litteras dimittit. Pontificem in primis monuit, & Beltrandum Cardinalem: quem &, eo ut accederet, rogavit. Hucque pergens Legatus, magno cum honore ac populi plauſu acceptus eſt: &, deditionem facientibus civibus, omnia arbitrio Romani Pontificis permiſſa ſunt. Cui quam grata hæc fuerint, operæ pretium eſt ejus litteris cognoſcere: *JOANNES EPISCOPVS Opizoni Laudo, dicto Vergusio, ſalutem. Quod urbs Placentia ſit opera & diligentia tua è faucibus nefaris Tyranni, & in paterna hue jacentis, Galeacii Vicecomitis, eruta, & a turbulentis fœdiſque diſſidiis ad pacem & Sancta Eccleſia cultum traducta; equidem vehementer lætamur; & immenſas Deo agentes gratias plurimum gaudemus; & tibi pariter gratulamur; volumuſque, non ſolum dignas tali induſtria laudes feras, ſed paria merito pramia à Nobis exſpectes. Jamque nunc piget, quod iſtius urbis ſacerdotium optanti tibi ut Nepoti tuo conferamus, morem gerere in præſenti non poſſumus; tantiſper differre coacti ratione dignitatis Eccleſia, qua nequaquam projicienda eſt, dum, quid ætatis ſit, & quo ingenio polleat, exploremus. Nam horum nulla in litteris tuis mentio eſt; nec alioude in Avenionenſi civitate intelligere id licuit. Quod ſi certiores quoque modo reddamur, capacem eſſe ſacerdotii; pro certo habete, non minus libenter Nos, quam tu avide optes, adoleſcentem ornaturos. Quod ſi quapiam ex parte deficiat; nomina quemvis alium virum probum, & tibi optabilem; & gratia ac beneficio noſtro expers non abibit. Reliquis litterarum tuarum partibus abunde Legatus noſter, qui iſtic in re præſenti eſt, reſpondebit. Ingratum tamen non erit, ut quam ſapiſſime ad Nos de rebus publicis ſcribas. Vale. Tertio Nonas Novembris, noſtri Pontificatus anno ſeptimo.*

Potitus Placentia Beltrandus, ut amicam regionem exercitu exoneraret, ſimul adverſarios gravius premeret, ad duo millia equitum cum innumero peditatu eis Padum Abduamque miſit: qui brevi Moguntiam oppidum occupavere. Quod ut audiit Raimundus; confeſtim, relicta Derthonenſi Alexandrinaque ora, cis Ticinum cum iis, quæ à clade ſuperfuerant, reliquiis exultans convolavit, prædandoque omnia, ad ipſa uſque Mediolani mœnia, infeſta fecit; atque in Ticinenſi ſuburbio caſtra locavit. Obſtruxit tunc muro omnes urbis portas Galeacius, una Comenſi excepta, per quam commeare expedirecque tali tempori neceſſaria poſſet. Jam Raimundi milites, victoria abuſi, circa omnia evaſtaverant: & ſibi ipſi inopiam frugum in agro alioquin fertiliſſimo fecit intemperies barbarica. Qua coactus, ſimul quia lues morbi incurabilis exercitum comprehendit, plurimique in dies moriebantur, Moguntiam conceſſit. Cujus digreſſu, veluti obſidione laxata, civitas aliquantum reſpiravit.

Nihilominus novi motus & cœpta jam in urbe certamina ſopita non ſunt. Franciſcus Garbagnates, jam Vicecomiti infenſus, Symonem Cribellum & Guilelmum Rugemontem è Burgundia, qui ſub Galeacio ordines peditum duxerat, pervertit. Quorum conſpirationi acceſſere Lodriſius ex gente Vicecomitum Matthæi propinquus, & Joannes Valoſius, homo Gallicus: qui, Turrianum cognomen uſurpans, aliquam cum prioribus Dominis ſibi cognationem aſſerebat. Magna quoque pars eorum, qui proxime Oratores ad Beltrandum iverant, eis adjunctiſunt: & tres Barbari, externorum militum Præfecti, Rogerius ab Oculo, Acquirantes Becchus, & Henricus Grunesten.

Inteſtinum odium manifeſtamque rebellionem ſentiens Galeacius, monet hortaturque amicos per litteras & nuncios, ut, depoſita ſimultate atque ira, concordes in fide manerent: neque deterreantur amiſſione Placentiæ, quando ea, non per vim, ſed dolo & proditione ſubtracta ſit; ſpeſque ampla ſuperſit, non ſolum ejus recuperandæ, ſed longe majora, debellatis adverſariis, agendi. Sed hæc paucorum in corda deſcendere. Plures obloqui, & metu expreſſa verba aſſerere. Denique ad contumelias & certamen ventum eſt. Galeacius ubi ſe à popularibus pariter & mercenariis prodi vidit; eedens patria, cum fratribus Laudem conceſſit nono die Novembris. Prætor quoque Vannes-Laſrancus Piſanus, qui quindecim ante dies Magiſtratum iniverat, ejectus eſt: atque in ejus locum ſuffectus Ravicia Ruſconus: Capitaneus autem populi dictus eſt Joannes Valoſius. Tum effracti carceres, ut fit, præ lætitia, & dimiſſi captivi. Inter quos Antonius Fiſiraga, promiſſa barba & horrido ſqualore obſitus, evadere potuit; ſed dum quædam diligentius ſcrutatur, novis Dominis ſuſpectus denuo in vincula conjicitur. Adminiſtrationi autem Reipublicæ, præter ſupranominatos, acceſſere duo Guilielmi Puſterlæus & Caſates, Mucius Moguntiacus, Stephanus Vicomercatus, Imblavadns Mandellus, Riciardus Piroveneus, Caſtellanus Gluſſianus, & Ambroſius Abiatus.

Cæterum Galeacius, Laude à Lucio & Jacobo Viſtarinis benigne exceptus, armis opibuſque juvatur: atque ad amicos ſcribens, undique auxilia implorat. Quem ubi pulſum Mediolano vulgatum eſt; in Præfecturis & vicinis oppidis tumultuarii

congregari exercitus, & latronum aleatorumque societates coire. Tignaca & Stracia Paravicini, ex Incinati tractu, ubi satis virium comparasse visi sunt, Moguntiam accersuntur, atque portas aperientibus Guelphis intromissi. Interim à Mediolano missus Paganus Castes eodem venit eo consilio, ut oppidum in fide & officio contineret. Sed exclusus, domumque reversus, quid gestum sit, Lodrisio & socius rerum arbitris renunciat. Hi confestim amicos ad se vocant, & eos in primis, qui in finitimis urbibus gratia & opibus pollebant. Venere Franchinus Rusca Comensium primarius, & Cacinus Torniellus Novariæ præpotens, & complures alii Gibellinæ Factionis studiosi. Continuo Moguntia obsidetur: ouncii ad Gucium Gavaciam rebellium principem mittuntur, petentes, oppidum in fidem & obsequium Mediolanensia civitatis tradi, quando communis res ageretur; neque sejuncta ab urbe stare Moguntia posset, nec vivere consuevisset.

Accessere inter hæc ex finibus Bergomensium & Cremensium complures latrociniis assueti: quorum duo duces Gasparinus Sarravallensis, & Maximus ab Ecclesia. His Gucius multa præter civilem morem, & contra bonorum virorum voluntatem concedebat. Quippe illorum ope & armis fretus sese Principem & caput populi agebat. Legatisque respondit, se oppidum in manu sua retenturum, donec præsentes motus certo statu conquievissent. Quod si Lodrisius, & qui cum eo sentiunt, publico commodo intenti esse volunt; se facile cum eis consensurum: siu aliter animati sunt; se oppidanorum suorum saluti, ut posset, consulturum. Hoc superbo & temerario hominis responso exacerbati Præsides Reipublicæ Mediolanensis, bellum adversus Moguntiam decrevere: atque, ut milites alacrius in omne periculum irent, bona omnium, quæ per triduum auferri possent, in prædam concedunt; uni domtaxat Ædi Divi Joan. Baptistæ, ac Thesauris ejus parci jusserunt. His pollicitationibus erectis omnium animis, frequentes in obsidionem ivere. Positisque castris, fossas transgredi, vallum convellere, hostem stationibus propellere. Nec ita multo post turba illa aleatorum & lenonum Gucium destituit, atque oppido cessit. Tunc hostilis exercitus ingressus quoscumque obvios trucidat: juvenes & senes, parvulos & mulieres sine discrimine obtruncant. Passim clamor, strepitus, & ululatus auditi: domus tam Guelphorum quam Gibellinorum direptæ. Clades profecto ingens & aspera. Spoliati hoc modo oppidi Præturam Lodrisius Vicecomes excepit.

Interea Mediolani torpor & segnities quædam ac discordia inter conspiratos oritur. Incessit multorum animos ingens dubitatio, vel verius metus, ne per exilium Vicecomitum rursus Turriania dominium pararetur. Accedebant minæ & terrores à Castruccio Castracane, Lucensium Domino. Qui, Galeacii amicissimus, maximo cum exercitu venturum se in ejus auxilium scribebat, & subinde per nuncios repetebat. Nec deerat fama complurium aliorum, nutum illius exspectantium. Quæ omnia animo revolvens Franciscus Garbagnates, socios in arcanum vocat, ac talibus verbis alloquitur: *Ignoratis videmini, Patres venerandi, Fratresque optimi, quid rerum agatis, aut quid hoc tempus à vobis agendum postulet; adeo segniores facti estis, & nemo vestrum in commune consulit. Metus nescio, an intempestivus horror mentes vestras occupaverit; & propterea distracti, periculique imminentis oblivi estis. Severiori cum homine contracta nobis inimicitia, & sumpta sunt arma, quam ut ulla venia aut reconciliatio certa cum eo fieri possit.*

Nec hujus Historiæ plura in hoc Auctoris Autographo supersunt.

AD

AD ILLVSTRISSIMVM ET INCLYTVM

PRINCIPEM,

LVDOV. MARIAM SFORTIAM,

BARII DVCEM,

TRISTANI CHALCI

EPISTOLA.

MVLTA præclare & immortali nomine digna geſſiſti, Ludovice Princeps excellentiſſime, cum cætero omni vitæ tuæ curriculo, tum poſteaquam rerum noſtrarum gubernacula & moderationem ſuſtines. Neque ea ſatis pro re laudari poſſe arbitror, quæ, paterna pietate functus, Nepotis Principis curæ præſtare non deſinis. Regnum enim per ſe quidem opulentum, ſed tempeſtatibus & procellis agitatum, ita quietum tranquillumque reddidiſti, adeoque extuliſti, ut nec majori unquam foris auctoritate, nec domi opibus & ædificiorum magnificentia magis floruerit. Quo etſi nihil majus dare poteras; non multo tamen id impar fuerit, quod, quomodo etiam diuturnum foret, proſpexiſti. Accerſita namque eſt & Regina thori conſors jucundiſſima: qua & legitime prius, quàm aliunde quæſita, ſoboles propagaretur, & jam ille ipſe nobis oſtenderetur, qui tuis iiſdem auſpiciis in perpetuitatem rerum ſuccreſceret. Et hæ igitur Nuptiæ tuarum laudum non poſtrema in parte memorabuntur. Quarum imago etiam ne periret, cum merito ornatu proſequi ipſe non poſſe confiderem; ut integra ſaltem res ipſa ac caſta haberetur, perficere pro mea in Sfortiacum nomen reverentia conatus ſum. Quare ſic cuncta ordine, quæ acta ſunt, ab initio ad extremum collegi, & media noviſſimis conjunxi; ut paratam ſit facile is inventurus materiam, ſi quis paulo eruditior uberiori voluerit ſtylo celebrare. Quod Tibi privatim dicare inſtituimus; ut, cujus auctoritate celebritas acta eſt, ejuſdem ſub nomine conſcripta publicetur. Hic, opinor, propriæ rei admonitus, noviſſimarum quoque Nuptiarum, quibus & Tu maritum ſubieris, memoria ſubibit: & ſcriptura fortaſſe etiam conjunctas eſſe oportere dixeris; ſicut nec tempore admodum nec perſonis diſtinguuntur. Et has igitur ſi revolvere optaveris, ſtatim ſubjeci.

TRISTANI CHALCI,

MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

NVPTIAE MEDIOLANENSIVM DVCVM:

SIVE

JOANNIS GALEACII

CVM

ISABELLA ARAGONA,

FERDINANDI NEAPOLITANORVM REGIS NEPTE.

EPITOME.

Ejuſmodi Nuptiarum ſcriptio Ludovico Maria Sforti a dicata, earum auctori. Conſenſu Parentum condicta jam fuerant ab infantia. Cum vero celebrandis maturæ jam ætatis eſſet; ad explorandum rurſus Neapolitani Regis animum miſſus hinc Joannes Auguſtinus Chalcus, eum conſentire, renunciat. Honeſtior ad ipſum Legatio decreta, Hermes Sforti a Felix, & Joannes Franciſcus San-Severinas: adjectique comites è Mediolanenſi Nobilitate ſex & triginta lectiſſimi juvenes. Lugubri tamen habitu eundum illuc fuit propter Hippolitæ Sforti æ obitum. Papiam conveniunt, inde Genuam: & quatuor item Genuenſium Legatis ſuperadditis coaſtatim quadringentorum circiter hominum comitatu Neapolim contendunt. Quantus interea Mediolani apparatus? In arce Jovis, Principum domicilio: in ſacris foſſa, quæ Ticino derivata pertinet ad mœnia uſque arcis: & in templo maximo. Quantus item Viglevani, Dertbonæ, ad Sanctum Nazarii oppidum, Serravallem, ad Buzallam, & alibi? qua videlicet Sponſa tranſeundum & habitandum erat Genuam iter ac Mediolanum. Jam Neapoli, exigente conſenſum Archiepiſcopo, deſponſatio celebratur: eamque luculenta Laudat Oratione Antonius Trivultius, è Patritio Mediolanenſi Comes aſi Epiſcopus, qui poſtea Cardinalis. Neapoli quoque Sponſa jam diſceſſerat; cum ad civitatem Veterem a Cardinali Aſcanio, Sponſi patruo, & aliis Præſulibus comitato, ſalutatur; magnifico illic apparatu excipienda, niſi vis ventorum importuna obſtitiſſet. Officioſi erga ipſam incola Portus Herculis, Plumbini Principes, Florentini; ſed præ illis Genuenſes: a quibus per aliquot etiam dies beſpitio recepta, & ingenti cratere aureo donata. Genua progreſſa, jamque appropinquanti Dertbonæ Sponſæ occurrit: ac Dertbonæ apparatu nobiliſſimo Bergomius eos Betta excepit. Sponſæ eam Viglevanum præcedit, eidemque poſtridie appropinquanti rurſus occurrit; noctemque illic communi thalamo tranſigunt. Pragreſſo ſic etiam Mediolanum Sponſo, mater ejus ac ſorores plurimæque nobiles urbis matronæ puellæque ad oppidum Abbatum navibus eo occurſum Sponſæ procedunt, eademque die Mediolanum revertuntur. Mediolanum illa tandem venit, & apparatu plane regio excipitur. In arcem primum, deinde vero in templum maximum deducta, vel etiam Cluo huc comitante. Inter Miſſarum ſolemnia, quæ Placentinus Epiſcopus celebrabat, connubium item ſolemniter à Sponſis celebratum,

C

Epiſcopo Melitacenſi mutuum conſenſum exigente, ac pauca quædam, velut in Epithalamium, præfato. Dux inde hinc revenit Equites: ac tandem reditum ad arcem. Lata ibi omnia per ſex dies: multaque interim dona Sponſæ allata: vaſque præ cæteris omnibus nobiliſſimum, quod ex Foro Livio Caterina Riaria, Principis ſoror, mittebat. Dimiſſa ſic etiam ſubinde intra quatriduum eſt turba: & aliquot matronis, Neapolim reducentibus, data munera: nec non etiam viatecum à publica pecunia ſuppeditatum uſque ad mare.

D

Iſthæc autem à Triſtano Chalco ſcribebantur anno Domini 1489. Idibus Februariis.

CVM veterem affinitatem, mutuæque amicitiæ jura, novis nectenda vinculis cenſuiſſent Neapolitanorum Mediolanenſiumque Principes; ab ipſa jam infantia conſenſu parentum deſponſi futuro matrimonio fuerunt Joannes Galeacius Sforti a Mediolanenſium Dux ſextus, & Iſabella Aragona Ferdinandi Regis neptis. Sed res nuptialis incommodius tempus & robuſtiores utriuſque annos dilata eſt. Cum ergo primos uterque nunc juventæ annos egregia corporis ſpecie & firmitate attingeret; committendum hoc omnino tempore conjugium viſum eſt. Sed quia in hoc explorandus primo Regis animus erat, quam nunc ad matrimonii cauſam inclinaret; miſſus eſt ad eam rem agendam anni ſuperioris menſe Auguſto ornatiſſimus adoleſcens, Joannes Auguſtinus Chalcus, Bartholomæi Chalci principalium ſecretorum Magiſtri filius. Is brevi conſentientem voto Regiam voluntatem renunciavit: peneſque Mediolanenſem Principem eſſe ſignificat, ut, quandocumque vellet, duceretur. Hinc gravior ſine mora Legatio decreta eſt: quæ ad incundum conjugale fœdus & Sponſam deducendam mitteretur. Quæ cum honeſtior fieri non poſſe videretur, quam fratre ipſius Ducis præfecto; Hermæ Sforti æ Fælici, & Joanni Franciſco Sancto-Severinati Cajaciæ Comiti mandata ſumma negotii eſt. Iiſdem illuſtris comitatus adjectus, ſex & triginta lectiſſimorum juvenum, ex ipſa Mediolanenſi Nobilitate: qui ut excellentiſſimo Principi in nuptiali celebritate quam magnificentiſſimis modis reſponderent, quamquam

&

& pretiosos alioquin ac regales ex auro argentoque textos amictus abunde ac quotidianum prope in usum haberent; novas tamen in tanta causa induendas vestes statuerunt. Itaque eniti quisque certatim in proiciendis pecuniis, alii alus pretiosiores superbioresque exquirere, alii denuo ordiri texique jubere; quo cæteros vel æquarent cultu, vel exsuperarent. Fucre qui una manica septem millium aureorum pretia gestarunt. Videre fuit viros promissioribus tunicis textili auro argentove, veluti totidem Reges, conspicuos. Sed & eundem habitum multifariam variantes, rasis aliis & levigatis aperi similimis, erispis aliis pexis ac squammosis, duplici etiam gradu superfluente materia, quales bis ricios pannos vocare vulgus solet. Pectoris præterea ac colli ornamento solido ex auro torques pollicali crassitudine, & tenuioribus interdum annulis; sed quæ multiplicabili tortu cæterarum ponderi certarent. Non minori studio ministros quisque suos exornat, nullum sine holoserica veste ducturi: denos alii, duodecim alii, alii sexdecim, ut numerosas solent alere familias, vestimentis nuptialibus induunt, additis etiam sinistro brachio margaritis & gemmis, quales fuisse armillas apud Romanos suspicari possimus. Nunquam visum speciosius fuisse spectaculum tanto in itinere arbitrari licet, nisi lugubri habitu eundum fuisset. Recens id Hippolitæ Sforziæ casus coegit: quæ, quod & Sponsæ mater & Sponso amita & socrus eadem fuit: quo tempore Joannes Augustinus Chalcus in Legationem proficiscebatur, mortua, utramque Aulam funestavit. Pullæ igitur ipsis famulisque, ut atrati ubique apparerent, multiplicata & hinc impensa, confectendæ vestes fuerunt: ut scilicet pretiosas illas celebritatis tantum solemnibus diebus ostentarent. Sic instructi ornatuque ad undecimum Kalendas Decembres Ticinum (quam urbem Papiam inveterato jam vocabulo vocant) convenire jubentur; ut inde Genuam una omnes peterent. Statutum namque fuit, ut Neapolim maritimo itinere transmitterentur; cum id expeditius hyberno tempore majorisque celebritatis fore videretur. Et juvari poterant tribus triremibus, tunc Neapolim renavigaturis: quas paulo ante ad maturandam Genuensium deditionem advexerat Franciscus Pastor, Regiæ classis Præfectus: quibus totidem ex Genuensibus ad comprehendendam multitudinem additis, sex longarum navium classis instructa est. Genuam profecti, octiduum absumpserunt, secundos ventos exspectantes: & interim Genuenses quatuor Legatos instruxerunt, qui, una proficiscentes, suam cum Duce Mediolani conjunctionem & obsequium testarentur. Fuit ergo universus hic comitatus hominum circiter quadringentorum: qui pridie Nonas Decembres, velis in altum datis, Genua solverunt.

Interim Mediolani, ut nuptiæ honorificentissimæ fierent, procuratur. Arx in primis Jovis miris studiis, ubi Principum domicilium est, exornatur. Triclinia cubiculaque omnia renovato tectorio dealbantur: novæ inædificantur contabulationes, in quibus Proceres regali more ab reliqua turba discreti epulentur: aureis vel argenteis supra caput extensis operimentis, cæteri parietes aureis Attalicisque stragulis convestiuntur: & cum conclavia matris, patrui, fratris, sororum Principis, alia aureis, argenteis alia atque holosericis operirentur; Genialis lectus in thalamo Sponsi coccineo lodice, & conopæo stratus fuit; cui circumdatus auro picturatus limbus viridantis coronamenti speciem reddebat; affluis insoper ex argento nudis infantulis, qui varia ludorum genera ætati accommodata imitarentur. Intra hæc quindecim Leones è margaritis purissimis concinnati spectabantur: quatuor in angulis, unus in medio singularum trium partium, quibus ejusmodi stragula distinguuntur; hoc est, superne, qua conopæum fit; & juxta caput ad murum; & qua lectus ipse contegitur. Area autem, quæ introeuntibus atria aperit, à protecto ad imos parietes multiplicibus coronamentis vestitur: quæ frondentibus ramis, topiaria arte concinnatis, virescebant. Integri orbes, semicirculique (& quæ varia ejusmodi artificia excogitare solent) suspensi mira oculorum voluptate, tantam alicnissima parte anni virentis frondis copiam visentium: quam augebant interlucentia poma citrea, coronarique auri crepitantes bracteæ: his inclusa Principis domestica & parentum subditarumque civitatum Insignia, constipantibus ab utroque latere Faunorum Nympharumque de veteri fabulositate imaginibus.

Ab altero compluvii capite, quod sub divo patet, excogitatum est novi generis tectum. Porticus id fuit, ramulis virentis juniperi excitata, septem fornicibus continuato opere, ac totidem columnis consimili viriditate fabricatis: quæ res, præter jucunditatem adspectus, gratissimum etiam late odorem fundebat. Ipsorum fornicum transversarii limina resque areus aureis fasciolis distincti: & in medio atque in capitellis tabellæ eum superiorum Ducum imaginibus affixæ. Eodem tempore tectæ naves octo instruuntur: quibus ex Abbiato oppidn per ineilem fossam, quæ Ticino derivata ad mœnia usque arcis pertinet, devehcrentur: circumseptæ & ornatæ sunt domorum instar. Fenestellis, quæ ereberrimæ erant, obtenta ventis frigorique arcendo lintea specularia, parietes intus extraque & laquearia coloribus illita: quæ partim vermiculatum opus mentiebantur, partim Ducum Insignia ostendebant. Superiora tecti coronabant berbescentes circuli, & densæ corollæ ordine dispositæ: & inter has columellæ candidatæ cubitali longitudine, quibus infixa breviuscula Regis & Reginæ signa, & è medio, veluti è nemore, procedens Mauri hominis imago, altera manu clypeum iisdem insignibus pictis, altera vexillum ingens viperis aquilisque coruscantibus sustentabat: intus contabulatæ asseribus stratæque tapetibus carinæ sedilia sericis velamentis aperta. In capitibus navium, rostrorum vice, ridiculæ effigies magnis malis ac ore late dehiscenti collocatæ. Prætoriæ signum fuit in culmine pro Mauro homine galeatus leo in media flamma residens, qui stipite pendentes situlas erigit: pro viridi circulorum sene circumdatum coccineum sericum: puppim spondas inferioraque navis parnus albus violaceo colore intermixtn ex veteri insigni obtegebat.

Templum est media urbe nostrati marmore exstructum: cujus quamquam primus legatur auctor marmoreæ tabellæ incisus Marcus Carretus, qui fundando operi quinque & triginta aureorum nummûm millia erogaverit; summa tamen gloriæ & cæteræ impensiæ laus ad Joannem Galeacium, Magni Matthæi pronepotem, & qui primus Ducis nomen atque tituluni in gentem Vicecomitum tulit, refertur; qui, stipe à populo ingentibus studiis acervatim, ut nunc quoque quotannis fit, collata, exque sua ipse pecunia addita, & locum cœpti fundamenti demutavit, & ædificationis consilium atque templi formam amplavit; ut esset centum columnarum, lapide pretioso cæsim diminuto sternerentur, qualia pavimenta in ipsis jam Sanctuariis varus in picturæ generibus discriminata cernimus. Centesimus & secundus actus est annus, ex quojacta fundamenta fuere. Longitudo est brachiorum (ut præsenti vocabulo utar) ducentorum & quadraginta octo; nam cubitos haud dixerim, incerta ejus mensuræ his temporibus ratione. Latitudo sex & nonaginta quinque columnarum ordinibus continuando fornici subeuntibus. Spatiosa quoque ante fani frontem area patet: in cujus ima parte, ut ad

cæte-

cætera templi ornamenta in nuptialibus ſacris aliquid extra quotidianum adſpectum adjiceretur, exſtructa eſt porta trigemina, arcus triumphalis ſimilitudine, qua euntes ad templum tranſirent. In cujus prothyro anteportali ſummo cum decore viſebantur Sponſalia Franciſci Sfortiæ & Blancæ, Bellum Piceni, recuperata Veruna, Placentia expugnata, devicta in Pado Venetorum claſſis, apud Caravaginm nobilis victoria, & Genuenſium deditio. Adſlabant præterea aliæ atque aliæ imagines. In culmine elypeum auratum, aquilas & viperas inſculptum, militari habitu ſtatuæ ſpectandum præbebant. Hinc ad proxima uſque templi defiguntur duplici ordine pali, qui tranſverſis lignis muniti expeditam ab incurſu multitudinis viam præſtarent: atque ornamenti cauſa ſuperducti arcus, & adhibitæ columnæ jumpero tectæ, & cornua fictitia ad hilu formam reddendam bifariam applicata. Ubi hæc ſepes deſinebat, machina altera pro ſoribus templi hujuſmodi exſtructa eſt. Circumſcripto loco latitudinis triginta brachiorum, octo in orbem columnæ triangulares ſunt excitatæ, eavatis modice lateribus ad imaginem ſpecus arte reddendam: quibus novem Muſæ, & illuſtrium Viraginum imagines, eleganti prorſus & abſoluta venuſtate fabricatæ, includebantur. Columnæ planis primum pontibus, tum concameratis fornicibus committuntur. In his ſpatiis ingentes rotæ, hederaceis radiis contextæ, binis ſuſtentari juvenibus, verſicolore Sforziano ſuccinctis, videbantur. Extra fornicem in angulis alatus puer, volanti ſimilis, appictus. Supra hæc æquatur contabulatio, & tres columnarum ordines circumducuntur: quorum exterior brevioribus columellis ſubſidentibus pulchellam ſepem faciebat: duo reliqui periſtylum tranſcurſoriamque ambulationem reddebant. Hinc teſtudo prægrandis hemiſphæri impoſita corpus in altitudinem quinquaginta brachiorum educit: cui nihil magis ſimile, quam Pantheum Romanum: & quondam Herculi, nunc Laurentio Martyri dicatæ Mediolani Ædes. Cæterum pro imbricibus & tecto tonſilis jumperus adhibita. Ut vera jam ſylva & nativum arbuſtum credi poſſet, eadem tatus tota bicolori pictura alba & roſea diſtinguebatur. Cæteræ partes papyro varie colorata ſpectabantur. A porta autem in templi longitudine ad proximum uſque majoris aræ locum perducitur periſtylum ingens: ſeptemdecim pana columnarum æque diſtantia in terram defiguntur, altitudinis atque latitudinis quantum eſt limen ipſum. Earum baſis primum quadrata, mox rotunda, inde teretes ſurgunt haſtæ, ſtriatæ interdum, & interim quadrifrontem Jani faciem gerentes. Cæterum ita elaboratæ, ut marmoreis ſimillimæ viderentur. His impoſitus longiſſimus fornix, manuſcutis orbibus confectus, viteſcit: Ducalibus atque Regiis mira varietate inſignibus inſertis: quibus intercurſantes rimulæ, veluti per retiaculum, in altiora templi proſpectum tranſmittunt. Exin dependent à lateribus herbidi hemicycli, & integri orbes, ſpatiis diviſi: in quibus incluſa grandioris formæ inſignia cum Nympharum Centaurorumque imaginibus; qualem in arce factam ſeriem, ſupra explicatum eſt. Ad periſtyli caput tabulatum leniter acclive aſſurgit, ad altitudinem ſtaturæ humanæ: quocum omnis latitudo interordinii columnarum & altare tegeretur. Repoſita eſt ara ſuo loco celebrandis Sacris: ac referta Cantoribus & Sacerdotum choro ſubſellia: reliquum ſpatium Principibus Proceribuſque & reliquis invitatorum Ordinibus deſignatum. In ſuperiori parte abacus ingens erigitur, in quo argentea vaſa ſpectanda diſponerentur. Hæc quidem in urbe. Sed & Viglevani quo primum venturi, & Dertbonæ qua tranſitus Genua redeuntibus erat, alii atque alii apparatus fieri. Et cum in cæteris quoque manſionibus pro commoditate loci hoſpitia pararentur; ut ad Sanctum Nazarium Ciſpadanum oppidum, & in Apennino ad Serramvallem, & Buzallam, totum pene iter Genuam uſque ſimillimum floruiento & conſito viridario effectum eſt.

Dum ſic ſtrenue cuncta Mediolani & in Liguribus properantur, inter magnam omnium exſpectationem & vota nunci afferuntur, Neapolim noſtros annavigaſſe: Sponſalia ad decimum Kalendas Januarias fuiſſe celebrata, in quibus Mediolanenſium maxime ordo & pretioſa veſtis ſpectata fuerit. Deſponſationem Antonius Trivultius, Comenſis Epiſcopus, ex Primoribus Mediolanenſium, qui poſtea Cardinalis ab Alexandro Sexto Pontifice creatus eſt, tali Oratione laudavit:

Prudentiſſimo Te ſemper rebus tuis conſuluiſſe, Ferdinande Rex, atque proſpexiſſe cognovimus. Sed illud ſapienter etiam & omnino feliciter feciſti, cum ſocietatem & fœdus cum Franciſco Sfortia, patre patriæ noſtræ veriſti, quam Duce, junxiſti: eamque amicitiam arctiſſima neceſſitudine firmaſti, domi recepta ejus filia Hippolita, qua, & Tibi unus optima, & Alphonſo primogenito tuo ſanctiſſima integerrimaque uxor, jucundiſſimos nepotes Regnique ſucceſſores daret. Rurſus nunc quoque ſapienter agis dicemus, cum Hippolita filia Iſabella novum multiplicanda neceſſitudini vinculum Joannis Galeacio Regule noſtro accerſitur. Hujus namque rei gratia huc tot Heroes, tot ex penitiori ejus Aula Proceres conceſſimus, non tam mirantes, quam comprobabundi ſenſum in vobis Ariſtotelici judicii & ſapientiæ eſſe: qui ad ſummum rerum faſtigium tendentis Alexandro dixit, Amicitiam & neceſſitudinem Regi eſſe cum iis comparandam, qui & non procul abeſſent, & eſſent potentiſſimi: ut alter alteri preſto adeſſet, & mutuo præſidio facillime eſſe poſſet. Nam cum terra inter Vos per amicitiſſimas & clientelis veſtris pleniſſimas civitates, & ab Etruria & Piceno ultro citroque tranſitus pateat; mari certe, cujus magna eſt perſio tua in ditione, Ferdinande, & reliqua pars omnis per recentem Genuenſem deditionem tota noſtra facta eſt, ita hæc duo Regna committuntur, ut finem unius alterius terminos dicere poſſimus. Potentia vero quanta veſtra ſit, etſi ſingillatim multi experti ſunt; tamen cum vires conjungitis, quid eſt ſub cœli ambitu, quod ad nutum veſtrum non contremiſcat? Sed rem nuptialem proſequuturi, hæc vel omittamus, vel alium in locum differamus. De matrimonio namque dicendum eſt, quod tamen & modice & ex Epiſcopali dignitate faciam. Atque ob id ex Divi Auguſtini verbo initium ducam. Qui ait, tria eſſe in matrimonio tam viro quam uxori ſumme cuſtodienda, Fidem, Prolem, Sacramentum; ut Fides ſit, ne alium aliamve quis maritorum agnoſcat, Proles vero ut eum religioſe liberi ſuſcipiantur, & Chriſtianis moribus erudiantur atque educentur; nam in Sacramento illud intelligimus, ut ſemel conciliatum nunquam disjungatur matrimonium, nec ullo divortio unquam diſtidio alio trahatur. Illud firmum fixumque mentibus hæreat, QVOS DEVS CONJVNXIT, HOMO NON SEPARET. Quod verbum ſi pie & paulo altius introſpiciamus; non abſurde dicemus, pertinere eam ſententiam ad animorum quoque & totius vitæ concordiam continuandam. Nam & quanta ſit hujus vinculi dignitas, & quanti facienda, vel ex eo colligimus; quod hujus Sacramenti certus auctor agnoſcitur unus & ſummus Deus; qui etiam, quamquam de Virgine Chriſtus Jeſus naſceretur, juniam viro tamen eſſe matrem voluit; & hic ipſe Deus noſter, invitatus ad Nuptias, non modo libens affuit, ſed miraculo, aqua in vinum verſa, ornavit. Quid multa? Vetus eſt & protritum verbum, de antiquiſſimis Sacris Theſauris ſumptum: RELINQVET HOMO PATREM ET MATREM SVAM, ET ADHAEREBIT VXORI. *Qua cum ita ſint: & monitis ipſis omni tempore conſentientiſſimos mores atque animos in Vobis videam; eſt, cur ad ea quoque, qua reliqua ad perfectiſſimum matrimonium conſti-*

conſtituendum requiruntur, intuenda procedam; pulchritudinem, genus, probitatem, divitias; qua tam abſoluta in Vobis perſpicimus, ut, quem anteponam, habeam neminem. Nam & forma, qualis in Regibus eſſe debet, honeſtiſſima majeſtate auctoritateque ſua non caret: & ad virtutis inſtitutionem tales uterque Veſtrum auctores ſortitus eſtis, ut nec meliores nec magis neceſſarios dare ne immortales quidem Dii potuiſſent. Tibi namque mater, ô Iſabella, contigit, cui parem in terris quando humani vel viderint vel viſuri ſint oculi, facile non dixerim: talibus moribus & ſanctitate predita, ut nullam matronarum cedere, nullam Reginarum pudeat palmam de virtute, de innocentia, pietate, caſtimonia, omnium denique rerum temperantia, & humanitate deferre. Sponſus vero tuus, Joannes Galeacius, cum Regina matris, ro non minus quam nomine Bona, optimis inſtitutionibus imbutus: primis deinde pueritiæ annis patrunm invenit, educatorem, atque interim procuratorem Regni, Ludovicum Sforciam, quo nemo in terris prudentior, nemo ſapientior adeo exiſtimetur, ut, ſive pacem ſeu bella tractes, pro proverbio paſſim circumferatur, divino potius eum, quam humane, conſilio uti. Porro divitiæ tam multa inter Vos ſunt, ut & nemini invideatis, &, cum vultis, Cræſi quoque & Darii ſparſas vulgo opiniones rebus deprimatis. De genere quoque & nobilitate non eſt neceſſe multa repetere; cum & omne nobilitatis nomen ſupergreſſa ſit in tota Hiſpania atque Italia Aragonum Familia; & Stirpi illuſtrandæ unius ſufficere poſſit Alphonſus Rex, noſtra tempeſtate clariſſimus: quem Tu parentem, Ferdinande, Sponſa noſtra preavum prabes. Par eſt in ſponſi domo gloria, nominato Franciſco Sforcia ejus avo; niſi aliquid addat Stemma Vicecomitum, in quibus tot tantique viri virtute clari referuntur. Nempe Magnum Matthæum cum quinque liberis (ut duos Othones quamplureſque alios tranſeamus) cuilibet priſcorum Ducum rebus geſtis æquare licet. Joannem vero Galeacium, qui primus Ducales Inſulas Sceptrumque Familiæ oſtendit, quis non admiratur? Hic cum latiſſimum in Ciſalpina Gallia Etruriaque imperium teneret; univerſam pene Italiam Mediolanenſium Regno bello ſubjecit: pulcherrima cœnobia, templa auguſtiſſima funditavit: Curia formam dedit: Magiſtratibus & populis jura præſcripſit, quibus non ſubditi ſolum parnerunt, ſed quibus propter æquiſſimas moderationes civitas noſtra ſemper vixit, retinuit, vulgavit; ut & ab exteris nationibus appeterentur, ac diu crebra undique Legationes ad ea deſcribenda venitarunt. Hujus Philippus filius cum diſperſum ex patres obitu imperium confirmaſſet; peregrinatione deinde Alphonſi Mediolanum veluti initium quoddam auſpicatiſſimumque omen futura mox inter duo Regna neceſſitudinis dediſſe videtur. Hic namque pater eſt Blanca, communis Tibi Sponſoque tuo avia: quam ſi Viraginem, fœminei ſexus deûm, & omnium, quæ ſint, fuerint, futuraque ſint, matronarum ornamentum dixerim, parum laudaſſe videaris. Ex hac & Franciſco Sforcia & Tibi mater eſt Hippolita, & conjugi tuo pater Galeacius: qui, ducta ex Sabaudianis Francorumque Regibus Bona uxore, gentis neceſſitudines ampliavit. Hæc cum ita ſint; nullum dubium eſt, quin felix fortunatiſſimumque inter Vos connubium futurum ſit. Quod ut auſpicatius fiat: cum jam me tempus admoneat, ut finem dicendi faciam; partes exigendi conſenſus inter Sponſam & Sponſi Vicarium hunc Hermem graviori Antiſtiti concedam, urbis veſtra Archiepiſcopo, qui ſolemnibus verbis utrumque roget.

Sicque ingreſſos inibi Neapolitanus Præſul, pontificalibus ornamentis honeſtatus, ſponſalitium votum ab Iſabella & Sponſi Vicario ſtipulatus, digito Sponſæ pronubum indidit annolum. Saltaverunt deinde modice, Regina habitu Caſtulonenſi, & nova Sponſa Neapolitano. Illatum mox eſt jentaculum ex ſaccaro, in varias hominum ferarumque imagines effigiato: quæ primo ad pompam circumlata, ut à concione viſerentur, ſparſa per trielinium fuerunt. Tum retentis ad cœnam Herma & Sancto-Severinate Comite, cæteri ſua ad diverſoria dimiſſi ſunt. Peractis deinde cæteris rebus, quæ ad nuptialia fœdera pertinerent, dicta profectioniseſt dies, & comitatus Sponſæ muliebris viriliſque conſcriptus: qui cum calonibus & lixis, qui ejus obſequio deſtinarentur, numero fuit hominum centum & triginta. Nam qui cuocta honeſtarent, quatuor omnino illuſtres viri cum uxoribus additi ſunt: Aotonius Picolomineus, Amalphiæ Dux, vir non minus humaniſſimis moribus, quam Pontificis Pii conſanguinitate, clarus: poſt hunc Martinæ Conſæ & Potentiæ Comites. Fuit igitur uoiverſa multitudo quadringentorum amplius capitum: quorum cauſa quatuor triremes priori claſſi additæ, Duce Juniore Villamarino. Ex omnibus muncra ouptialia tulit Chalcus Auguſtinus, torquem aureum, auratumque togæ paooum, ac ſericam veſtem cum equo & mula.

Paratis omnibus, ſolverunt Neapoli ad tertium Kalendas Januarias. Gajeta primus in terram digreſſus fuit: obi quinque dies importunitate ventorum retenti ſiot: cum bis interim conſcendiſſent, rejecti Noms tandem Januariis orta fecundiore aura velificantes, altero die matutino ad oppidum Etruriæ. quam civitatem Veterem vocant, appulerunt. Hic Cardinalis Aſcanius, Sponſi patruus, exſpectabat, adductis ab urbe Roma tribus ex ſummo illo Ordine Collegis, Petro Fuſienſi, Raphaele Sancti Georgii Riario, & Joanne Jacobo Sclafenate: qui, quamquam Mediolanenſi familia ſit, Parmenſis tamen Cardinalis ab urbis Epiſcopatu cognominatur. Cum iis erant duo Protonotarii Joannes Alimentus Niger Gubernator urbis Pontificis nomine, & Hiblatus Fliſcus Genuenſis. Magnifico igitur apparatu excepturus navigantes erat Aſcanius. Sed, nihil ceſſante vento, minimum temporis intermittendum rati, ſex Antiſtites in Prætoriam navim tranſgreſſi, ſalutata Sponſa, docuerunt, quam gratua ejus adventus, & quanto erga Mediolanenſem Ducem ſtudio ac fide afficerentur. Pauca præterea alia blanda & benigna verba addita ſunt. Tum, diſtributis abunde commeatibus obſoniiſque in naves, dimiſſi ſunt. Sole jam ad extremum diei inclinante, cum Sponſa non parvo navigationis tædio affici videretur, ad Portum Herculis, Senenſium ditionis, tantiſper in littore expoſita eſt, dum cœnaret. Hic accolæ, officioſiores magis, quam ditiores, munera, ſtudium & amorem Senenſium argucotia, attulerunt. Inde tota nocte continuata navigatione, matutino Plumbini oram præterierunt, ſed non integra claſſe. Huc namque divertit cum Neapolitana maou Amalphius ad generum ſuum, Jacobum Quartum, ejus oppidi Principem: qui quidem commode & ampliter hoſpitia omnibus accipiebodis, ſi deſcendiſſent, paraverat. Sex igitur tantum, in quibus Sponſa cum Mediolanenſium Regulis vehebatur, triremes extrema ejus diei hora Liburnum ſupra Piſas portum delatæ ſunt. Adventantibus obviam ierunt quædam ex ipſo portu naves: in quarum prima vectabantur Laurenti Medice è Florentia filius, filiæ, nurus, & gener: in altera tres Legati, univerſam Florentinam civitatem repræſentantes: Jacobus Goizardinus, Petrus Philippus Pandulfinus, magnis & gravibus Legationibus apud Mediolanenſes noti: & Paulus Antonius Sodorinus, nobilitate & divitiis inclytus. Ab iis comiter invitati, ut in terram deſcenderent, libenter aſſenſi ſunt, Iſabella præſertim maritimam jactationem ultra non ferente. Hic igitur lautiſſime excepti: & intra pauxillum temporis mutata vi ventorum triduum remoratis ſuppeditarunt affatim cibaria Florentini, in omnes etiam naves præter reliqua munera diviſis ſaccareis tragemmatis.

Hinc, nuſquam adhuc apparentibus quatuor illis, quæ ad Plumbinum deflexerant, Ligusticam oram prætervehi cœperunt tam ſecunda fortuna, ut intra quartam horam celeberrimum Veneris Portum, cui novi apud Scriptores nominis oppidum Spedia impendet, tenueriot: ac ſubito verſis ventis ita turbata maria ſunt, ut inde exirum tentare quatriduo auſi non ſint.

Sexto decimo Kalendas Februarias Delphini Portum æque celebrem attigerunt. Hic cum conſtitutum eſſet non ante proximum feſtum diem Genuam tranſmittere, quo honorariuris Liguribus morem gererent; minante poſtmodum adverſam tempeſtatem cælo, primo quoque tempore tranſmittendum ſtatuere.

Poſtera igitur luce digreſſi, Genuenſem portum meridiano tempore invehuntur: ex cujus mole pons ligneus longe in mare porrigebatur, quo adſtenſus in terram eſſet conſtratus laneis pannis villoſiſque tapetibus & frondibus ac ſtrorum copia ornatus. Huc appulſis non conſeſtim exire navi licuit: ſed, (quæ anni mora viſa eſt) quoniam ex improviſo & præter conſtitutam horam aderant, ſuaſi ſunt exſpectare in navibus, dum convocarentur Principes & ornarentur matronæ, quæ officii cauſa eo præmiſſæ fuerant. Interim & feſto ſonitu tintinnabulorum, & clangoribus tubarum, bombardarumque & ſcloporum hortiſono crepitu cuncta perſonare cœperunt: urbs, littora, maria, cælum omne reboare. Et dum huc atque illuc diſcurſatur, populus ad ſpectaculum effuſus & molem ipſam portus & littus omne ira repleverat, ut non claſſis modo proſpectantibus è terra, ſed terra omnis circa referta turba ſpectaculo navigantibus eſſet. Tandem igitur, jam Sole in occaſum vergente, proceſſerunt inſigni ordine, Fredericus Sancto-Severinas Maleaccenſis Epiſcopus, Rodulphus Gonzisgha, Annibal Bentivolus è Bononia, aliique inſignes Proceres Mediolano profecti: matronæque ſectiſſimæ, Beatrix Eſtenſis, Chryſeis Sforcia, Diana uxor Comitis Cajaciæ: quibus præ multitudine vix patuit iter ad naves. Procedentem è navi Sponſam, mediam excepere levir Hermes, & Genuæ Procurator Auguſtinus Adurnus, geſtantibus ſupra capita umbellam nobiliſſimis Patribus è Senatu Genuenſi. Incredibilis fuit vis turbæ, tota urbe concurrentis, ac de feneſtris proſpectantis. Sed illud præſertim ingentis ſtudii viſum eſt, quod plenis hoc modo vicis, feneſtris, tectiſque, quatuor condenſatiſſimæ honeſtiſſimarum mulierum catervæ per manſiones triviorum diſpoſitæ ſunt, quæ tranſeunti Reginæ & capita inclinarent, & dextram prehenſarent. Ut vero ad Palatium ventum eſt, alterius prope urbis opes patuerunt. Ad ſcalas Magiſtratus ipſi, qui Ancisni tuncupsbantur, exſpectabant. Aderat & alter muliebris eborus: quas ad ducentas fuiſſe, creditum eſt, monilibus, gemmis, margaritis, ſerica veſte cultiſſimas: à quibus viſendo ordine in cubiculum deducta eſt. Ejus adventus ſignificatio Principi, qui tum Viglevani trans Ticinum agebat, intra horas tres reddita eſt, duplicatis non ſolum tabellariorum ſtationibus, ſed & bombardis in jugo montium diſpoſitis, quarum bombo gradatim excepto à proximo quoque ſignum redderetur. Intra quatriduum Derthonam cum Ludovico patruo, & cæteris Principibus, qui ad ornandas nuptias venerant, proficiſcitur, tumquam ibi eo tempore conjugem accepturus. Sed nunciara eſt ſubinde paulo importunior ejus valitudo, quod moleſtiæ non parum ſtomacho & dolores navigationis titubatio importaverat. Ex quo effectum eſt, ut Genuæ ſubſiſteret ad nonum uſque Kalendas Februarias: quo die omni demum ægritudine levata diceſſit.

Interim autem Genuenſes, præter cibariam impenſam, quam abunde & laute primo adventu ſuppeditarunt, cratera ingentem ex ſolido auro dono dederunt.

Genua profecti, noctem Buzalæ & in vico Furnariorum, diviſis ob inopiam tectorum copiis, egerunt. Serravalle inde ab Joanne Spinula luculento apparatu excipiuntur. Mox Derthonam appropinquanti obviam Sponſus cum patruo & Proceribus omnique Aula factus, ex equo per cœnoſam atque ex contineuti imbre mercidam viam data redditaque ſalute: cum illa deoſculandæ patrio more manui inclinaret, os ori adjungere Princeps conatus eſt; ſed ferociente equo ſpes fruſtrata. Sic converſi, urbem invecti ſunt. Hic viæ omnes opere topiario ita ornatæ, vicatim oſtiumque ſuſpenſa virens materia, feſtæque frondes; ut geſtire parietes, ridere cuncta, inanima etiam ipſa applaudere viderentur. Hinc giganteæ imagines, illinc varii Herculis labores & lucta cum Antæo: in medio autem ædium cavo, ubi Principum diverſorium fuit, grandior coluſſus ſpectabatur. Equeſtris ſtatua erat, Æthiopis capite, albicantibus veſtibus, clypeo & acinace accincta: quæ intranti Sponſæ admoto ſponte brachio viſa eſt & denudaſſe caput, & inclinans ſalutaſſe. Incluſus furtim puer ingenioſo id machinamento gubernabat: quin & Hymenæos verſus ex ore equitis cantare doctus erat. Sed, turbante pluvia, maluerunt jamdudum madidi coucedere in tecta, quam intempeſtivis voculis aures præbere. Hic omnia peripetaſmatis & ſtragula veſte operta ſnere. Congeſſerat eo unus civis ex Mediolano, Bergontius Botta, quicquid tapetium & aulæorum vel emi, vel ab amicis mutuari, colligique, non Mediolani ſolum, ſed vicinis quoque ex urbibus potuit. Hic namque & lauſundia in Derthonenſi poſſidet, & fratrem habet ejus urbis Epiſcopum: præterea ſummo ingenio & induſtria vir, ab ipſa juventa apud illuſtriſſimos Principes honeſtiſſimum inter Præfectos Ærarii locum merirus, non in paternas tantum opes ſucceſſit; ſed ipſius quoque honoris dignitatem aſſequutus eſt. Igitur Reges ſuos domi exceptuius, regis munificentia nuptiarum præſertim tempore agendum rarus, & ea, quæ ſupra dicta ſunt, comparaverat, & tria cubicula tota ſerico texit, unum candido, coccineo alterum, alterum viridi, adſcriptis etiam qui inſignia Principum diſtinguerent verſiculis epigrammatiſque, rum Latinis, tum populari iſta, qua nunc vulgo Itali utimur, Lingua elegantiſſime ſcriptis.

Cum hora refocillandarum potu virium appeteret; cœna expediri cœpta eſt, quæ reliquis omnem opulentiam & luxum ſupergredi viſa eſt. Ejus nullum ferculum illatum eſt, quod non hiſtrio, mimus & cantor cum apta ad rem ipſam fabula, ex veteri Hiſtoria & priſcorum Poetarum fabulamentis petita, antecceſterit. Jaſon ex Colcho aureum vellus tulit. Docuit Phœbus, quanta arte virulum fratri Apollini, Admeti armenta cuſtodienti, ſuffuratus ſit, ut delicatiſſimas has epulas carne ornaret. Diana Actæonem in cervum mutarum adduxit: explicataque ſuæ in eum iræ cauſa, nullum hominis eſſe feræ ex homine transformatæ ſepulchrum probavit, quam Iſabellæ ſponſæ utriculum. Orpheus ſe modo in Apennino vagantem, dum uxoris Eurydices caſum deflereret, audiviſſe narrat de ſuperbiſſimo Nuptiarum appsratu, quæ in devexo montis factitarentur: ad has vſendas cum deſcenderet, ad lyræ harmoniam advolaſſe aves: è quibus, quas captaverit, offert. Atalanta caput apri Calydonii per tot ſæcula aſſervatum huic cœnæ exhibuit, præfata, illuſtris ſe id victoriæ inter totius Græciæ juventutem partæ, ſignum atque honorem virtutibus excellentiſſimis

mis

mis Sponſæ libenter ac ſponte cedere. Cum autem ſexto loco pavo coctus inferretur; prægreſſa Iris, Junonis nuncia, currum tractum à chariſſimis ejus avibus, quarum imitium mutatus fuerit Argus, obtulit. Reliquum deinde ejuſdem apri truncum Theſeus, & cæteri nobiliſſimæ expeditionis magis, quam venationis, ſocii attulerunt, non ſine ſignificatione ereptæ ſibi gloriæ falſo Meleagri judicio. Tum Hebe, filia Jovis, & pocillatrix, nectar & ambroſiam de Deorum menſa attulit. Apicius quoque ille popinarum artifex è Campis Elyſiis exquiſitiſſimi luxus condimenta, ac ex ſaccaro & lacte mellitum ſaporem miſit. Paſtores Arcadiæ, ſermone ipſo ruſticano audiendi, maſſam lactis, Panos Dei manibus coactam, dederunt. Vertumnus & Pomona vim ſe arboribus adhibuiſſe dixerunt; ut, quamvis parte anni aliena, poma tamen edere maturarent, quibus & ipſi ſecundam menſam ornarent. Nec Najades, ſonticulotumque omnes Dii Deæque, ſine munuſculis venerunt. Glaucus è maritimis fluctibus falſa piſcium genera: Padus cum Abdua & Ticino è dulcioribus aquis mitiores ſuaviores ſque advexerunt. Venit quoque Sylvanus è lacu Verbano: qui, annoſa ejus gravitate excuſata, ſe miſſum cum ejus muneribus dixit. Idem Larius lacus fecit, qui Comum alluit. Sirenem Ulyſſes, cujus ex inſidiis aſtu effugerit, advexit, ac dono dedit; quod, perſpecta fortitudine ac ſapientia puellæ, nullum in ea vertatur periculum, oc quid blandis monſtri fallaciis capiatur.

Sublatis menſis, accommodatiſſima præſenti rei fabula inducta eſt. Ingreſſus primo Orpheus, Græcanico habitu ornatus, atque laureatus, Hymenæum ad cytharam citavit. Is, incedeos turba puerorum Cupidinis ſpecie ornatorum comitatus, introivit: qui alternis epigrammatis Hymeoæa cantitabant. Tum tres Charites, uno concinctæ cingulo, triangularem in formam verſæ, in mutuum adſpectum ſe ſtatuerunt: aptoſque verſiculos earum poſtrema recitavit. Has Fides conjugalis ſubſequuta eſt, candida veſte obtecta, dextra candidiſſimum lepuſculum, ſiniſtra torquem jaſpidino geſtans, ac ardeoti corde officia ſua indicans: quæ poſtquam ſeſe Sponſæ dedidit; Mercurius, talaribus & caduceo inſignis, cælo devolavit, Famamque introduxit. Pennata ea Virgo fuit, Virgilium inter & Livium poſita: quæ, vires & magnitudinem ſuam enarrans, docuit, ſe boni ac mali pariter æternam nunciam eſſe. In eandem mox ſententiam Vates Latinum carmen cecinit. Tum inceſſit Semiramis, turba impudicarum mulierum comitata, ut Helena, Medea, Cleopatra: quas, ſcelera ſua aperite incipientes, conjugalis confeſtim Fides coarguit, vetuitque, impuro ſermone ſanctiſſimas Nuptias caſtiſſimaſque mentes pollui profanarique: caſque cœtu quamprimum faceſſere juſſit. In cootumaces incitavit Cupidinum manum: qui ſtatim intentis ſacibus, quas accenſas geſtabant, impetum in eas fecerunt: adultiſque velamentis, magno tumultu triclinio exturbarunt. Succeſſit ergo honeſtarum chorus, & eæ quæ illuſtria ſanctitatis exempla fuerunt, Lucretia, Penelope, Scytharum Regina Thomiris, Judith, Portia, Sulpicia: quæ ſingulæ prius carminibus, caſtimonia matronalique ſanctitate è moribus & vita ſua commendatis, in ſtudia Iſabellæ, quæ ſanctiora ne optari quidem fas ſit, ita collaudantes evaſerunt, ut ſuam quæque ei palmam deferret. Severe actis intulit poſtremo riſus occaſionem advectus pando Silenus aſello: qui, ſive re ipſa vinolentus, ſive ebrium ſimularet, & qui ſomno vinceretur, ruinam è jumento medio in hominum conſpectu dedit. Hæc, ſumma arte & venuſtate acta, jucundiſſima voluptate adſtantes affecerunt. Sed, abſumpta per hæc magna noctis parte, cubitum cuncti diſcreti in cubilibus conceſſerunt.

Poſtero mane, ſalutata Sponſa, Principes cum Duce Viglevanum revenerunt, quo altero poſtmodum die ipſa ſecutura eſſet: & adventans, eadem pompa, qua ad Derthonam, occurſata fuit. Hic ex more Galeacii patris poſt ſaltationum cantationumque voluptates, quæ in quintam fere noctis horam protractæ ſunt, geniali thoro collocata virgini commuois cum viro nox fuit. Quarto Kalendas Februarias, relicta item Viglevani conjuge, Dux Mediolanum proſectus ioſtituit, ut ſequenti ſtatim die mater ſororeſque venientem Abiate viſerent. Id ut honoratius præſtaretur, iovitatæ ſunt primariæ urbis matronæ, puellæque nobiliores. Aurora igitur oriente, claſſem conſcendit illuſtris matronarum comitatus: & cum eam diem una inter congratulationes & veteris ac novæ conjuoctionis commemorationem egiſſent; imminente mox veſpera, relictis Iſabellæ buccinatoria & duabus aliis navibus, Mediolanum renavigarunt. Cum ita ejus adventus appropinquaret, Mediolani urgere architecti, operariis inſtare præfecti, incendere fabrûm ſtudia, ut cœpta jam opera perficerentur. Alii confractas inſtaurare vias, cœno alii diligenter emundare, denique tota urbe cuncta ſervere ſtrepitu feſtinantium.

Jam illuceſcebant fœlices Kalendæ: quo die conſtitutum erat, ut urbem nova nupta invebetur. Tum matutino tempore Blanca & Anna, Principis ſorores, cum matronis claſſem iterum conſcendunt. Sponſam ad quintum ab urbe lapidem obviam habent. Paulo poſt aſſequitur Ludovicus Sforcia: tranſgreſſiſque omnibus Primariis in Prætorium navigium, obverſis protis iter Mediolanum pertendunt. Interea in areis leporario campo ſecus fluminis tipam iotrocunti ad ſiniſtram diſpoſitæ armatorum acies, quæ Principem alioquin cuſtodiæ cauſa ſequi ſolent. Jam appetebat hora dici ſexta: & ſuperatas à navigantibus eſſe binas cataractas, quæ in propinqua urbis regione fluentem è ſuperiori loco aquam retentant, nunciatur.

Dux ergo ab arce deſcendens, ad caput fluminis ſubſtitit: ubi verum Mediolanenſis Aulæ ſplendorem contemplari atque perſpicere ſuit. Quingenti Purpurati bini ioceſſerunt, mirandum vel ordine ipſo ſplendorem dignitatemque præ ſe ferentes. Nemo enim non fericatus, multi aurati, plures argentati atque torquati fuere. Jam in ordinem veniebat fulgor ille pompaticus, Neapolitanæ Legationis cauſa comparatus. Intranti igitur Reginæ hæc uno tempore oſtentata. Applicata ad terram navi, multebris deſcendit turba: tum Sponſa, manu viri capta, inter clangores tubarum ac ſclopos tormentorum, ab totis propugnaculis crepitantium, deducitur io arcem. Ad ſcalas atrii Bona ſocrus, altero matrooarum choro ſtipata, amplexu oſculoque excepit, & ad geoialem uſque thalamum deduxit.

Poſtero die cum more ſolemni Chriſtianorum ad ſalutandum in Ædem Pontificalem Deum ire decreviſſent; ad cætera ornamenta hæc à civibus ſummo ſtudio addita. Totæ viæ, ab Regia ipſa per mediam arcem mediamque urbem ad arcum uſque triumphalem in area templi, perpetuo umbraculo laneo ſunt tectæ, & parietes omnes utrimque omnium circa domorum peripetaſmatis veſtiti: quod pro miraculo prope habitum eſt, tantam ejuſmodi ſtragulorum copiam tali tempore inveniri potuiſſe; cum & incredibilem vim exhauſiſſet Derthonenſis apparatus, nondum reportatus; & tot in arce triclinia operta; & urbani Proceres, qui advenas hoſpitio accipiebant, ſua

ſuis ornandis domibus retentaviſſent. Portæ præterea, oſtia, & feneſtræ ubique topiariis operibus adornatæ: & cum ſigna Ducum ubique ſuſpenderentur, familiare etiam ſuæ quiſque domus admiſceri gaudebat.

Inter hæc religio quoque adhibita. Nam ut ad officium convenirent, Religioſorum omnis Ordo iovitatur. Quare, orta luce, mutatis pridianæ pompæ veſtimentis, coire ad arcem Aulici, Principeſque, & matronæ, tantis opibus onuſtæ, quantas vix capere oculi intuendo poſſent. Sed unæ formoſum ante alias & totidem Dearum comparatione ſpectaculum feciſſe viſæ ſunt Joannis Bonromei Comitis filiæ & nurus: quæ, exſuperantiſſima corporis ſpecie præditæ, cum præeuntem in curru hoſpitam Amalphii Ducis uxorem io equis ipſæ ferocibus ſedentes ſequerentur, pari paſſu & ornamento, pari aurearum tunicarum acu ſuperbiſſime pictarum incedebant, monilibus toto pectore & gemmis ac margaritis collo, capite & totis brachiis collucentibus. Jam quinta agebatur ab orto Sole hora: jam plena compita turba, & ingentia viarum ſpatia & omnium veſtibula ædium tabernæque viris, matribus, pueris, nuptis, innuptiſque puellis refertæ: & venerabilis Sacerdotum ſeries, propter eandem viam ab arce ad templum uſque protenſa, reverendam tranſcuntibus majeſtatem præbebat; cum prodiere Purpuratorum catervæ & Principum ordines cum Sponſa; Sponſuſque dexteriori à parte ſequens; equis omnes vecti. Sponſæ ornatus fuit aurea veſtis, infra mammas defalcati denudatique pectoris: crines nigelli, nuſquam ſparſi, ſed in longam teretemque formam contricati per terga demittebantur, margaritis gemmiſque onuſti. Stipatorum vice ductandis equi habenis duo adhibiti ſunt hujus Regni clariſſima lumina, Comes idem Joannes Bonromeus & Joannes Franciſcus Palavicinus: qui præter inclytam gentis nobilitatem, corporum etiam forma & aurearum togarum ornamento in pedeſtri officio ſpectabiles fuere. Umbellam candidam, argentatis haſtis præfixam, geſtarunt primo Medici: rarum in hac urbe, nec niſi ſolennitatis cauſa uſurpatum habitum induti: togas ſcilicet purpureas, à ſumma humerorum ad imos cubitos inverſis pellibus tectas: tegumentum etiam capitis eodem modo variatum. Similia quoque indumenta Juriſconſultorum Collegio fuere: qui adportam templi, idem officium obituri, exſpectabant. Nam qui interim ab area arcis, ubi Medici ponebant, ad locum uſque Jureconſultorum idem munus præſtarent, evocati ſunt è ſingulis utbis regionibus octoni honeſtiſſimi viri, atque per manſiones ad excipiendum onus collocati ſunt. Reginam ſequebantur Blanca & Anna: has Amalphii alteriuſque Neapolitani Principis uxores: tum noſtrates aliæ, aliis intermixtis advenis, ordinem continuabant. Sexaginta fuerunt equis vectæ: quarum ſex omnino & triginta aureis tunicis micabant. Nam in viris centum & ſexdecim togæ, auro & argento textæ, dinumeratæ ſunt: inter quos unius maxime omnium oculi proſequebantur Petri Medices holoſericam: cujus latus à medio homine ad talos denſa ramis arbor ex candidiſſimis unionibus grandiſſimiſque gemmis compoſita tegebat. Hic beryllus, hic adamas, ſmaragdus, pretioſiſſimique lapilli ſpectabantur: opus, quale vel ſuperbiſſimum honeſtaret Regem. Idem præ ſe agebat duos in veredis ſedentes pueruloſ, ſuccinctos habitu Germanico, ſed quorum ſiniſtræ manicæ alio margaritarum acervo cumularentur.

Jam ventum erat ad medium Auruariorum Argentariorumque vicum; cum repente apparuit in aere Cupidinis forma puer, egregio libramento ſuſpenſus. Pila erat grandis inaurata. Circum eam quadrifariam locatum Copiæ Cerou, & inaurati Gri-

A phes. Hinc teres columna ſurgit: cui puer alatus furtim alligatus ſuperſtare pedibus pilæ videbatur. Supra ejus caput Leo auro fulvus, galea, igne, & aquiminariis vaſis ornatus eminebat. Hic, dicente carmina puero, paulum firmati ſunt incedentium ordines. Cum deinde jam exaudiri in arcu templi tubarum cantus & equitantium ſtrepitus cœpiſſet; traductum eſt agmen ingens mulierum ex proxima Arenghi aula in machinam illam majorem, templo contiguam. Hue enim congregata erat ex compoſito infinita matronarum ex tota urbis Nobilitate turba: quæ Sponſam ibi honoris cauſa exciperent, atque in ſacrum locum deducerent. Jam ergo ipſa appropinquabat, non ſatis admirata tantam populi frequentiam, tanta ſtudia, tam continuatum apparatum, tantos in veſte ac reliquo ornamento luxus; cum novæ admirationis machinas intuetur. Jam ſubit ad fanum: & ſalutatione muliebri excipitur, tum choro Sacerdotum Ædi ipſi præſideotium, qui dignitate & ornatu totidem Pontificum ſimilitudini accedebant. Ingreſſa vero aliud ſtupet miraculum concinnatiſſimæ periſtylæ convexitatis: nec minus voluptatis movebant Jureconſulti, novitate indumenti monſtrabiles. Succedit ad tabulata: & novæ ſunt opes conſpectæ: expoſita in excelſo abaco, qui ſupra aram exſtructus erat, unum & ſexaginta vaſa, perfectiſſimo artificio juſſu Ludovici fabrefacta: nulli alii uſui, quam ad paſcendos oculos, apta magnitudine & pondere, quantum ſingulis onerandis bajulis ſingula ſufficiant. His intermixta quamplura Divorum ſimulachra, utique argentea: quibus totum irradiabatur templum. Et jam ſedebant Ordines eorum, qui formam aliquam imperii obtinent: huic tamen ipſi imperio ſubditi, quos *Feudatarios* vocamus. Aderant & Legationes ſubditarum civitatum & populorum: qui binos ternoſve ad honeſtandas nuptias Oratores miſerant. Atque ex hoc conſeſſu nemo non ſericatus, aut argentatus, aut auratus conſpiciebatur, nemo non regalibus onuſtus divitiis. Reliſtum ab iis ſpatium loci honeſtioris utrinque Principibus, aureo argenteoque conopæo tectum. Deſignatis hinc viris, illinc muliebri choro ſedilibus, reſedit Princeps, medius inter Pontificium Secretarium Jacobum Volaterranum, & Legatos amicorum Principum atque Regum: quorum Ordines claudebant à dextra lævaque duo patrui, Ludovicus univerſæ rei moderator & Philippus, atque Hermes frater: hinc reliqui Proceres, & uterque Senatus cum cætera Aula: & cum Mercatoribus, Jureconſultorum Medicorumque Collegia. Ex adverſo ſedit Sponſa: quam hinc Amalphius & ſui ſtipabant Neapolitani, illinc noſtri Ducis ſorores, ac reliquæ puellæ & matronæ, porrigente ſe in infima uſque tabulati multitudine. Tanto omnes decore, tanta majeſtate, ut nimis quam apte huc, aut nuſquam alibi, commodius verti illud potuerit, TOTQVE DEOS VIDIT MALLIA TOTQVE DEAS.

Ita diſtributis Ordinibus, Fabricius Marlianus, Placentinæ Eccleſiæ Antiſtes, celebrationem Sacrorum auſpicatur, cantoribus cæteriſque Sacerdotibus ſuaviſſimo concentu proſequentibus. Peracta ea parte, qua Chriſtianorum Dogma recitatur, ſurrexerunt hinc Sponſus & inde Sponſa, binis comitati Proceribus & Architriclino. Ad Sacerdotem profecti, ſolemni de more dato auro ſatis obtionis fecerunt. Servant in theſauris Principes noſtri annulum, unici, arbitramur, in terris exempli, ſolemnem ſponſaliciis ſuis, ſolido è beryllo cavatum: prægrandis videlicet gemma, & quæ totum digiti orbem impleret: nobile naturæ opus: regiis manibus auro pretioſius ornandis perforata fuit. Hunc ergo, procedente Re Divina, Sacerdos benedictione proſequitur. Tum Federicus Sancto-Severinas,

rinus, Epiſcopus Malacenſis, priuſquam ſolemnibus verbis conſenſum matrimonii à præſentibus interrogaret, hac præfatione uſus fertur:

Si pro more & vulgata eorum conſuetudine, qui Epithalamia componere ſolent, in hoc ego conſeſſu, Principes Excellentiſſimi, de Illuſtriſſimis Sponſi noſtri & Sponſæ Progenitoribus verba facere velim; vereor, ne cupidius magis aut intemperantius faciſſe, quam ſapientius judicer; cum & notiſſima, non Vobis dico, ſed aſtris ipſis & eaſo ſint Clariſſimorum Principum geſta; & præſtantiſſimorum Scriptorum monumentis ita celebrata æternaque memoriæ prodita videamus, ut ingenii mei, vel denique humanitatis ipſius oblitum me fatear, ſi quicquam iis putem orationi mea accedere poſſe vel dignitatis, vel ornamenti. Eſt præterea opus, non animi & liberna diecula, iſta complecti, nedum Oratiuncula Nuptialis, ac feſtinantis; ut nolipari quidem vel mediocriter poſſint, ſine magna vel eorum injuria, vel uberrima deinde Oratione ſequenti. Dicuntem namque neceſſario me ferret ratio ipſa in commemorationes fidei, juſtitiæ, æquanimitatis, continentiæ, reliquarumque animi & corporis virtutum, quibus & illi floruerunt, & nunc regnat Sponſus Reguluſque noſter Joannes Galeazius, ſub conſiliis præſertim & cura præſtantiſſimi & inter mortales ſapientiſſimi viri, Ludovici patrui. Hæc cum peregiſſem, inferres Tu deinde ab Aragona Domo alterum opus Iſabella: & cum ſtirpe regia narrandi mihi forent tui modeſtiſſimi, caſtiſſimi, ſanctiſſimique mores. Pari volumine & commendanda Nuptiarum ſanctitas: & exquirendum, quo tempore, quo loco, auctore, cauſa, & quemadmodum inſtitutum matrimonium ipſum foret, & quot denique exinde humano generi obvenirent commoditates. In ſumma, ſi velim, ſi poſſim, nec poſſum, nec volo, certior de voluntate Ludovici Sfortiæ, cujus apud me nutus vim Numinis habent, habiturique omni tempore ſunt. Itaque & ejus laudibus eadem hac de cauſa temperabo; non diſſimulans tamen, id me non ſecus interpretari, quam Alexandri Magni judicium de reliquis artificibus; cum publico vetuit, ne quis imaginem ſuam pingeret præter Apellem, funderet extra Lyſippum, ſculperet niſi Pyrgotheles. Quicquid igitur hic ſupereſt temporis, imperitientes melioribus inſtitutis peragendis, ac tantum precati rerum illud & omnium potens Numen, quod huic auguſtiſſimo templo, his aris, & univerſo denique Orbi præſidet, ut falix fauſtumque & omni tempore fortunatiſſimum connubium ſaxit; vernacula Lingua loqui incipiemus; ut proformula à Majoribus inſtituta Sponſum & Sponſam interrogemus. Quibus rogatis, cum ambo annuiſſent; annulum viro porrexit: quem digito Sponſæ, tenente Ludovico, induit: ſimulque oſculo uxorem agnovit. Mox poſitis in aureo pulvinari genibus, dum Placentinus reliquum precationis in exoranda conjugali felicitate peragceret, ad manſionem ſuam ſunt regreſſi; & quod ſupererat de Re Divina, in ſummo quinquaginta tubarum tibiarumque concentu exactum.

Et quoniam hujuſmodi in celebritatibus ſolent magni Principes claros ſemper aliquos, & qui de ſe meriti optime ſunt, Viros Equeſtri Militia inſignire; ut hic veluti extremus actus hanc quoque celebritatem clauderet, vocavit ex omni conſeſſu Dux Petrum Alemanum Legatum Florentinum, & Bartholomæum Chalcum primarium arcanorum ſuorum conſcium & Magiſtrum, eoſque aurea toga indui juſſit, calciarique calcaria ab nobiliſſimis aliis Equitibus; tum parazonio ipſe, hoc eſt, enſe & zona accinxit. Hinc, ſurgente coetu, ad arcem reditum eſt, eodem pede ſervato ordine; niſi quod & duo illuſtres Stipatores amplius ad frœnum non apparuerunt; & umbella geſtari deſita: quæ, non ingratæ cujuſdam & uſurpatæ voluptatis cauſa, dilacerada paulo poſt Conſultorum vicenis permiſſa.

Reliquum deinde temporis in ſextum uſque diem cantucis & ſonis hiſtrionumque fabulis conſumptum, & item muneribus accipiendis, quæ externi Principes, Proceres Regni, Feudatariique omnes, & civitatum Nuncii, certatim attulere: ex quibus nemo non argentea vaſa aut aureos pannos donavit. Quarum rerum etſi immenſa fuerint pretia; vas tamen, quod Catherina Riaria, Principis ſoror, ex Foro Livio miſit, jucundi etiam adſpectus, atque oh id depingendi viſum eſt. Patulum totum opus eſt: latitudinis, quam duobus brachiis amplecti homo nequeat: altitudinis, quantam expanſa manus occupat: ex argenteis filis compactum, & ſruſtis cryſtallinis egregie politis numero novem & quadraginta: quorum quæ in medio ſundo grandior & rotunda gleba eſt, prægrandis fungi ſimilitudine: cui circumpoſitæ duodecim longioris formæ veluti lingulæ, argento utique illigatæ, totius ſundi orbem complent. Subſunt in vicem baſis ſex inaurati leones: ſpondæ ex duodecim aliis quadratis & latioribus ſruſtis apte eriguntur. Super has patentiora fiunt labra inſertis quatuor ac viginti aliis glebis, ex roſarum imitatione inciſis. Opus eſt profecto Regale; vel, ut re vera fuit, Pontificale. Ajunt enim, à Bartholomæo Rovorella, Cardinale Ravennatenſi, viro ſplendidiſſimo, ſubrefactum, ad Sixtum Pontificem perveniſſe: ab hoc Comiti Hieronymo dono datum: à cujus nunc uxore ad nos conceſſit, pulcherrima contentione certaturum cum argenteis Ludovici.

Prandia autem luxurioſa, & multæ noctis cœnæ, atque ludi magnificentiores, ne hoc tempore fierent magis, quam deſiderarentur, continuit nondum tranſactus à morte Hippolitæ luctus. Sed & cum ſoleant Principes ſuo more ſeorſum, quantum cibi ſatis eſt, deſumere; curatum eſt in diverſoriis, ut laute omnibus & abunde epulæ præberentur. Itaque ubique regalia cerneres agitari convivia, & quales cœnas Prifci adipales ſaltareſque vocitabant, dominis non ſolum, ſed ſervis quoque & calonibus pari lautitia diſcumbentibus.

Per hæc igitur & ejuſmodi talia, atque urbe perluſtranda, ſed Mediolani acti ſunt dies; cum deinde Papiam itum eſt. Hinc delectis, qui penes Iſabellam remanerent, ſexaginta miniſtris virorum ancillarumque, intra quatriduum reliqua dimiſſa turba eſt, donatis quinque primariis matronis aureis veſtimentis: ac datis, qui ex publica pecunia gratuitum ad mare uſque viaticum ſubminiſtrarent.

Abeuntes, Reginam nobis reliquerunt: cujus mores & vitam nulla ſatis commendare ætas poſſit. Abſtemiam in primis agnovimus: hoc eſt, temeto, quod vinum ſonat, penitus abſtinentem. Virginalis vero cum matronali gravitate pudor & venuſtas ita conveniunt atque concordant; ut, veneris plus an dignitatis habeat, arte an genuina quadam comitate ad promerendam omnium voluntatem valeat, diſcernere omnino non queas; & ſuaviſſimum illum ex diverſiſſimis virtutibus perfectum abſolutumque concentum agnoſcas. Mediolani Idibus Februariis anni à dinumeratione Chriſtiana milleſimi quadringenteſimi octogeſimi noni.

TRISTANI CHALCI,
MEDIOLANENSIS HISTORIOGRAPHI,

NVPTIAE MEDIOLANENS. ET ESTENSIVM PRINCIPVM,

SCILICET

LVDOVICI MARIAE CVM BEATRICE, ALPHONSI ESTENSIS SORORE;

VICISSIMQVE

ALPHONSI CVM ANNA, LVDOVICI NEPTE.

EPITOME.

Per has Nuptias, decennio ante paſtas, & nunc tandem anno Domini 1491. *menſe Januario Mediolani celebratas, confirmata vetus ac velut hæreditaria inter Vicecomitem ac Eſtenſem Familias amicitia. Deducendis Ferraria Sponſis delectus inſignis comitatus. Mediolani magnificus ſit apparatus: ac nominatim pinguntur intra menſem Franciſci Sforiæ geſta, quibus cæteroqui pingendis ne triennium quidem ſufficturum videbatur. Cometes ortus. Hyemi longe ſolito gelidior, ac Ferraria vententibus nimium incommoda. Venere tamen: & à Placentinis primum lauteque honorificeque accepti, ac præſertim à Comite Bartholomæo Scoto. Ludovicus eos excepit Papia: fœderaque ibi conjugalia per præſentes ineuntur, qua per internuncios hactenus fuerant tractata. Dehinc Mediolanum ille præit, ut reliqua expediat. Ferrarienſes adſunt: ac prime ad Baſilicam Euſtorgianam, deinde vero in arcem excipiuntur, & regia plane pompa. Præſentia mutui conſenſus verba exigente noſtro Archiepiſcopo, Alphonſus & Anna privatim deſponſantur. Solemnes inde choreæ ludique: ſed & Nuptia inſuper Angelo Simonetæ cum Hercule Sigiſmundi filio: itemque Haſtiludium, per tres dies, atque per ſex & quinquaginta pugnatores, miro ſumptu & artificio perſonatos, exhibitum. Duciſſa noſtra Iſabella primogenitum parit: ejuſque ortum Paulus Lanterius epigrammate celebrat. Ferrarienſes, abducta ſecum Anna, & hic relicta Beatrice, perhonorifice comitati revertuntur.*

VETVS ac variis fœderibus repetita olim duas inter nobiliſſimas ac præpotentes Italiæ Familias amicitia fuit, Vicecomitem & Eſtenſem: quæ quotiens inter ſe gentes idem ſenſere, haud dubium unquam cuiquam reliquere, quin, quicquid vellet Mediolanenſis Ferrarienſiſque civitas, in Longobardis conſtitueret. Duravit diu in poſteris animorum conjunctio: ac veluti per manus tradita filiis nepotibuſque, in noſtri uſque ſæculi Principes hæreditaria manſit. Eam tamen Ludovicus Maria Sforcia, Princeps naturæ fortunæque bonis cumulatiſſimus, ex quo nepotis Joannis Galeacii Sexti Ducis noſtri rem gerens auguſtiſſimi Mediolanenſium imperii habenas moderationemque ſuſcepit, novis atque arctioribus vinculis inſtaurandam cenſuit. Itaque jam circiter ab hinc decennium & Annam ejus ſororem, jam tum quidem parentum conſenſu deſtinatam Alphonſo Eſtenſi, Ferrarienſium Ducis Herculis primogenito; & ſibi Beatricem, ejuſdem Principis filiam, uxorem depactus eſt. Sed tenera nimis Alphonſi & puellarum ætas aliud in tempus differri utrumque conjugium fecit. Quod cum nunc adveniſſe commodum videretur; celebrandis Nuptiis & locus Mediolani, & dies ad duodecimum Kalendas Februarias dicitur anni quadringenteſimi nonageſimi primi ſupra milleſimum, ex quo ſalutaris Genubus è Virgine partus fuit.

Atque, ut è dignitate Principum res agatur, quam honeſtiſſimus ſexcentorum hominum comitatus deducendis Ferraria Sponſis inſtituitur: qui ſane illuſtrior effici non potuit, quam matre ipſa & patrun ducibus. Delectis igitur Leonora & Sigiſmundo patruo, additaque etiam ſorore Iſabella, jam Mantuano Principi denupta, claſſis tectarum navium inſtructa eſt: qua per adverſum Padum ſubveheretur. Mediolani pariter magnificus apparatus fit. Cubicula Principum tricliniaque aureis argenteiſque conopæis, vel acu vel varie texendis pictis, ornantur: tum peripetaſmatis parietes & ſtragula veſte obtegi: toniſilibus juniperis, viridanti lauro atque hedera conſertis coronis, topiariiſque operibus adornari. Cumque multa ejuſmodi fierent; ſphæriſterion, hoc eſt, grandior & ad luſum pilæ ſubſtructa porticus, novo ornamenti genere afficienda viſa eſt: Pingi univerſam ex Hiſtoria & nobilioribus Franciſci patris rebus geſtis, Ludovicus cenſet. Sed immenſum opus eſſe Præfectus fabrûm oſtendit; quod nec parte anni picturæ iniquiſſima, nec temporis reciperetur anguſtiis. Sed ſtat ſententia: nitique proinde in fortunam, ac neceſſitatis vim conſilio & ope ſuperari oportet. Vix menſis integer ad diem Nuptiarum ſupererat; cum extemplo ad ſubditas civitates perſcribitur, ut Pictores omnes, quicunque ditionem incolant, Mediolanum ad Jovialem ornandam arcem feſtinent. Convenere undique opifices. Quorum aſſiduitate ac perpetuis vigiliis factum eſt, ut integrum abſolveretur opus, cujus quotam partem vel triennio confici poſſe vix cenſueris.

Hic igitur ſpectare ſuit & ductantem exercitum virum, & leges populis præſcribentem. Hinc metari caſtra cerneres, urbes dedi, conſerri alibi ſigna, conflictuſque dimicantium, & quæ reliqua præclare geſtiſſe perhibetur vir invictiſſimus. Superne vero laqueari, quod altiſſime elatum eſt, pannus cæleſtis coloris ſuperinducitur, ſtellis aureis diſtinctus. Porro in arca, quæ ſub ipſam arcis fron-

frontem patet, palis triplici ordine ad libellam fixis ſepta militari certamini, & tabulatum dextrorſus ampliſſimum excitatur: unde cum Principibus veluti ex orcheſtra proſpectantes ludos matronæ, ſaltationem etiam & puellares choreas exercerent. Idque propterea totum pannis clauditur, ex verſicolori Sforziano compoſitis, albis, riſis atque cæleſtibus. Ejuſmodi alia circa vicini ædificant: quæ theatralem magis uſum, quam nomen, aut ſimilitudinem, præſtarent.

Dum hæc aguntur, ſtella crinita, quam pariter Italia nunc, ut olim Græcia, Cometen vocat, oritur. Septem diebus non Mediolani ſolum & Venetiis & Florentiæ, ſed in Gallia quoque Tranſalpina conſpecta. Sed jam tempus ſolvendi ab Ferraria, & parata omnia ad iter erant; cum mutari ſubito omnem proſectionis rationem temporis coegit iniquitas.

Egelida hyems hoc anno in Longobardis, ſed & in univerſa, ut poſtmodum cognovimus, Europa fuit; ut qua non ſolum tenuiora ſolito flumina decurrerint, ſed in maritimis quoque Italiæ, ſolita temperie evicta, frugiferæ pene omnes arbores aſſuerint: quin æſtuaria Venetorum (rariſſime alioquin viſum) gelu adſtricta urbem continenti commiſere: & Pado ſolemne munus pinguium bovum, qui fere quotannis à Mediolanenſi Duce ad amicam civitatem benivolentiæ gratia mittuntur, medio alveo deprehenſi, ad Puleſellam, infra Ferrariam vicum, amplius menſe remorati ſunt. Impedita igitur eodem gelu ſuperioris quoque Padi navigatione, ad mulieres, impeditiſſimum agmen, ac onera convehenda cum vix ſatis equorum ac curruum improviſis foret; rurestria repente vehicula fabricant: quæ, quia ſine rotis terra trahuntur, trahas priſci Latini dixere. His Briſellum uſque quinque diebus provehuntur. Ibi quatriduum noſtras naves, quæ ab Ticino ſolviſſe nunciabantur, exſpectavere; inde enim navigabilis fluvius erat. Has ingreſſi, perpetua ſeptem dierum ac totidem noctium navigatione Placentiam appellunt. In urbe laute honorificeque accepti, unum diem quievere, non exiguis interim muneribus à civitate cum privatim tum publico nomine affecti. Sed unus maxime liberaliter ac profuſe egiſſe videtur, Comes Bartholomæus Scotus: qui deſcendentes ad Sermidem, novem millibus à Placentia vicum, propriis impenſis atque boſpitio excepit. Biduo inde Papiam tenuerunt, quo pridie Ludovicus officii cauſa advolarat. In adverſa ripa deſcenſus fuit: perque lapideum pontem Sponſa primo, deinde mater introducitur: tanto intervallo diſcluſæ, quantum redire ab arce eques Sponſus poſſet. Ibi, quæ hactenus per internuncios tractata, à præſentibus conjugalia fœdera ineuntur.

Triduo poſt Ludovicus Mediolanum revertitur; ut, quæ reliqua opus forent, expediret: horamque ſtatuit dici quintam, qua venientes urbem invecherentur. Pernoctavere igitur Binaſchi, quod ad medium iter ab Papia eſt, quo commodius conſtituta hora adeſſent. Certa autem luce, ne quid Mediolani ad ſtudium & majeſtatem excipientium deeſſet, in aream vocantur matronæ puellæque urbis nobiliores, quæ venuſtate ac decoro veſtitu formoſiſſima profecto cuncta reddebant. Cocunt eodem Principes, Legati, Proceresque Regni: qui, univerſa ex ditione vocati, frequentiſſimi advenerant. Tum Regina noſtra Iſabella cum ornatiſſima puellarum parte, equis inſidentium, ad Suburbanam Euſtorgii Ædem prodit, prima amitam & conſobrinas exceptura. Nec multo poſt Ferrarienſes adſunt. Matronalis ſit congreſſus, mutuique amplexus atque oſcula dantur: tum ſalutatis è templo Divis, in interiora Cœnobii concedentes, igni & jentaculo ab inclementia frigoris & equeſtri jactatione refoventur. Egreditur mox arce Principum Ordo, præeunte longo equitantium agmine. Purpurati fere omnes conſpecti ſunt: & noſtratibus turmatim interjecti advenarum Principum Miniſtri. Mox Oratores, Neapolitanus & Venetus, & Regi noſtro aſſociatus Antonius Campionus Gebenenſis Epiſcopus: qui trium Legatorum maximus ab Alpina Duce Blanca octoginta cum equitibus advenerat: eum ſequebatur alter Epiſcopus, è Monteferrato, Albæ ſcilicet Pompejæ Pontifex: tum alii atque alii, pro dignitate diſpoſiti. Noviſſimo loco Ludovicus Heros eſt, aurea in veſte ſplendens, & fratribus Sancto-Severinatibus circumſtipatus: hinc duplex Senatus, Magiſtratus utrinque: poſt quos turba ſine nomine. Ad Ædem profecti, conſalutata Sponſa, aſſumptiſque dexteriori ab latere hoſpitibus, in urbem vertuntur, ſcindentibus aera tubis: quarum concentores ad ſex & quadraginta paria exſtitere. Jam effuſa ad ſpectaculum plebs vias vicoſque repleverat: varia ætas ſpeculas conſcendit: ac frequens matrona pro foribus & veſtibulo domus ſedebat. Sed ad portam urbis nova ſtatim, id eſt, togata, phalanx oſtentatur. Protenſi unam in aciem nimis quam gravem erant Jureconſulti omnes Mediciique urbani, purpureis vel coccineis togis fulgentes. Jam interiora urbis turmæ tenent: vetuſque Palatium, quod è Divo Georgio cognominant, prætervehuntur. In vicum Armiſabrorum ut adſcenſum eſt, nova ornatus ſpecies aſſulſit. Ornarat quiſque tabernas propriis, id eſt, Vulcaniis Martialibuſque opibus. Hic fulgentes ocreas, ille thoracas æneaque capita ſuſpenderat: compoſuerant alii integri hominis armaturam, tegumentaque equi; ut & hinc ferreus homo ſtare, inde prodire cataphractus equus videretur. In aream delati, à Bona Principis matre, & ſororibus Blanca & Anna, quas propinquæ mulieres & urbanarum puellarum chorus ſtipabat, excipiuntur.

Altera deinde dies, ac tertia privatim magis, & conſerendis muneribus inter Principes ipſos acta eſt, quam nulla publica re magnopere memoranda; niſi quod præludii & excreendarum virium gratia, quo mox futuro certamini agiliores forent, militares aſſidue velitationes agebantur. Cujus etiam præmia proponuntur duo aurati panni, coccinei & cæleſtis ſerici colore diſtincti. Inter hæc improviſus ac veſte incognita Mantuanus advenit Regulus, Franciſcus Gonziaghus: qui tamen, ſubito de adventu ſuo monitis Principibus, in Regiam familiariter venit.

Ad nonum Kalendas Februarias privatim inter domeſticos Anna & Alphonſus, præſentia mutui conſenſus verba exigente Guid-Antonio Arcimboldo urbis Archiepiſcopo, deſponſatur. Solemnia quoque Sacra privato Sacello acta, ſed quod mire donariis & argento radiaret: in quibus præcipue ſuſpeximus ponderoſam ſolido ex auro crucem, & craſſiſſimis margaritis onuſtam: tum duodecim Apoſtolos, ſimulque reliquos Religionis noſtræ Principes, puro ex argento fabrefactos. Statuæ ſunt novem numero & quadraginta, plures aliquando futuræ, pupillari magnitudine: quæ ordinibus diſpoſitæ ſedentem argenteo throno Deum, ac Matrem Virginem coronantem adornant.

Poſtero die in picturatam porticum conveniunt invitati omnes: bine viri, inde mulieres duplicatis ordinibus ſedent, tanto rerum apparatu ac veſtium pompa, ut vix quicquam regia addi præſentia poſſe putares. Tria itidem erexerant tabulata, ſingula à capitibus: quorum altero molliter acclivi, ac aureis argenteiſque conopæis velato, Principes ſederent: alterum vaſa Ludovici duo & ſexaginta, invidioſiſſimi operis, ex adverſo ſpectanda præberet, proque eodem abaco collocati tubicines. Nam tertium pulpitum, in medio poſitum, tubicines ob-

obtinebant: horumque omnium mirifico concentu exceptus Principum introitus. Quorum ornatum & pretioſam veſtem jam ne ab ipſis quidem Phrygionibus mutuatis vocabulis commode expreſſerim. Certe duæ Regis noſtri Joannis Galeacii & Ludovici monilia, gemmis, lapillis, unionibus onuſtæ, ab quovis facile ſupra centena aureûm millia æſtimabantur. Sed quis Annæ & Blancæ ſororis? Quis Leonoræ, & Auguſtæ noſtræ Iſabellæ mundum? Quis uxoris & filiolæ Ludovici narraverit? Oculis ipſis, non auribus, opus eſt, ut ea integre percipias, quorum minor pars intextum aurum cenſebatur. Habitu vero omnes Hiſpano incedebant, falcatis infra ubera pectoribus, ac pallio ritu Gabino dextro ab humero lævum ad latus ſubducto: tum ſparſi per terga crines, pluribus connexi in tricam, gemmati pendebant, margaritiſque graves. Conſedere igitur eminentiori loco duo & quinquaginta utroque ex ſexu Principes: atque inibi imaginaria militia & aureis togis donantur Defendus Suardus, ſecundus è tribus Montiſferrati Legatis, vir modeſtia eximius, & longa conſuetudine Principibus noſtris perfamiliaris: & alius Alphonſus pueruluſ, unicus Petri Franciſci Vicecomitis filius. Ab his ſaltationes inire Reginæ: quas modice ac venuſte obeuntes, magnam ſui ſpeciem præbebant veſtimenti cauda, quam longiſſime propendentem ſyrma vocari ab eruditis audio. Tum tibicinibus altius inflantibus viri varie perſonati, ſinguli ſingulis puellis adjuncti, excepere ludum: nec minus geſticulis & incondito motu placebant, quam ipſis ſcenici ornatus indumentis. Quippe hos videre erat Gallis, Hiſpanis illos habitu ſimillimos: alii Pannonios referebant: & Ægyptia Turcenſiſque veſtis plurima internoſcebatur. In noctem res proceſſit; cum deinde accenſis funalibus è candida cera Mauricam pauciores egere: quæ, ut ſummæ induſtriæ & agilitatis laudem meruit, ſic extremus ejus diei rerum actus fuit.

Poſtero die eodem convenere principes viri matroneque nuntatis pridianæ pompæ veſtibus. Nam ſupra ducentos in togis auro vel argento textis numeraveramus; nt torques & monilia fileantur. Verum nec honeſtum jam ornatum putamus, quem non quinquies poſſis, aut quater ſaltem, pari luxu variare. Novo igitur ſplendore radiantibus in conſeſſu Ordinibus, tertiis nuptiis cumulatur celebritas. Deſponſatur Herculi Sigiſmundi filio Angela major è duabus puellis Blancæ Symonetæ: quas è Carolo Sforcia, Ducis olim noſtri fratre, genuerat. Quo facto, initium ſaltationibus, ut pridie, fecere Sponſæ. Productis mox à perſonatis in horam choreis, ſubiit Tuſca puella, magiſtro comitata: quæ, ſaltu flexuque corporis multifariam rotata, omnes humanæ agilitatis venuſtatiſque numeros non modo referre decenter, ſed ſupergredi etiam admirantibus viſa eſt. Hinc curru Reginæ conſcenſo, ad militares ſpectandos ludos abiere: ubi Galeacius Sancto-Severinas complurimis egregiis curſibus adverſarium tandem Symonetam Hiacynthum ad terram everberavit, niſi quod rebuſtiſſimus equus ab caſu equitem fortiter ſervavit.

Hactenus mulebris fere ennſortii & umbratilis operæ reſſunt. Martia nunc & bellicæ imaginis erit. Septimus ad Kalendas Februarias dies agebatur, quo haſtilem certamen condictum erat. Quo deſcribendo haud ſane Lectorem iis involvam technis, quibus plerique abuti ſolent, cum aut res figillatim laudanda non ſubeſt, aut ipſi verba rerum ſignificantia non inveniunt; ut nil ſplendidius, nil collucentius, aut magnifice magis unquam, nc à Cæſaribus quidem ipſis, cogitatum fuiſſe jactent. Nam etſi mihi eam dicendi copiam non aſſerucrim; ſimpliciter tamen iſta attingam; &, ut quæque occurrerint, quam planiſſima efficere conabor. Ergo ante meridiem concurſu plebis completur area, complentur & circa exſtructæ contabulationes viris matroniſque: quæ ab remotiſſimis urbis regionibus perquam frequentes ſtudio viſendi confluxerant. Jam alterum, nec minus prope jucundum, ſpectaculum ingens multitudo faciebat, conferta quoque Principibus illuſtrioribuſque puellis Orcheſtra; cum primus introeuodi honor Mantuano Principi defertur. Qui ut illuſtrior etiam comitatu foret, deduxere eum Dux noſter, ſororius Alphonſus, & Ludovicus. Sed ipſum præibant undeviginti equites, pari omnes veſtis ac phalerarum genere ſuccincti, è ſerico ſcilicet viridi & villoſo. Duodecim primores, aureis torquibus inſigniti, auratas lanceas geſtabant: ſeptem alii, agilioribus veredis utentes, torques quidem ipſi non habebant; verum pectoribus equorum vinculi vice alligarant. Tum dimidiati thoracis ex argento ſericoque panno pedites quindecim circumſtabant, qui omnibus momentis neceſſaria equiti ſubminiſtrarent. Ipſe autem obarmatus viridi velo circumtegebatur.

Secundo invehitur Anoibal Bentivolus: qui, eorumdem comitatu Principum honeſtatus, tres præ ſe agebat commilitones, aureis indumentis argenteiſque nitentes: quorum caſſidibus quaterni vultus inflarius tumentes ſpirare in omnem partem ventos videbantur. Ipſe, viridi paludamento opertus, Memnona gerebat, & Auroram è jugo montis orientem.

Gaſpar Sancto-Severinas, quem de vi & virtute Frachaſſum nuncupant, currum egit triumphali ſimilem, tribus equis jugo junctis: quorum duo monocerotis, tertius cervi formam gerebat. Tum defixæ in orbem lanceæ auratæ totum vehiculum ceu cavcam coronabant. In medio tumulus erat: è quo vir Mauri imagine aptos verſiculos cecinit. Nos primo ſtatim conſpectu, Martem eo vehi curru, vel Bellonam, credidimus. Sed alii magis Fortunam repræſentare voluiſſe exiſtimarunt.

Sed Galeacius frater, gentis columen, & Ludovici gener, nova ſpecie hominum in ſe oculos avertit. Monſtroſus primo equus erat, ſquamis aureis contectus: quas etiam pictor pavoninis veluti oculis illuminaverat. Ex iis, qua dehiſcebant, rari hirtique enaſcebantur pili, atque horridiores ſetæ. Caput auro penitus flavum, torvum aliquin, & cornibus ſurſum intortis emicans. Par ſellæ ornamentum, & pectori brachiiſque viri circumdabatur. Cujus ab capite ſerpens alatus prodibat, cauda pedibuſque terga equitis complectens. Clypeo barbata facies auro lita micabat. Sic incedentem comites promiſſa barba ſequebantur, variisſetarum globis ſparſim per equorum membra agglutinatis. Nam reliquo amictu ſimillimi ſylveſtribus inculiſſimiſque Barbaris videbantur; ut conſeſtim nobis Scytharum memoriam ſubjecerint, & eorum, quos nunc vulgo Tartaros vocant. Verum nuncius ad Principem accedens, primo externa, mox ceu interpres Itala Lingua loquutus, filium eſſe docuit Indorum Regis: qui, domitis Nationibus maximis, Occiduum Orbem petere cupiiſſet; cum virtutis extendendæ gratia, tum ut eas terras inviſeret, in quibus proximo anno Jovem deſcendiſſe cum cæteris Numinibus intellexerat. Alluſit videlicet ad id, quod ſuperiori hyeme maxima celebritate & ſumptu actum eſt, cum hemiſphærali machinæ, ferreis circis concinnatæ, crebris lampadibus ſuſpenſis, ſeptemque pueris, qui ceu Planetæ largius radiarent, atque Jove medio throno inter aſſidentes Deos eminente, volventia eſt cæli reddita imago. Atque inter hos cogitatus apparuiſſe mercatorem ait, qui inde è media Europa profectus videretur: quo veluti optimo viæ duce oblato iter ingreſſus advenerit, & Dei Numen veneraturus, & præſenti ludicro (ſi tam longinquo advenæ liceat) ejuſ-

ejusdem in honorem pugnaturus. Laudata est oratio, ut rei temporique accommodatissima. Nam, ut cæteris etiam rebus sibi fabula apte congrueret, nodosos informesque truncos manibus gestabant, & decem tubicines argutioribus lituis exoticum nescio quid insonabant, tum capitinæ pelli insertis fistulis pro utre utebantur.

Jucundus etiam adspectu Spingelis fuit. Hoc Gubiculario nomen: qui opera & impensa Marchesini Stanghæ ab arcanis viri ornatus, quatuordecim invexit hastatos, & tres tubicines Germanico habitu, in equis albis, & Teutonico itidem more phaleratis. Quod sane ita omnes oblectavit, ut, cum reliqua admiraremur, hanc tamen subinde laudaremus præclaram albentium equorum turmam, tum virorum flavas comas, nuda colla, & è luteo ac nigranti serico compositam vestem. Eidem in summa galea Aquarius fuit, imbres ac tempestatem effundens: cujus importunitate & vehementia obrui in clypeo pictus puer videbatur. Nec inferior putatur fuisse Joannes Antonius Marioli: cui duodecim pedites totidemque equites, Turcensi tunica è serico Sfortiani versicoloris, hastas detulerunt. Nam Franciscus Sfortia, Bosio natus, coccinatus in totum, coccinatos & servos habuit. Alexander item Sfortia, Ducis nostri frater, gentile signum colore vestis distinxerat. Sed maxime elegans visus est Nicolaus Corrigius: cui subtrictissima vestis auro fulgescebat. Varia aliorum fuere signa, vel vetusta gentis, vel recens excogitata; ut non defuerit, qui ovis instar equum vestiverit. Sed nec Historiæ refert omnia complecti: &, clarioribus traditis, otiosum est minutiora persequi. Nam sex & quinquaginta numero pugnatores fuere: quorum nemini non holoserica, aut auro argentove texta, vestis spectata est. Quibus ordine, ut primores fuerant, inducendis cum suffectura dies non videretur; patefacta sunt omnibus viis claustra, atque agminatim per tumultum admissi. Qua ex re tantus è bombo tubarum clangor illatus est, ut exinde mens simul atque aures omnium perstringerentur. Demum facto silentio, compositis paribus, initium pugnæ datur.

Primi concurrere Franciscus Sfortia & Petrus Bolognini: cui pluribus infractis lanceis, atque excusso semel clypeo, conus galeæ perforatur, magno hominum metu, ne ad caput usque periculum attinuisset. Subiere inde Frachasius & Andreonus Mirandulanus: tum Joannes Tolentinus & Franciscus Galeoti Mirandulæ filius; ac plerique alii: magna omnes laude. In quibus libenter nominaverim Joannem Galleratem, Petri filium: qui præclaræ indolis ac magnæ spei adolescens, & summa dexteritate lanceas vibrabat, & sæpe adversarium ferociter concussit. Sed unus Nicolai Corrigii casus nomen cunctis eo die abstulit. Adversarium hic habuit Mariolum Viscardum, Ludovicianæ Aulæ alumnum: quocum octies commissis hastis, tenaciori demum cuspide prehensus, subsidente equo terræ provolvitur.

Postero die Jacobus Galeacii Sancto-Severinatis & Nicolaus Maleta congrediuntur. Octo hic, ille decem fortiter confecit hastas: quarum etiam postrema, strenue fronti impacta, duplicis vim incursionis habuit. Carolus Varisinus, septem elisis, altera manu offensus abiit. Fortia alia multa fuere. Sed unum pariter summe illustre est, quo duo Jacobi, de Armis unus, alter Vayrani cognomine, constrinxere. Tam valide enim utrinque sese firmioribus perticis excepere, ut, vehementissimum impulsum non sustinentibus equis, una ambo ruina conciderunt.

Tertius dies ipsorum Principum fuit. Mantuanus Marchio primo cum Philippino Fliseo, Jovis necis, ut ajunt, Capitaneo; tum Annibal Bentivolus & Alexander Sfortia se exhibuere. Sed Baptista volo post scipionam excussum hastam ictu manus bene coeptum gerendæ rei occasionem intercepit. Constitavere deinde Hercules Rusca, Baptista Trottus, Joannes Antonius Veronensis; qui Francisco Garimberto clypeum exturbavit. Bartholomæus quoque, Renati Trivultii filius, bis acerrime pulsatus, robur sibi virilesque inesse spiritus ostendit.

Sed omnium animi pariter oculique erecti, capessente rem Galeacio Sancto-Severinate: qui non terribilis amplius, nec barbaricis suffultus tegminibus, sed serica lacerna fericoque velo, equum & hominem complectente, pulcherrimus apparuit; nec exspectationi vel virtus vel fortuna defuit. Inito enim certamine, veteranum primo virum, Bartholomæum, de Sancto Georgio cognominatum, excusso bis clypeo, ludo submovit. Tum oppositio eodem Baptista Trotto; cui pauca supererant adhuc currendæ vices, tres sunt magno impetu illisæ lanceæ. Sed qua quinto incurrebatum est, adeo compressit homini thoracem, ut pene intercluſa anima simillimus ruenti ferretur. Cedens igitur, secundum ei ad victoriam gradum præstruxit. Sed nondum communem cum cæteris currendi modum expleverat Bellator tertius. Itaque subit adversarius Joannes Antonius Veronensis; qui dudum & ipse judicii honorem alteri præceperat: cumque hoc ita reliquas peragit hastas, ut haud dubius victor tacito spectantium favore signaretur. Quamquam igitur & Robertus Quarterius postea, & Henricus Carretus, Bochalinus Mantuanus, Spingelis, atque alii fortiter fecerint; & Hiacynthus Symoneta Badinurus Papiensem, compressu thoracis infestius arctatum, abire numero certatorum coegerit; pronunciatibus tamen victoriam Judicibus, prima laus Galeacio habetur; eique cocco intextus, hoc est, illustrior pannus; alter vero, bifariam dividendus, Mariolo & Jacobo Galeacii æqua portione adjudicatur. Sicque his sublatis, ac præcinentibus tubis tympanique, Hieronicarum more in arcem deducuntur.

Hic terminus institutæ Nuptialis celebritatis fuit. nec jam superesse aliud ad publicam lætitiam opinabamur; cum repente alteram longe faustioris voluptatis & auspicatissimi gaudii materiam fortuna intulit; & cujus maluerim, quam ullius alterius rei, credere præmuniam fuisse eam, quam paulo ante apparuisse stellam diximus. Tertio namque Kalendas Februarias, subluceſcente aurora, cum jam colligere sarcinas advenæ cœpissent; Regina nostra Isabella, jamdudum matura partu, primogenitum Principi nostro filium peperit; quem mox, ab eodem Archiepiscopo Sacris lustratum, Joannem Franciscum parentes nuncupavere.

Kalendis autem, jam cæteris digressis, Ferrarienses quoque abeunt, relicta Beatrice, Animam abducentes. Cui, præter reliquos Proceres, ducentorum equitum catervam trahentes, ab Mediolanensi Duce, causa honoris, comites adduntur Hermes frater, & Joannes Franciscus Sancto-Severinas Cajaciæ Comes. Qui, Nonis deinde, qua venerant, via rediturі, instructas Papiæ naves conscendere.

Hic, carmine claudendi Operis gratia, Pauli Lanterii Epigramma in pueri ortum subjiciam:

Omnia ridebant tota salutet urbe;
Causaque lætitiæ non erat una tamen.
Implebant animos Hymenæa festa faventes,
Excibat plausus Martia palma novos;
Cum maturavit partum Lucina beatum,
Et Regem nobis Regia Nupta dedit.
Ergo inter pacis ludos, & bellica palma
Præmia, qui dextra vovere caput, Ave.
Ipse triumphali lauro connectet olivam
Pacificam, insignis Marte Togaque simul.
Scilicet imperio natus sceptrisque regendis
Haud aliis nasci debuit auspicus.

MAGNIFICO ET GENEROSO EQVITI,

D. HERASMO BRASCAE,

CAESAREO ET MEDIOLANENSI SENATORI,

TRISTANVS CHALCVS,

MEDIOLANENSIS,

SALVTEM PLVRIMAM.

SI pro merito ac rerum ordine quicquam mihi agendum eſt; Auguſtalium Nuptiarum Editionem nulli magis, quam Tibi, Generoſe Eques, dedicare debeo. Nam & Tu earum primus poſtremuſque idemque unicus interpres atque auctor fuiſti; & eas maximis vigiliis, laboribus, periculis tuis confeciſti. Et benevolentia inter nos ſingularis eſt, & quæ altioribus opinione fundamentis nititur. Nam jam inde à parentibus & avis inita, mutuiſque beneficiis aucta; cum forte Scholis egreſſos publici Muneris ratio in eandem officinam detuliſſet; ac ſub eodem Præfecto viro optimo Bartholomæo Chalco, principalium arcanorum Magiſtro, mereremus, ita coaluit; ut, cum paria ſtudia, par animus, par ætas, par voluntas foret, nihil fuerit noſtra conſuetudine vitæ dulcius, nihil fraternitate noſtra jucundius. Ut vero Te beatior fortuna fuſtulit: atque iis, quibus natus eras, tractandis Regum negotiis exercere cœpit: atque iſta, quam nunc Eques & Senator Cæſareus arcem tenes, locavit; nec averſatus unquam amicum es, aut minus familiariter accepiſti; ſed &, quo plus promereris, ſemper ſtuduiſti; nulli occaſioni, ut me ornares, defuiſti. Quibus, non ſecus ac immortalibus beneficiis, devincto, nihil non à me Tibi deberi, fatendum eſt. Accipe igitur Nuptias, perpetui mei in te animi pignus. Quo cum tui nobiliſſimi facti contextus accedat; non ſolum Tute Teipſum legendo agnoſces, atque iterum redire in eadem facta (quod plurima cum voluptate contingere ſolet) videberis; ſed aviditate Lectorum, & ſtudio eorum, qui hæc noſſe, ornare, ac variis Linguis diffundere cupient, Nomen tuum æternitati conſecratum, & de omnium viventium judicio & poſterorum memoria ſecurum videbis. Vale. Mediolani, Idibus Juliis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo anno.

TRISTA-

TRISTANI CHALCI,

SCRIBAE MEDIOLANENSIS,

NVPTIAE AVGVSTAE:

HOC EST,

MAXIMILIANI IMPERATORIS CVM BLANCA, JOANNIS GALEACII MEDIOLANENSIVM DVCIS SORORE.

EPITOME.

Heraſmus Braſca Nuptias iſtas conciliaverat: eique propterea Chalcus hanc ſui Lucubratunculam, amico caterorquin ſemper ſuo, nuncupavit. Legatus igitur Heraſmus, Maximilianum in eas tandem conſenſiſſe, renunciat, necnon etiam Marcoaldus Breiſach confirmat. Germani veniunt Oratores abducturi Sponſam: & à noſtris regali apparatu excipiuntur. Forte fortuna vero inter hac veniunt etiam Ruſſiæ Ducis Oratores. Blanca privatim deſponſatur. Sed & Galliarum Regis Legati huc appluere. Regia Sponſa ſupellex: Templi maximi apparatus, necnon etiam inde ad arcem ſovis. Solemniter hinc ad illud proceditur: ibique Miſſa per Archiepiſcopum noſtrum celebrata: ſic etiam celebratum Matrimonium, Sponſæque capiti Auguſtali Diademate redimitum. Redditur in arcem: applauditur. Jam vero Sponſa Comum deducta, inde per Larium lacum (cujus hic topographia cernitur) in Germaniam tendit: cumque Maſſimum invecta eſſet, ac Germanis reſignata; plerique noſtrates, eam illucuſque comitati, revertuntur. Illa Inſpruchum progreſſa, honorificentiſſimoque excepta, Natalitias Chriſti Dies ibi tranſigit: deinde Halam & ipſa & Imperator conveniunt. Quemadmodum Nuptiæ iſtæ olim pradicta. Inſpruchum poſtea redeunt: ibique poſt Miſſam ſolemniter celebratam, & ſubinde poſt Menſam, Juriſconſultiſſimus Jaſon Maynus peroravit. Poſt hac tam ipſe, quam cateri cum ipſo Legati, variis honoribus ab Imperatore donantur.

QVENS Sforziaca, quæ, Regum mater, parenſque Ducum, Longobardorum Regnum, pulcherrimam Italiæ partem, obtinet, non minus prolis gloria & felicitate, quam imperii auctoritate & potentia, illuſtratur. Tali enim virtute rerumque fortuna uſa eſt; ut quot Alumni in ea numerantur, totidem Proceres, Heroeſque, & clariſſimi Principes utroque in ſexu perſpiciantur. Ex hac progenitæ Blanca & Anna, patre Galeacio Quinto, matre Bona Sabaudiana, Mediolanenſium Ducibus, jam inde ab infantia ſub matris & patrui Ludovici Principis moderatiſſimi tutela ita educatæ ſunt; ut, cum genus, formam, ingenium à natalibus ſingularia accepiſſent, moribus etiam, venuſtate, elegantia, probitate, religione, ac cæteris artibus, quibus Regum filiæ inſtituuntur, excellerent.

Anna jam biennium Alphonſo Eſtenſi, Ferrarienſium Ducis Herculis primogenito nupſit, duplicante affinitatem Ludovico: qui iiſdem Nuptiis, veluti permutatione facta, Beatricem, ejuſdem ſoceri filiam, duxit. Blancæ, quæ & ætate major & ſtatura procerior eſt, multis petitum Regibus connubium fuit. Ac demum ex Germania reverſus Heraſmus Braſca, Nobilis Mediolanenſis, qui ex Decuria noſtra lectus eam Legationem ſæpe obiverat, A. C. 1491. incunte Auguſto menſe anni tertii & nonageſimi ſupra eum, qui milleſimus & quadringenteſimus à Chriſtiana dinumeratione colligitur, retulit, confectam conſtitutamque rem eſſe cum Maximiliano Auſtrio, Federici Tertii Romanorum Imperatoris filio, ac ipſo jam ſeptennium Cæſare deſignato: ejuſque fidem publicis alligatam Diplomatibus attulit. Nec ita multo poſt Marcoaldus Breiſach, ex penitiori Regis Conſilio, ſcientia & inſignibus Juriſconſultorum ornatus, eadem confirmavit: & reliqua, quæ neceſſaria forent, curaturum ſe oſtendit. Cumque alia ad Urbem Romam habere ſe mandata diceret; docuit, qui mox alii, abſolvendæ rei abducendæque Sponſæ gratia, venturi Oratores forent.

Igitur paucis inde diebus per Tridentinas Fauces in Brixianum agrum deſcendiſſe nunciati ſunt Melchion Epiſcopus Brixinenſis, Joannes Volceſtaim, & Gualterus Stadius, Equeſtri dignitate Viri: quibus ſtatim occurrere juſſi cum Braſca Oratore Placentinus Epiſcopus, & antiquæ ſtirpis Vicecomitis Baptiſta & Gaſpar, ex Senatu lecti opulenti Equites. Caſtiani (quæ arx Abduæ imminet) cum pernoctatum foret, affuere alii opinatioris dignitatis Viri, Guid-Antonius Arcimboldus Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtes, Joannes Bonromeus Comes, & Joannes Angelus Taleotus. Cum his declinantes Moguntiam, ad Lambrum amnem arce pernobili hoſpitantur.

Urbi propinquantes alios atque alios per intervalla, & majorem præ ſe dignitatem ferentes, offendere: & primo Senatum integrum: Severinates fratres, amicitia & conſanguinitate præcipuos, atque in Procerum caterva eminentes. Tum Principes ipſi oblati, Joannes Galeacius Dux & Hermes, Blancæ fratres, ac ipſe rerum arbiter Ludovicus patruus: qui longo Magiſtratuum civiumque ordine, ac ſubditarum civitatum Nobilitate proſequente, exierant Orientali regione ad ultimum ſuburbanum, ubi ſurgens opus ampliſſimo campo circumdato in octingentas cameras, peſtilentium uſui deſignatas, jam pro ſpectaculo habebatur.

Hic exceptis Germanis, honeſtiorique latere locatis, urbem omnes introcunt pulla veſte tecti, luctus cauſa, qui utrinque recens contigerat, illinc Federico Maximiliani patre, hinc Leonora Ludovici ſocru defunctis.

Ita ingredientibus alta ſtatim urbis atria, amplæ domus, & æqualis illa tectorum omnium ad libellam nuper formata ſublimitas, picturatique parietes in conſpectum dati. Forum & media urbis prætervehentes, Argentariorum Armariorumque officinas, ſuo quaſque ære nitentes, circumvertunt, mirati undique frequentem populum, elegantes ædes, opificia innumerabilia. Perducti in Jovis arcem, regali apparatu excipiuntur.

Par & Marcoaldo ante pompa, & paulo poſt Joanni Bontemps Burgundiæ Quæſtori, & Gaſpari Mechar Brixinenſis fratri ac Maximiliani intimo Cubiculario, exhibita.

Fors etiam Fortuna tulit, ut ab ultimis Europæ finibus profecti Oratores in hanc celebritatem inciderint. Veterem ſervat cum Principe noſtro amorem

Joannes Magnus, iis in regionibus Dux, quas, ab Euxino Pelago in Borealem plagam vergentes, Scythæ, Gethæ, Sarmatæque variavere: Ruſſiæ nunc nomen unum eſt. Ab eo Mediolanum deſtinati Emmanuel Doſſa, Daniel Mamotonus, & Theodorus Manuſſi: cum rectum per Jazygas & Pannonias iter impediretur bello, quod cum Puloniæ Rege gerunt; flexiſſe retro ad Riphæos Montes & Septentrionalem Oceanum dixerunt; ac claſſe delatos ad Cimbricam quondam, nunc Daciæ Cherſoneſum; atque inde per Germaniam iter, quarto Nonas Apriles inceptum, decimo tertio Kalendas Decembris peregiſſe.

Principi obtulerunt munera, Giriphalcum candidam (gratam aucupio avem) arcum, pharetram, acinacem, & detractum monſtro dentem, magnitudine brachium viri longe ſuperantem. His addidere jaſpidas, Chalcedonios lapides, & ducentas Scythicarum muſtelarum pelles: quas, Regum cultui dicatas, ætas noſtra *Zebelinas* vocat.

Horum ab adventu biduo interjecto, cum reditum ad Regem feſtinaret Gaſpar Mechar, privatim Blancæ deſponſatur.

Sexto inde die Epiſcopus Lodevenſis & Nicolaus Renantus, Caroli Octavi Galliarum Regis Legati, applicuere: qui ſingulari humanitate gravillimiſque ſententiis habita Oratione docuerunt, quam grata ac jucunda foret iſthæc conſobrinæ Blancæ conſobrini Ducis ac Ludovici cum Romano Cæſare conjunctio.

Exin multiplicibus & longiſſimis trium triclinium menſis expoſita regia ſupellex: quæ dotis (quæ quadringentorum millium aurcorum fuit) ſuperaddita, Græco non deſinit verbo vocari *Paraphernalia*. Hic veſtitum omnis generis corporis capitiſque videre fuit: ſtolas, pallas, chlamydes, tunicas, flammea, reticula, ſtrophia. Ex his alia holoſerica, alia auro, hæc argento, illa utraque pariter materia contexta: necnon pretioſis ſulturis hiberno tempori æſtative accommodata. Hinc linteï generis exoticæque cannabis candida: ut additiores corporis tunicullas, & cubiculi tentoria, & reliqua lecluli tenuiſſima velamenta, argenteis filis, aureis limbis, aut ſericis nodulis alluta. Sed tenuia ſint hæc: ſimulque præterentur elegantia auro aut argento & cocco calciamenta, phaleræque, & equorum ſtragula: quibus tamen quadraginta, qui circa erant, liti auro cophini, pictique alu totidem, ſatis non fuere. Non itidem cenſeas fulvum auro, rubens cocco, dimidiatum albo violaceoque colore conopæa. Tum eſcaria potoriaque centum & octoginta argenti vaſa, & multiplicia ex margaritis colli pectoriſque monilia. Item ſmaragdus, adamas, & beryllus, ſinguli magnitudinis muſitatæ. Veſtis vero illa vere nuptialis fuit: quam, auro coccoque fulgentem, octoginta carbunculi, caſtellatim quaternis margaritis impoſiti, veluti totidem oculis interpunctam reddebant.

Locus autem ſolemnis ſtipulationis & regii nominis palam ſumendi deſignatus eſt templum media urbe: marmoreum illud, auguſtum, ingens, centum ſublime columnis: cujus ſpatioſa per longitudinem intercolumnia, ſolita aliàs Gallicis aut Babylonicis ſtragulis veſtiri, nunc Attalicis fulſere, hinc argento, illinc auro intertexto. Circa aram tabulatum altius erectum ſtratumque tapetibus, ſedilia Principibus, hinc aurato inde argentato conopæo diſtincta: nam cætera bicolor pannus albi & violacei ſerici prætexuit. Tum magnis gradibus diſpoſita ſexaginta illa celeberrima opere pondereque vaſa, & ſex ac quinquaginta Divorum hominumque effigies, ac totidem candelabra albis cereis interlucentia, cuncta puro argento nitu & impenſa Ludovici fabrefacta.

Hinc ad Jovis arcem via perpetuo tecta umbraculo, & utrinque parietibus aulæa obducta: portæ, feneſtræ hederarum coronamentis virecebant: ubique Romana Aquila, Vipera Vicecomitum, Crux Sabaudienſium, & Verſicoloria Sforziadum conſpici. Et cum, ſtudio orandi, privata etiam cives inſererent, fuit, qui Crocodilum, non aliàs urbi noſtræ viſum, ſuſpenderet.

Hæc agentibus illuxit conſtituta dies pridie Kalendarum Decembrium, Andreæ Apoſtolo ſacra: ac viva ornamenta acceſſere. Nam cum concurſu cunctus populus ſtiparet vias; Religioſorum hominum Fraternitates, à templo ad arcem continenti ordine protenſæ, venerandam ſui ſpeciem præbebant; & tabernæ, generoſis matronis puelliſque ornatiſſimis differtæ, obambulantem circa juventutem ad ſpectaculum trahebant.

Primi per hæc conſcendere Germani, longum præ ſe Nationis ſuæ agmen agentes: ipſique ſinguli ſingulis noſtratibus auro togatis aſſociati: qui ita officio functi ſunt, ut lævam introeuntium partem, quæ & aurata erat, ſolis Germanis vacuam relinquerent.

Mox noſtri Principes ſubiere, ornatu veſtium ſplendidiſſimi. Præibant Aulicorum catervæ, & invitati omnes: Duces ipſi proxime Blancam adequitabant. Quæ novo curru deaurato, ac ternas in feneſtras columellis diſtincto, albis bijugis vehebatur, aſſidentibus dextra ſiniſtraque Iſabella Joannis Galeacii Ducis & Beatrice Ludovici conjugibus, & in averſa parte tribus aliis conſanguinitate proximis. Reliquæ matronæ, quæ honoris gratia lectæ, forma & opibus præſtantes erant, decem carpentis ſequebantur.

Templo ſuccedentes, reverenter excipiuntur ab altera Beatrice ejuſdem cognominis patriæque, ſed quam conjugium Triſtani Sforziæ demortui diſtinguit: quæ in limine adſtabat cum nobili aliarum puellarum corona.

Incedentis Blancæ prælongam veſtem laxaſque manicas ſuſtinebant nobiliſſimi Equites, Galeacius Palavicinus, Conradus Landus, & Momphredus Torniellus. Sedens argentatam partem tenuit media inter duos Gallicos, à quibus dexteriora implebant Antonius Genarius Neapolitani Regis Legatus, Joannes Galeacius Dux, & cum Beatrice conjuge Ludovicus patruus: cujus à latere nuſquam recedit gener & Militiæ Princeps Galeacius Sancto-Severinas. Siniſteriora Georgius Piſanus Venetus, Petrus Guizardinus Florentinus, Iſabella, Jacobus Trottus Ferrarienſis, Mirandulani Corrigianique Proceres, ac cognominis noſtri ſplendor meæque dignitatis auctor Bartholomæus Chalcus arcanorum Magiſter maximus, ac cæteri obtinebant Legati Primateſque Viri. Sarmatæ, quia arrogatus inter omnes primarius locus non concederetur, non tam rariſſimo caruere ſpectaculo, quam aliorum ordine abſtinere maluerunt. Nam ut ſemel biſque urbem perambulantes variam rerum affluentiam, virorumque ac mulierum pompam æſtimavere, affirmarunt, non hi ſolum, ſed Galli quoque & Germani, nuſquam ſe tantam vim auratæ veſtis, aut argentatæ, coccineæve aut gemmatæ, agnoviſſe, quanta eo die oſtentata erat.

Jam plena contabulatione, reſidentibuſque ſecus viros matronis, poſtremas ornati loci partes claudebant Juris & Medicinæ Conſulti: qui, ſexaginta numero, caput & humeros ſolemni more inſigniti pellibus inverſis, & cætero purpurati, univerſo è populo maxime monſtrabiles fuere.

Ita cunctis ordine ſedentibus, ſurgit ad Rem Divinam Arcimboldus Archiepiſcopus. Chori ſymphoniacorum cantus excipiunt: tubæ, organi, tibiæque alternant: reliquas cærimonias & thuris fumigationem procuravere templi Sacerdotes Ordinarii, quibus Cardinalium appellationem vulgo impertimur. Oſculandam Pacis Tabellulam ad Germanos Fabricius Marlianus Placentinæ, ad Blancam & Principes alios Antonius Trivultius Comenſis Eccleſiæ Antiſtites tulere. Omnibus rite peractis, Blanca in medium producitur. Accedunt & Germani. Rogat Arcimboldus, *Velint recipiantne juſtum & legitimum præſentis Blancæ & abſentis Maximiliani conjugium.* Partibus utrinque annuentibus, maritalis exhibetur annulus: atque

atque eo, Joanne Galeacio fratre & patruo Ludovico exerentibus digitum Sponſæ, Brixinenſis devincit. Tum detractis, quibus modo totum radiarat caput, gemmis, virgineas per terga diffundunt comas: ac nudo capillo auream arcuatam, Mundique imaginicula ſuperibam coronam imponunt: ſicque Auguſtam conſalutent. Depactas hoc modo Nuptias intentionſpiritu inſequutus tubarum clangor & mixtus tibiarum organorumque concentus undique declaravit: ac ſummo è culmine è dato ſigno cæteris turribus auguſtius pulſandi, feſto æris tinnitu cuncta conſtrepuere.

Jam meridiana jejunos hora urgebat; cum diverſo, quam venerant, ordine redeuntes apparent. Nam ut viri bini præteriverunt, matronæ, omiſſis curribus, ſingulæ in equis ſpectatæ ſunt: hæ gemmis, illæ margarita plurima: aliæ aureis torquibus, & quadraginta omnino aureis veſtibus radiantes. Et novæ Reginæ, quæ cum Btixinenſi antecedebat Epiſcopo, umbellam ſolemnem ſupra caput geſtabat Conſultorum & Medicorum veneranda cohors. Habenas ducebavere ſtipatorum more Summates Viti, Joannes Franciſcus Palavicinus auro, & Franciſcus Bernardinus Vicecomes argento togati: uterque pedes, egregia corporis procentate conſpicuus. Sequebatur Iſabella, quadrupedanti eminens equo, & Beatrix, & Blanca, altera Ludovici filia, ac reliquæ illuſtres matronæ: poſt quas ancillæ, uniformi habitu elegantes, in octoginta ſui ſexus equites explevere. Cumque alium alia res admiratione afficeret; eo tamen multitudinis concurſus fieri, impreſſione urgeri, ſexus omnis ætaſque ſine diſcrimine impelli, qua jamjam tranſitura nova facie novo cultu Sponſa erat. Quiſque aureas comas, os probum, regali decore ornatum, tum reliqui corporis habitum & dignitatem admirari: ſimul Ludovici Sfortiæ nomen ad aſtra ferre: tollereque laudibus ſapientiam incredibilem, prudentiam ſingularem, virtutem incomparabilem: qui, cæteris partibus firmato dudum amplatoque Regno finitimorum clientelis, conjugiis, fœderibus; nunc, charitate in neptem pluſquam paterna, primaria Chriſtiani Nominis affinitate conſtabiliret. Subindeque recenſebant repetitas Ligurum deditiones, Sabaudianos tumultus ejus induſtria pacatos, reſtitutumque Salucienſem Marchionem: tum ſaltus Alpium munitionibus firmatos: Venetiam, Florentiam, Bononiam, amicas civitates: Ferrarienſem vero ſocerum, & congenerum Franciſcum Gonzagam Mantuæ Regulum, adeo fidentes obſequenteſque, ut nihil ab eis ſecretum, nihil diviſum habeatur. Remotius autem & Galliarum Rex fœdere, & Neapolitani multiplici affinitate ultro citroque datis uxoribus atque immortalibus inſuper beneficiis alligati: & Romæ Sextus Alexander Pontifex conjunctiſſimus, atque Aſcanius frater inter Cardinales & Eccleſiæ Principes maximus & ſuperata invidia potentiſſimus, celebrabantur. Talibus ſtudiis ac vocibus proſequentibus, reducta in arcem Blanca eſt. Quam, equo deſcendentem, ulnis excepit præſtantiſſimi corporis Heros Antoniua Maria, tertius Severinatum fratrum: Bona vero mater lætiſſima, altero nobilium mulierum choro cincta, eum domi exſpectaſſet, triclinio introduxit.

Cæterum convenerat, ut deſponſata Blanca primo quoque tempore iter in Germaniam capeſſeret. Igitur jam cunctis ante expeditis: delectiſque ornatiſſimis Oratoribus, qui ad virum uſque, quique trans Alpes tantum comitarentur; ipſi cuncti, ne quid ad honorem deeſſet, Comum uſque ſubſequi Principes voluerunt; unde Larius lacus incipientes aperit colles, & navigantes ſub ipſas montium radices perducit. Mediolano diſceſſum eſt tertio Nonas Decembres, civitate quam longiſſime effuſa deſiderio iterum iterumque viſendi. Vicatim ea nox acta. Mox Comum ventum: cujus in introitu ut ſpecie quoque apparerent, quæ re ſplendida & magnifica erant; Ludovicus in convallis planitie ſubſiſtere omnibus juſſis, ordines conſtituere; ac, ceu in caſtris armatorum acies inſtrueret, unumquemque ſuum in agmen rediget cœpit. Itaque & turmas Aulicorum Blancæ, tubente ſago pileoque inſignes, & migrantem Germanam manum, reliquoſque noſtros, binos incedentes, dinumerare facile erat. His occurrere cives: & cum umbella Peritı Legum & Medicinæ, pelliti togatique ſolemni more: Religioſum quoque Nomen ſecus viam ſtabat. Epiſcopus autem pro ſuribus templi, pontificia venerandus tiara & lituo, advenientibus aſſurrexit: depoſitæque equo Reginæ fauſta & felicia precatus, in proximas ædes cum Bona matre & Germanis Legatis deduxit. Alii in alias nobiliorum civium domos divertere: quas, præter proprium ornatum ac terna vice obducta umbracula, ſinguli etiam lauro, hedera, floſculis, coronamentiſque redimiverant, & teſtudinibus altioribus imaginibuſque Ducum diſtinxerant. Pari ornatu vireſcens & claſſis in portu ſtabat, circiter centum convectis navibus. Ac poſtero quidem die excurſio ludiera facta eſt magna voluptate, & remigum certamine: quos, pro alacritate ſupremum virtutis ſpecimen præbentes, & celeritate ventorum vim & gyros flexuriſque ac ſubitis à curſu retentionibus fallentes, equorum agilitatem ſuperare, cuncti mirabamur. Interim autem trajectis impedimentis, tertio ab adventu die ad portum deſcendunt, hinc læti nuptiali nomine, inde mœſti & lacrymis rorantes; cogitantibus, quæ mox futura eſſet matris ab filia, fratrum ab ſorore, patruorum ab neptis conſpectu diſtantia. Dignique ſpectatu fuere geſtus alloquentium, tenentiumque ſe, & quas ipſa ore Maximiliano diceret, commendationes addentium.

Tandem charis diſtracti amplexibus conſcendunt hora, quam meridianam indixerat Aſtrologorum elatiſſimus atque idem Medicus gratiſſimus, Ambroſius Roſateus: qui non ſolum multa alia prædixerat, ſed veluti Vates antiquo plenus Apolline & diſceſſus Legatorum & adventus tabellariorum, cum tractaretur negotium, prænunciabat. Itaque & optabilis tempeſtas navigantibus favit: & Sol, qui quindecim ante dies latuerat, hoc ipſo momento, quo pedem Virgo navi admovit, ſubito diluxit, diſpulſaque nube ſereniſſimus (quod omnes admirabundi & gratantes inſpeximus) totum deinde iter uno tenore illuminavit.

Avectis è conſpectu navibus, Como Principes quoque ipſi faciliunt. Bona Mediolanum, Joannes Galeacius & Ludovicus in Septenſem declinantes, Olona & Ticino trajectis in Novatenſem perrexere. Ac ſubinde nuncii & litteræ afferebantur, quantum quoque die itineris Blanca confeciſſet.

Quinquaginta millibus paſſuum patet Larii longitudo, cancri formæ perſimilis. In Alpes cauda verſa definit ad vicum Mezolam, duas oſtendentem valles, Sancti Jacobi, & qua Clavenam itur. Ubi eadem cauda incipit, corrivat Tellina vallis, unus omnium Italiæ angulus vini generoſitate beatiſſimus. Hinc paulatim in ventrem laxatus duos ingentes ſinus, veluti chelas & brachia, emittit, dextro Comum, altero Leucum petens. Media ea, quæ viginti milliaria procurrit, peninſula, qua continenti hæret, Briantiæ Mons vulgo vocitatur. Interius Tornum juxta & Neſum Fons Plinianus antiquum miraculum ſervat, ter die ſtatis vicibus vreſcens decreſcenſque; ut elegantiſſime, qui & nomen dedit, ultima quarti Libri *Epiſtola* Plinius ſcribit; & in ſecundo *Naturalis Hiſtoria* memoratur. In ſummo promontorio Belaſinum, portu commodum marmoreis gradibus, novis circumdatum mœnibus recenti impenſa Marcheſini Stanghæ, ſupremi pecuniariæ Miniſtri, proxime oppidi ſpeciem obtinet. Cæterum quæ ſolrenti Como ſiniſtra legitur ripa alterum æque inclytum lacum Verbanum diſpeſcit, Ticini parentem. Eadem vicis frequentior: quorum potiores habentur Caratum, Menaſium cum valle Porletia, Saxum Muſſi marmore nobile & pulcherrimis collibus, Doncum, Gra-

vedona, Domaſinum, Suricum. Dextra Mandellum habet, Varenam cum amne, ex candore aquæ Lacteo nuncupato: cujus admirabilis natura eſt, ut novem tantum menſibus fluat, repente totus currens, totuſque deſinens, ubi verni hyemalefve dies ſupervenunt. Inde navigatur Bellanum vallis Saſſinæ caput, & Derphuum, Correnum, Pionam, Collicum. Supra aſperi montes, Introcii cognominantur. Inter Collicum, & quod jam coarctato lacu ex adverſo reſpicit Suricum, Olonia Turris, mirando opere medis fundata aquis, attollitur: &, veluti poſitus caudæ & corporis in Lario terminus, perpetuis incurſatur Adduæ undis: qui, Tellina valle prorutus, ita deinde reliquam lacus longitudinem permeat, ut inter ſtagnantes aquas proprium ubique ac diſcretum alveum ſervet, donec ad Lenicum ponte lapideo junctus, emiſſuſque in Padum, Bergomates Cremonenſeſque à Mediolanenſibus dividat.

Igitur tranquillo navigantes, Belaſium primo deferuntur: & nox peracta liberioribus epulis ac ſaltationibus & iis, quæ ad ejuſmodi voluptatem parabat vir in primis elegans Marcheſinus. Gravedonam inde: poſtea, Olonia Turri non ſine admiratione circumvecta, tranſmiſere ad Portum Molatæ, & Morbennum, quod primum oppidum octo nullibus paſſuum Tellinam ingreſſis occurrit. Sondrii proximum hoſpitium fuit profuſa liberalitate Joannis Beccharie & Caſtellini, fratrum: apud quos & quinquaginta annorum vina, & dulce etiam accetum inventum: exqueco, non in condituras ſolum cibarias, ſed in odoramenta & medicos uſus, farcina deſumpta. Par ſtudium & Alvini Quadri Tirani, & Burnii in populo fuit; novis ubique per vineta & molliores colles ſtratis viis, ut frequens & permolleſtus tritam interfluentis Adduæ tranſitus evitaretur.

Hic jam deſinente valle, qui & imperii noſtri finis eſt, ecce attolluntur montes, jugaque nivoſa, informia, itinere unius diei penitus inhoſpita; ut, niſi tranquillum conſtiterit, & quid modice adverſi moverint venti, facile viatores oppriamantur. Mombrallium montem vocant, omnium, quæ adeuntur, Alpium difficillimum. Sed & cæli favit temperies, maritimæ maliciæ inſtar: & cura non deſunt, quantum humana manu præſtari potuit, mollita clivi ac deſcenſus aſperitate, nec non ingeſta nivibus arena, & ad temperandum rigorem crebris ignibus excitatis, ac tabernaculis per intervalla rupibus impoſitis, quæ vino affatim ac pane repleverant. Ita nequaquam procæ, quæ alioquin contigiſſet, difficultate tranſiere Idibus Decembris. Monaſteni Blanca ſubſtitit, comites exſpectans; quorum extremi vix ante mediam noctem apparuerunt.

Jam Germaniam tenentibus ſub arcem Fruſterberg ſeſe ad genua ſubmiſit Gaudentius Columna Amatæ Comes, & Marchio Badenſis Maximiliani conſobrinus. Henricus Epiſcopus Curienſis, & Federicus Comes Zoler, ducentorum equitum ac totidem peditum agmine comitati, ab oppido Malſio occurrere. Quos ut deſiliſſe equis noſtri conſpexere; pedites & ipſi facti, complexu & mutuis ſalutationibus congreſſi, Orationem Latinam habuit Zoler, rei & tempori accommodatam: ſimulque tres currus operis cælati mauratique obtulerunt: quorum primus ſex albis trahebatur equis, alter octo obſcuris, tertium niger pannus obvolverat. Quibus Blancæ exhibitis, media excipitur inter duos Marchiones, Badenſem & Hermem fratrem: & reliquis in ordinem acceptis, Malſium invehuntur.

Hic terminus noſtris cum præfixus foret, poſtero die, Re Divina à Curienſi Præſule acta, Blancam Germanis reſignavere. Cumque inter officium gratulationis petendæque abeundi veniæ futura longinquitas amoris memoriam refricaret, obortæ ubertim utrinque lacrymæ vix fandi copiam adſtantibus permiſere. Inde igitur converſi redeunt ex Alpes Hermes frater, Arcimboldus Archiepiſcopus, & Trivultius Comenſis Epiſcopus: tum Franciſcus Sforția patruelis, Petrus Scipionus è gente Palavicina Protonotarius, & Gaſpar Vicecomes: relicto negotio ulterius deducendi ns, quibus mandatum erat, Baldeſſari Puſterulæ viro generoſiſſimo, Jaſoni Mayno Juriſconſultorum maximo, & Heraſmo Braſcæ: qui ob rem fæliciter tractatam actamque æqualis illis dignitate nomineque Senatorio ibat.

Ex Malſio ad Orientem verſi, vallem ingentem, altiſſimis clauſam montibus, ingrediuntur: perque hæc loca profecti Mondrium Pruch, Landech Impſt, Zurlimberg, octiduo Inſpruchum pervenere, Metropolim portionis ejus Auſtriæ, quam Sigiſmundus Maximiliam magnus patruus obtinet, & eidem hæredi jam inſtituto deſignavit. Sub oppidum Zurlimberg obviam facti cum ducentis aliis equitibus tres nobiles auctoritate Proceres, Epiſcopus urbis, quam Germani Auſpurcham, nos Auguſtam vocamus, Mareſchallus Pollanus, & Comes Virtembergenſis. Qui pedibus officio ſungentes, cum docuiſſent injunctum ab Rege munus, tarditatis ſuæ cauſam eam dixerunt; quod, cum ipſi conſtitutum prius locum Cunam petiſſent, non ante mutatam itineris rationem fuiſſe (quod ob peſtilentiam factum eſt) acceperant, quam ab Alpibus ipſam deſcendiſſe nunciatum eſt. Inſpruchum tendentibus, ad quartum lapidem prodit Catherina Saxona, Sigiſmundi Ducis conjux, veneriſſima mulier, & ingenio pereleganti. Ea cum ſe oſtendiſſet pedibus occurſuram, ut non tam affinis affinem, quam ſerva dominam excireret; non ante obtineri potuit, ut equeſtris veniret, ter ultro citroque miſſis nunciis, quam alia omnino conditione Blancam oppidum non ingreſſuram eſſe affirmatum eſt. Ita progredientibus Latinam Orationem habuit primarius Sigiſmundi Aulicorum: Suprema nunc cum lætitia fini, cum in domo ſua cerneret legitimam tori & vitæ Maximiliani conſortem, tali forma, dignitate, ſanguine, moribus præditam. Excuſataque Principis ipſius abſentia, qui de podagra impediebatur, ſuccedere tectis juſſi, per cuncta lætitiæ ſigna in Palatium Sigiſmundi deducuntur: ad quem ſtatim Blanca ipſa, paucis comitibus aſſumptis, viſendum prodit. Poſt cœnam deferri ſe in cubiculum Blancæ Sigiſmundus juſſit: ſeque adeo adventu ejus lætatum dixit, ut morbo penitus alias incurabili ſolutum ſe putaret, ac re ipſa id oſtenſurum: apprehenſamque manu ad ſaltationem invitat. Sed cum verbis fidem pedes non facerent, circumferri ſe in cathedra miniſtrorum manibus jubet ad modulos ſaltatorios, & chorearum imitationem. Inde cum conjuge, quæ rutilis crinibus per humeros demiſſis ac vitta capitio oblique impoſito ſpectanda venerat, ſaltare Baldeſſarem Puſterulam & Braſcam Legatos voluit. Mixtiſque mox aliis, in ſomni horam ludum duxere. Inſpruchum cum venerint biduo ante Natalem Chriſt. feſtos eos dies proximumque bimeſtre extraxere choreis, ludis aliis, ac ſympoſiis, nunc Germanico ritu, nunc Italorum more inſtructis. Maximeque admirabantur ſplendorem Puſterulæ: qui, potenti familia & generoſiſſimo patre ortus, nullius Majorum virtuti, ingenio, induſtriæ cedens, nec fortunæ invidens, duos & triginta miniſtros candido ferico decoros duxerat: è quibus ſpectantium oculos ſex præcipue in ſe convertebant ornatu manicarum, quas gemmæ pretioſiſſimæ & lectiſſimi uniones contexerant. Ipſe vero, varia alia pompa in quotidianum uſum comparata, quinquies textilis argenti mutatorias togas & torques auro graves variavit: & capiti pinnulam aptaverat, duorum millium aureorum pretio redemptam. Interim quoque & haſtiludi editi: & in venationem Blanca ducta vehiculo, maritimi navigii inſtar ornato, addita malo antenna velis tenuiſſimis, atque in honorem cognationis Ludovica Sforiæ Mauro cavea impoſito, qui horo-

horologio dimetiri aſtra cælumque videbatur. Sed & propria utrinque manu litteræ ſcriptæ flagrabant maritali deſiderio: Maximiliani in Blancæ reverentiam & virgineum candorem agnoviſſes. Ipſe enim Vienna nondum moverat: ubi & parentis exſequiæ (quem, Lintii mortuum, huc ſepeliendum tranſtulit) inſolita pompa celebratæ, occupatum habuerunt: & populorum ratio retinebat, qui & Turcarum incurſione exterriti, & nova Cæſaris mutatione reformandi erant. Quibus ex rebus cum paulo longius produceretur nuptialis coitio; præbita occaſio eſt malivolis diverſa interpretandi. Jamque non Italiam modo & Germaniam, ſed Europam omnem ſiniſtra fama repleverat, non conventuras Nuptias, nullum fore matrimonium, victuram ſine honore & viro Blancam: jam denique cogitare de retro domum remetienda peregrinatione. Adeo impudens & temeraria improbitas mentes occæcarat; ut nec, cujus fidem eo ſermone commacularent, nec intemperiæ ſuæ & genuinæ invidiæ vitium detegi ex eo animadverterent. Tandem res proſpere nunciata omnem eam impudentiam compreſſit.

Namque Vienna profectus prima Jejuniorum die (quæ hoc anno Idibus Februariis contigit) aliis alia via ad Rhenum & Galliæ fines copiis directis, ſeptimo Idus Martias Halam applicuit, ab urbe Inſpruccenſi quinque millibus paſſuum diſtantem. Eo loco & die conſtituto, qui & lætus in Religione habetur, & ſolemnis Pontificibus Dedicatione Roſæ Aureæ, ac patris quoque Federici cum Leonora matre primo conventu notabilis eſt, Blanca navigio cum Catherina & Sigiſmundo aliiſque Principibus devehitur. Mox & Maximilianus introivit. Blancam, quæ ad genua ſtatim procubuit, manu & oſculo, comites vultu & blandioribus verbis excepit. Salutationibus & aptis præſenti rei ſermonibus habitis, in aliud cubiculum Maximilianus faceſſit, ad maturanda alia quæ inſtabant negotia. Inde inſtructo apud Sigiſmundum convivio, communi menſa cœnant: placidiſque luſibus exacta quarta noctis hora, geniali thalamo cubuere: & cum cæterorum animos exſpectatione iſta abſolverunt; tum nos, ut divinatione quoque rem actam credamus, effecerunt. Auguſtum connubium divino carmine pluſculis ante annis prænunciatum fuiſſe, oſtendere licet; quippe hæc non ſine Numine Divûm eveniunt. Sub obitum Galeacii, Blancæ parentis, Contradus Manlius, qui poſtea ſcientiam Legum publice profeſſus eſt, ſeſe Lucæ vidiſſe ait hominem, Auguſtiniani Ordinis Eremitam habitu prominentem, ſed altiori indole præditum, ſolitarium à cæteris agere. Huic per otium applicaſſe ſe: acceptaque & reddita ſalute, cum inter varios ſermones ſe à Mediolano profectum dixiſſet; adductum in arcanum ab Eremita, ait, & jurejurando adactum, ut intra certum tempus mente ſervaret, neque ulli omnino viventium denunciaret carmen, quod ex libello, veriſſimarum aliarum prædictionum pleno, ad Rem Mediolanenſem pertineret. Hæc enim ipſa ad Cæſarem apoſtrophata verba haberi, SINVOSVS COLVBER ET BARBATVS TIBI A LATERE ADJVNGETVR. Quod, ubi datæ fidei ſpatium ſiluiſſet, tunc quibuſdam è contubernalibus amiciſque aperuit. Cumque diu exſpectaſſent, quid fata ferrent: mox ceu inanes ambages oblivioni tradiderant. Cum poſtea magno ex intervallo novarum Nuptiarum fama vulgata, memoriam reſtituit. Et certe illo verſiculo matrimonium Cæſareum denunciatum fuiſſe, omnes conſenſere, quando Virgo Anguigera (etenim Serpens verus Mediolanenſium Principum Inſigne eſt) Romano Cæſari atque Auguſto conjuncta eſt.

Triduo inde Inſprucham redeunt: ubi & Albertus Saxonus, Sigiſmundi ſocer, occurrit: & reliqua ad connubiale fœdus pertinentia aguntur. Paraphernali expoſita gaza ita ſpectatores affecti ſunt, ut nec ſatis ſingula admirarentur, & ad univerſa adſtupuerint.

A Religioſo vero illucеſcente die, Re Divina apparata, Blanca novo amictu, & ejus gentis, in quam immigraverat, habitu formato, regius gemmis & unionibus opulento, progreditur. Sua ipſe manu aptaverat conjunx & capiti coronam, & pectori monile, & corpori cingulum, centum millium aureorum æſtimationem longe exſuperantia.

Sedentibus ordine Principibus, Raymundus Curienſis Cardinalis operari Sacris incipit. Hic & ſymphoniacorum hominum (quibus ex confeſſo Germania cæteras anteit Nationes) & organorum, tibicinumque, ac cornicinum mira ſuavitas fuit ſingula primo audientibus. At vero ut ſimul univerſi concinuere, & litui admodulavere; non jam humanum concentum, ſed mundanæ illi ſimillimum, quam ferunt, Cælorum harmoniam auribus inſonare crediderunt. Exſequenti cætera Flamini tres Epiſcopi ſubſervierunt, Brixinenſis Euangelico Libro, Auguſtenſis Paci, Curienſis Aquæ, qua adſperguntur, deferendæ. His rite peractis, ad prandium diſcedit. Diſcumbunt Reges eminentiori tabulato: aſſident Catherina, Cardinalis, & Sigiſmundus. Reliqui Proceres, Legati noſtri, & Ferrarienſes, tum matronarum lectus numerus ſexdecim menſis excipiuntur. Inferuntur fercula opima, quantum Religionis reſpectus interdictis ab carne diebus adſtrui patitur. Nam miniſtrorum mira elegantia & agilitas propinandis rebus fuit. Poſt menſas ſaltatione & inde quiete modice conceſſa, jam pro concione loquendi noſtris Oratoribus facta copia eſt.

E quibus Jaſon ſic cœpit: *Novum atque inopinatum genus falicitatis hodie mihi, Cæſar, contingit: ut eodem pene anno, ejuſdem Principis nomine, ſimuli in cauſa, pari Auditorum majeſtate, duo apud ſummos Mundi Lumina verba faciam. Namque & nuper adeo divinas Nuptias, id eſt, Summi Pontificatus aſſumptionem, Mediolanenſis Ducis juſſu, Alexandro Sexto ampliſſimo in Cardinalium Concilio gratulatus ſum, atque obſequentis animi indicia detulimus: & nunc humanas tadas, Cæſareum connubium, apud ipſum Cæſarem, inter Reges Heroaſque Germanicos ſedentem, laudaturus veni, & ejuſdem Principis voluntatem oſtenſuri ſumus. Qua res cui vel ſummorum Oratorum obtigerit, nec ſatis ſcio: nec, quin pars Romana actionis ſucceſſu peragatur, verendum arbitror, cum cogito, quales apud Viros, quam benignas ad aures, quam grata quam favorabili de re habenda mihi Oratio eſt. Quamquam enim in Cæſaru noſtri laudem nihil vel vobis incognitum, vel cætero Orbi inauditum, afferre me poſſe intelligo; incomparabili tamen voluptate fruimur, cum unum eſſe omnium conſenſum, & noſtrum cum cæteris convenire judicium contemplamur; nihil eſſe ex iis rebus, quæ ab natura, fortuna, virtute expetuntur, quod in Te, Cæſar optime, non cumulatiſſime collatum appareat. Natus ex Gente Auſtria, inclyta & generoſa: & quæ jam ducentos ab hinc annos niſi non Reges aut Duces vel Imperatores procreare novit. Quocumque obvertor, occurrunt Rodulphi, Othones: Henrici obtrepunt: attonant Sigiſmundi, Leopoldi, Alberti, Federici. Quarum virtutes, celebria geſta, claraſque victoriæ ut Tibi imitandas propones; ſic nec præſentis operis ſunt; & ipſi venerari magis, quam Oratione completi, aut laudibus proſequi poſſumus. Maternum genus Hiſpanas Tibi devincit, atque Alphonſos & Ferdinandos, late maris terraque imperitantes, avunculos ducit. Pater ipſe jam Cæſar Te genuit, Te Cæſarem vidit, in Te conjungi hæreditatem cum electione, cum ſapientiſſimorum Principum judicio (quod rarum glorioſiſſimum eſt) perſpexit. Maximilianı Tibi fauſtum ac de excellentiſſima virtute auſpicatum nomen animos auxerit; ut ſit maximus atque ac Fabius, qui morando hoſtem attrivit; & Æmilium ac Scipionum victorias triumphoſque agas, qui æmulas Imperio Romano urbes, Carthaginem atque Numantiam, ſuſtulerunt. Neque enim Tibi aut minor hoſtis aut diſpar materia ſupereſt, cum barbaricas vires æſtimo ac Conſtantinopolitani vulneris memoria ſubit: aut minor in Te virtus ſecus ſperare, quam deceat, homines ſint, cum fortitudo, conſtantia, animus vigor & magnitudo tua con-*

ſiderit ut, tum opes, copia, valitudo, prudentia, ac rerum uſus, ex quo natam eſſe ſapientiam Veteres prodiderunt. Quinque enim bellis magnis & difficillimis confectis, quibus & Tu ab ineunte adoleſcentia exercitus ſuiſti, & invicem ſolitatas feciſti Galliam univerſam ſimul & Germaniam; tanto præſtantior Te nobis offers, quo non ſub umbra, & velut de ſcholis à perito aliquo Philoſopho petita diſciplina eſt, ſed Marte ipſo, ac rebus veris docentibus domantibuſque militarem diſciplinam, ingreſſus per gradus omnes, bellicas artes Imperatoriaſque virtutes didiciſti; & ſummis periculis objectus, per adverſa pariter ac ſecunda incedens, nullos labores, nulla diſcrimina recuſans, omnem fortunam ferre, frontem hoſtium pariter & terga videre conſuevuiſti. Ac ne ſim longior, & exquirendis laudibus, ambitioſo texendum ſit alterum opus de modeſtia, temperantia, aquanimitate, ceteriſque pacis artibus, quas in gerendis rebus acutus, moderatus, providus, in juſtitia caſtus, continens, in omnes mites, liberalis, effuſus; ab Romanis Legatis de Romano Imperatore in Romanum Regem tranſferam ſententiam: Te ullum Ducem eſſe, aut præterea neminem, quo duce, quo auſpice ſalva res noſtra, ſalva Religio, ſalvus eſſe Orbis poteſt. Hac alta ex indole proſpectabat Carolus Burgunderum Dux maximus, cum id, quod poſtea mater & populi fecerunt, de unica & multarum Gentium herede futura Maria filia Tibi vix dum pubeſcenti jungenda cogitavit. Experti erant Germani Proceres, cum ſucceſſorem Divo Federico deſignaturi, Te Romano ſolio locarunt: eumque eſſe decreverunt, cui Orbis univerſus aſſurgeret. ceterique Reges de honore decederent. Non ignorabat pater ipſe, cum vivens valenſque Te ſibi ſocium, Te Imperii conſortem addi paſſus eſt. Viderat & conſanguineus Sigiſmundus, qui Regni ſui arbitrium jam biennio ab hinc Tibi reſignavit. Talis igitur cum eſſes, ac longo calibatu caſum interceptam conjugis honeſtaſſes; novarum Nuptiarum conſilium cepiſti; & ſapienter, ut prudens vir; & religioſe, ut Chriſtianus, qui legitimæ ſoboli propaganda proſpiceret; & magnifice, ut Rex maximus; cui etſi ex altera conjuge liberi ſupervivunt, Terrarum tamen atque Imperii tantum ſupereſt, ut vel ſeorſum villuris ampla, quæ partiantur, Regna ſuppetant, & opes, quibus nomen ac dignitatem tueantur, abundent. Atque hæc agitanti affluxiſſe undique ab Orbe excellentiſſimos quoſque Principes & Reges, non ignoro: nec ulla non arte affinitatem iſtam ambiviſſe ſcio. Nemo non opibus, honore, gloria, exiſtimatione maxima angeri ſe ac fortunam ſuam videbat, qui ab immortali Deo id impetraret, ut Cæſaris ſocerum, vel ſororium (quia in uxoris gradum vir tranſit) patruum, aut avunculum jactare ſe poſſet. Nemo non pulcherrimum id & omni conditione tentandum ducebat. Sed Tu meutem tuam dirigis ac foves, qua Tibi nata, Tibi ealtus deſtinata, & ingenio excellens, & moribus culta, & forma decora, & genere compar prædicabatur. Catera jam Tibi de re nota ſunt. Comparem dixi: abſit verbo invidia. Recens quidem res eſt; ſed pauci norunt; atque ideo paucis repetenda. Matthæo Vicecomite, cui res geſta & fortuna varie alta Magni cognomen fecere, Stephani natus duos ſuſtulit filios, quibus quicquid patet inter Apenninum & Alpes parvis, Bernabam, & Galeacium. Ab Galeacio continuat in Blancam noſtram ſolidum & rectum genus. Ex Bernaba filia Viride Herneſtus Tibi avus paternus naſcitur; tam propinquus eras Cæſar, tam arcta cognatione contingebas, antequam accepta Blanca unus idemque fores. Quod ſi me pateris parumper pedem efferre, atque vel imo ſublato oculo Europam colluſtrare; & ternas dabo noſtras in Bavaria Ducibus Nuptias; & duos commemorabo Burgravios (ut verbo veſtro utar) Nurimbergenſis & Virtembergenſis civitatis Principes; totidem occurrent ex Britannia Inſula Regum filii; & ab Oriente alta à Cypro ſeſe offeret, nec poſtremis numerandum ſe dicet Petrus Luſignanus, Rex clariſſimus. Nam Gallicos Reges, vel ſoceros, vel congeneres, vel conſobrinos habemus: & ex Sabaudia quatuor jam uxores computamus: Alphonſi autem & Ferdinandi tam noſtri ſunt, quam tui. Denique nullo non ab Rege noſtra petita amicitia eſt: & parem ſibi incedere Ducem Mediolanenſem, æquo animo latum. Ac ſi quid deerat; Tu tanto major iſtis Nuptiis præſtas Maximiliane deuceps, ut ne Cæſares quidem ipſi dedignari nos unquam poſſint. Sentio, quid agas, quid moliarie. Vos faves, nos in Terris Vira honorem eribuis: unum tollis, ornas, anges Ludovicum Mariam Sforziam, Italicarum Rerum arbitrium: ac ſi ullum præterea alterum; Aſcanium quoque Cardinalem, Blancæ patruus. Huc ſpectas, hue dirigunter conſilia; quod alter Rem Longobardam, (quam Majores ſemper Arcem Italiæ vocaverunt) aliter Romanam tenet, Pontifices in obſequio, populos in amicitia alit. De quorum erga Te voluntate, fide, animo jam non multis agam: quot, de re probatos, intus & in cute, ut ajunt, noſtri. Tantum dicam, Te eos, qui Tibi undecumque additi erant, plus tamen agglutinatos voluiſſe: qui tuis fuerant, pignoribus maximis obſtrinxiſſe. Et pro more ac formula eos, eorum opes, copias, arma, liberos Tibi offerimus, tradimus, commendamus. Ac ſimul comprecamur, ut felices jam vivatis, felix & latum exigatis ævum, Principes clariſſimi, Diis grati: quibus ut voluntates, ſic opes ac ſanguinem ut jungeretis, fortuna conceſſit. Tu vero Auguſte Auguſtam Blancam cole, ama, dilige: quæ jam ſe Tibi devovit, in Te omnes relaxavit affectus, & in Te ſita nullam ſe ſine Te putat, nec niſi Te incolumi ſalutem ſibi conſtare poſſe perſpicit.

Cum, non minus vera quam ſpecioſa dixiſſe, tacitum multitudinis murmur confirmare videretur; medio Conſilio Conradus ſurgit; atque gratum ipſorum adventum, gratam Regi Orationem fuiſſe docuit, præfatus, ſe teſte exactam jam & effectibus ſpectatam varie eſſe potiorem eorum partem, quæ de propenſa Ludovici & Aſcanii voluntate ferebantur; certioraque certis, quæ futura pollicebantur, cenſere. Hic alius ſubdidit, decretum ab Rege ob hæc eſſe, ut publico muncre, in quo ipſorum totiuſque poſteritatis claritas illuſtrata maneret, præſens voluptas notaretur. Ac proin tres vos (inquit) Oratores Senatorium Nomen: & quatuor, uno addito Petro-Martyre Stampa, Equeſtria Ornamenta accipietis: Puſterula vero, quia vetuſtiſſima ac potenti familia, & Romano Nomini ſemper addicta, & in quam Cæſares jam ſupra ducentos & ſexaginta annos Aquilam ſuam cum Aſtenſis urbis Principatu contulerunt, atque ex ejus Archiepiſcoporum manibus Ferreum Diadema acceperunt, eſt ortus; æquo animo feretis, ſi alio inſuper munere condonatus dividue à vobis haberi videbitur. Sic Zona, Enſe, Calcaribus aureis auriſque Togis indutos dimittunt: Puſterulam autem, Cæſarcum Comitem Heroemque Germanicum, ſummis immunitatibus auctum, nuncupant. Scripta Mediolani menſe Majo, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto.

FINIS.

JOSEPHI

JOSEPHI RIPAMONTII

CANONICI SCALENSIS, ET CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI

HISTORIAE PATRIAE

LIBRI XXIII.

AB ANNO SALUTIS CIↃ CCC XIII.

QUI

TRISTANO CALCHO PATRIAE HISTORIAE FINIS;

Desumitur novi Operis initium & tempora insecuta memorantur. Sed repetuntur prius extrema superioris Historiae, fusiusque & altius explicantur ea, quae Calchus ipse in parte ultima Annalium suorum perstrinxit tantummodo, sive omittenda putavit: atque temporis proxime anteacti facies datur in conspectum.

PARS PRIMA

CONTINENS

X. LIBROS PRIORES.

ILLUSTRISSIMIS VIRIS,

JO. BAPTISTAE VICECOMITI VICARIO

ET

LX. DECURIONIBUS

URBIS MEDIOLANI.

QUOD omnem memoriam & monumenta omnia urbis ab Anno CIↃ CCC XIII. qui Triſtano Calcho Patriae Hiſtoriae terminus fuit, repetita, quam ille intermiſerat, narratione continuari ad uſque noſtra tempora & explicari debere cenſuiſtis, Illuſtriſſimi Viri, quodque hujus continuandae ac proſequendae Hiſtoriae munus mihi mandaviſtis, ea res apud me fere abſoluta jam atque ad exitum perducta eſt maturius aliquanto, quam aut exſpectatio de hiſce negotiis publica credidiſſet, aut ego ab initio polliceri auſus fuiſſem. Idque ſorte quadam divinitus ita evenit, ut lenti alioqui moliminis opus incrementa ſubita haberet datura properum hunc inexſpectatumque finem. Nam cum ante XX. hunc fere annum magnos hujus patriae caſus & Merropolitana negotia ſub diverſo inſtituto, atque ſub indice etiam diverſo narranda ego ſuſcepiſſem, blandiente ſucceſſu coepi cogitare vehementer, atque circumſpicere, ſi forte poſſem occaſionem inde arripere altius etiam de patria bene merendi, ita, ut non propriis atque ſeparatos Eccleſiae Annales, ſed juſtum corpus atque completum univerſae memoriae Mediolanenſium exhiberem. Ea mihi cura jam inde ab initio tetigerat ſane animum. Neque in prioribus etiam libris omiſeram ullam bellicarum civiliumve rerum partem, quo minus profana ea ſacris, ſicut evenere, immiſcerentur. Verum ubi in tempora paullatim ea deveneram, quae nullum Eccleſiaſticae quieti locum dabant, & rara Pontificum, niſi aut armatorum, aut cum altero dominatu litigantium facta reperiebantur, totaque in armis & ſeditionibus, atque in certamine imperii, & deſenſione libertatis ſtudioque gloriae civitas famam penitus animosque occuparat, narratori quoque mihi in arma haec, atque in hoſce tumultus & civilia cuncta non tam deſtinatione & arte, quam neceſſitate ipſa eundum fuit, rurſuſque ad Eccleſiaſtica, inde redeundum neceſſitate eadem & quadam propria conditione urbis, cujus magnitudini jam inde a principio etiam magnitudo ſacrorum ineſt. Adeoque ſuapte natura ſemper connexa iſta inter ſe fuere Mediolani, ut neque civilia & profana a ſacris, neque ab illis haec facilius quam ipſam ab toto corpore civitatem diſcreverit quiſpiam atque ſeparaverit. Praeſagiebat animus, poſſe contingere olim, ut huic hiſtorico muneri publica auctoritate admoverer, tantoque attentius in partem incubui hanc, ut caſus & negotia omnia civitatis includerem, haud aliter quam ſi admotus jam muneri eſſem, eaque mihi publica auctoritas immineret. Ac, ſicuti Ulyxem ferunt in longo illo & fabuloſo errore nuſquam ab Ithaca ſua dejectos habuiſſe oculos, animoque ſemper & cogitatione intentum fuiſſe illuc: ita cum nondum publico decreto adſcitus Urbis & Eccleſiae monumenta componere inſtituiſſem, accuratiſſima meditatione ſpectabam Imperii ſtatum, Reipublicae corpus, generalis conſilii dignitatem, nomen & ſedem & decreta Decurionum, bella, bellorumque cauſas, tumultus, & ſtudia populi, origines, & inclyta facta, ſive vitia ſingulorum hominum, dominationum quoque viciſſitudines & artes, & quidquid in magna urbe magnoque populo ob virtutes, ſive nequitias, ſortemve mortalium contingere poteſt hiſtoria dignum. Hac ego diligentia in Rempublicam uſus, texueram ſeriem ordinemque narrationis ex utroque ſtatu quo Civitas & Reſpublica omnis omneque imperium conſtat, eamque ad Caroli Caeſaris finem, & initia Philippi II. ſimul ad D. Caroli Pontificatus initia perduxeram, ac reliqua deinceps ad eamdem formam ſedulo mea ſponte exſequebar, cum de continuanda Calchi Hiſtoria decretum accepi civitatis, magnopere laetus animi, quod publica mandata ultro ita antevenisſem, eſſetque pene acta res antequam agenda mandaretur. Sed nec ſatis credebam ipſe mihi, ſatisve fidem rei capiebam. Itaque accepto decreto inſtiti evolvere & recognoſcere omnia, quae a primordio Urbis ſcripta ediderant. Atque decem hoſce praeſertim veluti ſua ſponte natae continuationis libros ſcire volens, an & ad Calchi ipſius ordinem filumque, & ad publica mandata congruerent, detuli ad Decurionem Legnanum, cujus viri litteris & ſapientiae omne negotii hujus arbitrium, omnisque cognitio delegata eſt, petiique ab eo, ut pro injuncta ſibi auctoritate & cura cognoſcere ac ſtatuere vellet, eſſetne mandato ita ſatisfactum, an vero retexenda atque de integro ordienda tota mihi res foret. Ille ſumpto ad deliberandum ſpatio, inſpectis quae obtuleram, poſt aliquot dies reſpondit, nova impenſa opera nihil videri opus. Si perſequi vellemus eadem, laborem inſumi vanum. Actum agi. Tantoque deterius acturos, quanto ſemper eſſent & ſenſus & verba meliora, quae calor ingenii primus occupaſſet. Sic ille pronuntiarat. Hinc mihi ſuper animi voluptatem & quietem, quod ad Partem hanc attineret, etiam otii pars ad ea tum abſolvenda, tum expolienda quae deſtinata & inchoata habebam. Atque ita dum haec in hunc modum probata Decurioni Legnano pars hiſtoriarum juſſu ac nomine ſumptuque publico novis typis excuditur, dumque frontem hanc induit, & recipitur inter monumenta civitatis, ad vetera perficienda liber ego atque expeditus interim abſolvi cuncta noſtrorum temporum a Philippi II. initiis imperioque illo tranquillo, ad hodierni imperii tumultus, periculorum, & ſanguinis, & cladium, gloriaeque plenos. Quae ſic reptae-

repraesentasse volui, & exposuisse vobis, Ordinique magno, Illustrissimi Decuriones, haud aliter quam sicuti tabulae veterum artificum exstant, quarum simplicitate & fide innocentes egregii viri conducta de publico opera publice probanda vel improbanda exhibebant, sive graphide circinoque formam & modum destinatae futurae molis exprimentes, sive ubi manum extremam admovissent simulacra illa ostentui collocantes. Quod autem non prodit tota sua mole statim universum opus, sed per partes & membra exhibetur, id quidem operarum & typorum officina lentior, quam nostra fuit in scribendo cura, effecit. Namque dum taedia haec & intervalla necessario exspectantur, nobis quoque necessaria fuit mora, per quam pars alia, dein alia, prelo subjiceretur, sicuti & factum est & fiet, donec editio universa absoluta erit. Nam & priores XX. libros, quibus editis ab Metropoli condita ad ipsum Calchi finem, omne populi Mediolanensis aevum pari cum eo Scriptore incessu & ordine temporum exegeram, publica, sicuti spero, liberalitas excudi volet iisdem hisce typis, ut non modo sermonis una indoles, & unius linguae sonus, sed adspectus etiam faciesque eadem in hoc monumentorum corpore constet, habeatque sibi consentiens Historiae corpus, Civitas, quam Caesarum ille magister celebri per gentes carmine Romam alteram nuncupavit, cum ob alia decora, opinor, tum propter vere Romanam etiam istam in custodienda rerum memoria curam magnanimitatemque Procerum. Maneat seculis innumerabilibus, atque perennet ordine in isto, hoc est, in flore atque in culmine nobilitatis hereditas & gloria tanti nominis, sicuti manet nunc, felicitereque perennat, ingeniaque & artes, imo & arma eadem, vel Ausonio teste, migravere hue.

DE ARGUMENTO RELIQUI OPERIS A PARTIS HUJUS FINE, AD II. ET III.

AUT istud est commune omnium qui monumenta aliqua composuere, ut de suscepto suo negotio magnifice praefari sibi licitum putent: aut nulli umquam Reipublicae, ullive Populo & Civitati intra hosce centum annos plura & majora, quam Metropoli huic Provinciaeque Mediolano acciderunt. Et rursus, in tanta varietate ac magnitudine seculi hujus, nusquam foecundior, quam vergente deinceps aevo haec ipsa Civitas virorum, casuum, actionumque maximarum fuit. Tot gesta per hosce annos bella: tot partae victoriae: tot clades exercituum: tot circa Metropolim Provinciamque hanc semper irriti conatus hostium: toties inita, toties repetita foedera: tanta voracitas impensarum, atque tantum hinc pecuniae exhaustum, ut potuisse sufficere sumptibus Urbem aerarumve Regis mirari possint etiam Regna, quae gignunt mittuntve aurum. Jam belli Duces, & Romanus quoque temporibus aequiparanda capita, clarissimique Viri aut profecti & dati huc, aut gloriam hic famamque adepti. Toi etiam flagitia mortalium transfugiaque, & proditiones, & infortunia, militaresve culpae plures pene quam quae in diversum clara & magnifica memorantur. Gubernatores Urbis Imperatoresque exercituum, tum ex Regiae primoribus atque natalium magnitudine adnexi Regibus ipsis, tum per virtutem & artem, sive per fortunam evecti inter primos, ac proinde per animos & instituta similes inter se, aut diversi. Prudentes aut callidissimi quidam: bellatores aut remissiore animo: mites in Provinciam, aut nimii tributis, quae semel necessitate temporum & belli malis invecta unquam exsuuntur. Clari quoque sapientiae studiis, & inter arma nutritores vere artium, per quas haud minus quam armis gloria civitatum crevit: sive ex diverso alieni ab cultu hoc animorum, profundique tantum & impenetrabiles, saevique nonnulli: sive etiam infelices & meliore animo quam fama: & omnes demum humani animi formae, omnia imperitantium ingenia in Regis hisce Praefectis spectata Urbi huic ad plebis usque consternationem, nusquam tamen ut publici obsequii reverentia exsueretur. Ac sicuti Metropoli quas luctandum assidue cum ingenis ejusmodi fuit, sive etiam, sicuti decora & subsidia inde plurima & maxima tulit haec publica res: ita materies Operi uberrima & certissima inde nobis fuit ob ea praesertim, quae temporibus hisce proxime exactis acciderunt obtinente Provinciam, & bellum gerente Guzmano Marchione de Leganes: de quo fama percrebuit haec: ipseque aliquando ita profiteri solitus fuit: neque res tantas ipsum gerere potuisse, nisi Civitas suppeditando pecuniarum acervos exercitumque alendo, & capessendo assidue belli partem, Regiae curae providentiam in se fere recepisset, ac fuisset ipsa quodammodo inter haec arma & consilius & robore animorum Imperator veluti alter: neque Civitatem alio duce & administratore belli adversus tot pericula, tot conjuratos uno tempore hostes fuisse duraturam. In ejus Aula cum ego viverem, scripsi res variante fortuna gestas, simul ab eo Gubernatore Catholicis armis, simul ab foederatis contra Imperium Provinciamque hanc pari contentione, dispare successu gloriaque ingenti etiam inter damna & clades: quae consiliorum & rerum casuumque magnitudo celeritate fama evecta per gentes exercet hodie ingenia, & veluti proposito hoc etiam litterarum certamine fatigat. Scripsi defensam ab Gallica irruptione Provinciam, atque irruptionis ejus metu, posita castra in Urbe, sive potius versam in castra Urbem, armatamque Metropolim, & objectos hosti terrores ab nobilitate, populoque tanto. Mox detractos ex famoso tumore Gallos eosdem, & fortia quoque facta Gallorum, ac

JOSEPHI RIPAMONTII

CANONICI SCALENSIS, CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI

HISTORIARUM AB METROPOLI CONDITA,

LIBER PRIMUS.

INTER Henrici VII. coronationem Mediolani celebratam, & Caesaris ejus ex hac Urbe discessum (constiterat enim ibi Calchus, cujus Historiae seriem excipiendam, & continuandam esse decrevere Illustrissimi Decuriones) turbulenta primo & miserrima, deinde modesta & tranquilla aliquamdiu rerum forma Mediolani fuerat. Ac biennio fere toto illo, quem huic Scriptori terminum indicamus, evenerant rara & memorabilia pleraque, & usui futura legentibus, sive documenta vitae, sive oblectamina animo petere inde quis velit. Nam tunc acceusi magis quam umquam antea furialibus inter se odiis Vicecomites, & Turriani: atque armata Guelforum & Gibellinorum nomina in mutuam perniciem, & contactae rabie eadem, atque in bos, sive in illos divisae finitimae Urbes: conjectus in vincula Archiepiscopus: prohibita sacrorum usu Civitas: haec & alia fuerant spectacula pene ultima irarum calamitatumque civilium. Nec ab singulis interea cessatum, quo minus exempla fortunae variantis ac facinora virtutis eximiae ederentur. Praecipueque Matthaeus ille Vicecomes caput & robur & spes unica Gibellinorum, insigne docuerat exemplo, quam intuta potentia esset adversus artes conspirationesve inimicorum: & rursus, quam nulla satis tuta machinamenta contra prudentiam astusve majores. Profugus atque extorris iste videlicet partium vi simul & dolo, redierat arte sua & infimo apud adversarios obsequio superatis eorum opibus insidisque in Urbem. Reduxerat ipsum ab exsilio puer unus. Latebris ac dissimulatione sui salvus incesserat. Poposcerat acceperatque pacem inimicorum eorumdem arbitrio: & stantem cum hisce precibus in conspectu Caesaris, ac dare volentem oscula Philipponus & Fisiraga Guelfi praepotentes contemptim ac superbe repudiarant. Mox florens ipse opibus ac potentia dejecerat infra se factionem adversam, non per arma & acies, sed patientia & submissione animi victor. Pulsusque iterum redierat gloria majore tam prope deinceps ab dominatore & Principe Urbis, quam ab exsule & fugitivo nuper. Atque ita, per prospera, per adversa praeceps ad vitae denique finem simul & ad infausta principia Imperii circumegerat una secum Civitatem & subjectas Urbes domumque suam in primis, & potentiam illam ex infimo nascentem.

Tanta rerum varietas in uno homine, & tanta materies in parte ultima operis, Calcho mihique simul, qui una cum eo orsus ab Urbe condita narrationem ad eadem tempora perduxi, non sane rerum fide vel scribendi arte contendere volens cum Scriptore antiquo, sed existimans crescere patriae nomen, latiusque spargi famam etiam hoc ipso si res eaedem pluribus scriptae forent. Nunc, & susceptí negotii amor stimulat, & studio ac voluntati Decurionum obsequor, qui civem suum Scriptoremque Calchum hac nostra continuatione Historiae ejus veluti revocari ad opus morte intermissum & per nos restitui sibi cupivere. Repetamque altius varietatum vicissitudinumque tantarum initia & causas: atque in principio novi Operis scena proponetur haec, in qua, & prioris Historiae seriem extremam, & secuturum initia rerum originemque adspicere legentes possint. Nam, & ea, quae proxime praecessere cum posterioribus hisce connectuntur: & pars haud dubie priorum sunt haec posteriora quae publici Consilii & LX. Decurionum auctoritate scribere aggredimur.

POsteaquam Archiepiscopus Otho decesserat, non erat alia cura prior antiquiorque Matthaeo, quam ut civitates omnes, quae favore aliquo imbutae Turrianorum essent, belli terrore aggrederetur; ubi territisset satis, invitamenta pacis & amicitiae ostentaret. Id ab Othone patruo secreto fuisse mandatum credebatur inter alia arcana imperii, quae ultimo ad Claram Vallem secessu moribundus senex aperuerat heredi, multumque commendarat. Non autem exspectavere Civitates, & una cum Civitatibus validissima quaeque municipia, dum moveretur aliquid: sed ultro statim nudavere animos, & defectionibus lacessivere quiescentem, cum funestam adhuc & atratam patrui desiderio domum ille haberet.

Bergomi Culleonum factio, quae rem trahebat ad Turrianos, pulsis urbe Suardis, quam deditam sibi familiam Vicecomes ibi constituerat, simul ejecto quem ipse dederat Praetore, invaserant arcem: & Praetorem ab Cremona novum adsciverant. Infensius Navariae rebellatum, ut Galeacius Matthaei filius aegre vitato populi impetu praeceps inde abiret. Nec ad Ticinum quieti quidquam erat, concitante gentem Manfredo Beccaria, qui Turrianorum olim potentiae infestus, postquam versa erat fortuna, mutaverat animum, transtuleratque odia in Vicecomitem, quasi non hominum ipsorum, sed dominationis inimicus. Jam ad Vercellas, ad Casalem, ad Viglevanum, spreta & repudiata Vicecomitis majestas: & civitatum earum pollicitationibus erecti Turrianorum animi. Leucenses item in Abduae ripa, tractu terrarum & positione municipii, veterem exsulum toparchiam attingentes, manifeste illuc inclinarant, praebuerantque tam aperta signa defectionis, ut diruto municipio, quidquid incolarum erat, in Madretiam vallem, quae cis flumen interjecta collibus est, deportarentur ea lege, ne remigrare in sedes ampliusve iisdem possent. Sed praecipua erat ob Laudensium rebellionem cura & sollicitudo. Namque urbs ea, toties victa, toties rebellis, non sine magnae rei fiducia, post tot infelices conatus, hoc tempore susbuliisse animos videbatur. Ex ducto illuc exercitu, cum post ancipitem pugnam, captivi recognoscerentur, repertus inter eos erat Imberaldus Turrianus, eumque Vicecomes ad Tritium in turris ima detrudi jusserat. Reperti simul erant nobiles aliquot Patavini, qui popularium suorum ductores adversus Metropolim subsidio Laudensibus venerant. Inde metus Vicecomiti ingens, conspirasse pro Turriano longinquas etiam Italiae civitates, & minimam partem esse mali quae deprehensa teneretur. Philippus Languscus praeterea, & Marchio Salinarum, Marchio Montisferrati paternarum inimicitiarum haeredes, magnarum domuum, & magnorum odiorum nomina torquebant animum suspicione ac metu, ne adversus tot conjuratos hostes vanum evaderet etiam ipsum Vicarii nomen, quod praesidium munimentumque rebus, tanto nuper consiliorum & simulationum apparatu quae situm inventumque erat. Itaque, non ipse solum anxius trepidusque, sed tota in moerore civitas versabatur, cum finitimorum omnium arma & conatus in hanc partem esse conversos appareret. Quod si qui erga novum dominatum, vel invida, vel indignatione suffusi aut accensi, jucunde nonnunquam imminentia illa Vicecomiti pericla prospectarent: dulce profecto illud ex altera parte contaminabant proposita sua cuique damna privatarum rerum: non dubia vastitas ex bello tam atroci: perituae domus, & capita objectanda ferro.

Matthaeus, hisce timoribus anxios primores esse urbis videns, ipsoque multum timens tristitiam & desperationem, quae in verbis & vultu singulorum eminebat, vocato

cato in Templum maximum Concilio talia quaedam dixit. Sese rem Mediolanensem justo ac moderato regentem imperio, per solventem in sua jura subjectis civitatibus, bona fide colentem foedera & societates, vidisse repente cooriri rebelliones inimicitiasque illas, quas ipsi quoque coortas admirarentur. Id adeo communi imperitantium omnium conditione accidisse, quos tam bene, quam male facta premant semper, & rectis sanctisque artibus, ejusmodi praemia reddant homines inquieti. Non sic apud Deum opt. max. quem etiam rerum eventu propediem esse declaraturum speraret, quod mores isti hominum placere sibi non possint. Ceterum, & si praeter divinae justitiae fiduciam, humana quoque victoriae pignora in manibus habeat, paratum esse tamen dare pacem & veniam omnibus, qui pacem accipere & ferre ipsam queant. Daturum autem in quascumque velint conditiones, dummodo ne qua fieret injuria Metropoli & imperio quod ipse vicario suo munere tuendum haberet. Hucetiam tam moderatae professioni suberat artificium, ut per speciem agendi, quae publicae salutis causa in eo negotio agenda essent, Dux rectorque populi in quinquennium aliud ipse crearetur. Nam ad cal. Decembreis ejus anni proximas finiebatur ea praefectura Vicecomiti: nec leve momentum in eo, si ad Caesaris auctoritatem, qua Vicarius Imperii erat appellatus, accederet hoc etiam, ut pergeret regnare Civitatis & populi jussu. Tentari id agique cum statim homines sua sponte suspicati essent, tum vero certum habuere postquam Gulielmus Celer ex intima Vicecomitis familiaritate monuit in eo conventu Principem, audientibus, qui aderant, irrita fore quaecumque agerentur, nisi prorogata praefectura esset. Ita Dux populi Mediolanensis Vicecomes in quinquennium est refectus.

Confirmatis in hunc modum paulisper animis, & erecta ad bonam spem nobilitate, duo potissimum ab illo agebantur: alterum quidem ut minueret sibi hostes, alterum vero, ut nova praesidia, & amicos pararet. Edixit primo cavitque publica fide, ne cui Vercellensi homini, sive Ticinensi, sive Novariensi ulla in re noceretur, quandocumque in urbe agrove Mediolanensi reperti essent. Si quis aliquem eorum violasset, ut parricidii poena teneretur. Foedus inde cum Bononiensibus & Placentinis iniit, & quia nubilem domi filium tunc opportune habebat, in tanto rerum discrimine occasione ea usus, Albuinum Scaligerum sibi generum adscivit. Ab his veniebant quotidie peditum & equitum auxilia, dabatque famae Vicecomes, adversus longinquum hostem, Caesaris jussu copias eas parari. Parabantur adversus eos quibus oblata pace negligentiam simul afferre voluerat, cavendi ne quid interim hostile paterentur. Nec tamen provida viri consilia fefellere conjuratos. Ad Ticinum ipsi quoque congregabantur molientes inter se atque agitantes longe aliud quam quod in urbe credebatur. Fuerat enim opinio ad pristina tantummodo esse redirum, & veteribus suis haerere consilis rebelles illos, scilicet ut carperent modis omnibus obtererentque novum dominatum, neque jugum imponi sibi id paterentur. Sed rebelles fessi consilis conatibusque alias abruperant omnia spem inter & metum: ac sublato Vicecomite, necisurius compendio longi subsellii decidere litem statuerant. Ea res inter ipsos miro silentio suppressa & occultata, non nisi postquam discussa abjectaque est, emanavit. Discussa autem & oppressa est mole belli, quo Vicecomes totam eam conjuratorum manum repente circumveniret, donec ipse quoque circumvenirentur, & intentas in caput suum insidias calamitate alia evitaret. Nam postea quam, & ab externo, & ab domestico milite, satis paratus ad rem gerendam fuit, omissa simulatione, quam ob metum assumpserat, aggreditur aperto Marte civitates infidas, ipsosque Dynastas capita rebellionis, civitatum earum stimulatores, immisso belli discrimine avertit ab se insidiarum, quibus in ficta pace locum fore existimarant.

Caeterum, quia Mediolani primores urbis, torpescebant adhuc proposita ante oculos imagine belli, quod cum tota fere Insubria, & cum alienigenarum etiam Regulorum opibus gerendum erat: in publico conventu, post quem ad arma iri oportebat, paratos ex primoribus ipsis habuit, qui acerbe in rebellium perfidiam sordesque & humilitatem, vera & falsa jaciendo, concitarent, simul indignitate rerum, simul spe victoriae animos, ac discusso torpore, Martiales impetus apud fessi jam & variis curis aegra pectora renovarent. Trintianus Gavacius, & Facius Pusterula fuere, qui gravissime invecti in rebelles instigatoresque rebellium, effecere, ut poscerent universi juberentque bellum haud minore animorum impetu, quam quo Vicecomes ipse in eo negotio efferebatur. Et quoniam habito per urbis regiones delectu, descriptisque in singulas portas quadringentenis, grave certamen ex eo ortum erat, quod pars unaquaeque dare ubi bano huic exercitui ducem volebat, curam eam ambitionis concepta publice in hostem ira discussit: & sine mora egressi infecta figna Ticinensium portis intulere. Ibi vi summa gerebatur, bellum statimque apparuit, uno veluti consiliorum vinculo innexas esse civitates adversus Metropolim suam & Vicecomitem, consilisque iisdem Dynastas externos esse illigatos. Scilicet, ubi Mediolanenses ad moenia illa successere, quasi dato omnibus signo, persultabant illico campum, aderantque multiplici prius, dein uno agmine, rebellium quos antea nominavi exercitus: eos Dynastae iidem sequebantur cum sua quisque popularium manu, commilitones simul & duces. His accesserat Actius Estensis, qui sub Demarchi nomine Ferrariam obtinebat, & finitimorum Cremonensium stimulis compulsus in eadem arma erat. Ita, duo maximi exercitus, ex variis hinc inde gentibus missi, paribus etiam in utraque parte damnis dimicabant prout oppida, & arces, ipsave late dispersa agmina occasionem aliquam secissent: nusquam ad universae rei conflictum veniebatur.

Post ancipites aliquot pugnarum eventus, coeperant superiores esse Vicecomes & Metropolitani: & pellebantur haud dubie conjurati nisi petit apaceji em ad aequa deduxissent, ut pars ea, quae vincebat, aliquanto postea solitudine & exilio testaretur humanarum rerum levitatem. Cujus spectaculi tempus interea dum veniret, erant pleraque facta Vicecomiti, tum in urbe domoque, tum ad exercitum: Ecclesiaeque status, non felix ille quidem, sed tamen aliquis Mediolani erat. Rufinus Privilegius Lucensis Archiepiscopo successerat Othoni, dignus utique tanto munere, & praebiturus egregii Pontificatus exemplar, si, aut in tempora commodiora incidisset, aut vixisset ipse diutius. Forma illa temporum, & occupatus Princeps insania & furore patriae capiundae, perque negotium illud tota in armis & turbis civitas, sine actione illustri, sine memoria ulla, quae exstet, transmisere brevem undecim mensium Pontificatum, silentiumque & obscuritas cum qua exigunt id temporis egit, etiam ipsius nomen comitata est. At Franciscus Fontana totidem sedendo annos, quot ille menses sederat, & plura, vidit Ecclesiae mala calamitatesque civitatis, neque actionum gloria vel magnitudine clarior fuit: ac de ignobili ejus ad Angleriam sine postea memorabo. Matthaeus Vicecomes, in quem cuncta hoc tempore vergebant, & ab quo etiam cuncta proficiscebantur, obstupefactis terrore belli hostibus, & ad pacis petendae necessitatem adductis, appropinquante anno, qui ipsum ingenti casu pessumdaturus erat, altius aliquanto repentina & brevi felicitate attollebatur, quo magis postea casus ille mortalibus caeteris admirationi & exemplo esset. Quippe, data Civitatibus venia, Dynastisque, foedere vel affinitate junctis sibi, dimissis per totam fere Insubriam Magistratibus, & ordinato apud rebelles civilium rerum statu, denique per omnia elarus & ingens, ne res deesset ulla majestati augendae, arbiter pacis etiam sumitur, quam Genuenses & Veneti post mutuas clades consensu expetitam, fore vanam credebant, nisi interpositu hujus auctoritate fi maretur. Venere Mediolanum Civitatum earum legati petentes ab Vicecomite, ut cupientibus inter se finire bella duobus haud ignobilibus populis, vim nomenque suum inferre ne gravaretur, si stabilem eam fidamque pacem esse vellet. Neque Princeps abnuit, & facta pax

pax ipſo arbitro per praeconem in palatio urbis promulgata eſt. Subidem tempus Beatrix Actii Eſtenſis ſoror, quae Nino Gallurae Piſarum domino nupta prius fuerat, Galeacio Matthaei filio uxor datur, eſtque deducta Mediolanum ſponſa tanta publica gratulatione & apparatu, ut urbs tota Principis domus videretur. Inter haec brevisſimi temporis gaudia & Vicecomitis fugam, prodiit e tenebris occultatum diu ſcelus, quod videri potuit portentum irae Numinis in alta hominum ſcelera eladiſque Vicecomiti imminentis, & miſeriarum omnium, quae Urbi aderant. Ac de eo etiam portento referam.

Gulielma fuit plebeji generis muliercula, quae ſtatim ut adolevit, dictitans velle ſe domi manere virginem, exoraverat parentes, ne illud animi ſui votum impedirent. Ita adſpernata nuptiarum mentionem, conditioneque repudiata omni, ſub patrio tecto inter ornamenta pietatis agebat aevum, nec corporis velamine, nec victu quotidiano, nec ſermonis forma diverſa fortaſſe ab mulierculis aliis, quales etiam hodie multae intra domeſticos parietes referunt ſacrarum virginum inſtituta & cultum. Ad omnia templa & ſacella quotidie ibat, & crebris tota vicinitate colloquiis terens tempus, domique etiam quaeſita ſemper & appellata, muſſitantibus quamquam domeſticis, impune cuncta ſuo arbitratu agebat, quia caritatis & religionis eſſe negotia credebant, dictitante ſic ipſa, & verbum uſurpante iſtud. Tantum utique tricarum, atque concurſationum, & ſermonum erat, ut natum inde proverbium nondum apud noſtros homines exoleverit. Dicunt enim, plus quam Gulielminam habere negotii eum, qui circa inania diſtrictus curſitet ſemper ac vagetur. Gulielma haec, ſive Gulielmina poſtquam fama pietatis apud proximos, inde apud vicinos, per totam deinde urbem celebrari coepta eſt, paulatim in eam auctoritatem venit artibus ſuis, & credulitate multorum, ut ſanctae virginis haud dubie nomen obtineret. Atque increſcente quotidie magis, non ſolum errore civium, ſed etiam ipſius audacia, inceſſe quiddam ei divinum, vel certe favore Numinis ſupra communem humanae naturae conditionem animum mentemque ejus attolliconſtans opinio erat. Quippe vaticinando ſaepe futura per ambages ac temere praedicendo multa, divinaverat forte aliquid, & quae ſecus acciderant, flexa ad eventum interpretatione defendebantur. Jam ecſtaſes, & rapsus, & omnia alienatae mentis ingenia fallaciaeque obverſatae intuentium oculis, fidem fecerant, ſubduci mentem ejus in coelum, & ab corporis ſocietate ſemotam, commercio Superûm frui, atque illic in ſinu gremioque divinitatis perfundi deliciis & arcanis inenarrabilibus.

Species quoque oris naturae forte cum dignitate quadam: & ubi ſuccedere cuncta feliciter vidit, habitus etiam, & inceſſus, & ſermo, compoſita omnia apte ad fallendum, ut quo inclinabant ſua ſponte ſimplicium animi, eodem ſimulatione inanium pertraherentur, & coeleſtem ſpiritum in illud transfuſum eſſe corpus autumarent. Itaque, de rebus fere omnibus ipſa conſulebatur, & pabula diverſa eadem habebat, queis alliceret unumquemque ac detineret. Non viri ſolum graves & primariae matronae de ſeriis magniſque negotiis ad eam referebant: ſed amatorias quoque ſuas ſollicitudines, & livores, & ambitionis odiique curas ad Gulielminae perferre ſinum adlueverant quibus absquis ejuſmodi morbus. Ad corporis denique morbos etiam, ad dubios, ſive adverſos quotidianae vitae, domeſticarumque rerum caſus, petebatur ab ea ſubſidium, & precibus illius quamplurimi ſe ſe quotidie commendabant. Inſuper, ampliſſima matrimonia, teſtamenta & hereditates, & voluntates ultimae morientium in ipſius plerumque manu erant. Interdum autem, quo plus reverentiae ex longinquo eſſet, per interpretes alias conſciaſque mulierculas ceu internuntias Numinis conſulta & reſponſa ferebantur: ipſa abdito in cubili, quaſi fatiata mortalium adſpectu & pertaeſa quotidianos coetus delicato languore decumbebat.

Et primores interim feminae, quaeſito per ambitionem aditu, ac noctibus inter ſeſe diviſis, ad obſequia nutuſque decumbentis excubabant. Quibus ipſis in nocturna illa ſtatione mirifica ludibria objiciebantur, vel ſplendore circa lectulum excitato aliquo, vel exaudita tamquam e coelo vocula, vel quaſi egreſſo in coelum ſpiritu Gulielminae, membriſque per exceſſum reſolutis. Daemon profecto aliquis erat in parte tantarum ludificationum, & tragico mulieris ſceleri, quod ipſa talibus ſtruebat initiis, evocati lemures inſerviebant. Ac lemurum utique inſtar erant interpretes & conſciae illae quas dixi. Eae clam expreſſo & temperato altilium ſucco congerebant ipſi Gulielminae tenues ſub lodicem paſtillos, quibus diſſimulanter in eos conjectis opipare nutriebatur, exeunte per urbem interim miraculi hujus fama, quod Gulielmina totos abſque cibo ullo menſes egiſſet. Nutritur namque contenta clandeſtino illo rejiciebat cibatum alium omnem, & alimonam habere ſe coeleſtem dictitabat, eratque miraculo fides, quia callidiſſimae & curioſiſſimae matronarum, experimenti cauſa adfidendo uſque & uſque adfirmabant, ſe ſe nuſquam dejectis ab lectulo oculis vidiſſe ſumentem omnino nihil, & jejuno ſemper ore.

Haec aliquandiu vita Gulielminae fuerat: talia ejus inſtituta & mores: in cujus feminae audacia & ab huſce moribus inchoato ſcelere, illud inprimis admirari ſubit, quod loco nata humili, unde, nonniſi plebejos hauſiſſe ſpiritus potuerat, nullis inſtructa litteris, nullo rerum uſu, expers moris conſuetudinisque nobilium, ignara vitae communis muliercula, tantas, tam varias habuerit illecebras & artes fallendis atque inſcandis eorum etiam animis, quos ad fallendum natura & conſuetudo imitatione domeſtica proviſuque omni inſtruit atque ornat: quorum eſt ſuperbia & faſtus, quos delitiae ipſae clauſos impenetrabileſque tenent. Coeperat primo fallere parentes, adſpernando nuptias, vota ceterarum, deinde domeſticam eam fallaciam auxerat ſimulatione magnae pietatis: inde procedenti feliciter artificio publice fecerat gradum & ſtruxerat ſibi ad ſumma viam: poſtremo, Daemones ipſi delectati flagitio, quod poſt tot flagitia novum parabatur, in partem operis venere ſicuti credidimus, & illius excetrae coeptis adfuerunt.

Flagitium autem & portentum, & calamitas labeſque per eam mulierem invecta urbi ſic fuit. Andreas erat quidam Saramita Gulielminae amicus, quem illa ob aetatem integram rubrumque capillum & callidos mores adſcitum ſibi & dilectum ad quotidiana miniſteria aſſiduum habebat. Sed intimum aliud ei occultumque miniſterium apud dominam erat, explere quae fert inſania ſexus, atque jam inde a pueris ex ipſa vicinia ſicuti fit, gratus placituſque virgini, effecerat, ne virgo illa umquam fuiſſet. Ingenium homini nihilo ſegnius ad fallacias & dolos, illecebraſque omnes, quam ipſius fuiſſe Gulielminae antea demonſtratum eſt. Salax in primis & vafer, & ganeo, fuſa per genas barba lacermaque talari tegens habilem adhuc juventam ſimulatione varia erat adfectus, ut ſeverus quidam & ſobrius & antiquus homo haberetur. Noverat omneis domos, omnia diverticula urbis, negotiis rebuſque omnibus aderat, ſive advocatus ultro, ſive ſuae virginis nomine: ſic enim eam appellare impudentiſſime ſemper ſolitus fuit. Poterat vero etiam ipſe fingere colloquia cum Superis, & praedicere nonnulla, & mentiri viſiones inuſitatas: & quidquid denique aliud Gulielmina inter feminas audebat, id ipſum inter viros Saramita egregie imitabatur, quo denique tutius in publicum proferrent id quod diu fortaſſe intus coquebant. Fuerit ne mutua ſatietas & inhoneſtae libidinis furor, an contemptus & contumelia in urbem ipſam, an omnia ſimul, neſcitur. Certe duo viliſſima capita, Gulielmina iſta & Andreas, conjuravere, ut inſtituerent nocturna bacchanalia, queis contaminarent omnem aetatem, viciſſimque ipſi contaminarentur: & inſtituerunt. Species nomenque ſacrorum obtentu ſumpta, quaſi ſacra ea, quae in aperto fierent, nec pura, nec ſancta ſatis credi liceret: ſanctius auguſtiuſque eſſe faciendum, ſi fortunis ſuis, & votis propitium eſſe Numen velint.

Duae illae furiae, apud ſuum utraque ſexum talia dictitando, praeparaverant multorum animos, ut quandocumque nefaria ſacra inchoarentur, aperireturque delubrum infame, darent nomina in novos coetus, & ad cuncta

cuncta obeunda ordine adeſſent. Extra Portam quae Nova dicitur, fuit locus, quem iſti Andreas & Gulielmina deſtinarant myſteriis ſedem inanibus, & occaſione myſteriorum cubile inhoneſtatis. Flexuoſum os, informemque aditum habebat ſpelunca obſita vepribus quibuſve aliis inculta veſthuntur, ad uſus fortaſſe bellicos olim exſtructum opus, deinde neglectum pace, quales paſſim circa pomoerium etiam hodie cavernae conſpiciuntur, junctque diſſoluta concamerario procumbebat in ruinas. Saramita corrogata ab ſuis ſtipe ſpecum eum partemque campi circumjectam coëmerat a magiſtratibus ſpecioſo in publicum hoc uſus titulo, quod ponere in parietinis illis Oratorum vellet invitamentum pietatis ad eos, qui per moenia quotidie inambularent. Fabris confeſtim adhibitis purgato loco ſtetit aedicula profanatura urbem, & poſita ara valviſque & clauſtris additis, Saramita & Gulielma ſui juris omnia fecere titulo utentes alio, quod ſacra AEdes alioqui profanaretur, Paucos primo, deinde pluſculos, deinde cohortem ſuam illam univerſum, neque totam uno agmine, ſed ſubinde alios inducebant, donec per ſingulos in orbem turpitudo iret. Cujus caeremonia haec fuit. Prima infandi coetus nocte, ubi promiſcua virorum & ſeminarum turba in templo ſtetit, occluſis valvis, trabeati & mitrati diverſa in ſede Andreas & Gulielma, ab omnibus, qui aderant, horribile ſingulatim jusjurandum exegere, nihil eorum quae ibi fierent, cuiquam eſſe dicturos: ſi fidem eam fallerent, tum uti Deus optimus maximus ſe familiam ſuam peſte, fame, malis omnibus contingeret atque infectaretur. Id ipſum, ut quiſque novus gregalis, ſive vir, ſive femina, ſive adoleſcens erat adſcitus, conceptis verbis poſtea jurabant. Ubi juratum ita eſt: tunc Antiſtites adolent ignibus aras, celebrantque cantu foediſſimi ritus horrenda primordia, queis caetera turba ſuccenſit, prout inſtituti monitique erant. Et compoſitum in haec verba melos erat: CRESCITE ET MULTIPLICAMINI. Momento dein uno ſymphonia conquieſcit, ac lumine ſimul exſtincto omni, carmen diſſimile aliud, alioſque modos ineunt viri, feminaeque, & his interjecta rudior aetas. Quodque mihi verecundiam hujus ſermonis anget, licentia tenebrarum & loci, volutabatur in eadem humo, cum filia pater, & cum fratre ſoror, ſicuti facibus exſtinctis irruerant, & ſicuti myſteriorum eorum lege capitale erat aperuiſſe os, gemitumve ullum edidiſſe adverſus eum qui primo corripuiſſet. Inſuper (honos auribus habitus ſit) alia quaedam fiebant, in quibus ne creſcendi quidem & multiplicandi excuſatio ulla utiuſve eſſe poſſet.

Caeterum, antequam reliqua negotii hujus peragam, minime diſſulerim id quod ad Patriae hujus in tanto malo ſolatium aliquod magnopere pertinebat, atque in probatiſſimis repertum annalibus pene praetermiſi. Quippe talium rerum auctores Saramitam & Gulielminam ex alieno hinc ſolo oriundos fuiſſe: ac ſicuti fuerant ipſi peregrinae ſtirpis, ita coetus eos ex peregrinis inſtituiſſe, quorum affatim ad manum fuerit in urbe ſemper plena alienigenarum. Cum igitur prima ſacrificiorum nocte, talia quaedam guſtanda & libanda concioni ſuae exhibuiſſent Andreas & Gulielma: per omneis deinde noctes, ad epulas vocati eadem velut inceſtatae beſtiae miſerabiliter ruebant. Gulielmina deinde poſt menſes aliquot, ſeu libidinis intemperantia, ſeu providentia Numinis quo maturius tandem retegendi ſceleris initium veniret, diem ſuum obiit, nihil imminuta fama & errore, quem de muliere illa civitas acceperat. In ejus funere tanta fuit inſania affectarum, ut quibus ſtudiis, & qua admiratione celebraverant viventem, mortuam quoque in coelum extollere conarentur, mentemque & ſpiritum ejus ad ſuperos haud dubie exceſſiſſe populo perſuaderent. Admovetos namque roſaria ſpurciſſimo cadaveri, feretrumque coronantes, & ejus contactu veluti ſacrata geſtamina rapientes avide, facere caeteros eadem, ut eſt proclivis ad talia populus, docebant. Simulata quinetiam eoccitate, languoreve aliquo, nonnulli auſi ſunt illudere publicae credulitati tamquam adſpicerent repente lucem, exuerentque alii corporis alias calamitates, ob quas antea lux ipſa diſplicuiſſet. Et ad merita ſanctitatemque Gulielminae referebantur cuncta, quaſi jam redditus Coelo ſpiritus ea beneficia mortalibus ab Numine impetraret. Delata ipſa ad Claravallis monaſterium, ibique collocata in tumulo, non ſicuti cadavera caetera habebatur. Lychnuchus quotidie pendebat ibi aliquis, ardebatque cerae multum, & votivae tabellae caſtum variorum affigebantur ab illis, quibus ludibria iſta cordi erant: & conjuratis in eam fallaciam multis, cum opinio quoque publica confirmaretur, parum abfuerat, quin Gulielmae honoris cauſa publice etiam aliquid decerneretur.

Sed jam tempus appetebat, quo recidere in capita impura fraudem, inſigneque adverſus talia ſanciri documentum oporteret. Numquam enim Deus falli & errare ſinit Eccleſiam in iis, quae ad religionis & fidei ſummam ſpectant. Ac diſſimulans majeſtas illa ſaepe caetera mortalium flagitia, ſpatiumque poenitentiae praebens, nuſquam in eo cunctata eſt, ubi de inducendo in Eccleſiam pravo cultu faſtuſque ſanctorum inquinandis ſcelere vel adulatione hominum ageretur. Mortua, ſicut dixi, Gulielmina, cum ſectam Saramita ſuperſtes obtineret, evenit quidam hujuſmodi caſus. Alexander erat Coppa negotiator praedives, & alioqui etiam honeſtus, ac rei ſuae bene gerens, niſi impudica uxor, bacchanalia frequentando illa, vulgandoque ibi muliebre decus, labe ea fortunam honeſtatemque domus conſpurcaſſet. Damnaverat ſaepe maritus infelix nocturnos mulieris egreſſus, multumque clamitando deterat, non placere ſibi tantam pietatem: ſi vellet ad templa ire, ſatis longos eſſe dies: & velle ſe ire ipſum, cur ſilentia noctis & horae deſtinatae penitus etiam quieti, cur tenebrae ad id ſacrificium delectae eſſent: cur texus, ne media quidem luce committendus turbis, per obſcurum excideretur domo? Mulier contra, nec voce, nec vultu ſuperiorem in jurgio paſſa eſt maritum, adſurgit etiam infeſtior atrociorque. Quid ſibi quaereret inter feminarum ſacrificia delirus ſenex? cur non potius ageret negotium ſuum? Non mirum poſtea fore ſi fortuna domus verteretur, & Numinis ira retro ſublabi aliquid inciperet, quandoquidem repente ditatus mercator ingrato adverſus Superûm indulgentiam animo inquireret in eorum ſacra & ritus: minitari etiam auderet. Ituram ad nocturna ſe ſe ſacrificia more ſuo: & tanto promptius frequentiuſque ituram, quo magis ille minitaretur latraretque. Aliquoties ita jurgati fuerant maritus & uxor, cum quidem, remiſſum credo viri ingenium malitioſe olim odorata illa ſciret probe adverſus quem ſibi arietandum in eo certamine eſſet. Sed maritus, quando nihil profici verbis videret, omiſſa altercatione, fingens ſe eſſe victum, nocte quadam, exeuntis uxoris veſtigia diſſimulanter & leniſſime ſubſecutus, tamdiu ſtetit ad valvas, donec ingredientibus per intervalla multis, ipſe quoque ceu gregalium illorum unus admitteretur. Abdidit in angulum ſeſe, quem extrema luminis, corporaque & umbrae multorum obſcurabant. Ibi tacitus involutuſque palliolo, quid rerum ageretur exſpectabat. Videt ſedentem in ſua ſede Saramitam, notatque haud ignota ſibi multorum ora, & detractis velaminibus raſa capita mulierc ularum in coronae ſpeciem, quem Gulielmina ritum olim indiderat, ſive ut ſacris illuderet ritibus, ſive ut inſigni eo a caeteris diſtingueret ſuas. Haec omnia videbat hoſpes, mirabaturque & inhorreſcebat ſimul. Mox impudicitiae praefaticunculam, & geſtientes concepta libidine choros, audit, datoque ſigno, exſtingui lumen videt, nec ultra dubitavit, quorſum ſpectaret tam obſtinata pietas uxoris ſuae. Ea non procul ab marito forte conſiſterat, arripuitque ille ut momento ſaltem illo ſubducteret complexibus alienis. Luctando cum adultera, tempuſque ſicuti poterat extrahendo, ſpatium illud, & fruſtra anhelantem libidinem mulieris eluſit: detraxitque annulum digito, quo poſtea teſte uteretur ad id quod parabat.

Dimiſſo foedo ſacrificio valviſque patefactis, cum caeteri exirent, exit ipſe quoque & properus abit domum moeſto cogitans animo, quam ſaepe miſera illa eſſet contrectata manibus alienis, & quam deformis exitus impudicam maneret. Hinc recordatio conjugalis thori, & liberi fortaſſe communes angebant: hinc dedecus & ira ſtimu-

ſtimulabat. Et magnum interim ex ignominia dolorem ſolabatur hoc ipſo, quod reputaret, ignominiam eam communem ſibi eſſe cum multis. Interdum etiam, non ſatis certus ultionis, haeſitabat circa id, quod primo dedecoris adſpectu agitaviſſet tacitus ipſe ſecum, ut nimirum indignitatem foeditatemque eam detegeret publice, ac Vicecomiti ipſi principi Civitatis magno aliquo exemplo vindicandam exhiberet. Tam variis uno tempore motibus animi turbatus reliquum noctis egit maritus poſtquam ab lupanari redierat domum.

Poſtero die poſcebat ab uxore anulum illum quemdam operis encauſtici, grandiuſcula pala cum adamante turbinato, pondus quoque deſignans, & diem notans ipſum, quo die id ab ſe munus acceperat. Adultera enim vero deprehenſa pallescere, nectere moras, cauſari nonnihil, quaſi jam jamque prolatura verſare dactyliotheam, ad extremum poſcere tempus, & dicere quod res illae minutae ſemper dum quererentur, fugitarent, eaedem poſtea non quaeſitae comparerent ultro. Sic mulier aliquamdiu aeſtuaverat ad anuli mentionem atque tergiverſata erat, cogitans, ſcilicet, interea quidlibet aliud, quam ſua mala, & Bacchanalium imminentem finem, & raptorem anuli illa in lucta maritum fuiſſe. Nec minus ipſe fluctuabat adhuc, eligens conſilia aliqua, deinde damnans, donec egreſſus animo ſortem ſpiritumque inſtitoris, tale demque quddam ſuſcepit. Convivium ſolenne parat quaſi natalitia daret, ſuo, vel uxoris nomine. Ei convivio adhibet propinquos & amicos, quorum uxores, aut filias in lupanari viderat, & frequentes adfuere: ſimul ipſe cum uxore diſcumbebat. Poſtquam hilare ſunt epulati, hilaritaſque etiam in luſus, & jocos exceſſit: quin ſpectamus (inquit convivii pater) ludum novum quemdam & jucundum, mulierumque noſtrarum capita ſicuti ſunt, ſubjecta oculis intuemur? Id modo cum dixiſſet, injecta in uxoris ſuae ſuciput manu, direptoque velamine, coronae circulum oſtendit, qualis eſſe Presbyterorum ſolet.

Quo ſpectaculo, cum obſtupefacti attonitique omnes ora obverterent ſua, aliique alios rogitarent quidnam rei eſſet, tunc Coppa; magis eſſe miraturos, dixit, ſi ludum eumdem mulieribus unuſquiſque ſuis feciſſent. Juvat experiri, ſtatimque, ridiculum viſum, nudus in orbem capillo vertex, & mulierculorum erania apparuere mentita Clericos. Voluerant illae quidem unguibus, & cervicum flexu, reluctationeque nonnulla rejicere vel declinare dextras capiti imminentes, ſed corripiebantur atque inhibebantur acrius hoc ipſo quod recuſabant. Tunc vero Coppa ille orſus ab ſuſpicionum ſuarum iniitiis, ut primo muherem ſuam ab nocturnis egreſſibus coercere tentaſſet, ut diu ac ne quidquam ſiperet ea re jurgatus, denique veſtigiis inſidiatus ad cellam deveniſſet: ibi fanda infanda quae ſibi acciditſent ordine exponebat, promiſcuos concubitus, inceſtuoſa ſacra, tenebris ſtuprisque involutos choros, ſuam quoque cum uxore luctam & temporis cauſa ſimulatos amplexus infelices & anulum ablatum, qui teſtimonio etiam eſſe poſſet. Incendebat haec queſtu & lacrymis: non uxores, aut filias, aut ſorores, ſed furias & propudia, & inimicas ſuae quamque domus eſſe illas, quas in honore & caritate, quas in delitiis errore miſerando habuiſſent. Adverſus quae, mulieres ipſae ne hiſcere quidem auſae ſtabant haud minus attonitae quam viri. Videbant enim patefacta retecta eſſe cuncta, ſeque deprehenſas. Inde major etiam narrationi fides: ac vix temperavere quo minus irruerent, ſuisque ipſi manibus concerpendo ſingulas obruerent dieiejus atrocitate veterem convivii Lapytharum famam. Cohibiti ſunt ab indice eodem hoſpiteque Coppa, qui rogabat, ut exemplo ſuo ſedate agerent, & rem tam indignam judicii potius via perſequerentur.

Poſtquam ab eo impetu, quem dolor & ira concitarat, collegere pauliſper animos, ſententia communis omnium fuit, ut ad Matthaeum Vicecomitem res tota deferretur. Ille novitate ac magnitudine flagitii, ſicuti par erat, vehementiſſime commotus, deteſtatuſque verbo mulierum genus, indices eoſdem ad Sacrum Inquiſitorem ire jubet, indicioque delato paratos ad imperia illius eſſe, ſimul ipſe cum eo de ea re colloquitur, & omnia quaecumque in id judicium neceſſaria eſſe poſſint, polliceturpecuniam, arma, militem, vim auctoritatemque ſuam, totius imperii opes, imperiumque, ſi neceſſitas ita ferat, ipſum. Non tanta rerum mole tantoque motu opus erat. Pertractae ſtatim ad ſacra Tribunalia mulierculae, ad ſingula de quibus interrogabantur, ita reſpondebant, ut negotii ſeriem, initia, progreſſus participeſque omnes, Inquiſitor teneret manibus, Bacchanaliaque ipſa, & lupanari reluti ante oculos haberet. Et quoniam in quaeſtione habenda impenſe data opera erat, ut quam minimo ſtrepitu res ageretur, oppreſſi ſunt affines ei ſceleri omnes antequam rem agi eam ſuſpicarentur. Callidiores proin prioreſque aliqui, cum ſuſpicati nonnihil, effugere voluiſſent, vel retracti ſunt equite immiſſo, vel in ipſo abeundi conatu retenti, vel ubi non comparuerant, extruſi, capti, producti ab iis quos Principis, aut Inquiſitoris edicta ex amicis, & hoſpitibus inimicos repente proditoreſque contaminatorum illorum fecere.

Saramita ante omneis ipſe Gulielminae maritus, & collega, & miniſter, poſt eam heres inſtauratorque ſectae, magiſter libidinum, impoſtor, & ſycophanta, helluo, leno, ſoediorque dictu bellua: is igitur ſagaciſſime ſtatim odoratus Bacchanalium eladem, & periculum ſuum, mutando ſubinde latebras aliquamdiu cum ſefelliſſet: repertus denique eſt apud nobilem virum indicio vetulae, tectum inter, & laquearia, quo ſe ſe abdiderat. Ita omneis, alius alia via cum in carcerem veniſſent, rite interrogati, & confeſſi quidquid erat, damnantur flammis. Molles enim viri, & marcidae ſtupris adulteruſque mulierculae, & peregrinus fere ſanguis, ne judicum quidem oculos, adeo tormentorum adſpectum non tulere. Quae colluvies cum incendio abſumeretur, non fuit ſpectaculum, quale ſolet eſſe, dum in ejuſmodi caſibus, caetera adfluente multitudine, continent ſeſe domi, longinquoſve receſſus quaerunt, quos ob propinquitatem aliquis ignominiae dolor attingit. Parentes & fratres & mariti praecipua nomina caritatis conjunctioniſque humanae aderant laeti ſpectaculo, cujus luctus alias numquam finitur. Abruperat unuſquiſque ſanguinis & naturae leges adverſus ea corpora, quae ſeſe ab natura domoque prius abrupiſſent.

Saramita proprio & ſeparato rogo eſt crematus. Juxta cineres ejus paulo poſt cremavere Gulielminae oſſa cum tabulis & ſignis, & argento auroque omni, quae ſalutarium beneficiorum votiva, ſcilicet, monumenta circa tumulum pependerant. Ipſa quoque cella flagitiorum ſedes, & domus impuritatis, plebe cum ſecuribus, & dolabris accurrente momento pene uno dejecta eſt, & rudera caementaque omnia prius flammis uſtulata iiſdem in cloacas avehuntur, ne contactu ipſo, terrae ſuperficiem atque ſuperfuſum hunc aëra contaminarent. In hunc modum oppreſſa, & deleta eſt ſecta, & officina muliebrium libidinum, quam mulier una inſtituerat: non autem delera labes, & ignominia ſexus, per quem ea deformitas invecta urbi. Multa ſane probra conjecere in feminarum genus veteres, quive ex noſtris ad contemplationem nequitiae ſexus illius adſurrexere ex aliquo inter ſcribendum caſu. Per ſeria, per ludiera frequentiſſima ea infectatio in omni litterarum genere reperietur, & ſeveritatis gloriam hinc quaeſivere molles etiam viri. Non enim forſitaſſe omnes oderunt adſpernanturve ſexum, ſed laſcivia quadam, & oſtentatione ingenii ludunt ſic in pompam, & ſpeciem, ut ad vetera maledicta contumeliaſque jam exoletas addant novi aliquid, & prioribus inexcogitati: ſitque quotidie hoc plaudente palum quidem fama, & approbatione communi, viritim autem in arcano abnuentibus ſingulis. Adeo ſexui illi dedituſ eſt noſter plerumque ſexus, hoc ipſo deterior.

Ego, cum Gulielminae ſcelus, caeterarumque Gulielminarum furioſam inexplebilem libidinem, fraudeſque libidinis cauſa excogitatas, & prodita conculcata matrimonia, quaeſitam ante matrimonii tempus inhoneſtatem puellari etiam aetati, ſacris praeterea rebus fucta ludibria, & religioni inſultatum, & penatibus illatos ex lupanari alieni ſanguinis heredes tranſlatamque fortunam in adul-

terorum prolem: haec omnia cum narrando aliis, & ab iis qui olim narravere repetendo mecum ipſe reputarem, veteris Poetae ſenſum interea ſaepe tacitus laudavi. Nam nimium generoſo ſpiritu Tragicus dixit Euripides, *fuiſſe optabile hominum genus, ut quaepiam parior ſuſcipiendis liberis via daretur, ne perfidum impudicumque animal procreationis cauſa habendum in ſocietate vitae eſſet.* Scilicet ejus impudicitiam perfidiamque animalis reſpicere debuit, alter etiam pari generoſitate, & ſapientia vates, cum videns cerneníque omnia ſine oculis, caveret: Neminem unum poſſe adfirmare, cujuſnam hominis ſatu eſſet procreatus. Haec autem potius videbunt mariti, & conquerentur.

Purgata, ſicut dixi, urbe, ſublatoque lupanari, lata lex eſt de peregrinis, datumque Magiſtratui negotium, ut ne quem ultra octiduum commorari Mediolani pateretur, niſi cujus cauſam ipſe probaſſet, cognoſceret inſtituta ſingulorum & vitam, conventicula nocturnoſque coetus prohiberet. Sed jam Turriani exſules aderant magno, & ultimo ſociarum civitatum conatu ad ejiciendum Urbe Vicecomitem, cunctaque repetenda, & transferenda in Turrianorum domum, ſicut ex ea domo olim Vicecomes ipſe potentiam imperiumque rapuerat, quod Turriani prius ipſi raptum ex calamitate ſervitioque Reipublicae Mediolanenſis habuiſſent. Civitates autem quae ad reducendos in patriam Imperiumque Turrianos, extremo hoc conatu conjunxere arma, illae ſcilicet fuere: Cremona, Placentia, Ticinum, Novaria, Vercellae, Lanſpompeja, Crema, & cum Demarcho Montiſerrati Ricardus Languſcus, quem novum ex hoſte amicum recente Vicecomes alienaverat, data alteri Zaccharina filia, cum deſponſa ei prius fuiſſet. Nec urbes populique alii qui in parte Vicecomitis habebantur, intacti nunc erant ab defectione, & favore in partem alteram: familiaeque potentes ab potentioribus aliis familiis inde ejectae ſeſe ad Turrianos conferebant. Mediolani etiam in ipſa Imperii ſede, ubi ſpem, & adverſus externa praeſidium eſſe oporteret, plena omnia rebellium erant, & detecta ibi nobilium conjuratione, dum punitur perfidia, plures ad rebellandum irritati.

Domus ipſa Principis agitabatur mutuis ſuſpicionibus, odiſque inteſtinis, & Petrum Vicecomitem patrem demortui Othonis, Matthaei patruum Galeacius Matthaei filius comprehenſum repente, & catenis oneratum claudſerat ferreo ſepto, ibique ceu novum animal conficiebat tabe, & ſqualore. Nam ſicuti fit cum praecipitia eſſe omnia ad exitium coeperunt, feſtius negotiis Matthaeus atque tot pertaeſus aerumnas, aſſumpto in ſollicitudinum partem filio, maxima, & praecipua quaeque ſegniter, incurioſe, remiſſe tranſmittebat. Ex juveniliter ferox ille ſine modo exercebat imperium, exiſtimans apud tam infidos animos opus eſſe terrore, ut alienis exemplis alii in obſequio fideque retinerentur. Quae juvenis acerbitas, & patris vecordia paucis etiam rebus inutilis eo adduxerat rem, ut non jam per conjurationes occultas coetuſve clandeſtinos, ſed palam, aperte, confidenter, de Vicecomite expellendo Turrianiſque in urbem admittendis conſilia agitarent.

Anno hoc, qui milleſimus trecenteſimus alter ſalutis noſtrae erat ad x. cal. Majas in Aula publici conſilii, quae paulo antea compoſitis adulatione publica plauſibus inchoanti imperium Matthaeo ſedes fuerat: in eadem ſede ſedentes Principes urbis ad populum tulere, vellent juberent adverſus Vicecomitem iniri foedus, quod inter alias urbes inutum firmatumque eſſet. Abſque mora dubitationeque ulla illigavere ſeſe foederi, tantaque licentia & contemtu ruentis fortunae acta ea res eſt, ut venirent in urbem foederatorum aliorum legati, atque viciſſim hinc ad eos commearent. Exoleſcere inde quotidie magis, & vilus fieri Vicecomitum nomen: delubi primo ſervorum greges leviſſimi ſemper & momento quolibet mutabiles: deinde alii, quos verecundia nonnulla tardarat: tum graviſſimus etiam & intimus quiſque: poſtremo circumpiciens ipſe neceſſitatem ſolitudinemque ſuam, vehementer cogitare de fuga coepit.

Bonacoſa Burra erat uxor hujus Vicecomitis communium aliquot ei liberorum parens & per mutuam concordiam dilecta. Hanc neque trahere ſecum volens comitem fugae, &, ſi domi relinqueretur, expoſitam fore ludibriis inimicorum videns, intra ſacrarum virginum aedes cum nobilibus aliquot ancillis abdidit. Monaſterii nomen ejus in nullis uſquam reperire annalibus potui: tantum exſtat apud omneis diſerte perſcriptum hoc, Bonacoſam Burram fugiente marito apud ſacras Virgines latitaſſe. Abdita ſic in tutum, ut ipſe rebatur, uxore, Vicecomes, cum in ſingula momenta, & ab hoſte, & ab cive, & ab domo ipſa creſceret metus, ſublatis, quae in illa trepidatione poterant auferri, uno, vel altero comite clandeſtinus, & ignotus urbe exceſſit. Poſtquam apparere deſierat, primo quidem neſciebatur, quonam ille fugam intendiſſet. Mox vulgatum eſt, Placentiam iviſſe fretum amici alicujus ſubſidio, quem fidelem ibi potentemque haberet. Sed inquirebat ultra perſequebaturque nemo: ſatis habebant, quod terrore ipſo capere fugae conſilium coegiſſent, quem per arma, & acies dejicere parati erant.

Turriani fratres interea Caſſioni filii, quorum nomina haec fuere: Martinus, & Henricus, & Muſca, cum aliis ſuae gentis hominibus exercituque foederato, conſtiterant ad Laudem Pompejam irrupturi quovis modo in urbem, oppugnandoque & obſidendo quaeſituri in patrias ſedes aditum, niſi fuga Vicecomitis cuncta aperuiſſet. Ita ſine ſanguine ingreſſi recta petiere diruta ſuas aedes, quibus hodieque id nomen manet, ibique raptim collocato domicilio, fortunam haud dubie priorem, favore nominis, & aſſeclarum opibus quaerebant. Sed in civitate, quae dominari ipſa volebat, non poterat id eſſe inceuentium: ac duae factae protinus acies: una propugnantium Turrianos, quos & acciverant: altera defendentium patriae libertatem, cujus repetendae tempus nunquam habituros eſſe aliud clamitabant, ſi nunc ceſſatum fuiſſet. Profecto nutantibus Turrianis, fugato, ſicuti demonſtratum eſt, Vicecomite, conſtitit hoc tempore ſtatus Reipublicae Mediolanenſis potuiſſet, Metropoliſque liberari, niſi poſt lapſas ſemel res olim, caput potius unum eſſe magno huic corpori, regique ab uno totum ſemper iſtud ignota mortalibus divinae providentiae diſpenſatione eſſet decretum. Non enim aliter quam decreti ejus lege ac potentia fieri potuit, ut gens tam avida libertatis, impatiens obſequii, domitrix expugnatrixque civitatum aliarum, dominatum acciperet Turrianorum prius, deinde Vicecomitum, deinde Turrianorum rurſus, & poſtea Vicecomitem iterum admitteret. Niſi fierent iſta divinitus, & niſi vellet excelſa Numinis providentia populum hunc adſuefacere domino uni, arbitriumque rerum civitati adimere, cui decora alia omnia contuliſſet, non deſuerant animi ſpirituſque populo, & vires, queis duas iſtas familias nihil juris habentes ad imperium, coercere potuiſſet etiam poenis, quibus alii liberi populi ſuos homines appetentes patriae dominatum aliquando coercuerunt.

Noſtri, poſtquam ab exſilio Turrianos in urbem recepere, primo quidem acerrime nitebantur, ne reditus eorum publicae libertati obeſſet, deinde vero ſuccubuere violentiae inexſuperabili, quae Metropolim imperio alieno addicebat: & ſub fallaci ducis ſive rectoris nomine, quo jam decepti toties erant, latitantem tyrannidem accepere, ut ne tyrannide quidem excuſſa alia liberi eſſent. Acceptis autem, ſicuti dicebam, in urbem Turrianis, cum civile bellum eſſet ortum ex eo, quod pars generoſiſſima civium reduces in patriam urbique redonatos eos, ſub legibus ſub magiſtratibus volebat habere communicum ceteris jure: deterrimi quique revocatis ita exſulibus, imperium etiam urbis dabant: fretus novo hoc diſſidio Vicecomes auſus eſt e latebris prodire, quas petierat, ſperans, quia pertaeſum Turrianorum eſſet, poſſe ſui deſiderium oriri. Ea fiducia progreditur ad Piolteium uſque, qui locus decem millia paſſuum ab urbe abeſt. Legati Veneti qui per id tempus ad utrumque Mediolanenſium exercitum de pace venerant, impune venturum, dederunt fidem. Ibi traditis depoſitiſque inſignibus abdicabat omni ſe ſe poteſtate, quam in popu-

populum Mediolanenſem uſurpaſſet: nec ea modeſtia profuit quidquam ad id cujus cauſa ſuſcepta erat. Direpta paulo poſt domus omni regio paratu ſupellectileque referta, cui pepercerant ad eam diem ob Galeatum, credo, filium, qui arma adhuc militemque retinebat.

Tantiſper, iſta dum fierent, nullius imperio ſubjecta civitas, veteris Romanae Reipublicae inſtar habebatur, dominatoreſque ſuos, aut jam fugere ultro coegerat, aut perſequendo armis agebat ipſa in fugam. Deinde, vi urgente illa, quae conſiliis armiſque omnibus excelſa imminet, fato, ſi dicere licet, quodam, ne diu compos unquam eſſet ſui Metropolis, ad accipiendos rurſus, quos ab reditu fugaverant Turrianos, pace inter ſe facta conſenſere primores plebis, Conciliumque omne urbis. Ita reducti rurſus in urbem Turriani, & ab frequenti populo collocati in iiſdem dirutarum aedium veſtigiis, quae tecti ſatis adhuc domicilio praebebant: & ſtudio impetuque multitudinis nova deinde tecta ibi raptim excitabantur. Non dubius jam hinc reducis familiae gradus ad dominationem aditusque erat, haud ille quidem tranſitu ſtatim toto, repentinoque paſſu, ſed quotidianis per intervalla progreſſibus, dum, vel conſenſu publico, vel propenſione ſtudiiſque ſingulorum, auctoritas, & ſplendor aſſidue nonnullus accedit, vel etiam ipſi jam inde ab priore dominatu imbuti neceſſariis ad iſta artibus, arripiunt quotidie aliquid, atque uſurpant, quo ſupra caeteros attollerentur. Celebre per calamitates etiam familiae nomen, & ipſa dirutarum aedium moles, areaque illa, veteris aedificii magnitudinem teſtata parietinis & ruderum acervo: hinc vaſtae ſolitudinis campus, hinc ſuperſtes palatii brachium vitata injuria capax dominorum: hinc ſurgens nova ab fundamentis Aula, conclaveque ſupergrediens altè vicina tecta: & concurſus illuc nobilium populique in parte ſplendoris erat, qui ad principia rerum plus conſert ſaepe quam arma, & omne virorum robur. Praeterea, fratres ipſi egregie inter ſe concordes, modeſtique in alios, & inconcuſſi recentium certaminum recordatione laceſſebant obſequia, nec habebatur indigna domus in quam tranſiret fortuna, quae Vicecomitis fuiſſet. Initia certe conferendi in eam Principatus eadem fuere.

Dux Urbis abſque mora Gundus creatur, qui poſtridie quam nomen poteſtatemque acceperat, ducto in Comenſes exercitu, profugum illuc Vicecomitem, atque rebellium eorum ope reparantem bellum fudit, ac fugavit. Hoc deinde duce bellica res Mediolani adminiſtrabatur: & facili confinio caetera eodem vergebant, ut parum abeſſet, quo minus reſpiceret unius nutum civitas, tot ſemper adflicta malis dum pugnat adverſus id malum. Sed adimebat ſenſum corruptae libertatis ſtrepitus armorum, & compoſitis domi rebus irritata omnia extra urbem: contempta foederis fides: & jam eaedem pro Vicecomite civitates, quae rebellione ſua fugere ipſum coegerant. Namque Albertus Scotus, qui Placentiam obtinebat, praecipuus foederis Turrianorumque reducendorum inſtigator, cum omnes fere Inſubriae populos adverſus Vicecomitem concitaſſet, idem, poſtquam exturbatus ille erat, reſtituere extorrem conabatur: alienabat ab Metropoli Turrianiſque quas antea conciliaverat urbes, & levitate incredibili ſeſe poſtea rurſus cum Turrianorum nomine Mediolanenſibuſque conjunxit. Nunc ſtimulis agitata ejus pars maxima & validiſſima Inſubrum circumiteterat armata urbem, ac depellere inde vi tota Turrianos volebant. Quin etiam ingreſſi ſubita irruptione moenia die quodam Novarienſes, & Cremonenſes, & Placentini Scoto eodem duce atrox per omnes vias praelium ediderе: jamque capto, & communito Viridario, toti urbi minitantes, ab Portae Novae milite, facto ex tranſverſo impetu depulſi ſunt, & pars magna caeſi. In ea tumultuaria dimicatione repentinoque conflictu, Andreas Vicecomes impacta in guttur ſariſſa dejicitur equo. Guidum Turrianum invectum in mediostemere hoſtes, intentis in ipſum undique gladiis eripuit diſcrimini equus ſuus: eumque ferunt reduſſe poſtea in pugnam, & caeſo Placentinorum globo intactum vulnere evaſiſſe.

A Franciſcus Fontana, qui Friſetio mortuo, Eccleſiam hoc tempore noſtram Archiepiſcopus habebat, praefederat prius Eccleſiae Meſſanenſi, indeque pulſus, Novanum aliquandiu populum rexerat nihilo feliciore ibi ob temporum inſaniam Pontificatu, quam apud Siculos olim, & poſtea apud Inſubres: propriumque viri fuit hujus, in magna paſtorali virtute magnoque animo, lacrymas tantum, & lamenta dare ſubjectorum malis. Remedia caetera magnitudine malorum excludebantur: nec umquam ille virtutis explicandae locum invenit, cum admiratione virtutis, ab Eccleſia tranſlatus ad Eccleſiam, ceu remedium, aliquod unicum, & divinum perditis ea tempeſtate mortalium rebus ipſe admoveretur. Ab hoc B Archiepiſcopo Fontana Gulielmus Bruſatus equeſtri dignitate ornatur, quod prodidere temporum eorum ſcriptores, neque propter actionis, ut exiſtimo, amplitudinem, neque propter hominis ipſius ſplendorem, ſed quia familia ea Bruſatorum, ob fidem erga Metropolim una cum familiis e caeſa Novarienſi agro Mediolanum venerat, eiſque exſulibus, tamquam in nova patria blandimenta honorum dabantur.

Non interim Mediolani ulla erat ab armis quies, impetrante nimirum ſubinde Matthaeo ad reſurgendum auxilia aliqua ab iiſdem, ut dixi, qui ſtantem everterant, victiſſimque Metropoli cientе ſuas, & fidelium ſuorum vires, non tam adverſus Matthaeum, quam adverſus eos, quorum ille fiducia praefidioque adhuc nitebatur. Tunc C in foederis rebelles nova inibantur foedera cum civitatum earum rebellibus: & horum quotidie agmina Mediolanum in noſtra caſtra ſeſe conferebant. Venere inter caeteros, ab Novaria Bruſatus ille quem ab Archiepiſcopo Fontana, equitem fuiſſe factum memoravi: Simon Carobianus ab Vercellis: Advocatus Madius ab Como: aliunde alii acres bello, & cum ſua quiſque clientum, ſive conſanguineorum manu. Joannes Montiferrati Demarchus quatuor millia peditum, & delectos equites duxit. Is cum familia ſua in aedibus Ambroſianis eſt diverſatus. Exercitum Ticini reliquerat. Reipublicae nomine paratus alius exercitus fuit facile ſuffecturus adverſus eum motum, etiamſi nulla externa auxilia acceſſiſſent. Praecipua erat in Placentinos ira, qua civitas ea non ſolum ipſa deſciviſſet, exuiſſetque foederis fidem, ſed etiam hortatrix ad alias fuiſſet: princepſque gentis Albertus Scotus, mutando ſubinde ſocios, & amicos, levitate ſua illa quodammodo illuſiſſe rebus videretur. Qua ira, Mediolanenſes, ducto illuc exercitu, tantam agro Placentino vaſtitatem, tantumque urbi terrorem intulere, ut Scotus, relicto Principatu redigeret ſeſe in ordinem, vanoſque ſuos mores, & illud mutabile ingenium transferret ad res privatas, quas etiam repente pertaeſus, voluerat reſumere imperium, ſed fatidio hominis, & Mediolanenſium metu cives obſtiterе.

E Vicecomes collectitio ſuo exercitu, Belinzonam, inde Variſium uſque progreſſus, poſteaquam labi partes ſuas vidit, coeperat latitare rurſus & aliquandiu nihil movebat. Nec Turriani interea laeti detecto nobilium conſilio, qui delere internecione familiam, & patriam ſic liberare conjurarant. Inde exſilia, & proſcriptiones, & pervagante magnas domos poena conjurationis, exſecratus paſſim dies ille, quo exſules eos in urbem, poſtea in principem urbis locum admiſiſſent. Cum haec Mediolani forma rerum eſſet, ſacraeque res & profanae, & ſemper admiſta domeſticis externa ſic haberentur, exibat annus humanae ſalutis milleſimus trecenteſimus octavus, quo non ſere plenior alter Populo Mediolanenſi triſtium ambiguarumque rerum fuit. Perculit exitus hujus anni gravi clade Turrianos, exſtinctis intra paucos dies, Muſca & Martino, viris acribus & inquietis magnae famae cupidine, ut cum eorum vita concidiſſe ſpes in poſterum & conſilia Domus viderentur. Muſca confectus aliquot tabe menſium obiit Octobri praecipitante, Martinus ineunte Novembri, continuatis prope funeribus, quae funera Civitatem in diverſum affecere, prout oderant homines, aut favebant.

Etiam Eccleſiae ſtudia diſparia in mortuos apparuerunt. Nam ad priores exſequias, ordines univerſi prodiere cum inſignibus ſuis, atque pagatim ex agro ſuburbano Sacerdotes adfuere. Stratum erat feretrum verſicolori pretioſa pelle: conchiliatam umbellam, quatuor viri militares totidem haſtis attollebant: corpus exanime purpurea in veſte Franciſcanae aedi eſt illatum. Martino, neque Cleri, neque umbellae honos idem fuit. Sed pompam auxere circumfuſi equites obverſis in terram clypeis trahentes vexilla per vias. Huic privato luctui, publicus Eccleſiae luctus adjungitur, detecto Dulcini cujuſdam ſcelere, quod pertinuit ad urbem depravandam inficiendamque religionem. Homo Mediolanenſis hic fuit Dulcinus: & qui rem tradidere, Fratrem vocant. Sed neque cujus ordinis fuerit, perſcriptum exſtat in ullis annalibus, neque nos ignorationem hanc eſſe jacturam ullorum hominum arbitramur. Secutus ab ineunte aetate ſanctiorem intra clauſtra vitam, aliquamdiu ſteterat inter aequales abſque labe, non ſegnis idem ad litterarum ſtudia, quae in Monaſteriis celebrantur. Poſtea degeneraverat in perditos mores, & opiniones malas, & ſuam urbe tota ſectam occulte proſeminabat, experta nimium ſaepe talium ingeniorum importunitate, ut ſocios errorum quaerant.

Sacri Quaeſitores, re comperta, cum illico prehendi hominem juſſiſſent, aufugit ille arrepta ſecum mulierecula, quam ſtupro ſimul, & diſciplina ſibi devinctam habebat. Secuti deinde complures, qui, vel miſere corrupti, viam illam eſſe ſalutis opinarentur, vel deprehenſo ſcelerum magiſtro, perculſis ob conſcientiam animis, judicii poenas timerent. Hi cum duce ſuo, colles, qui ſunt circa Novariam inſedere, ſimpliceſque montanos in ſuum dogma trahebant, donec ſatellite immiſſo, capti ſunt ad unum omnes, & in proxima Vercellarum urbe cremati. Hoc ea tempeſtate triſte ſpectaculum, & exemplum Urbs noſtra tulit.

Inſequente anno, Franciſcus Archiepiſcopus moritur apud Angleriam in arce: cum civiles turbas, atque temporum eorum mala pertaeſus, ibi haemem ageret, captus etiam amoenitate loci. Namque Angleria in Verbani lacus littore ſita contra Aronam, fruitur Oppidi montiumque proſpectu, & late fluentibus aquarum ſpatiis, & puro ac patente coelo, nec alibi rigor anni minus ſentitur, ubi Sol curſum ſuum ad ſeptemtriones inflexit. Poſſeſſa fere ſemper antiquitus Archiepiſcopo Mediolanenſi, dein verſis rebus, & dilapſa veteris potentiae mole ſaepe Principes mutavit, donec una cum reliquo Verbani lacus dominatu perveniret ad Comites Borromaeos, ac rurſus excideret ex ea domo rurſuſque reſtitueretur, ut memorabo ſi contigerit, ut noſtri aevi varietates attingam. Tunc Pontifici noſtro manebat Angleria, ſimul adverſus pericula munimentum, ſimul ad valetudinum & curarum incommoda receſſus opportunus, quam utramque commoditatem ſecutus hoc tempore Franciſcus ferebatur. Sed mors etiam ibi ſenem invenit. Indoluere Mediolanenſes plus aliquanto quam ut externus deceſſiſſe Pontifex videretur: nec fortaſſe noſtratium aliquis poſt Sanctorum aetates antea pari deſiderio celebratus erat. Adeo ille, cum Civitate Parmenſis eſſet, ut pro Mediolanenſi cive haberetur effecerat comitate in omnes, nec ſe ſe partibus ullis adjungendo, quae duae res communia ſunt officia peregrinorum in aliena civitate, & ubique propria illius, qui Paſtor eſſe populorum velit. Non tamen deſuere veteris memoriae varietates, quae factioſum exſulemque facerent, & Anglerienſem arcem ex filii ſedem Archiepiſcopo, non partem Eccleſiaſtici dominatus fuiſſe commentarentur. Corpus quod fuerat hujus Archiepiſcopi, cum Mediolanum ſepulturae cauſa deportaretur, multi civium, & Clericorum agmina duxere funus: tumulus in Templo maximo paratus erat: ibi peracta eſt ſepultura: nec de ſucceſſore dubitatum. Caſſonus Turrianus ex Ordinariorum Collegio ſupra ceteros eminebat dignitate vitae, & ingenuarum artium diſciplinis, quantum in ea temporum & rerum perturbatione excellere quiſquam poſſet. Aderat familiae favor, quae ſaevos Reipublicae perpeſſa caſus, hoc etiam poſcere ſolatium videbatur. Et Muſca pater recenti ſui nominis memoria, filio commendationem addebat. Atque ipſe manifeſtus erat, generis fiducia privatam illam quietem detrectans, & ſplendidius amplexuſque nonnihil appetens, quam quantum illud Canonici Ordinarii nomen haberetur. Quippe diu cuſtoditus inter primores honor ad plebejos promiſcue vulgari coeptus erat: & dum turbatur haec Patria bellis, aliqui pervenerant in Collegium, quos, optimates eſſe ſibi dedecoros putabant. Ita Caſſonum, neque obſcure, neque indigne petentem, Patres Archiepiſcopum renuntiavere, conſentientibus etiam eorum ſuffragiis, quos nuper in ordinem adſcitos, nobilitas multum infra ſe deſpectando, penitus a ſe alienarat. Placabat, ſive continebat offenſos eorum animos, reſurgens iterum in Guidone poſt Muſcam & Martinum potentia Turrianorum: eaque Domus duplici nuper funere adflicta, dein excitata rurſus, terrore ſui nominis frenabat civium animos, veluti cum unus dominatur. Namque Guido Franciſci F. Ducis nomine Rempublicam obtinebat, magni animi vir, & fraterna ad eam diem, ſicuti videbatur, in ſuos caritate: necdum venerant ea diſſidia, quae poſtea domum funditus univerſam everterunt.

Simul atque ſui ſanguinis habere ſe Pontificem vidit, velut in libera civitate, tulit ad Populum, vellent juberent, mitti publice legatos ad Sedis Apoſtolicae legatum, ut, quem Canonici Ordinarii ſuo jure Archiepiſcopum Eccleſiae Mediolanenſis nominaviſſent, ei ratus honos fieret auctoritate ſuprema: ſubjecitque pauca de viri laudibus, & ſuae Domus adverſis, & ut ea tandem conqueſceret. Decreta repente legatio, quam poſtularat, & clariſſimus quiſque in eam delecti, attributo ſexaginta dierum ſumptu, ut ſinguli ſenos equites ducerent: cumque pecunia non ſuppeteret ex aerario, ab ipſo Guidone mutuum ſumpſere. Cortonae in Etruria legatus Apoſtolicus agebat. Eo Mediolanenſes iere, & expoſita nominatione Collegii, conſenſuque Civitatis, ut rei totius auctor fieret, impetraverunt. Sunt, qui Caſſonum ipſum iviſſe una cum legatis tradant: inde domum redeuntem, in Clarae Vallis Monaſterio ſubſtitiſſe per aliquot dies: effuſa illuc civitate deductum in Urbem: quomodo veteres Imperatores triumphabant, inſtructa fuiſſe omnia Guidonis aſtu ad populum allicien-dum, cujus animi plerumque capiuntur inanibus, neque quidquam tantopere valet ibi, quam ſpecies, & ea, quae ſenſibus hauriuntur.

Ferme ſub ingreſſum hunc novi Pontificis in urbem, cum Principum aliqui, ſeque & patriam, & libertatem ſero reſpicientes, advocata in Palatium concione, de mutando Duce ſalubre conſilium expoſuiſſent, attonitos atque trepidos ad eam rem animos invenere multitudinis, haud alia magis gratia, quam ob recentem, ſicuti traditum eſt in capeſſendo Pontificatu ſplendorem & majeſtatem. Proponebant Principes veterem illam, & in omni bene temperata civitate ſemper adhibitam rationem, ne magna imperia perpetua forent. Dulce libertatis nomen, inſtituta majorum, pericula nimiarum opum, & quanto melius foret, eos imperare, qui viciſſim eſſe parendum ſcirent, quam unum poturi rerum. Haec omnia primo clandeſtinis agitata ſermonibus, etiam libere memorabantur ab illis, qui nobilitate ingenita contemnere Turrianum poterant. Sed quia capta multitudo erat ſplendore nominis, fruſtra fuere. Inſidebat enim animis & adhuc obverſabatur ante oculos illa raro antea, poſtve ſpectata rerum & hominum amplitudo, cum Archiepiſcopus Caſſonus & Guido Princeps, Metropolim hanc, & velut una in domo conſtipatum honorum florem ſuo capite gerentes inhaerentur. Illos ipſos abrogandi Principatus auctores, meminerant, quaſi calones lixaſque Turrianorum inceſſiſſe. Strata coronis itinera, veſtiti parietes auro, egeſta in publicum omnia, quae privatum ad magnificentiam & ornatum expectantur, portae triumphales immiſtae caelo, caelum ipſum, quacumque pompa incederet, purpura ſive linteo inumbratum, & tota denique illo die in equis civitas, deliberanti nunc, ſive potius inſanienti populo caliginem offun-

de-

debant, ut quos in tanto ſplendore conſpexerant, eos ſupra mortale faſtigium, animorum ſuorum exiſtimatione collocarent. Prope ſubibat religio ſtatuendi & committendi quod offendere Domum eam poſſet. Atque auxit admirationem, perculitque vehementius animos ipſe Guido, eum effatus pauca, ut poſitis ſtudiis, Ducem crearent optimum, e concione ſtatim abiiſſet. Videbatur, Patriae ſalutem ante res omnes habuiſſe, deceſſiſſe Concilio, ne praeſens obſtaret libertati. Tanto promptius eum, non refecere modo, ſed perpetuum eſſe Ducem Reipubliceae Mediolanenſis juſſerunt.

Caſſonus inde Archiepiſcopus ab Epiſcopo Novarienſi, Summi Pontificis nomine, ſacris ioitiatur, quae ſolennia erant conſecrando populorum Paſtori. Caeremonia peracta eſt in Templo maximo, cujus ordinem antiquiſſimae tabulae ſic breviter exſequuntur. Feciſſe Novarienſem ad Aram cum ſymphonia & cantu. Prolato diplomate ſtolam albam indidiſſe Caſſono: crucem tradidiſſe, quae praeferretur. Cum Turriani tenentes in hunc modum urbem utroque dominatu ſtarent in ſummo rerum culmine, Guido eſt auſus inſultare Vicecomiti, & adflictam illius fortunam inceſſere ludo, qui multarum lacrymarum ipſi praefugium tulit. Scilicet, ut eo praeſagio devoveretur excidio tota Turrianorum Domus, atque ſuſpicionibus primo, deinde injuriis in ſe ipſam concitata diſſiluet, & paulo antea felices illi, Caſſonus Archiepiſcopus, & Guido patriae pater habitus, duo invicem exempla rerum humanarum fierent.

Matthaeus Vicecomes, poſt opes acciſas moerabatur in agro Veronenſi: locoque Nugarola nomen eſt, ubi ille, quaſi veterum Philoſophorum unus, caſum ſapienter adverſum tolerabat. Illic in Atheſis ripa comite uno die quodam inambulantem coovenere qui tria ſimul haec Guidonis nomine percontarentur. Ecquid ageret? An ſperaret aliquando, ſe futurum eſſe Mediolani? Ac, ſi ſpem eam agitaret, quam fore ſui reditus diem, quodve tempus arbitraretur? Ut ibat, manu virgam tenens, ita reſponſum dedit, Guidoni quod referrent. Ipſos vidiſſe quid ageret. Credere ſe venturum in Patriam: & fore compotem Urbis, tunc cum peccata Turrianorum, in altera poſita divinae libraе lance, peccatis propenderent illis, quae ipſum expuliſſent. Non exſulis eam, ſed veluti miſſam e coelo fuiſſe vocem declarabunt ea, quae ſunt inſecuta. Jam enim fatum appetebat, non vanum atque ſuperſtitioſum illud, quod plena errorum antiquitas, neceſſitatem & nexum eſſe cauſarum credidit, ſed vere ineluctabile aliud ex caeleſti in humanas fraudes ira, quae lentos ſaepe gradus movet ex longinquo, & inopinato. Neque tamen Vicecomes ipſe poſtea diu vitaturus erat idem telum, diuve melior erat futurus. Turriana res ita delata eſt, uti demonſtrabo.

Forte acciderat, ut rem Ferrarienſem, interciſa legitima & juſta Ducum ſucceſſione, Romanus vindicaret, obturbanteſque Venetos, bello acerrimo perſequeretur. Et quia non ſatis proficiebant arma: Pontifici viſum, uti rem gereret alteris etiam armis, quae aqua & igni perduelles impios arcent: ejuſque rei cauſa, ſedens Mediolani Cardinalis Arnaldus edixerat cunctis per Italiam Epiſcopis, uti Bononiam convenirent. Caſſonus Archiepiſcopus ad Concilium ivit ita, ſicuti oporteret conſpici tantae Urbis Pontificem: & quo ſpectatior iret, additi equites ab Guidone, comitatus omnis ad regiae penе fortunae ſimilitudinem inſtructus. Fueritne vetus ſimultas, & odium jam inde a principio incluſum animis, qualia etiam inter proximos venena tecta ſaepe mutuis blandimentis nutriuntur: an ſubita res, an ſine re, mala ſuſpicio, haud ego pro certo affirmaverim. Sane poſtquam Caſſonus Archiepiſcopus ex Bononienſi illo conventu Mediolanum redierat, infenſa & infida eſſe omnia, inter ipſum, & Guidonem coepere, diviſaque Domus in hunc, aut illum, evertere ſe ipſam, & convellere a fundamentis properabat. Tumere animi, mutari vultus, intermitti colloquia, declinari patruelium fratrum occurſus: ex utraque parte comparari gratiarum externarum ſubſidia, velut ad res novas & magnas. Cives reliqui, videbant quidem non ſanas eſſe mentes, ſed quid eſſet negotii, nondum plane ſuſpicabantur. Parari vim aliquam, aut timeri, ſimulari domeſticas inimicitias, & aliis imminere malum: vel ſi nihil ſimularetur, armari Turrianos in mutuam perniciem apparebat. Quotidie nova hominum ora conſpiciebantur, & ex agris armati veniebant in urbem.

Cum rebus & opinionibus hujuſmodi ſuſpenſa civitas eſſet, erectique ſtarent omnes ad id quod fortuna ſpectaculum pararet, peperit dinique Guidonis animus ea, quae jam dudum parturiebat. Ad Cal. Octobris, convenire & adeſſe Turrianos omnes in Templum Maximum jubet: eſſe quae de reconciliandis animis & de maximis familiae rebus agere communiter velit. Spes injecta concordiae, ſummum imperium, religio quoque loci, & ad extremum, fiducia conſanguinitatis, fecit ut frequentes adeſſent, rati poſſe placari ſi quid inter ipſos eſſet offenſum: necdum interceſſiſſe tantas injurias, ut ſub tutela Templi auguſtiſſimi violari deberent. Archiepiſcopus ipſe non recuſavit intereſſe conventui.

Poſtquam omnes adfuere, ceteris intactis, Archiepiſcopo fratribuſque manus injiciuntur. Ille cohibetur intra Palatium, appoſito etiam ad fores milite: fratres Angleriam in arcem aſportati & incluſi. His nomina fuere: Paganus, Eduardus, & Moſchinus. Napino, quem ſimul comprehendere deſtinatum erat, profuit illo die caſus, cum forte in agro, volatu accipitrum oblectaretur. Nuntiato tumultu, proripuit ſe ſe repente Tricium, atque ibi occupata & munita arce tranſitum illius tempeſtatis exſpectabat. Reliqui Turriani, cum intra Archiepiſcopi domum ſtetiſſe injuriam, ſeque paucorum periculo eſſe defunctos viderent, aliquantum ex ea ſolitudine, quae nuper omnes habebat, remiſere. Reputabant, non eſſe ſaevitum in alicujus vitam: laxe cuſtodiri domi ſuae Pontificem: poſſe juſtam ſubeſſe cauſam, & fortaſſe ſuſpiciones & odia potiſſimum huc vergebant. At Guido, poſtridie quam haec erant geſta, convocat iterum gentiles ſuos, & cum illi non detrectaſſent, orationem habuit, qua pietatis ſimul, & gravium irarum ſigna permiſceret. Non dici poſſe quanta recuſatione animi, quantiſque dilationibus ad conſilium neceſſarium acceſſiſſet, ut ſacrae poteſtati, ut ſanguini ſuo faceret illud, quod pridie eſſe factum vidiſſent. Beneficiis ſuis ſemper ornatam domum, gratiam hanc referre propinquo, & parenti, & principi, ut in ipſum damna ſe ſe cum hoſte conſociaret. Atque Caſſonum Archiepiſcopum illum, a quo moneri & corrigi caeteros oporteret, ultro auctorem eſſe conſiliorum, ultro, quantum in ipſo foret, jam Vicecomitem in urbem introduxiſſe. *Nam, ne ignoratis, inquit, Matthaei neptis deſponſa Moſchino eſt, hujus noſtri Pontificis fratri: Napino altera neptis ejuſdem Matthaei datur: Paganus Giberti Correggienſis affines in matrimonium ducit, quae connubia, inſtrumenta ſibi in nos Archiepiſcopus quaeſivit. Et poſtremo ille: cum Bononiam Concilii cauſa proficiſceretur, iter illud a ſummis Eccleſiae rebus Apoſtolicique mandatis, convertit ad excidium veſtrum, & meum, & Patriae totius. Quippe Parmae ſunt ab eo unita conſilia cum Correggienſi, ut ſi ego ad Caſſanum acceſſiſſem, in trajectu Abdnae fluminis interficerer, & capite ſublato, Parmam hanc inter ſe diriperent hoſtes noſtri.*

Subjecit inde Guido, hujus parati facinoris & initi conſilii teſtimonia & indicia, quae haberet; ac nominatim, Philippo Languſco, & Antonio Laudenſi notam eſſe rem affirmavit. Erant in Concilio, praeter Turrianos, Tegnacca Palavicinus, Jacobus Moncia, Philippus Motta Principes Nobilitatis, alioque praeterea, quos Turriani ſecum ob privatas quiſque neceſſitudines & amicitias in eum locum adduxerant, ad caſuum atque ſuſpicionum incerta. Hi magnopere coepere Guidonem hortari, ut, & ſacrae dignitatis in Archiepiſcopo, & propinquitatis in fratribus meminiſſet. Reſpiceret communes atavos, & Patriam, & ſe ipſum, neve ſe ſe demitteret eo, unde receptum poſtea non haberet. Hoſtes illos ipſos, cum quibus Archiepiſcopi domum affinitatibus eſſe conſociatam indignaretur, poſſe connubiorum pignore, & caritate reconciliari. Sin animos gereret im-

implacabiles & malignos, non offerendam illis in ſinum tantam eſſe ſortunam, quanta majorem optare ne ipſi quidem poſſent, ut rueret in ſe domus, ac ſine ulla externa vi, domeſtico furore cruentaretur. Quod inſtructum dolis flumen, & paratum in Abdua ſibi fuiſſe necem dicat, valde eſſe videndum, ne capitaliſſimae ſint eorum inſidiae, qui tales ad metum inſidias proponant. An aliquid poſſe dici tam incredibile, quam hoc? Guidoni Turriano, Principi Mediolanenſium, quem Urbis arma circumſtent, antecedant, ſequantur, & tanta undique cingat exceſſae ſortunae moles: huic igitur in ſuburbana prope aqua, fraudem & vim externam eſſe collocatam? Ac ſi tamen aliquid fuerit, potius oportere ſanari lenibus remediis animos, & venerari Deum, atque tutelares urbis Divos, quod arcana conjurationis retexerint, quam ulciſcendo, adſequi, ut aliud ex alio malum renaſcatur. Nam hunc ſemper conjurationum violenter oppreſſarum exitum fuiſſe. Guido reſpondit, cordi ſore ſibi conſilium amantiſſime quod proponeretur, & habiturum eſſe rationem, ut ne Populo Mediolanenſi tam bene de ſe merito ulla in re diſpliceret.

Interea, Caſſonus Archiepiſcopus cingebatur in dies acriore cuſtodia, Palatii valvas, aditusque & exitus omnes obſidebant armati: conditiones variae proponebantur, quarum iniquitate, poteſtas auguſtiſſima redimeret illius domeſtici carceris ignominiam, & captivos fratres. Conditiones autem eae quaenam fuerint, minime traditum eſt: ſed licet conjecturam capere de caeteris ex una, qua fundos ad Salvanecium uberrimos ac late patentes in ea captivitate dimiſiſſe Archiepiſcopum conſtat. Viceſimus jam erat dies a primo captivitatis die, cum legatus Apoſtolicus, quem, ob rem Ferrarienſem, & Veneta arma, miſſum fuiſſe memoravi, re comperta, Guidoni, & filiis ejus cum horrendo carmine ſacris interdixit. Ejus interdicti auctoritas in oppido ſancti Michaelis publicis tabulis conſignata eſt, & Epiſcopo Novocomenſi negotium datum, ut ille triſti munere defungeretur, atque ſuperba ſubeundo limina, coeleſtes diras ad Guidonem & filios inferret. Enimvero, tunc maxime ſi umquam alias eſt intellectum, quam tremenda ſit poteſtas illius Apoſtolici ſulminis, quo protinus concidunt, non affiata modo corpora, ſed univerſae domus, tota vicinitas, ipſae civitates eodem ictu, & ſortis humanae commercium obmuteſcit. Statim ubi Guido cum ſua prole tergemina tactus eſt hoc fulmine, ceu deforme animal, omni paulatim dilabente miniſterio deſtituebatur.

Abierunt ex aula, primo innocentiſſimus quiſque, deinde his proximi, poſtremo ſervorum vulgus, & amicorum intimi, raraque per urbem adulatio Principem agnoſcebat. Paganus Turrianus erat Epiſcopus Patavii columen familiae propter ſeveros mores & magnam famam, nec ſe ſe antea gentis ſuae turbis implicarat. Is, cognito rerum ſtatu, quae Mediolani agebantur, &, quemadmodum Guido Princeps Urbis, Archiepiſcopo violato, meruiſſet extrema, dignam ſua gravitate actionem ſuſcepit placandorum animorum, & ejus rei cauſa Mediolanum venit. Simul etiam vicinae Civitates erga Metropolim adulatione, & ſtudio, vel quod ſua intereſſe arbitrarentur, deſtinavere pacificatores legatos, quorum nomina in publicis tabulis hoc ordine ſunt reperta: LEGATI CIVITATUM AD PACEM INTER CASSONUM ARCHIEPISCOPUM ET GUIDONEM DUCEM ET SECTATORES PARTIS UTRIUSQUE FACIENDAM. Philippus Languſcus Legatus Ticini. Antonius Legatus Laudis Pompejae. Gulielmus Bruſatus Legatus Novariae. Simon Carrubianus Legatus Vercellarum. Venturinus Bencionus Legatus Cremae. Urbs Novocomum, & Urbs Bergomum binos legavere, quorum nomina ſunt omiſſa: titulus tantummodo Legationis manet.

Harum Civitatum Legati cum Antiſtite Patavino communicantes quotidie conſilia, excuſantes injuriam, auctorem injuriae mitigantes, omnem honeſtae ſatisfactionis viam, & inpoſterum ſtabilimenta pacis exſequebantur. Facile partium animos in praeſentia compoſuere. Quippe Caſſono Archiepiſcopo magnum ad omnia vinculum erat, circumdata domus in carceris formam, incluſi carcere fratres, & proclivis ad ulteriora tranſitus: illum alterum irata lux, alienata prope vita, & minitans quodammodo caelum, accipiendae paci facilem dabant. Et tamen, neſcio, quomodo non ſine magno Pontificis dedecore, Guido ſuperior inconditionibus fuit. Ad v. Cal. Novembris in templo maximo facta qualiſcunque pax inter Caſſonum & Guidonem, ejuſque pacis tabulae recitatae magna voce, ut omnes audirent. Juravit Archiepiſcopus, ſe nulla in re adverſarium fore Guidoni Turriano gentili ſuo: rem, ſalutem, commodaque ejus cum tota domo propugnaturum eſſe. Viciſſim ipſe Guido ſua carmina, ſuumque jusjurandum peregit. Legati nihil juraverunt: adfirmavere tantum, ſe ſuis & Civitatum ſuarum opibus adnixuros, ut ea, quae jurata eſſent, ſancte inviolateque cuſtodirentur. Sed vana erant omnia propter paratum excidium imminentemque finem univerſo Turrianorum dominatui, de quo Matthaeus Vicecomes olim in vatis prope modum e cinerat, cum diceret: ubi Domus illa peccatis anteſtaret, tunc fore, ut pulſi pellerent expulſores, ipſeque in Patriam rediret.

Ea, ſcilicet, hora, idque fatum, non jam appropinquabat, ſed erat in ipſo prope limine, rapidum idem & occultum, & poſt longa curricula inſidians uni jam pene momento. Fuerat inter conditiones, ut ab ea caeremonia quam retuli, protinus Archiepiſcopus in extremos provinciae fines iret, abitusque minitans Guidoni, & coquens in ipſo itinere conſilia rerum evertendarum. Potuit offenſus animus, & in ipſa concordiae ſimulatione plenus irarum, alia quoque ſecum agitaſſe pernicioſa & funeſta, quae poſcerent occaſionum intervalla, & maturitatem ſuam. Promptiſſimum omnium fuit, accerſere externa arma in Italiam, & Henrico Lucimburgo, qui fuerat Romanorum Imperator electus, offerre ſpem alterius Imperii, diviſam factionibus urbem, ſub Tyranno male quietos animos civium, atque praeter vulgata haec, occultas etiam opportunitates notas ei, qui ſemper in hac urbe, pars maxima rerum fuiſſet. Nec deerant velamenta conſilio, ſi ſine armis diſſimulanter ac tuto geri rem placeret. Namque ferreo diademate coronari in Italia Caeſarem antiquus erat mos, idque diadema Modoetiae veluti magnum Imperii ſacrum adſervabatur: *Poſſe Caeſarem, petendae coronae ſimulatione venire Mediolanum, & turbatis jam rebus, fatis fore ſi conſpiceretur.*

Haud ſine diſplicet res Henrico, miſſaque Romam legatione per ſpeciem obſequii, Apoſtolicam etiam auctoritatem inferere conatibus, ob negotii magnitudinem, & varios hominum ſenſus decrevit. Petit ut ſibi ad capeſſenda Imperii ſolennia venire in Italiam liceret. Id facile impetratum. Cardinales etiam miſſi quatuor itineris comites. Ipſe, priuſquam iter ingrederetur, Conſtantienſem Antiſtitem praemiſit, qui Civitates, & Principes Italici nominis doceret de adventu ſuo, & quemadmodum ea pacata profectio, ſalutariſque omnibus futura eſſet. Ac ceterae quidem per Italiam poteſtates, populique cuncti, quacumque Conſtantienſis inceſſit, oſtendere laetos animos, aut ſimulavere. Mediolani, Guido Turrianus, neque laetus fuit ea re, quae nuntiabatur: neque paruit notiſſimae regnantium arti, ut, quod intus non erat, id fronte ſaltem, & oculis, & aliquo ſermone mentiretur. Senſerat, ſive ſuſpicabatur, Archiepiſcopi exſulantis hanc eſſe machinationem: eum privatas injurias, familiae ruinis, & patriae ſervitio ultum iviſſe. Jam enim praeter Archiepiſcopi negotiationem & fremitum, & minas, quae ab exſilio penetrabant in urbem, ipſius quoque proximi palam Henricum accerſebant. Et incluſi ad Anglerium fratres, Eduardus, Paganus, & Moſchinus, quamquam acerrime cuſtodirentur, quibuſcunque poterant colloquiis & litteris miſcebant lacrymas & queſtus, probra in Guidonem, Caeſaris laudes: ipſius pene Civitatis voce liberator Henricus expetebatur.

Guido, cum partium ſuarum homines, in quibus ſpei plu-

plurimum habebat, ex vicinis civitatibus evocaſſet, atque collato cum iis capite, conſilia repellendi Caeſaris agitaret, triſte in eo conventu reſponſum acceipit. Conſenſu namque omnes, accipiendum eſſe patentibus portis, & negotium fore ſalutare totius Italiae rebus acclamaverunt. Quo reſponſo concidit animus Ducis, & adeſſe ultorem Archiepiſcopi Deum ſenſit: jamque Caeſar aderat, exeunte Octobri Inſubriae limitem ingreſſus cum Germanorum Principum, Italicae nobilitatis cohorte. Proceres Eccleſiae, civitatum rectores, aut legati, noſtra cum exteris pompa Imperatorem deducebat, & quo propius incederet, eo plures confluebant. Ipſe, comis alloquio, largus beneficiis, exhilarabat omnia: proſcriptos & exſules in ſuam quemque civitatem obvia liberalitate reducebat. Reſtituti praeter ceteros, Archiepiſcopus Ravennatenſis & Epiſcopus Tridenti: de Archiepiſcopo noſtro nihil eſſe traditum miror, cum reductiones exſulum aliorum ſint traditae & perſcriptae nominatim. Certe indicant Acta, Caſſonum Archiepiſcopum ab Caeſaris adventu Mediolani reducem fuiſſe.

Interea Matthaeus Vicecomes ille tanti nominis exſtitit, cui quieſcenti triumphus ex victore olim hoſte pulcerrimus parabatur una cum Patriae dominatu, ſolerti conſilio fortunam ſuam adjuvit, fremente, ſicuti eſt animadverſum, Archiepiſcopo Caſſono. Namque Caſſonus, voluerat ille quidem perſequi ſuperbiam Guidonis, ulcifci contumelias, rerum ſummam alio transferre: ceterum, non erat ea res cordi, ut ſummum urbis imperium ad aemulam ſuae genti domum rediret. Evolvi fortunae culmine Guidonem Turrianum: non autem pro Turriano dominari Vicecomitem volebat. Neque recentes affinitates, & longinqua connubia, de quibus eſt demonſtratum, habebant eam caritatem, ut veteres atque flagrantiſſimas inimicitias oblitterarent. Ac ſi ſublatae forent inimicitiae, non tamen conſilium erat, Patriae principatum ei tradere, qui fuiſſet inimicus. Vicecomitis aſtum in ſtruendo ſibi ad Caeſarem, inde ad ſummam fortunam aditu, fuit hujuſmodi.

Franciſcus Garbanatenſis erat quidam in ipſo aetatis flore, cum naturae muneribus excellens, tum ornamentis etiam illis, quae ipſi ſibi homines parant. Decorum corpus, dignitas oris, ſermo jucundus, ingenium ad omnia ſimulanda vel diſſimulanda promptum erat. Acceſſerant litterae interiores, duque verſatus in Patavino Gymnaſio, rationem Imperii, gentium inſtituta, vim naturae, differendi ſubtilitatem, elegantis judicii juvenis comprehenderat. Poſt conſueta liberalium artium curricula, civilibus turbis immiſtus frequentarat partes maxime Gibellinas, & ob eam rem adverſae factionis opibus, ac potentia Turrianorum expulſus, Matthaeo comes exſilu, revolutus ad ſtudia litterarum, id malae fortunae ſolatium habebat. Sunt qui ſcribant, ob ingenii famam, adſcitum fuiſſe inter eos, qui tradendis ſapientiae praeceptis, vel interpretando juri civili per ea tempora Patavinae Academiae principes habebantur. Hunc ſibi Vicecomes, & vetuſtate amicitiae conjunctiſſimum, & ſtudiis iiſdem, aptum putavit ad ea exſequenda, quae deſtinabat. Itaque, cum eo collocutus de tota conſilii ſui ratione, rogat juvenem, ut arma equumque ſumat, & militariter ornatus, ſe ſe immiſceat in regium comitatum, quod perfacile foret, cum alii quoque reciperentur in eorum locum, quos longinquitas itineris, aliive caſus abſtuliſſent. Poſſe ipſum habilitate quadam ad Aulae conſuetudinem, & opportunitatibus aliis, quae in animo, quaeve extrinſecus adeſſent, innoteſcere primoribus, deinde per eos ad Regem introduci, levem denique notitiam adducere in jura familiaris amicitiae. Id ubi ſucceſſiſſet, expoueret Regi, quomodo ſeſe res tota Mediolanenſium haberet: oneraret merita invidia Turrianos: nomen Vicecomitum extolleret, ac ſi quam de ipſo nominatim haberet honeſtam opinionem, parem in Regis animo ſenſum atque miſericordiam afflictae virtutis excitare ſtuderet. Auctoritatem & pondus fore teſtimonio, quod ultro daretur abſenti, quodque per fortuitos ſermones, dum nihil aliud quam res ſimpliciter ipſae, & ea, quae fuiſſent geſta, memorarentur. Si quis ejus commendationis & officii fructus exſtaret, fortunaque melior ſequeretur: eum fructum, & eam fortunam ſciret Garbanatenſis cum Vicecomitum Domo ſemper ſibi fore communem.

Omnia ſicuti deſtinarat Vicecomes, evenere: facilis juveni aditus in regium comitatum, mox apud Aulae principes gratia, inde familiaris cum ipſo Rege congreſſus, teſtimonio fides, exſulis admiratio: tum ea, quae deinceps exponentur. Apud Haſtam urbem agebat Henricus. Eo confeſtim evocari Matthaeum jubet tactus deſiderio viri propter ea, quae de ipſo Garbanatenſis memoraverat. Neque ille dubitavit iter. Benigne acceptus ita cum Caeſare egit, ut Garbanatenſis minime adaequaſſe verbis animum exiſtimaretur. Ac tanta primo congreſſu fuit Henrici affabilitas erga Vicecomitem, ut, qui illic erant Archiepiſcopi familiares aut propinqui non temperarent, invidia ſtimulante, quo minus finito colloquio digredientem contumelioſe inſectarentur: idque Caeſar audivit. Scilicet, ex tanta ſtatim comitate Regis in exſulem, id quod futurum erat, augurabantur: ideo non continuere linguae impetum, & animorum dolorem. Mox etiam Archiepiſcopus ipſe ſupervenit, qui, ſive ſuſpicatus latentem in proximo Vicecomitis fortunam, ſive nondum plane ſuſpicatus, jungere cum eo ſtabilis amicitiae foedus concupivit. Nec ille abnuebat, gnarus primas dominandi ſpes omnibus auxiliis indigere. Et forte aderant ex utraque parte, quos ei foederi ſanciundo intereſſe oporteret, qui omnes juravere fore ſibi rata quaecunque Caſſonus Archiepiſcopus & Matthaeus Vicecomes inter ſe pepigiſſent. Foedus interpoſita Caeſaris auctoritate eſt initum, & oblivione praeteritorum indicta, hae conditiones in poſterum placuere: Matthaeus ut in adminiſtratione Reipublicae ne quid ſibi peteret nomine Ducis aut Vicarii, quae veterum certaminum atque ſeditionum vocabula urbem affluxiſſent. Staret ab Arce iepiſcopo ſemper, domum ejus, rem, Eccleſiamque tueretur. Daret operam cum factione ſua quantum poſſet eniti, ut Populi ſuffragiis eligeretur qui ſummae rerum praeeſſet. Id Imperium eſſet annuum. Finitimae civitates ne lacceſſerentur ullo bello donec in Archiepiſcopi fide manſiſſent. Reſtituerentur in vetus imperium & Eccleſiae juriſdictionem, Angleria, Vallis Aſſina, Varena, Travallia, Derium, Bellanum, Leucum, Caſtellantia, Mercurellum, Caſtanum, Variſium, Legnanum, Concorretium, & cui ab opimo feracique agrum Beatum pingue cognomen manet. Ea omnia, temporum & hominum injuriis erepta Mediolanenſi Eccleſiae, promittebat Vicecomes adnixurum ſe ſuis opibus, ut Archiepiſcopo, ſicut antea, parerent. Tritium vero & Bregnanum, & Vaprium, & Caſtelletum, fratribus Archiepiſcopi gentilitio jure poſſeſſa loca, ſi qua vis, aut injuria, poteſtaſve tentaviſſet, obviam ſe ſe iturum idem recepit. Longa inde ſeries conditionum ſequebatur: *Archiepiſcopo ſuppetores corporis aſſignantor ex publico. Derivationes aquarum, ex Ticino & Abdua fluminibus ad irrigandos Eccleſiae fundos, immunes ac liberae permittantor. Archiepiſcopus & Vicecomes, ad vitandas rixarum initia, ne fundum, villam, domum, arcem, aedificanto, vel emunto, niſi duo milia paſſuum inter utramque poſſeſſionem interſint. Fundos ad Salvanectum, quos Neapolio Pontifices avus cum Celſiano Monaſterio permutavit, Vicecomes ne attingito, neve rem eam in controverſiam vocato. Si quem Vicecomitem, aut ſi quem Turrianum in exſilium mitti contigerit, ejus bona, Turrianum exſulis, ad Caſſonum, Vicecomitem ad Matthaeum tranſeunto. Si quae mulier, ex Vicecomitis domo nupſerit in Archiepiſcopi domum, ea mulieri dotis nomine dantor fundi, quos Matthaeus ad Bregnanum emptos habet: quod ſupra datem ex agrorum pretio redundabit, Turrianis refundito. Affinitates & connubia ſunto inter utramque domum: conſociare ſanguinem, & miſcere gentes liceat. Archiepiſcopi arbitrium eſto, quamas dari dotes juſſum ſiet.* Adverſus ea, ſi quid ab alterutra parte commiſſum eſſet, ei qui recteſſet a conditionibus, ſis neſtimata flor. nummum XXX. mill. eaque mulcta ut totiens exigeretur, quoties aliquid violatum eſſet, pepigere.

Lau-

Languſcus, & Advocatus, & alii Guelfae factionis homines aderant, cum Archiepiſcopum inter & Vicecomitem ea tranſigerentur. Hos tota res minime lactos habebat. Sed non erat id auctoritatis, ut praeſente Caeſare in tali negotio turbare quidquam poſſent. Conſilium quod poterant, unicum inire, tentandi ſi forte a partibus Gibellinis ad Guelfas pellici ſe ſe Caeſar pateretur. Nam ſi ejus rei facultatem aliquam haberent, poſſe Archiepiſcopum, poſſe Vicecomitem everti ſummis Patriae rebus, quas jam inter ſe diviſiſſent. Itaque coepere varias injicere moras, & ſtruere quaſcunque poſſent artes detinendo Caeſari, ut ſpatium haberent movendi aliquid antequam ille Mediolanum veniret. Vercellis primo tentavere nonnihil, deinde cum ibi parum proceederet, Ticinum uti diverteretur, ſuadebant. At Caſſonus Archiepiſcopus, & Matthaeus Vicecomes, artificio cognito, diſjecere cunctationem, haec modo cum dixiſſent: dolos ineſſe conſiliis, & ipſi Caeſari periculum in dilatione ſi ſeguiter urbem Mediolanum ingrederetur. Nam eſſe ibi nonnullos animo inimico, quorum anteverti conatus oportet, ne palam, aut occulte aliquid moliantur. Simul intulerant, ferream Coronam Imperii ſtabilimentum, fruſtra aliis quam Gibellinae factionis opibus quaeri, hanc in ipſorum eſſe poteſtate ac manu. Ita Caeſar abrupit moras, repudiatique cunctatoribus, ex Vercellarum urbe, Novariam, inde Mediolanum venit. Vicecomes pari cum Rege greſſu ſublimis ad dexteram equitabat. Reliqua exſulum manus, ut quisque praecipuo odio pulſus a Turrianis fuerat, ita proximi ibant Regi: ſic traditum eſt. Quo magis miror, cum pompa illa deſcriberetur, & incolentium ordo, praetermiſſum eſſe locum Archiepiſcopi, qui debuit inter primos eſſe, vel ob recentem gratiam, vel ob ſuam dignitatem, vel propter urbem, in quam ibatur.

Neque tamen ambigam, quin fuerit in reliquo ſacrorum procerum choro, qui Regem deducebant. Reliqui autem ſacri proceres fuere: Balduinus Archiepiſcopus Trevirorum. Papuianus Palmae. Gerardus Baſileae. Theobaldus Leodii. Legionenſis praeterea, & Conſtantienſis & cum Romana legatione longus Pontificum atque togatorum ordo. Nobilitas univerſa Mediolanenſis ad agri fines obviam proceſſit: obſcurior turba more ſuo, moenia, tecta, vias impleverat: cum Guidone tota Guelforum factio, Caeſarem ad portam, qua ingreſſurus eſſet, exſpectavit. Superbum id viſum hoſpiti caeteriſque, & auverat offenſionem ipſe Guido, cum in tanta publica gratulatione animadverſus eſſet pene unus obducta fronte, confuſoque vultu, dextera tenens vexillum, in quo Turrianae gentis inſignia depicta cernebantur. Nihil in tali tempore fieri alienius potuit, adeoque irritaverat ea ſpecies animos, ut Germanorum aliquis arriperet id repente vexillum, & ignominioſe affligeret ad terram.

Tunc Guido fremens & gemens deſcendit ex equo, pedemque Caeſaris appropinquantis eſt, fortuna jam apertius minitante, deoſculatus. Ferunt, Henricum ſe ſe valde comem praebuiſſe Turriano, monuiſſe tantum, ut in Caeſarum & Regum adventu ſubmittere falces diſceret, atque addidiſſe vulgatum illud, ne adverſus ſtimulum calces. His animis & hac frequentia Caeſar acceptus in urbem, ferream Coronam ex Oppido Modoetia petere maturabat, eique negotio nihil eſſe praevertendum ratus, juſſit ſuo nomine dari litteras ad Archipresbyterum, & Canonicos ejus Eccleſiae, quarum litterarum ſententia haec fuit: *Henricus Romanorum Rex Auguſtus. Archipresbytero, & Canonicis Modoetiae, viris beneſtis. Sal. Quod caeteris ante nos fecere Romanorum Reges, id nobis etiam facere in animo eſt, ut ferream Coronam, quae in veſtri Templi theſauris aſſervatur, capiti noſtro vite imponendam curemus, cujuarei cauſa Italicum hoc iter eſt ſuſceptum. Cumque nobis cordi ſit, ut omnia, quae ad eam rem pertinent, pro ni gotis dignitate adminiſtrentur: etiam colloqui vobiſcum de ratione caeremoniae totius, & de Coronae ipſius antiquitate ac jure neceſſe habemus. Quare oportebit, Archipresbyterum una cum antiquiſſimis e Collegio venire quamprimum ad nos, & aſſerre litteras omneis, omnia privilegia & monumenta, quibus ea caeremonia continetur. Id ut fiat magnopere vobis mandamus. Familiaribus vero noſtris, Alarda Rebas, & Clephoni Gemulo, qui vobis has litteras reddent, fidem habebitis. Dat. Mediolani Cal. Januarii, Regni noſtri anno ſecunda.*

Canonici, litteris acceptis, Regia mandata confeſtim exſequuntur. Moxille Modoetiam ivit, ubi ſummo oppidanorum ſtudio adornata erant omnia celebrandae coronationi: Templumque Baptiſtae, quod ibi religioſiſſimum antiquiſſimumque eſt, regali inſtructum opulentia, Regis adventum, & caeremoniae diem exſpectabat. Sed nulla prodidit hiſtoria, quo repentino caſu, quove meditato conſilio factum fuerit, ut ea profectio, iſque apparatus ad irritum caderet, atque paulo poſt, converſo retrorſum itinere Caeſar Mediolani potius coronaretur. Modoetiae quod ſpatium Regia commorata eſt, id eximmandis Turriani conſiliis, meundiſque rationibus adverſus illius meditamenta fuiſſe tranſactum: inde retro Mediolanum, unde venerat, tetendiſſe Regem ferunt. Coronatus eſt in Baſilica Ambroſiana feſto Epiphaniae ſolenni, & Pontifices qui affuerunt, hoc ordine perhibentur: Archiepiſcopus Trevirorum. Archiepiſcopus Genevenſis. Epiſcopus Brixiae. Epiſcopus Vercellarum. Epiſcopus Novariae. Epiſcopus Bergomi. Epiſcopus Laudis Pompejae. Epiſcopus Pataviі. Epiſcopus Veronae. Epiſcopus Mantuae. Epiſcopus Novocomi. Epiſcopus Rhegii. Epiſcopus Mutinae, Epiſcopus Parmae. Epiſcopus Placentiae. Epiſcopus Derthonenſis. Tridentinus. Conſtantienſis. Baſilienſis. Haec apud Bernardinum Corium nomenclatura Pontificum eſt, in qua praetermiſſos eſſe nonnullos reor, quippe, qui, neque Germanarum Antiſtites alios, neque Mediolanenſem Caſſonum videam in eo numero comparere, cum tamen, & illos profectos e patria Caeſari comites itineris in Italiam veniſſe conſtet, & hunc in ſuam Eccleſiam hoc tempore fuiſſe reſtitutum conjecturae omnes loquantur. Quorſum enim atti inuerat confirmari pacem, iniri foedus, & ex Caeſaris auctoritate quaſi dividi rerum ſummam, Archiepiſcopum inter & Vicecomitem, ut ille poſtea in priſtina exſilii calamitate, & ignominia relinqueretur? Laetiſſimae Caeſaris res, rerum intra tantarum, artes & praecepta regnandi, reducem Archiepiſcopum oſtentari popularibus, & in ſua collocari ſede poſtulabant.

Caeterum, ne qua Modoetienſi Templo fieret injuria, neve municipes illi, jam inde a Longobardorum Imperio tribuam jus amitterent: publicae tabulae confectae ſunt & recitatae: non oportere fraudi eſſe Modoetienſibus, quod ſumendo ferreo diademati Caeſar Urbem Mediolanum, & Baſilicam Ambroſianam elegiſſet. Larga deinde dona miſſa Modoetiam, non in Templum modo, ſed civibus privatim, ut quiſque ibi ea tempeſtate vir clariſſimus erat. Majore in Mediolanenſes liberalitate uſus, centum inſuper & nonaginta novem ornavit equeſtri dignitate, Matthaeoque Vicecomiti principem ejus Ordinis locum dedit. Jam Guido Turrianus ceſſerat urbis imperio, redactuſque erat ad res privatas, non ſolum ipſa Regis praeſentia, quae cuncta in ſe traheret, ſed civium etiam inclinatione, qui, vel ſtudiis erga Caeſarem, vel in Turrianos odiis, vel ſola rerum novarum cupidine, regimen hoc externum amplectebantur: ſui civis praefecturam, tyrannidem vocabant. Miſera civitas neque ibi habitura quietem erat.

Poſt dominatum illum alienigenum, ſervitii domeſtici neceſſitas inſubat rurſus, & novae ſeditiones, & veteres in Archiepiſcopum injuriae, & ſemper unius mali finis, ut graviusex eo malum exſiſtat.

Haec peragam ingenti calamitatum ſpectaculo, quaſi narraverim adhuc urbis otium, & pacis opera.

Poſtquam Henricus Metropolim hanc, & cum ceteris reliquas Inſubriae Civitates, inteſtinis ipſarum certaminibus, Caſſonum Archiepiſcopum, & Matthaeum Vicecomitem, pulcherrimo Patriae munere ſibi obnoxios habebat, acceſſeratque nomen Imperii, conſenſus Eccleſiae, ſolenne Coronationis, haud dubie cuncta ipſi obe-

obediebant. Civitatibus dedit alis alios Rectores: Mediolani Johannem quendam hominem Gallum suo nomine Vicarium instruit. Isbimethri imperio nequam est repertus. Successit alter Senensis deterior etiam priore. De Caesare ad Mediolanenses, de Mediolanensibus ad Caesarem falsi referendo, suspicionibus implebat animos: etiam Ecclesiae statum & jura carpebat. Non Archiepiscopus interea, non Vicecomes, quive aderant huic aut illi, datam nuper inter se fidem admodum colebant: & celerrime res ad seditionem venit, qua Turriani deleti sunt aut ejecti. Galeatius & Franceschinus erant Mediolani Principes juventutis: ille Matthaei filius, hic Guidonis: uterque ferox natalibus, & aetate, fortunaque Patris, alter quidem adversi, alter vero secunda. Turriano juveni stimulabat animum tantarum amissarum opum acerba recordatio simul & adspectus: Vicecomes videre patria in domo quam exspectare summum imperium malebat. Plenae Germanorum viae, braccati circum tribunalia Magistratus, externi per omnia mores, corrupta barbaris modis rerum & hominum vocabula turbabant affluetos domesticis imperiis & peregrinarum rerum impatientes. Parum tangit eos quod antiquis inimicitiis Penates utrique dissiderent, neque obstant partium inter ipsos funesta consilia & irae, quo minus ipsi conspirent, ut sanguine Germanorum urbs inundetur. Extra portam Ticinensem, in campo, forte an ex destinato congressi, de ea re contulere sermones, & postero die, signo dato Civitas universa in armis fuit. Sed virilibus animis juvenes puerili consilio instruxerant rem. Cum enim globos uterque suos, & ad idonea loca dispositos armatos haberent, adversus reliquae multitudinis trepidationem atque concursum nihil providerant. Ita, cum participes facinoris, uti moniti erant, gladios repente distrinxissent, ignari quoque sumunt tela quod cuique promptum erat, & uno pene temporis momento major armatorum numerus, quid petent, quove dirigerent ictus ambigebant. Interea consciti obtorpuerant manibus animisque. Mox, temere sive astu conclamatum, rebellasse Turrianos a Caesare, violasse jus hospitii, ivisse ad arma, ut hospitum, ut dominorum sanguine macularent urbem. Vox ea convertit impetum repente omnem in Turrianorum genus, non secus atque si intra aliena moenia vel castra deprehensi speculatores & hostes essent. Galeatius ipse dissimulata conjuratione acerrime pugnabat ut in proditores, & ipse socium prodiderat, clamitans, ite mecum qui salvam esse urbem, qui vivere Caesarem vultis. Non cessabat Matthaeus Vicecomes in eo tumultu filium inhibere, monebatque idemtidem, ut se se eripere furentibus maturaret. Plus poterat impetus animi concitati, quam periculi metus, aut patris verecundia. Simul eo processum erat, ut adversus pericula subsidium ipsum esse discrimen arbitraretur, nec aliter posse majestatis atque perduellionis crimen evitari, quam si conversis armis a Germanorum caede, genti Turrianorum ad internecionem instaret. Francischinus & Simon Guidonis filii fauciis equis clam exiere porta quae Divi Marci tunc dicebatur: feque ad Montorfanum in arcem aegre proripuerunt. Horum pater ipse Guido cum domi quaereretur ad necem, per aedium postica transgressus in vicinos hortos, gregali habitu per aversum aliud ostiolum est enisus. Direpta domus, & Turrianorum caesi quotquot improvisum illum casum effugere non potuerunt. Archiepiscopum ipsum, quia gentis erat illius, ob nominis contagionem & invidiam, haud procula periculo abfuisse creditum est, licet nulla nominatim ejus in tali tempore calamitas tradita sit.

Caesar, sedato tumultu, Vicecomitem incusavit, ob Galeacium filium, a quo seditionis initium ortum esse arguebat. Suo beneficio reductos in Patriam, cum Archiepiscopo reconciliatos, ornatos etiam muneribus, adversus ipsum conspirasse cum illis, quos eorum causa inimicos haberet. Vicecomes ad ea, purgare juvenem, transferre culpam omnem in Turrianos, profiteri, quemadmodum ipse cum sua prole totaque domo semper in Caesaris potestate futurus esset, & vitam citius, quam fidem aut obsequium amissurus. Non tamen effugit, quo minus paulo post, Hasdam ipse, Galeacius filius Tarvisium ablegarentur, crimmantibus nimias opes aemulis, & data occasione, nihil omittentibus quo jam exulceratum animum asperarent. Postea Garbaniatensis idem, quo architectante Vicecomes primos sibi gradus ad Principatum struxerat, quique, velut appositi machina Caesaris animo, poterat eum flectere quocumque res ferret: ille igitur brevi tempore dissimulanter effecit, ut exsul uterque revocarentur, & finis exsilii, dominationis initium esset.

Fere sub eos dies, quibus ab eo paucorum mensium secessu Mediolanum redierant, Matthaeus Mediolani Vicarius jubetur, quo deinde gradu, filii nepotesque & secuta posteritas in summae potentiae fastigium redire, donec irrequieto rerum civilium orbe rursus ad aequa devolverentur. Nempe sic etiam Turrianis acciderat. Nescitur autem, quanam recondita arte fecerit Caesar, ut cum initio destinasse videretur, admovere rerum summae Vicecomitem, imponeret tamen alios Vicarios urbi, quorum ut poenituit, huc denique vertit rursus animum. Nec magis traditur, quae potissimum causae Matthaeum irritarint, ut totam postea sui dominatus vim converteret ad Archiepiscopum evertendum, cum quo recens foedus erat, quem etiam sine foedere, sacrum & sanctum revereri, jus fasque esset. Vicissim Archiepiscopus ipse, cur a Matthaeo repente defecerit, & abruperint uterque conditionum vincula, quibus vinculis immutuam se se defensionem, atque societatem implicarant, ignoratur. Nisi si forte veterum inimicitiarum implacabilitas est quaedam insida post pacem, nescia quietis, memor malorum, aliquando latens & inclusa, rursus impetu manifesto saeva & atrox. Et potuerant odiis inter se capitalibus dissidere Turriani florentes, inquietante domum fortuna more suo ubi nimia coepit esse: iidem, urgentibus adversis, ad suae propemodum exstinctae familiae misericordiam evicti, fera jam concordia contra communem hostem coalescere debuerunt. Non utique alia probabilior causa repentini dissidii, quo Cassonus Archiepiscopus, extremas meruisse Vicecomitis iras, Vicecomes partam divino beneficio potentiam inhumanis adversus Ecclesiam foedare modis, potuere.

Robertus Siciliae Rex aemulus Caesari hoc tempore exortus, addiderat animos desperatae Turrianorum genti: ad eum undique congregabantur Guelfarum partium homines, Archiepiscopo concitante, si forte illius opibus ad recuperandam fortunam, momentum efficere aliquod possent. Ac cernere tunc erat insigni exemplo, quantum ad reconciliandos animos res adversae valeant, cum Simon & Franciscinus filii Guidonis assidue stipati circa Cassonum Archiepiscopum, paternum hunc inimicum, uti patrem adfectarentur, consilia contra Vicecomitem inuntes, quae vana erant. Et emolliverat ante omnia Pontificis animum, quo placabilius teneriusque respiceret gentiles suos, miserabilis interitus ipsius Guidonis: atque sollicitabatur pectus ejus caritate mortui, cum quo vivo certatum erat odiis, & pereundi perdendique insania. Obierat Guido, cum post indecoram ex urbe fugam, in morbum incidisset, quem novus animi dolor aggravarat, ubi Roberti Regis auxilia, quae spes unica Guelfis fuerant, cum Henrici copiis infeliciter dimicavere. Itaque anxius Archiepiscopus misericordia suorum, & quasi sepultae domus dolore, per omnia se se contorquebat meditamenta & vias, & artes, ut familiam paulo antea dominam Urbis, nunc profugam & extorrem, dissipatamque recolligeret. Ea res, neque caput neque pedes habebat. Namque Siculi Regis, uti dictum est, auxiliares copiae caesae apud Placentiam & fusae spem pene ultimam destituerant. Languscus & alii Principes factionis capti in eo praelio, & in vincula Mediolanum rapti. Terror caeteris, & crescente in dies Vicecomite, plena omnia desperationis. Quippe ille, praeterquam quod haud dubie Mediolani rerum summam obtinebat, sive Caesaris voluntas, sive studia civium spectarentur, etiam in externa, vim &

opes proferebat. Galeacium e filiis natu maximum foederatae civitates exercituum Imperatorem appellarant. Eumdem Placentia ſibi Principem optarat. Marcus & Luchinus Galeacii fratres, & Garbanatenſis ille, tantarum rerum inſtrumentum additi Galeacio conſiliorum participes adjutoreſque negotiorum, quo latius omnes imperii partes occuparentur.

Adverſus ea, quid conſilii, quid auxilii reliquum Archiepiſcopo, partibuſve, quae verterant animos ad ſaeram poteſtatem cum ſpes caeteras amiſiſſent? Rationem hanc iniere tamen, ut novas ab Rege Roberto ſupplicias, miſſa in id legatione, poſtularent. Ac ne ob rem antea ram male geſtam irritae preces forent, addebant ad poſtulata id, quod, ſicuti multum valuit ad impetrandum, ita in exitu detecta vanitate, cum ira contemptum in deſperatos excitavit. Oſtenderant namque Regi, eſſe quam plurimos intra urbis moenia, multos in agro Mediolanenſi, nonnullos etiam in Vicecomitis ipſius aula, qui reſtitui Guelfos, atque Turrianum reſurgere nomen averent. Cum his eſſe rem ita compoſitam, ut conſpectis auxiliorum vexillis, caperent arma, concitarent plebem, fortaſſe etiam aliquid amplius exſequerentur. Conſpici tantummodo ſigna & Guelfici nominis liberatores oportere.

His aliiſque rationibus perſuaſum Regi Roberto eſt, ut lectiſſimas equitum turmas mitteret, quas vel peragi poſſe negotium crederet, vel ſi nihil efficeretur, haud ultra repugnandum neceſſitati eſſe, totamque converſionem hanc Inſubriae rerum, non hominum temeritate, ſed divino nutu factam interpretari. Equites fuere ad octingentos, habiti terrae robur, unde mittebantur. Dux eorum, qui judicio Regis & virtute ſua, ſpem fortunamque Guelforum, & Regni magnitudinem in ſuo capite pulcherrime ferre unus omnium Siculorum exiſtimaretur. Ubi terram Inſubriam attigere, Ticinenſibus adjuncti (nam urbs ea Guelforum erat) longo ambitu circumducuntur ad Legnanum, qui locus abeſt ab urbe Mediolano XVI. millia paſſuum, & pridem Archiepiſcopo ſubjectus, ad hoc tempus non mutaverat fidem. Illuc exeunt contra & Vicecomitis copiae: ſed praeceptum erat, ne dimicarent in praeſentia, hoſtem tantummodo diſtinerent. Dimicatum tamen eſt, & adverſa pugna Mediolanenſibus fuit, jamque victores Regii, quaſi reſtituto Turriano, ſummum ſe decus ad Regem ſuum eſſe relaturos putabant, ſi quidem haud vana reperirentur ea, in quorum ſpem exciti ab domo veniſſent. Hoſte diſſipato, circumſpectantes omnia momenta, vident moveri nihil, nullum fieri concurſum ex agris, non aliquem ex urbe tumultum nuntiari, & torpere ſibi quodammodo victoriam, quae, ſi ſperata illa rerum & voluntatum inclinatione deſtitueretur in alieno ſolo, plane actum eſſe nihil intelligebant. Quo magis introſpicerent praeſentem rerum formam, eo minus praeparati quidquam oſtendebatur, atque ut omnino deſperarent, ſubito Vicecomitis conſilio eſt effectum.

Habebat io cuſtodia Philippum Languſcum Ricardi patrem, cujus nutu, res, & animi Ticinenſium hoc tempore gubernabantur. Huic dici jubet, ſi ſalvus eſſe velit, ne cunctaretur admonere filium, ut Ticinenſes ab Legnano quam primum abducat. Scripſit captivus ſenex ad filium totidem fere verbis: Quanti patris caput aeſtimaret, tantum admoneretur, ut protinus Ticinenſes ab externo illo hoſte ſegregati domum irent: ex hujus rei momento ſibi pendere vitam: plura ſcribi non poſſe, neque attinere: periturum eſſe patrem, ni filius ſtrenue agat. Statim patria caritas accenderat juvenem. Ita praeter caeterum ſolitudinem, Ticinenſium etiam digreſſu nudati regii frementes in Archiepiſcopum, caeteroſque Turranos, abiere. At Vicecomes, magno repente periculo liberatus, reputans ipſe ſecum, haud alias, quam Archiepiſcopi conſilius & artibus adminiſtrari potuiſſe rem tantam, ac profecto niſi mature obviam iretur, inquietum illum animum, perpetuam naſcenti dominationi calamitatem fore: coepit ita hominem inſectari, ut aerumnis confiteri velle videretur, quoniam, ſi manifeſta caedes patraretur, minus id ſibi ad famam hominum, & rerum initia utile futurum putaret. Ac ne injurias quidem & omne contumeliarum genus, per ſe, vel per ſuos, directo in Archiepiſcopum inferebat: ſed ſaepius movebat ea, quorum ſenſus & dolor ex longinquo ad illum pervenirent: interdum etiam ipſius capiti, & vitae periculorum minas aperte intentabat. Et prompti erant ad omnia, qui tali in negotio demereri Principem geſtirent, atque adeo ſervili more, de ſuo ſemper adderent ad ea, quae Princeps innueret, ſive imperaret.

Habitabat Archiepiſcopus in ea urbis regione, quae dicitur Orientalis, conducto domicilio Philippi cujuſdam Vaprienſis, quia credo tutius ibi munimentum adverſus imminentia, & quia meminerat Eccleſiaſticas aedes ſub Guidone antea ſibi carcerem fuiſſe, atque ſubierat animum cura, ne Vicecomes id ipſum imitaretur. Nec ideo violentiam effugit. In conductitio illo tecto Pontifex hoc tempore eum ſederet, Balatronus Matthaei filius quoddam hujuſmodi facinus auſus fuit: Collecto juvenum grege, quorum nomina ſuo loco deinde referentur, ſilentio noctis Pontificias illas aedes ita cinxit armatorum corona, ut quacumque aliquis exiret, a circumſedentibus exciperetur. Hac poſita indagine, per ſcalas evadit in aedium ſummam cum promptiſſimis, & ubi diduxere leniter tegulas, in laquearia ſeſe, inde, qua pervium fuit, in impluvium ſirdo veſtigio pari lenitate demittunt. Subeunt eo complures inventa via, & brevis horae momento Pontificia domus plena juvenum inſolentium fuit. Occupant alii januarum clauſtra, cubiculorum fores alii pulſant & effringunt, ſopitamque repentino terrore familiam, qua cuique ſors obtigit, ſine certamine captivam agunt. Archiepiſcopus ipſe ab iis, qui conclave irruperant, lectulo alligatur. Caeteradaxle aguntur hoſtilem in modum: egeſtae pecuniae: direpta ſupellex: & quae non poterant auferri, ea per laſciviam effuſa & conculcata. Pauci qui caritate domini, ruptis vinculis, obviam ire voluerunt, conciſi vulneribus: & periiſſe in ea nocturna injuria duos Archiepiſcopi familiares conſtat.

Hactenus Pontifici inſultatum. Poſtero die, ille minime ambigens facinoris auctorem: ipſoſque miniſtros, & ſi venerant in diverſa ora & vultus aſſimulati barba & capillo, ſuſpectans tamen & recognoſcens, alios quidem ſtatim, alios vero poſtea, conſilium iniit, ut ex urbe abiret. Funeſto illo ludo denuntiari ſibi necem crediderat, & trepidi ſuo quiſque caſu familiares, minime eſſe cunctandum ſuadebant. Cum trepido & exiguo comitatu Pontifex abiit, ac pene fugienti receptaculum fuit Caſſanenſe caſtellum, quod poſitum in Abduae ripa, tunc Eccleſiaſticae ditionis erat, & loci illius homines praecipua in Archiepiſcopum fide, dum ſui Principis vitam tegerent, infeſtam Vicecomitis potentiam haud magnopere reſpiciebant. Egreſſo Pontifice, irritata ſunt odia, quae ſedare debuerat, vel jam ſatiata contumeliis ira, vel voluntarius ille diſceſſus, & veluti facta confeſſio, cedendum eſſe potentiori. Quotquot Archiepiſcopi negotia procurabant in urbe, vexati ſunt, & pulſati, donec procuratione abſiſterent, aut occurrente alia injuriarum materie, ſicuti fit, oblivioni traderentur. Ad Archiepiſcopum deinde ipſum infectandum incubuere illi, queis curae erat, non exſequi modo Vicecomitis imperia, ſed voluntatem quoque tacitam, & nutus omnes interpretari. Hi cum machinis, & telis & omni oppugnandarum arcium inſtrumento ad Caſſanum profecti, circumſeſſa arce, & ponte occupato, ſubegere Pontificem ineluſum, ut ſaluti ſuae conſulens, nocturno tempore, per averſam, occultiſſimamque portam exiret. Ac fortaſſe praebebantur ultro fugiendi tempora & occaſiones ab emiſſariis illis, & ſatis habebant pepuliſſe loco: ſanguinem & caput cum viderentur appetere, fortaſſe non appetebant. Ex illa Caſſanenſi fuga Cremonam tetendit, exſecrantibus quacumque incederet paganis impia conſilia, ſacrilegaſque manus, ob quas animarum Paſtori, nulla in ſede conquieſcere licitum eſſet. Exſecratio major paulo poſt eſt inſecuta per univerſam Inſubriam apud omnes, quicumque integros a par-

partium contagione animos haberent. Etiam alieni & infenſi, temporum dedecus, & negotii indignitatem agnoſcebant.

Cum enim Epiſcopus Sabinenſis Pontificis Max. legatus iret ad Caeſarem, mandaſſetque Pontifex Max. Archiepiſcopo Caſſono, ut ei legato Mediolani occurreret, atque ut inter ſe colloquerentur, fruſtra ad Sedis Apoſtolicae mandatum fuit. Nec ſolum fruſtra fuit, ſed etiam quia ſorte divulgatum erat, congreſſuros eſſe Mediolani Legatum Apoſtolicum, & urbis ejus Pontificem, coepere Magiſtratus, & praefecti tota Vicecomitis factio quendam hujuſmodi ſermonem ferre palam ac diſſipare: Si veniret in urbem Archiepiſcopus, non temperaturos eſſe manibus: omnino fore ut moreretur. Ea fama & ſermonibus ipſi ſuis, quaſi jam praeſentem inimicum haberent, magis adhuc exaſperati, ſedulo deinceps omnia conquiſivere, quae nuntiata exſuli, deſperationem & maciem, & tabem extremam adferre poſſent. Intercepta vectigalia, captae arces, occupati fundi, tabularia direpta, ſpoliatae aedes, immunitatum Eccleſiaſticarum omne genus violentiſſime ſublatum, & nuda quodammodo Eccleſia, nudum Archiepiſcopi nomen abjectum oſtentui. Demum, in contumeliam hujus nuditatis, ſacrae virgines expulſae monaſteriis, & quibuſdam earum admota tormenta ut neſcio quid exprimeretur. Inceſſere poſtea per urbem & agros vagae ac deſertae, quod etiam in horum temporum diſciplina periculoſum foret.

Tot damna, tot injuriae, cladeſque, & ſuper omnia, calamitas exſilii, perpulere Caſſonum, ut quod adverſus ea telum habebat, id vibraret. Vicecomitem prohibuit communione ſacrorum, eique interdicto cunctos illigavit, qui fuiſſent ejuſmodi rerum adjutores & miniſtri. Totam Principis domum percuſſit anathemate, quod longo carmine effatum exitat horrido temporum illorum ſermone. Sententia fuit hujuſmodi: *Caſſonus Archiepiſcopus viris utinam providis Matthaeo Vicecomiti, Vicario, Conſiliariis, & Conſulibus & Concilio Reipublicae Mediol. Galeatio, Luchino, & Balatrono Matthaei filiis. QUO MODO SEDET SOLA CIVITAS PLENA POPULO FACTA EST QUASI VIDUA: O VOS OMNES QUI TRANSITIS PER VIAM ASPICITE ET VIDETE SI EST DOLOR SICUT DOLOR MEUS. Urbs olim felix & inclyta, nunc jacet praeda illis, qui Rectorum nomine tyrannidem exercent: jacet veluti truncum ſine capite corpus, relicta crudelius habitanda, quam ſi deleta foret. Ejecto Paſtore lacerantur Eccleſia: Mediolanis patitur ea, quae non exſpectaret inter barbaros: & haec ipſa veſtris manibus, aut impulſu: certe nam prohibuiſtis. Tu Balatrone, patris impii peſſimus proles, cum nos in aedibus Philippi Vapriſii moraremur, veniſti eo dux agminis nocturni: nos, familiamque noſtram vinxiſti, ſpoliaviſti, & ſunt adhuc ibi ſanguinis veſtigia, quem Urſinus Mulinarius, & Bonaventura Mantuanus, veſtro ferro confoſſi noſtri familiares effuderunt. Participes ſceleris & ſocii fuiſtis, vos Odoarde Provane, Pagane Mandelle, Ingreſſone Soreſina, Zardine Beſana, Martine Montorfane, Balatrone Beccaria, Philippe Lomate, Zamba Ponturole, Corradine Comenſis, Jacobole Vapre, Coppine & Zofrandine Prealones, Scaldamacia Meda, Papine Taberna, Franciſce Vitusne, Ambroſi Derle, Petre & Joannes Maluepotes, Mazola Meratenſis, Leo Graſelle, Planelli fratres, Cavallioni fratres, Pagane Scaravacte, Ardigane Rhadenſis cum filio, Vicenſole & Antonolo Marliani, Pagane Rhadenſis, & aſſeclae veſtrum omnium ad trecentos. Tanta manu fuit opus, ut Epiſcopus inermis opprimeretur. Ipſum Epiſcopum oportuit poſtero die clandeſtino egreſſu ſalutem petere, ne ſciſceret interfectus nocentiores vos faceret. Quid deinde vobis inauſum atque intemeratum fuit? Corradinum Camerium Vicarium noſtrum, & Galvaneum Medicem Praepoſitum Sancti Donati, ex Brollienſi Xenodochio, in quo ſedentes Eccleſiae negotia procurabant, exturbaviſtis intentato mortis metu. Caſſanenſem arcem, in quam confugeramus, obſidione cinxiſtis: ut nuſquam niſi in fuga praeſidium eſſet, effeciſtis. Si redivimus in urbem, manibus veſtris conceptu-*

ros eſſe Paſtorem, una voce conclamare, non exhorruere vobis animo. Tu Male Groppelle, arcem noſtram, quae eſt ad Caſſanum. Tu Lodriſi Vicecomes, eam, quae ad Abiatum eſt, occupaviſti. Tu Matthaee, rem univerſam Anglerienſem, Leucenſem, Bellanenſem, Vallaſinenſem, Caſtanenſem, Travallienſem, Brebienſem, quae arces & loca ſunt antiquitus Eccleſiaſtica noſtri juris, tenes. Eidem tibi decimae noſtrae Laſaminae, reditus noſtri Varieſienſes, portoria noſtra Mercuriolana, noſtrae piſcationes ad Puſianum exiguntur. Tu Luchine fili, domum noſtram Coyranam foribus effractis invaſiſti quomodo barbari hoſtes agunt. Tu Creſſone Cribelle, montes noſtros, Derium, Geſſanum, Mugiaſcam, Varenam: tu Eccole Puſterla Falegnum noſtrum potiris. Adeo nihil eſt penſi vobis, quid futurum ſit extremo ſaeculorum die, quidve nunc aeternus Judex talia videns hominum ſcelera, viciſſim paret. Neque in meo ſolum & meos, neque ipſum injuriae veſtrae deſaevierunt, ſed eum ipſa Eccleſia, cum religione ipſa bellum impium atque nefarium ſuſcepiſtis. Eccleſiaſticos homines, nullam aliam ob cauſam, quam qua nomine hoc cenſebantur, conjeciſtis in vincula, tributa vobis ferre coegiſtis, ita ut, ex univerſa Dioeceſi decem milia nummium aureorum aerario veſtro referrentur. Tantidem ordo Franciſcanorum, tantidem Humiliati ſe ſe redemerunt, & quidquid praeterea conditum in cellis horreiſve habebant, immiſſo milite diſſipaviſtis. Litteras publicas Eccleſiae Mediolanenſis, & monumenta privilegiorum, communitatum, jurium, quae monumenta & litterae adſervabantur in S. Radegundae Monaſterio, Beltramus Prandebonus, eus mandatum erat, ingreſſus ea clauſtra, per vim abſtulit: & Monaſteriis Majoris virgines cum antiſtitefſina, quas vobis adſpicere fas non eſſet, contrectavere carnificeve veſtre. Matthaee Vicecomes, vosque caeteri, qui tenetis urbem. Haec omnia veſtro nutu ſunt adminiſtrata. Vos rei ſcelerum tantorum eſtis. Quamobrem decrevi ego Caſſonus Archiepiſcopus Eccleſiae Mediolanenſis, arborem exſcindere, quae fructus bonos non facit, & auctoritate, quae mihi conceſſa eſt, ferire anathemate vos omnes, & arcere communione ſacrorum, eaque, ut ſi contumaces & inemendatos ultima dies oppreſſerit, extra ſacratos ſuos veſtra corpora ſepelirı non debeant, idque anathema nunc a me vobis inſtigitur. Te vero Matthaee, tanto magis ferimus, quia foeras ecclefiis duris addictus jam inde ab eo tempore, quo ſuperiores Archiepiſcopi Vicarium Generalem ex civitate praecipuem ejeciſti.

Erat Matthaeo politicum ingenium, nec extra ſuſpiciones atque conjecturas ambiguae religionis, nec ſine cura, quod ad ejus rei famam attineret. Rem Eccleſiaſticam ita tractabat, ut ſuperiora declarant: rurſus videri ſe pium volebat & erat fortaſſe: ſed in eo negotio ſua plerumque Principibus via, cumque recte ſentiant, regnandi ſaepe conſiliis & artibus abducuntur ab eo quod intus alunt. Vicecomes id recti pravique confinium nimia licentia tranſgreſſus, eo denique proceſſit, ut a Pontifice Max. Haereticus appellaretur. Nunc Archiepiſcopi diris implicitus, neque revocabat exſulem, neque farciebat Eccleſiae damna plenus artium ſenex, avidus potentiae, blandus alloquio ſemper & vultu: benignitas & magnificentia factorum, dominationis utilitatibus regebantur. Caeterum, quo plus invidiae parari, ſibi ob Archiepiſcopi calamitatem & anathematis infamiam videbat, eo magis firmare opes, proferre imperium, munire domum affinitatibus adverſus pericula & caſus imminentes. Quippe ſenſerat etiam incommodos de ſua religione ſermones haberi Romae, & parare Pontificem Max. ea, quae in Catholicae fidei rebelles ultima ſunt Apoſtolicae Sedi. Prima munimenta quaeſivit, ut ſubigeret urbem Ticinum, qua ſubacta, Alexandrini ſocietatem & foedus expetivere: nec Parma cunctata eſt. Inde ſe ille pro Caeſaris Vicario, Principem dominumque Mediolanenſium appellavit. Ad exigenda vectigalia, premendamque oneribus urbem, obtentui erant reſidua certamina cum Guelfis, quos fractos jam ſatis atque debilitatos, penitus eſſe delendos memorabat. In omnibus rebus ſpecies & pompa Principatus erat. Praetoria cohors, octoginta ſervi, ephebi nobiles, caetera aulae: & quia ſeptuageſimum jam annum egreſſus vitali calore deſtituebatur, fovendo ſeni conquirebantur lectiſſima

puellarum corpora, eaeque ſimul cubabant. Juvenes filii, Galeacius, Marcus, Luchinus, Stephanus & Joannes agebant pari magnificentia & luxu. Caeteris cordi paternae potentiae moles, & pars dominatus, domeſtica pariter & externa, & propaganda ſucceſſio: Joannes ad ſpem & occaſionem Eccleſiaſticarum opum atra in toga domi caelebs manebat.

In hanc domum ita ſtabilitam atque firmatam undique confluebant omnia quo felicior hominum more diceretur. Et erat ejuſmodi rerum curſus, ut vel Anathematis poenam haudquaquam meruiſſe Vicecomitem, vel fluxam & infidam eſſe fortunam exiſtimarent, quae circa caput impium ſic luderet: ac diverſus poſtea ludus exſpectabatur. Derthona & Alexandria pene certatim in idem imperium conceſſere: ſimul potiundae Liguriae ſpes affulgebat. Turbata illic omnia civilibus diſſidiis, petita Vicecomiti nurus ex Auria domo, & Marcum filium pulſi Principes ex urbe Genua ſibi Ducem adſciverant. Haud dubie Regnum Italiae quaerebatur. Ea tentamenta Pontificem Maximum, pro paterna in univerſos cura minime quietum habebant. Nam praeter Eccleſiaſticae rei lacerationem, inteſtamque ſacrorum hominum vitam, & nominatim Archiepiſcopi exſilium indignum, etiam neceſſe erat ſuo nomine diſplicere naſcentem in Italia tyrannidem, uti tunc dicebatur. Ut enim exortus Mediolani Vicecomes, alia atque alia appetendo loca, impotenter agebat: ita tyranni minores in aliis urbibus, pari violentia, civium & Eccleſiae res inſe trahebant, hominibus ipſis ſuperbe abutebantur.

Itaque Pontifex Max. juſſit admoneri Matthaeum & caeteros: niſi communi cum caeteris jure vivere adſueſcerent, abſtinerentque deinceps animos ab omni Eccleſiaſtico negotio, acturum ſe ſuo jure, & Apoſtolica arma moturum in rebelles. Illi, traditos a Caeſare dominatus obtinere ſe ſe, nec poſſe ſuas opes a Pontifice Max. labefactari, vel infringi, vana ſimul & impia reſponderunt. Denunciata communiter haec & reſponſa: majora ſeparatim in Vicecomitem movebantur, & majore ipſe contumacia uſurus erat. Jam enim agebatur in occulto reus atrocium culparum, ad quas facile tranſitur ab tali ingenio, talibuſque artificiis, quale ingenium & artificia in hoc homine fuiſſe demonſtravi. An vero innoxia mens homini, ſanum de religione judicium, & inimici, cum alia re laedere non poſſent, illud ad criminandum arripuere, quod probabile eſſet in tali vitae forma, quodque etiam ſi reſelleretur, mureret tamen eam notam Vicecomitum nomini, quae cuncta deformaret. Equidem malim hoc verum eſſe propter magnae familiae poſteros, qui, ſicuti veteris fortunae reliquiis civitatem noſtram ornant, ita majorum religionem teſtantur ſua.

Non tamen omittam rem demonſtrare ſicuti geſta eſt. Bonfacius Farra, & Laurentius Gallina Guelfi humiles, poſt res ſuas afflictas, deſperata Patria, commigraverant Romam, & propter polita ingenia, bonarumque artium diſciplinas nacti locum in aula: dexterе ac liberaliter agendo, pervenerant illuc, ut gratia, & fide, & auctoritate apud Pontificem Maximum inter primos eſſent. Hi coepere criminari Vicecomitem, quod ad tyrannica facta impios de religione ſenſus adjungeret, quodque uno verbo manifeſtis indiciis Haereticus eſſe convinceretur. Hacreſim illius eſſe de RESURRECTIONE MORTUORUM. Ab eodem ſolere Daemonas evocari. Haec duo capita litteris atque teſtimoniis arguebant. Reliqua memorare ſatis erat, nota omnibus crimina ſimul & firmamenta criminationis hujus. Quid enim de altera vita, deque uno & vero Deo ſtaturum habere poſſe illum, qui ſua ſede pellat Epiſcopos: quaerat ad necem, in exſilium agat? Hunc eſſe hominem, qui poſteaquam provinciam invaſerit, ſit ſacra omnia depraedatus, ſacrorum adminiſtros omni crudelitate vexarit: adoleſcentulas etiam, quae perpetuo ſe ſe voto virginitatis obligaſſent, ejecerit extra monaſteria, & earum pietatem atque pudicitiam habuerit ſuae libidinis incitamentum. Ob tot infanda facinora damnatum anathemate, communione ſacrorum excluſum, ſpernere coeleſtes poenas: dummodo procedat ad tyrannidem via, penſi praeterea nihil habere. Profecto, qui ſic vivat, eum, non verbis, ſed quae praedicatio ſit gravior, profiteri re ipſa, & veluti concionari diverſum quiddam a catholico ſenſu fideque communi: & ſuis gaudentem inſtitutis, publicam Eccleſiae diſciplinam irridere. Neque vero imbutum erroribus animum temperari ſaltem in eo, ut propria ſit peſtis ipſius, inteſtinumque malum: ad prolem univerſam, paternae infamiae manaſſe contagionem, in patris mores & inſtituta filios abiiſſe.

Parati erant alii, qui jactarent eadem in omnibus circulis, & facile commoto ad ejus negotii curam Pontifice, eſſe res in quaeſtione publiciſque tabulis coepit. Patres etiam ſuper eo negotio aliquoties convenerant, & re conſiderata, ſtatuerant, non ſanam mentem eſſe Vicecomiti, compererantque inquirendo, foveri opibus ipſius haereticos, turbari Quaeſitorum officia, & Guilelminam infame monſtrum, de cujus ſecta & fine demonſtratum eſt, perdiu ſub ejuſdem umbra, & tutela latitaſſe. Poſteaquam teſtimonia & indicia, ſententiaeque Patrum congruebant, & undique manifeſta teneri res videbatur, Matthaeum Vicecomitem Pontifex Max. procul ab omni ſacrato limine, omnique piorum coetu eſſe removendum decrevit, ipſum, & filios ejus, & quotquot impliciti conſiliis, ſive miniſteriis talium rerum actionumque eſſent. Ea tremenda ſententia perſcripta eſt, & promulgata ſolennibus verbis, & ſi quae alia miſceri ob rerum atrocitatem oporteret. Sed adverſus coeleſtes illas minas, Pontificioſque terrores, & quovis bello funeſtiora pericula, Vicecomiti ſenſum auferebat dulcedo Regni: atque obdurando paulatim proceſſerat in eam miseriam, ut impune diſſimulari talia poſſe arbitraretur. Et Numinis irae cunctabantur pauliſper, quo graviores incumberent tempore ſuo, & oblitum officii Principem, ſicuti juſtum eſſet, admonerent.

Interea, res Eccleſiae Mediolanenſis, nihilo meliore erant conditione ac ſtatu, quam ſub tali domino eſſe oporteret. Tamquam in Mahometana, vel Calvinica urbe, intermiſſa ſacra, fugitivi Sacerdotes, aut prohibiti fuga, Pontifex adhuc exſul: & quo foedior erat forma Civitatis, eo magis irritabatur Principis animus, quia recidere in ſe omne dedecus, invidiamque ſentiebat. Caeterum, quia non erat obſcurum, qui motus, quaeve pericula ſequerentur illam Anathematis poenam, inſtitit adhuc agere multa & parare, quo tutior foret. Caput erat, immores Italiae tyrannos, & dominos urbium conciliare ſibi, tum ne victi religione, Romana arma ſequerentur, tum ut ſecum arma & vires contra Romanum aſſociarent. Ejus rei cauſa, Soncinum, qui locus eſt in agro Cremonenſi, concilio Principum indicto, convenere frequentes, quippe in id ipſum jam antea callide & ambitioſe praeparati. Namque Vicecomes, cum ſemper, ut dictum eſt, aptus illiciendis animis, tum hoc tempore praeſertim in id ipſum intenderat artes ſuas, & aliis ad alios blandimentis utens, Canem Scaligerum in omni congreſſu dulciſſimum ſibi prolem appellabat, propterea quod id nomen utriuſque aetati conſentaneum eſſet. In eo Soncinate conventu, ad firmandos in ſe animos alienandoſque ab Eccleſia, orationem habuit hujuſmodi: Neceſſario fuiſſe conveniendum in unam ſedem, ut coram agerent ea, quae non fuiſſent committenda litteris aut legatis. Agendum autem eſſe de ea re, quomodo partos felicisſime Principatus etiam tueri feliciter poſſint adverſus communem hoſtem atque ſub Religionis titulo latentem invidiam. Pontificem Romanum nulla laceſſitum ipſorum injuria vel culpa, tantum Archiepiſcopi Caſſoni, reliquorumque Guelforum ſtudio, inimicum repente exortum, vim ſuam Apoſtolicam occupaſſe in eo, ut Gibellini nominis opes deleat atque evertat. Communiter univerſis intentaſſe tyrannidis crimen, ſibi praecipuum ex religionis crimine dedecus eſſe quaeſitum, & eo dedecore, quantum in ipſo Pontifice ſit, armatas in ſe res omnes, imperium, amicos, vitam quoque ſi Deo placeret, ereptam. Haec

eo

eo pertinere, ut anathematis poena perterrefacti Principes defererent ultro caput ſuum, & veluti languentia membra defererentur viciſſim a capite, diremptique ſic omnes ab ope mutua jacerent praeda illis, qui pulli ſceleribus ſuis atque debellati perditae ſuae fortunae vindicem Romanum invocaviſſent. Sed vi & concordia contra artes enitendum eſſe fortibus viris, cavendumque, ne, ſi pertimuerint, opprimantur ac pereant ſuo metu. Quae Romanus interminetur, neque tanti facienda, ut reſiſtendi mentem conſiliumque adimant, neque tam parvi, ut neglecta ſerpant latius, & inſanabile poſtea malum fiant. Monere ſingulos, ut quanti ſuam quiſque incolumitatem ducat, tam intrepido animo incumbant ad communem ſalutem: & gerendae rei conſilia, quae habeant acerrima & fortiſſima cum ſuarum quiſque virium parte conferre in medium velint. Paſſerinus Mantuanus erat in eo conventu. Is pro ea auctoritate, quam omnes ei poſt Matthaeum haud dubie praecipuam tribuebant, dicere orſus, non modo Vicecomitis conſilium probavit, ſed fuit etiam infeſtior quam fuerat ille: Pontificemque Romanum & Eccleſiae nomen eſt inſectatus oratione ſua, quomodo ſi nihil ibi ſupra conſuetudinem hominum aliorum eſſet, & ſtudia quae mortales alios habent, in illa quoque ſuprema poteſtate verſarentur.

Ejus Paſſerini orationem in hanc ſententiam fuiſſe memoriae proditum eſt: Si quis Principum eſſet avidus exitii ſui, velletque fortunam eam amittere, quam divino nutu & naſcendi ſorte eſſet adſecutus, hunc debere non admittere penitus in animum ea, quae parens publicae ſalutis Matthaeus amantiſſime ac ſapientiſſime propoſuiſſet. Pontificem Max. hominem eſſe factioſum, partium ducem, inimicum imperio, nomenque illud ſanctiſſimum commodaviſſe Guelfis ad fatianda odia: colluſionem eſſe mutuam inter Romanum & Turrianos, ut ſi factio ſuſtulerit cornua, tota ſit in hujus poteſtate, viciſſim iſte ad tollenda cornua ſit adjumento. *Jam de jactatione minarum*, inquit, *& coeleſti periculo, quod denuntiatur, cum idem ſentiam, quod a Matthaeo dicti audiſtis, eadem me putate dicere quae Matthaeus dixit. Nihil, neque timendum cenſeo magnopere, neque contemnendum, ne metu impediamur malorum remedia, contemptu malum creſcat. Hoc amplius cenſeo, ut Canis Scaliger gerendo bello dux creetur.*

Inclyta erat Scaligeri fama, nec fere militaribus factis & magnitudine animi clarior quiſquam ea tempeſtate habebatur, oderatque idem acerbiſſime Turrianos, & Caſſonum Archiepiſcopum, cujus potiſſimum inſtinctu ea gliſcere pericula principibus Italiae viris putabat. Imperium tamen illud & adminiſtrandi belli ſummam aliquamdiu recuſavit, dictitans alios eſſe potiores, & magnifice differens, quas ob cauſas ſibi quemque praeferret.

Ea oratione acuit magis Principum ſtudia quam reſtrinxit, ſummaque voluntate rem omnes ad eum detulere. Ita Scaliger foederis adverſus Pontificem impii dux creatur magno dedecore urbis Mediolani, unde conſilia haec manabant. Sed dedecus erat majus idemque ſtimulus audendi omnia, quod anathemate damnata jam ſaepius civitas contraxerat quaſi habitum ejus rei quemdam, & irato Deo cuncta quotidie ruebant in pejus. Interea Caſſonus moritur ex Archiepiſcopo Mediolanenſi Aquilejae Patriarcha, vir, ſuis & familiae rebus utramque fortunam expertus. Natus in familia dominatrice obtinuerat honorem, qui natales etiam infimos aequare Principibus poſſet. Principi ſimul & Archiepiſcopo plauſerat civitas. Dein verſa protinus omnia: diſſidium capitale cum proximis: captivi fratres: cuſtoditus ipſe domi: mox exſul, & dum vult injurias perſequi, genus ipſe ſuum evertit, quodque fuit miſerrimum omnium, fortunam quam ſuis abſtulerat, inimici communes tenuere. Iidem poſtea novum amicum, vetcrem hoſtem dominatui ſuo ludibrium habuere, pulſumque rurſus, in aliena terra coegere mori tam prope ab exſule quam fuerat olim a patriae domino & regnatore. Is Caſſoni finis fuit.

Matthaeus devicto in hunc modum Archiepiſcopo, ſecundam ex Pontifice Max. palmam petebat, ut quemadmodum illum ejeciſſet, ita adverſus hunc immobilis ipſe atque reſtare invictus poſſet. Hujus tantae atque tam impiae rei ſpes univerſa poſita erat in eo, ſi praeter foederatorum auxilia fatis ipſe ſuo Marte foret inſtructus ad repellendum hoſtem, cujus arma primo ſtatim motu ipſam concrepare victoriam atque triumphum viderentur. Simul, ut antea demonſtravi, etiam ſi nullum a Pontifice bellum immineret, invaſerat animum cupido Italiae capiundae, ſcilicet ut omiſſo Principis nomine, Rex appellaretur, quemadmodum ex Vicario ſe ipſe Principem feciſſet. His animis, ſex millia peditum cum equitatu quantum efficere maximum potuit, in Ligures miſit, ubi Marcus filius ſtrenue rem gerebat. Negotium autem erat illud plenum opportunitatum maximarum, ſive mari bellum veniret, ſive a Pontifice Maximo copiae terreſtres in Mediolanenſem agrum immitterentur. Sed quanta cura Vicecomiti Genuae potiundae, tanta ſollicitudine Genuenſes ipſi tuebantur urbem, & acciverant auxilia, quibus impetum facile ſuſtinerent.

Hoc tempore Vicecomiti deceſſerat uxor, cum qua vixerat mira concordia, & ſuper id, quod nihil magnopere ad Genuam procedebat, etiam domeſtico afflictus luctu, dedere paulatim religionibus animum creditus politici ſupercilii ſenex, aut coepit, aut ſimulavit. Quippe etiam Scaliger deſerta foederis fide perculerat hominem, atque varias volventi cogitationes occurſabant interdum, mortuus in exſilio Archiepiſcopus, Apoſtolicae dirae, ſtatus Eccleſiae praeſens, omiſſa ſacra, tot in Deum injuriae, non quidem ut palam excitaretur aliqua mutatione vehementi, ad quam homines ejuſmodi fere non deſcendunt, ſed tamen ut acrius introſpicientibus eſſe commotum appareret. Bonacoſa Burra (id nomen mortuae Principis uxori) ſepulta eſt in Euſtorgiana Aede qualibus debuit exſequiis in Civitate, quae jaceret anathemate defixa, in qua gratificari rerum domino religionem ſuam, aut vellent ſacerdotum plerique, aut cogerentur. Annus hic erat humanae ſalutis milleſimus trecenteſimus decimus nonus, quo anno, tantam fuiſſe frigoris vim ferunt, ut Padus (rarum illi flumini) gelu duratis aquis, tutos onuſtis quoque plauſtris inceſſus praeberet. Mendici homines, qua quiſque forte conſtiterat, reperiebantur exanimati, cum defecta inſuper alimentis corpora concaleſcere nuſquam poſſent. Conſtitit, obriguiſſe multos ante foculum, aut ſub lodice, & quia panes ipſi ſtatim e furno lapideſcebant, inter mandendi conatum plerique efflabant animam. Magis etiam horribile ſpectaculum alii fuere, quos in colloquio, ſive actione aliqua, vita: epente deſtituit, ita, ut oculos, ora, manuſque in quo praegrigerant habitu & motu defixas non niſi poſtea deprehenta mors teneret.

Implicito bellis conſiliiſque ſuis Principe, clauſa Eccleſia, Paſtore profugo, nulla erant publica ſubſidia plebi, & nova haec peſtilentia populum abſumebat. Quaſi piaculum coeleſtium irarum eo tempore quaeſiviſſe Matthaeus eſt viſus, cum theſauros Templi Modoetienſis, quos Turriani ante ſextum & quadrageſimum annum oppigneraverant, ſua pecunia redemiſſet. Id pietatis opus re ipſa liberale, magnificum etiam in ſpeciem fuit. Namque Modoetiam ejus rei cauſa Vicecomes ipſe profectus, depoſuit ſua manu theſauros in Ara, & Praeſidem ejus Templi Divum clara voce eſt precatus, ut ſi ei cordi fuiſſet, ſua illa munera & ſuos honores in priſtinam reſtitui ſedem, cujus opera & pietate id factum eſſet, hunc, prolem ejus, & ſubjectas imperio gentes benigne tueretur. Haec ita precatus, admonuit ſevere Templi ſacerdotes, uti theſauros illos quam diligentiſſime in poſterum cuſtodirent. Regum & Reginarum eſſe dona venerandae antiquitatis, quae moveri ſua ſede & alienari ſit nefas. Talibus dictis, & multo magis liberalitate ipſa commoverat omnium animos, ut largus idem piuſque praedicaretur. Namque, ſex & viginta millia florenorum in eam redemptionem inſumpta fuiſſe conſtabat, quae ſumma ad eorum temporum aeſtimationem debuit longe major eſſe quam eſſet, poſtquam aucta rerum pretia & novi orbis aurifodinae metallis honorem imminuerunt.

Interea Pontifex Max. ad vindicandas Mediolanenſis Eccleſiae contumelias delendamque Vicecomitis tyrannidem, foedus init cum Ruperto Apuliae Rege, quoniam ad eam diem Apoſtolicis denunciationibus & anathematis poena profici nihil potuiſſet. Etiam Rex Galliae ſocia arma junxerat, iſque mille equites ducibus Philippo, & Carlotto, & Bernardo Margolio propinquis ſuis miſerat Avenionem cum ejuſmodi mandatis, ut ad omnia, quae Romanus imperaret, praeſto eſſent. Pontifex laetus his animis coaleſcentium Regum ad Eccleſiae defenſionem, auxiliares haſce copias cum eo exercitu, quem e ſuis civitatibus jam antea conſcriptum habebat, duci in Inſubres jubet. Rerum ſumma permiſſa Philippo Valeſio: huic reliqui duces parere juſſi: mandatum, ut domitis Eccleſiae perduellibus Metropolis Ambroſiana redigeretur in antiquum ſtatum, & Matthaeus ille Vicecomes exſueretur ea potentia, quam per inſectationem & damna rerum Eccleſiaſticarum exerceret: omnino Guelfi, quae ſemper Apoſtolicae Sedi fide & addictae partes fuiſſent, in priſtinae fortunae locum reſtituerentur. Addita promiſſa rerum ingentium, quae quiſque virtutis & fidei praemia ſequerentur: pecuniae praeſentis attributum, quantum ad ſtipendium militi, quantum ducibus ad magnificentiam aſſignari, Romanae majeſtatis erat. Circa Junii menſis initium in terram Inſubriam pervenere. Adventu eorum, metu vel per laetitiam acceptus, ut quique Guelfi erant, aut Gibellini: ſed Matthaeus ante omnes ancipiti cura diſtrahebatur: daret ne ſe ſe Pontifici, & qualibet conditione pacem acciperet, an potius iret contra, & fortunam experiretur. Imperii retinendi pertinacia, animus impatiens acqui, parata quoque ſubſidia & egregie firmata Domus huc trahebant. Propendebat in partem alteram, ſpretum antea, nunc terribile Pontificis nomen, quem ſocii Reges ſequerentur, cujus arma jam Inſubriam tenerent.

Itaque tertiam quandam conſilii viam ſecutus, nec ſine pacis cura, nec extra belli meditamenta erat. Pontifex ipſe, antequam ferro decerneret, miſit e Cardinalium numero Pogietum inclyti nominis hominem, qui tentaret adhuc animos hortamentis & auctoritate: ſi abrupta omnia & deſperata oſtenderentur, ad regendum conſilio bellum adeſſet. Is Valentiae conſedit. Eo citati ſtatim e Clero qui deferebantur in Matthaei gratiam & animarum ſuarum exitium ſpernere edicta, ſacris impiis operari, atque inter caeteros hi vocabantur: Abbas D. Ambroſii, Abbas D. Simpliciani, Abbas D. Dionyſii, Abbas D. Vincentii, potentes homines in Eccleſiae rebus, & ob callida ingenia frequentes apud Matthaeum, civilium negotiorum arbitri, impliciti fallaciis & mercatibus Aulae. Hi cum ad legatum obedienter irent, uſus Matthaeus hominum opportunitate, mandavit, ut de ſua erga Sedem Apoſtolicam pietate prolixe teſtificarentur ac docerent, quemadmodum ad omnia juſta & legitima paratus eſſet. Ac dextere liberaliterque agendorem eum Abbates, pene legatum in ſpem adduxerant, poſſe auctoritate ſiniri bellum antequam inciperetur. Id Cardinalis omni victoria, quae per acies veniret, longe fore glorioſius putabat. Sed ne aſtute compoſita, credita ſimpliciter recidерent ad Sedis Apoſtolicae poſtea detrimentum ludibriumve legationis, Parmenſem Epiſcopum, qui penitus conſilia Vicecomitis exploraret, miſit. Is cum Vicecomite congreſſus, quamdiu res erat in verborum officiis, nihil plane deſiderabat quod amabilius ab ſene illo reverentiuſve dici poſſet. Ubi Parmenſis attigit exſilium Archiepiſcopi, remque Turrianorum univerſam & libertatem urbis: tunc enimvero frons & oculi pro reſponſo fuere. Mox & reſponſum, quale vultus ille denunciarat, redditur. Regnare ſe Caeſaris beneficio: Romana poſtulata non latis poſſe mirari. Is colloquio finis. Abiiſſe inde recta Parmenſem tradunt, velut ab ſcelerata urbe & inimica Deo, vitantem mocnia & congreſſus: etiam in Monaſterio D. Simpliciani ſubſtitiſſe cum veniret, atque Matthaeum illue evocaſſe, ne ingreſſus urbem ipſe contaminaretur.

Cum in hunc modum ſpes tentata pacis eſſet, pars utraque violentior ad bellum exarſere. Legatus Raimondum Cardonum & Paganum Turrianum ad fines evaſtandos urbeſque tentandas illico deſtinavit. Ab Vicecomite, proviſu periculi parata erant praeſidia & munimenta, queis cuncta defenderentur: neque mos antiquus omittebatur feriundi hoſtem auro, quo ſaepe telo rem antea feliciter adminiſtraſſet. Corruptelis atque proditionibus & caedibus omnia permiſcebantur. Et luſubria tota peſſum ibat, dum duo maximi exercitus Principum etiam maximorum pugnant pro Religione ac dominatu, quacunque ſors, ſive impetus tulit. Coeperat ſtatim ea rerum forma diſplicere Pontifici Max. bellumque nollet ſuſcepiſſe. Nam ſuper id quod nulla dum operae pretia ad univerſae rei ſummam fiebant: etiam ad famam hominum memoriamque poſteritatis exiſtimabat incommodum fore ſuo nomini, ſi tantum fieret Chriſtiani ſanguinis in ſuo Pontificatu, quantum obſtinatus hoſtis & commiſſarum jam aliquot pugnarum eventus, ante victoriam effundendum eſſe oſtendebant. Ideo componendae rei, atque reconciliandae concordiae rationem rurſus omnem exquirebat: ac tentata jam fruſtra religione Matthaei, & coeleſtium minarum terrore ne quidquam admoto, placuit, evocari duodecim primos Reipublicae Mediolanenſis, ſi forte hominum illorum aequitate convenire aliquid poſſet. Id negotii datum Legato, editaque ſimul ei, quae Mediolanenſibus viris promittere deberet Apoſtolicae Sedis nomine, quaeve ab illis viciſſim efflagitaret. Exiti duodecim ad Valentiam haud gravate convenere: & data fides erat, impune venturos atque abituros uti veniſſent.

Non ſubtraham illuſtribus familiis honores ſuos, praetermittendo nomina duodecim illorum, quae ſcriptores alii ſuis annalibus intexuere. Fuerunt autem hujuſmodi: Gulielmus Putterula. Franciſcus Vicecomes. Franciſcus Garbaniatenſis. Andreas Hortus. Imberaldus Mandellus. Mucius Moncia. Ricardus Pirovanus. Stephanus Vicomercatus. Gulielmus Caſatus. Lucas Cribellus. Bellinus Petraſancta. Othorinus Burrus. Homines erant nobiles, divitiis inſuper & vitae fama macti auctoritatem in civitate, quanta cuiquam eſſe poteſt, ubi rerum unus potitur. Turbatas Eccleſiae res iidem, ejectum Archiepiſcopum, & ſpreta Summi Pontificis imperia, veluti communem temporum ignominiam, & praecipuum Patriae dedecus interpretabantur. Acceptis a Pontifice prius, dein etiam a legato litteris, ut cum bona Matthaei pace proficiſcerentur, agitavere: neque abnuit Princeps, ſive ne fruſtra repugnando, animos eorum magis etiam ab ſe alienaret, ſive, quia negotiationis hujus moras interea fore bello utiles ſperaret. Ac nunquam oblitus ejus lenitatis, qua tegere ſuum animum, & ad omnia, quae expediret, conformare, natura vel uſu inſtructus erat, Ambroſium Alliatenſem ſcribam ſuum intimum euntibus adjunxit, quod veluti datum eorum honori ac dignitati opportunitatem inſuper habebat aliam, ut explorator, utque vinculum foret ad omnia, quae agenda eſſent. Marcus etiam Matthaei filius, ferocia ſua, vel ſicuti credidere quidam, occulto patris mandato, cum jam jamque ituri eſſent, haud ambigue minitabundus monuerat, ut memniſſent officii, ſcirentque conſcium ipſum, & in tempore vindicem fore, quidquid agerctur.

Haec occurſu de induſtria quaeſito, haec, ut quiſque forte inciderat, non nemine etiam in aulam evocato jeerat atrocior vultu, quam verba erant. Caeteri, juveniles minas tranſmiſere virilibus animis: apud Franciſcum Vicecomitem tantopere eaedem valuere, ut ex medio itinere retro domum rediret, deſerto turpius comitatu, quam ſi pedem efferre domo recuſaviſſet. Undecim viri, poſtquam Valentiam ad Legatum pervenere comiter accepti, poſt dierum aliquot quietem, in concilium vocantur, & cum aſſediſſent omnes, legatus in hanc ſententiam eſſe locutus fertur: Optatiſſimam ſibi rem acciditſe, ut Mediolanenſis Reipublicae capita, viroſque prudentiſſimos haberet in conſpectu, quos docere poſſet de paterna voluntate Summi Pontificis erga rem Medio-

diolanenſem, ne de optima ſaepe finiendarum calamitatum, quam in eorum prudentia & aequitate collocatam haberet. Moviſſe Romanum arma, non odio cujuſquam, vel cupidine alieni imperii, ſed neceſſaria cura tollendi peſſimum exemplum ne quis aliena per vim invaderet, utque, ſicuti verbum Euangelicum habet, quae ſunt Caeſaris Caeſari reddantur, quae ſunt Dei, Deo. Si jam inde a principio facultatem eorum praeſentium habuiſſet Apoſtolica Sedes, probello pacem ad eam diem haud dubie futuram fuiſſe. Facta quae ſint, infecta reddi non poſſe conſiliis hominum: poſſe quidem provideri ne talia in poſterum fiant. Culpam & initium omnium malorum ad Vicecomitem pertinere: ſed illum quoque non potuiſſe facere, quae feciſſet, niſi multorum ope ſubnitteretur. Ex quamquam ille cum ſua domo ſit anathemate damnatus, plures tamen potuiſſe damnari, conſiliis implicitos atque permiſtos, adjutores rerum, inſtrumenta belli, quod ille adverſus Eccleſiam gerat. Neminem ſe unum accuſare, rogare tamen univerſos, ut quibus conſiliis, quibuſve miniſteriis & artibus antea bellum adjuviſſent, iiſdem adnitterentur ad pacem ſanctè ac ſincere faciendam, quae redacta in antiquum locum Italia, etiam ipſis eſſet allatura libertatem, quod unicum civile bonum ab omnibus mortalibus tanti aeſtimetur. *Ac, ne putetis*, inquit, *rem adeo pretioſam & expetitam, nimium magno vobis emendam eſſe: nihil aliud poſtulamus, quam hoc ipſum, ut liberi velitis eſſe. Definite parere Vicecomiti, legibus utinam veſtris: & acta res erit. Nullos fibi faſces, nullam umbram imperii poſtulat ſibi Romanus in veſtra civitate: ſatis regnabit, ſi quiete, ſi Catholicae diſciplinae conveniente agere voletis. Forſitan exſpectet aliquis veſtrum, ut Turrianis aliquid caveamus: videte, quam vilis ſint caetera pacanti Metropolim Ambroſianam Paſtori ſummo & ſancto. Removet eos hominum ultra centeſimum ab urbe veſtra militare: neque pax alter fiet, quam ſi tanto intervallo diſjunctis manere velint. Quos tamen odio Turrianorum expulſiſtis, hos redire in patriam aequum cenſet. Vicecomitem & alios, quicumque culpi illius affines una cum eo damnati ſunt & notati, diſſolvit aeternis vinculis, & anathematis poena, dummodo tamen Vicecomes ipſe in animum induxat Romam accedere ſupplex, ubi pacem Apoſtolicae Sedis expoſcere precibus ob vetera, in poſterum obſequium profiteri. Sic erit bello finis, & inclytae olim religionis Civitas tranquilla pace fruetur, decedetque vobis infamia, quam adhuc meremini rebelles Eccleſiae Catholicae, prohibiti ſacris, ab coetu commercioque piorum remoti. Aliquin nos juſte pieque ſuſcepta arma, paribus animis ad finem uſque, ſicuti decet in tali cauſa retinebimus, adeoque illud ipſum pro quo dimicatur Numen.*

Haec ubi dixit legatus, inſtitit hortari Mediolanenſes illos, ut ante omnia precibus accuratiſſimis divinum ſpiritum invocarent ad rem bene ſalutariterque conſultandam, id in omni negotio primum eſſe, ſine quo mortalium prudentia conſtare non poſſit. Erat in eo numero Franciſcus Garbaniatenſis ille, de cujus animo & fortuna, & immortali erga Vicecomitem merito antea demonſtratum eſt. Is meriti ſui largus, ut plerique, & fortaſſe non iniquus aeſtimator, praemia quaedam ingentia ſibi deſtinarat, quae poſtquam obtigere minora votis, ac praeſertim, ubi gerendo bello Dux alius eſt creatus, verterat repente animum, inſenſiſque Vicecomiti, premebat dolorem, donec aliqua nocendi opportunitas, quam ſedulo captabat, veniret. Ea, quae nunc offerebatur, haud ſegniter uſus, demonſtrando collegis pericula quae imminerent, conquerendo Vicecomitis injurias erga Mediolanenſem Eccleſiam, Patriae ſervitium & alia perturbandis animis, facile omneis ſuarum irarum implevit, ut imperium abrogandum eſſe Vicecomiti quacumque vi poſſet, cenſerent. Si nihil auctoritate proficeretur, civitatem univerſam in tyrannum armare decreverunt: atque ubi ea ſtetit ſententia, Garbaniatenſis idem fertur ad Collegas ita locutus eſſe: *Viri Mediolanenſes, & ſocii carissimi. Cum in tenebris & denſa caligine demerſis animis eſſemus, divinae bonitati placitum eſt, immittere ſuae lucis radios, ut ſalutem ac libertatem, pacemque & vitam & laudem amplecteremur. Vos oro quaeſoque, tantum hoc coeleſte beneficium conſtantia veſtra firmum ratumque efficite. Nam quod divum munere erat, ut ad ea, quae nobis utilia & honeſta eſſent, excitaremur, id jam factum eſt: reliqua conſenſum, operam, fidemque veſtram requirunt, quae ſi deſint, ne Deus quidem ignavos & vecordes adjuvabit. Ante omnia, ſilentio eſt opus interea dum gerendae rei dies venit. Ubi dies venerit, ſicuti viros, ſicuti Mediolanenſes decet, agemus.*

Reſponſum inde Legato eſt: fore Mediolanenſes in poteſtate ſummi Pontificis, & imperata facturos: caetera ipſe exſequeretur. Ita Mediolanum redeunt: obſtrmatiſque in hanc ſententiam animis, id quod ſibi de pace cum Pontifice facienda decretum eſſet, Vicecomiti renuntiavere: ſe invitos quidquam quod minus placeret ipſi dicturos, ſed patriae caritate ſubigi, quam ſi neceſſe ſit, vel ſuo iplorum interitu eſſe ſalvam velint. Unam viam manere ſalutis, ut cum ſacrorum Principe redeant in gratiam, id fixum ſibi eſſe ac ſtatuatum. Vicecomes ad ea conſternatus animo, confuſo vultu, pauca & incerta quaedam reſpondit: non ſe pacem abnuere dummodo Reſpublica maneret eodem ſtatu, quo tunc eſſet: optare, ut qua fide ipſe in alios egiſſet, ea ſibi fides ab aliis praeſtaretur.

Perſonabat interim urbs tota crebris vocibus pacem expoſcentium, & pueri feminaeque fauſtos in Pontificem & Eccleſiam tollere clamores non ceſſabant, ubi ſemel is rumor emanarat. Quo magis fama increbreſcit, eo plus terroris, atque perturbationis eſt apud Vicecomitem: ac ſaepe ille profitebatur, ſi quid minus religioſe, ſi quid irreverenter in ſacra ſacrorumve Praeſides factum eſſet, nullam ſuam culpam eſſe talium rerum: velle ſe, uti Catholice ac pie vixiſſet, ita Catholicum piumque mori: ejus rei teſtem Deum invocabat. Haec publice privatimque conteſtans in omni ſermone, nihil tamen affirebat ad comprimendum tumultum, qui violentior in dies excitabatur.

Itaque averſus ad fortiora remedia, excivit ex finitimis urbibus Gibellinis, qui poſtquam frequentes adfuere; collocuti cum eo advocant ipſi duodecim viros, & graviſſime conqueruntur, quod privato conſilio ille pace egerint. Non illis Eccleſium & ſacra eſſe potiora quam ſibi, ſed turbulentos homines egiſſe omnia dolo malo, & fortaſſe futurum, ut illos poenitet.

Simul in Pontificem invecti ſunt tam aſpere atque acerbe, ut Matthaeus ipſe caſtigaret licentiam, atque rogaret, ut ſalutis ſuae cauſa, linguae parumper temperarent. Dimiſſis poſtea XII. viris, Matthaeo ſuadebant, ut illos quidem in vincula conjiceret, armatorum vero manus ad reliquae multitudinis terrorem in urbe diſpoſitas haberet, Galeaciumque filium, qui Placentiae tunc curabat, illico domum evocaret. Non placuit prehendi XII. viros, ne res ea majoris in urbe tumultus cauſa eſſet: diſpoſiti ſunt locis opportunis armati: Galeacius adfuit, licet antea ſuſpectus, tamquam patris ſenecta detineri dominatum aegre pateretur. In eum ſtatim averſi omnes & ille magnifice diſſerebat de Gibellinae factionis potentia, patris imperio, & quemadmodum confideret fore brevi, ut tumultus ille conticeſceret.

Ferunt, cum in Patris conſpectum frequenti Gibellinorum corona deductus eſſet, obortas utrimque lacrimas, ac deprecante Galeatio veniam errori, ſi quid forte contra patriam pietatem egiſſet, aliquamdiu nihil effatum ſenem: poſtea precibus additantium mitigato animo, dixiſſe, filiorum eſſe neminem, cui ipſe ſuae magis inuiterentur. Ab eo congreſſu, Galeatius haud dubia patris voluntate, rerum omnium arbiter, & familiae munimentum, agit cum XII. viris, comiterque ſimul & elate percunctatur, quidnam eſſet illud, quod audiret moveri per ipſos adverſus Patrem dominumque ſuum, quodve cum Romano legato nuper egiſſent. Illi reſponderunt, nihil actum abs ſe niſi bona fide, & Patriae cura, quam rebus omnibus anteferrent. Legatum Apoſtolicum, virum eſſe gravem, amantem publicae quietis, dignum, cujus fulci cuncta permitterentur. Galeatius enim vero, pari gravitate, pergerent, ait: ſe

quo-

quoque nec Patri, nec Patriae defuturum. Ceſſit inde Matthaeus omni rerum adminiſtratione, ſeque totum in ſacra & religionem avertit. Ad omnia templa ibat, & dic quodam, advocato ùt templum maximum Populo Cleroque Mediolanenſi, poſitis humi genibus, ad radices Aræ maximæ, Symbolum Apoſtolorum, elata quantum poterat voce recitavit. Tum converſus ad multitudinem ſtupentem novitate rei, ſummaque item contentione vocis, dixit, ſe, uti Catholice preque vixiſſet, ita Catholice pieque moriturum eſſe: calumnias, queis ſuam ipſius famam homines aliqui deformaſſent, judicaturum eſſe Deum extremo ſæculorum die: tunc, inquit, eum omnia mortalium in aperto erunt.

Hæc uti dicta actaque erant, publicis tabulis conſignari voluit cum hac ipſa conteſtatione: Matthaeum Vicecomitem non aliam profiteri religionem & fidem, quam quae verbis illis contineretur, uti palam prima poſtrema recitata eſſent. Poſtero die, quam hoc de ſe ipectaculum multitudini exhibuerat Vicecomes, velut alienata mente Modoetiam ſe ſe proripuit citato equo, ibique adorato Numine incidit in morbum, ex quo paulo poſt moritur. Mortuus eſt ad Creſcentiacum in aedibus Monachorum, tria millia paſſuum ab urbe, cum aeger illuc ab Modoetia deportatus eſſet. Haud ego affirmaverim in hujus hominis fine id quod etiam in medio rerum curſu, relinqui a nobis ambiguum decuit: fuerintne utique in religionis negotio pravus ille & malus, an odio tantum invidiaque conti xerit immeritam hanc labem. Non ſcriptores ſolum, ſed res ipſae trahunt utroque, & paria in contrariis partibus momenta rationum occurrunt, quae proponere lubet, ut potius alii ſententiam tulerint, quam, vel litteras noſtrae maculam ullam tanti viri Manibus inurant, ſi caruit hac interiore culpa, vel dedecus elevent, ſi re vera contumaces hominum adverſus Eccleſiae dogmata ſenſus fuere. Primum omnium initia Principatus juxta ſanctitatem acta cauſam agunt, vindicantque ipſum ab fama, quae inveteravit. Intereſſe ille rei divinae quotidie: reverenter inſervire ſacrificanti, curare ſaepe myſteriis animum: & formata ſicut aſſolet in Principis mores familia, ſtatis horis in domeſtico ſacello religioſiſſimae preces, ipſo modos ineunte: canebantur graviſſimi ſcriptores, cum mentiendi cauſas procul haberent haec ipſa tradidere ſicut retuli. Jam facilis alloquio, & ab innocentia aerumniſque lenitſimus, quotidiana etiam ſtipe levabat egentes, quae licet poſſint eſſe officia diverſae cujuſdam virtutis, & animi nihil aliud quam a natura recte informati, rarum tamen eſt, ut eadem ab Chriſtiana, & Catholica perfectione ſeparata reperiantur. Ire frequenter ad templa ſupplicatum, eadem ornare donis: divinum per omnia cultum amplificare ac tueri, profecto non ſunt ejus, qui, vel jam finxerit ſibi perverſas de Superis opiniones, vel ad eas facile degenerare poſſit.

Hactenus exiſtimo purgari ac defendi poſſe Vicecomitis Manes ab ea labe, quae ſemel inuſta fortaſſe numquam eluetur apud homines: utinam apud Deum diverſo judicio res agatur. Rurſus animum in hoc negotio meum reſtringunt timore ac moeſtitia & ſuſpicione, profugus Archiepiſcopus hujus injuria, vaſtatio & ſolitudo rerum Eccleſiaſticarum, Apoſtolicae poenae, contemptus earum. Quaſi neque Deus uſquam, neque Dei Vicarius eſſet, ita ſumpta contra Romanum arma, concitata factio velut in communem hoſtem, perſeveratum ad ultimum, donec vita ſuperfuit. Sunt haec ipſa quoque perſcripta in annalibus illis, unde propter incorruptae fidei famam petuntur antiquitates urbis, neque debuere praetermitti ab eo, qui profeſſus eſſet perſcripturum ſe omnia, facta ſive triſtia patriae hujus Principumque ipſorum. Caeterum, de ea re, ut cuicumque viſum fuerit, ſtatuet.

LIBER II.

POSTQUAM Matthaeus exſpiravit, filii ſedulo celavere mortem donec proviſis, quae tempus monebat, falli diutius fama non potuit. Corpus exanime clam tumulo eſt illatum, quia timebatur, ne Pontifex iratus, Anathematis obtentu, cadaver projici inſepultum juberet. Neſcitur, utra in Aede ſitum fuerit, ad Creſcentiacum ne, ubi etiam obierat, an vero ad Claram Vallem, ubi plerique Principum tunc ſibi ſepulturae ſedem eligebant, ſicut tumuli adhuc inſcriptioneſque teſtantur.

Ejus deceſſu creverant conjuratis animi: manebant odia: delere tyrannidem, ac ne ſuccedente Galeacio, Metropolim paterentur fieri Vicecomitum hereditatem, agitabant. Hi conſilia ſua omnia perferebant ad Cardinalem Legatum, & ipſe vicißim Legatus omnem gerendae rei ſpem in eorum conſenſu ac fide poſitam habebat. Ab altera parte, Galeacius, tradito per manus, & jam haud dubie poſſeſſo imperio, caput rerum erat: domi civium motus, foris hoſtem, quantum omni bellica, & civili ratione poſſet aſſequi una cum Marco fratre ſuſtinebat: reliqua nobilium ſive plebis multitudo, partim erat conjuratorum & Legati: plures iturum in ſaecula potentiam, & imminentem urbi dominatum cernebant, eamque ſpem, aut metum ſequebantur. Etiam Eccleſiaſtici homines, & hic aliud agens Clerus, in Pontificem, aut in Galeacium divitis erat, tanto magis incertus & fluctuans, quia novus Archiepiſcopus Aicardus, cum Guelfarum partium eſſet, non poterat imire Pontificatum, magiſque turbabat animos exſul, quam ab eo quidquam ad regendum Eccleſiae ſtatum afferebatur.

In ea rerum colluvione Canonicos Modoetienſes ineeſſerat metus, ne ad templi ſui theſauros antea quoque ſublatos inde & oppigneratos, licentia perveniret. Ob eam rem habito inter ſe conſilio, ſtatuerunt pretioſiſſima quaeque ſub terram eſſe defodienda, delectis e Collegio quatuor viris, qui defodiendi curam haberent, eoque miniſterio defuncti digrederentur ſeorſim in longinqua loca, & circa ſupremam vitae horam, rem aperirent ei, quem graviſſimum virum, optimumque judicaſſent. Ita res commiſſa quatuor Canonicis eſt: reliqui conſenſere ultro ut celarentur. Ea occultatio theſauri, idque Canonicorum inter ipſos decretum factum eſt anno milleſimo viceſimo tertio ſalutis humanae, menſe Januario, cum paulo antea foede directo Oppido Mediolanenſes Baſilica tantum abſtinuiſſent. Inſequente Februario, Marcus & Luchinus Galeacii fratres commiſſa cum Pontificiis pugna, circa flumen Abduam, duos e conjuratis Cribellum & Garbaniatenſem interfecere, elamitante Marco interferiendum: Vivat Eccleſia, & patriae proditores moriantur.

Pontificii tamen eo praelio ſuperiores fuere, captaque Modoetia, Garbaniatenſis cadaver ibi in D. Joannis Aede ſepelierunt. Et armis quidem ſic certabatur: certamen aliud verborum erat, cum pars utraque allicere ad ſe partis alterius fautores conarentur. Pro Vicecomite prenſabant amici vel propinqui promiſſis aut minis: Pontificem & religionem, Eccleſiamque, & alterius vitae poenas in rebelles concionabundi ſacerdotes inculcabant, eaque audita, terrore objecto, vel pietate ingenita perpulere multos, ut in ſanctiora caſtra tranſirent. Modoetiae poſita ſumma rerum erat, caputque fiebat ibi pugnantium pro Eccleſia, non tamen ea frequentia & ardore, quem graviſſimus quiſque in tali cauſa deſideraret. Ac reperio, Aicardum Archiepiſcopum, qua non ſatis impigre res adminiſtraretur, Modoetiae concionatum eſſe totidem verbis: *Viri Mediolanenſes, & quotquot pro Catholica Eccleſia adverſus impios arma ſuſcepiſtis. Vos quidem cupidine ſalutis & ſtudio recti veniſtis in haec caſtra, ſed non veniſſe ſatius erat, quam leme ſic agendo tradere victoriam hoſti, prodere publicam cauſam, iſtaque lentitudine & proditione laceſſere divinas iras, ſicuti vos facere animadverto. Proinde, quae amplius dicam accipite, vocemque meam, non ut miſeri hominis vocem, ſed quaſi miſſam e coelo conditi in animum veſtrum, & audite quae me vobiſcum agere Deus jubet. Niſi bellum hoc alius animis geritur: victoria penes alios erit, vosque ludibrium & praeda hoſti, exemplo eritis, pigritiam & ſegnitiem in Dei negotio pleiſi ſicuti caetera mortalium ſcelera, magnumque ipſum & inexpiabile ſcelus eſſe. Vultſane*

Deus

Deus Eccleſiam ſuam manere incolumem: ſed nunquam per vos erit incolumis donec ſic agetis, & inventa qua Divinae majeſtati placitum erit, diverſa via, ne Romana ſacra pollluantur, projiciemini, qui miniſteris pulcherrimis gloriam ita contempſiſtis.

Severus homo & ſpectatae religionis erat Aicardus, magna in vulgus fama, propterea quod ex minore Franciſcano factus Archiepiſcopus retinebat Ordinis inſtituta & antiquam diſciplinam. Non tamen potuit excutere fatalem torporem ex militaribus animis, miraque ſocordia res omneis agebantur. Tunc Robertus Siciliae Rex olim icto cum Romanis foedere, fautor antiquus Archiepiſcopi Caſſoni Turrianorumque reliquorum, cognito rerum ſtatu, timens id quod futurum erat, Raimundum Cardonam cum ſexcentis equitibus miſit, ut ea manu rem Eccleſiaſticam adjuvaret. Cardonae ſtatim deditur Alexandria, eaque Pontificis nomine communitur. Inde Modoetiam auxiliares pervenere. Laetus adventus eorum fuit, ſpeſque illa commovit parumper animos, ac deinceps aliquanto plus in Pontificio exercitu ſtrenuitatis erat.

Paulo poſt, Paganus Turrianus Epiſcopus Patavii, & cum eo, Franciſcus & Simon filii Guidonis pervagati terras omnes amicorum, atque corrogatis in ultimi certaminis fortunam trecentis equitibus, eodem ſubiere. Horum adventu, res ad ſeditionem venit: & quo die Oppidum intraverunt, ibi in campo, qui D. Franciſci campus dicitur, irritatis animis acre praelium fuit, praelioque commiſſo, converſis repente ſignis, ad Vicecomitem tranſiere quicumque Turrianum nomen ob veteres inimicitias averſabantur. Caeteri jam decernere de ſumma rerum avebant: ac duo praeſertim Gulielmi, Puſterla, & Caſatus, quorum maxime conſilio res nitebatur, ejuſmodi ſententias dicebant, ut quamprimum Urbs Mediolanum obſidione cingeretur. Contra ea Cardona, munimenta urbis, & nimium ſerae ſpei moras proponebat. Dum haec inter Eccleſiaſticos agitantur, Vicecomes antevertit, omni connixus ope ad hoſtem ex Oppido Modoetia detrahendum. Marcus, & Luchinus in expeditionem eam iere. Pugna proſpera Eccleſiaſticis fuit, utenteſque rerum curiu ducunt ipſi ad Urbem oppugnandam, & triduo poſtquam pugnatum erat, ipſis moenibus inſiterunt. Tunc Vicecomes in magno metu de ſumma rerum eſſe coepit, & concione advocata, diſſeruit apta tempori. Non ſe bellum gerere cum Eccleſia, ſed defendere communem patriam velle: ac ſi vera loqui debeat, nihil ſpectare magis arma ſua, quam ut res Eccleſiaſtica Mediolanenſis, ab externis injuriis tuta, & incolumis maneret. Eſſe Theutonas, eſſe barbaros in hoſtium exercitu, qui ſi urbem ingrediantur, ſacros, & ſacra omnia videat eorum furori praedam fore. Proponerent ſibi ante oculos, tot Sanctorum Reliquias & coeleſtia pignora, tantum Eccleſiaſtici argenti, ſupellectiliſque religioſae, templa ipſa, & aras, ſimulacra Divûm, vel marmore ſculpta, vel expreſſa coloribus: cuncta, ſimul avaritiae materiem, ſimul impietati ludibrium parari, niſi, quanta vi barbarus inſtet, tanta ipſi barbarum repellant. Neque vero ſpem reſpicerent eam, quod Romanis auſpiciis ab ea parte geratur res, quodque religionis adeſſe vindices dicantur. In pace, ſpecioſum & magnificum eſſe Pontificum nomen, atque ipſos tunc agere clementer & juſte: bellorum iras iiſdem nihilo mitiores, & avidas in ſacrilegia militares manus, non poſſe cohiberi ſi quis velit.

Ab ejuſmodi dictis, cum moenia, & portae ſtationibus atque praeſidiis firmarentur, omnique alio repellendorum hoſtium apparatu militariter occupata Civitas egregiam Principi fidem oſtentaret, Helvetii, qui ſub Galeacio ſtipendia faciebant, accepta ab Eccleſiaſticis pecunia, capere, vel interficere ipſum agitaverunt. Atque non fruſtra id incoeptum fuiſſet, niſi Joannes Galeacii frater, quamvis Eccleſiaſtica in toga, belli neceſſitatibus intentus, re cognita, cum amicorum repente manu impetum in proditores dediſſet, qui caeſi, vel capti, ſpem obſeſſoribus ingentem illam ademerunt.

Inde, cum trepidatione diſſidium ortum inter ipſos, & ſicuti lingua moribuſque diſſoni erant, ita ſeorſum inire conſilia, variiſque furere voluntatibus coeperunt. Gliſcentem ſua ſponte ſeditionem irritabant obſidionis taedia: neque fulti res potuit, ubi Caſtroneus quidam (id nomen viro) Legati fratris filius, ad eruptionem ex urbe factam acriter pugnans una cum primoribus ceciderat. Nocturno agmine Modoetiam eunt, idque ſtatim Oppidum, fortuna commutata Vicecomes obſidebat. Rurſus auxilio ab legato miſſis, ipſe retro Mediolanum compellitur.

Variante ſuas vices bello, nihil certi, per totum eum annum apud alterutros erat: incendiis, & rapinis cuncta involvebantur abſque diſcrimine ullo ſacrae an profanae res eſſent. Tota belli moles ad Modoetiam vicinaque loca, Vicomercatum, Caratum, & Decium conſtiterat, & veſtigia cladis, eo tractu parietinae templorum adhuc manent. Inſequens annus gravi clade rem Eccleſiaſticam afflixit, cum ad Vaprium in Abduae fluminis ripa pugnatum eſſet: neque ſcriptores aequales eorum temporum, in re tradenda, quidquam omiſere quod horribile, ac memorabile viſu, vel dictu accidere in praelio poſſit. Semiviva corpora ſepulta mortuorum cumulis, inflatum humano ſanguine flumen, & Bergomi, decem inde paſſuum millia clamores praelii ejus auditos prodidere. Addunt etiam prodigia, quorum illud, & ſpectantium multitudine, & rei, quae portendebatur, eventu, certiſſimum fuit. Cum enim Modoetiae, in campo, quod Pratum appellatur, ea forte ipſa hora, qua duo exercitus ad Vaprium confligebant, iniretur equitum numerus, qui mittendi illuc ſubſidio Pontificiis eſſent, quoddam hujuſmodi ſpectaculum obverſatum fuiſſe oculis fertur: Ingens vulturum multitudo per ſublime volitans cum triſti clangore, primo campum inumbravit. Dein ſcinduntur in duo agmina, conſiſtuntque velut contrariae acies, hinc ad orientem ſolem, inde ad meridiem objecta adverſa regione Mediolanum verſus. Is minor erat numerus, & Vicecomitis copias, ſicut ab eventu creditum eſt, repraeſentabat. Poſtquam ita conſtitere aves atrae & ſtridulae, concurrunt inter ſe ſe roſtris, veluti telis, & acerrime rem gerunt. Praeterquam quod ſuſtulerant omneis ad id ſpectaculum ora, cadebant etiam ante oculos aligeri milites laniati, & cruenti, totoque campo plumae volitantes cernebantur. Adnotatum eſt, certaminis victoriam penes minorem aciem fuiſſe, moxque Franciſcanae Aedis turrim, & vicinarum arborum cacumina gregatim inſedere. Pars altera ita diſſipata eſt, ut vultures terni, quaternive non amplius, hac, illacque diſpergerentur. Horae ferme ſpatium, ea tenuit pugna, nuntiataque poſtmodum Vaprienſi clade, interpretatio prodigii facilis fuit. Adeo reſponderunt omnia, ſimulque ad Vaprium fortuna diſſipati ſunt Eccleſiaſtici, atque Modoetiae volucrum praelio, ſuperior multitudini paucitas, & hinc incolume ſtabilequeagmen, inde conſternatio, & fuga ſpectata fuerat penitus ad humanae dimicationis formam.

Sane quaeſitum eſt aliis ante me ſcriptoribus rerum, ecquid valeant prodigia, ſintque pleni libri exemplorum ex omni memoria, quomodo praeſenſerint mortales, aut viderint divinitus ea, quae poſt tempus aliquod eventura eſſent, quaeve diverſos apud homines, & locorum intervallo diſcretos agerentur. Mutae ſaepe animantes, coelo, ſive terra, vel aqua, vel igni, vel etiam elementa haec ipſa denuntiaſſe res futuras, oſtendiſſe remotas exiſtimantur. Cantu, ſive volatu, tripudiis, extis, aliiſque modis innumerabilibus, internecciones exercituum aut triumphos cum praecepiſſent animis Imperatores, ei prodigio congruit eventus, neque alibi ludificatio major apud antiquitatem. Si gutta ſanguinis in exſangui corpore conſpecta eſſet, ſi manaſſet ſudor ex marmore, vel ligno, ſi prodiiſſet anguis alicunde, prodigium erat, & quales negotiorum eventus ab ejuſmodi oſtentis erant in ſpe, vel metu, tales etiam interdum ſequebantur. Jam auditae voces e coelo majores & auguſtiores humanis, obverſata oculis ſimulacra, vi-

ſaeque ſpecies diuticantium, hominum etiam ipſorum vaticinia, clades & victoriae non abſonae vaticiniis, conſtituta generis ejus diſciplina, collegia denique Sacerdotum adhibita procurandis ejuſmodi religionibus pene arguunt dubitantes, & quaſi ſuo jure fidei partem petunt. Sed priſcarum vanitatum alia quoque monſtra reperientur, neque mirum fuit, inanes ſibi formas, & conſentanea formis interpretamenta figurare qui caeci penitus eſſent in ſumma religionis, ipſaſque pecudes, & ſi quae ſunt vdiora, conſecrata divinis honoribus colerent ut Numen. Ab eo ſciheet fonte caetera mentium ludibria, & deliramenta manabant.

Caeterum nihil arbitror eſſe abſurdius, quam viſis, atque portentis dedere animum, & ſi quid quumque rem antecefſerit, arbitrari, vel hoc ſecutum eſſe, quia factum ſit illud, vel ut poſteriora ſequerentur, priora exſtitiſſe. Permeant omnia curſus ſuos, neque mutatur quidquam in naturae rebus, niſi regens eam Deus annuerit. Annuere porro non niſi ſumma, & arcana ratione credere oportet intuentes majeſtatem illam infinitam, quantum aſſequi humana mens poteſt. Exſtitere temporibus Hebraicis divini Vates, ac deinceps alii, queis praeſaga pectora divinitus obtigerunt, itemque praenuntia ſigna venturarum rerum miſſa de coelo nonnunquam, ſemperque vaticinio hoc munere defungentur quibus aeterna providentia tale delegare miniſterium voluerit, & vocalia faxa, ſi Deus volet, fient. Ut quidem, vel ſuopte nutu, vel inſtinctu coeleſti paſſim vaticinentur homines, inanimaque & animata, ſicuti captae ſuperſtitione mentes, in metu, vel gaudio credere amant, non dici poteſt, ad quantam ſocordiam ea credulitas accedat. Neque ſi vultures infeſtis concurrere roſtris, minorque numerus avium illarum, examen majus afflixit, qua hora Vicecomitis copiae, numero ſuperiores Eccleſiaſticos fugavere, ideo trahenda res in religionem fuit, & magni prodigii nomen uſurpandum; quod feciſſe Scriptores eorum temporum video. Fortaſſe enim volucres irritatae per laſciviam, certavere morſibus: & dulcedine fingendi, caetera in miraculum aucta, ut tradita per manus vanitas, veluti contagio quaedam ad hiſtoriam uſque perveniret. Sic nimirum inſerere divina humanis amat mortalitas, & ſemel in prodigium aeceptaglieſcunt poſtea ſermonibus, neque ſimplicitatum humanarum eſt finis. Me longius provexit alterius etiam prodigii novitas, quod huic vulturum oſtento ſubjicitur ab eo Scriptore, qui rem ſibi compertiſſimam referre ait.

Henricus quidam cognomento Flandrenſis fuerat in Eccleſiaſtico exercitu, cum ad Vaprium infeliciter dimicatum eſſet. Hunc acie dejecta, & caeſa fugientem poſtridie per devia Modoetiam veniſſe refert ducibus itineris duobus, qui ſe ſe repente obtulerint, ſtiterint incolumem ad oppidi moenia, deinde abierint ex oculis nihil unquam eſtati. Ipſum ingreſſum in Oppidum, cum trepidi illic omnes ob cladem acceptam afflictarentur, juſſiſſe bono animo eſſe univerſos, ac ſperare ſalva fore omnia: ſic jubere Deum, & Oppidi tutelarem Baptiſtam. Namque ſe, cum ab heſterna infelici pugna per caſtes incertos in obſcuram ſylvam deveniſſet, ibique curſu, & metu fatigatus jaceret, vidiſſe repente torrida macie ſenem, a quo deductus in tutum, tradituſque duobus illis fuerit, & de ſalute Oppidi curaque Praecurſoris ita renunciare juſſus. Ardicius Concorretius refert, ſcribam ſe publicum tunc fuiſſe Modoetiae, hominemque vidiſſe illum, & audiviſſe cum ea renunciaret. Si vera res fuit, profecto, multo ſanguine, multaque clade ſtare Modoetienſi populo miraculum illud, & certa illa ad extremum ſalus debebat. Namque dum Legatus Apoſtolicus, & Galeacius Vicecomes omni invicem ope contituntur ad obtinendum Oppidum, Oppidani ipſi deſtituti in medio per anni fere ſpatium pertulere omnia, quae accidere obſeſſis poſſent. Ac neſcio fuerit ne ſalus, non capi Modoetiam ab Vicecomite, cum qui retinebant eam Eccleſiaſtici, ſaevirent intra muros atrocius, quam capto Oppido ſaevire Vicecomes potuiſſet.

Defenſa funeſte Modoetia per Eccleſiaſticos, irrito Vicecomitis circa eam conatu, gravibus utrimque damnis, pars etiam utraque pacem expetebat, quam Vicecomes ne nimium cupiſſe videretur, tali commento eſt uſus: Raimondum Cardonam ex Pontificio exercitu Siculorum auxiliorum ducem habebat in cuſtodia, virum dexterrimae humanitatis, & ea morum parte Principum negotiis aptum: nec magnum, ex redemptione pretium ſperabatur. Eum per fidiſſimos ſibi homines interrogari jubet, ſi dimiſſus fuerit ex cuſtodia, ſoſpeſque reſtitutus ad ſuos, velitne apud Pontificem Max. fidus internuntius eſſe concordiae pacis, & ecquam in ea re navare liberatori ſuo operam velit? Cum ille diceret, facturum ſe omnia cum cura, & fide quae imperata forent, viam etiam aliquam inventurum arte ſua, quo facilius honeſtiuſque conveniret res: laxatis ultro cuſtodiis datur captivo fugiendi locus, inſtructuſque ſecretis a Vicecomite mandatis, tamquam tuptis vinculis, eluctatuſque fuga ſaevas hoſtium manus, Placentiam ad Cardinalem legatum pervenit. Benigne acceptus exponit belli difficultates, Vicecomitis copias, fortunam, & rei militaris uſum, & parata ei ad victoriam omnia, nec poſſe Modoetiam ultra per Eccleſiaſticos retineri.

Cum haec aliaque dicta terrore Romanum ac deſperatione impleviſſent, inſtitit una cum eodem artifice quaerere, quae via, quodve conſilium honeſtae pacis foret, quae ratio flectendi Pontificis ipſius animum, ut abduci inde exercitum pateretur. Paratum erat compoſitumque cum Vicecomite, quod in tali ſermone natum ex re ipſa videri conſilium poſſet. Iturum ſe recta Avenionem, ait Cardona, ſi videatur: ibi rerum faciem, praeſentiaque ſimul & futura mala demonſtrando ſperare a Pontifice impetraturum, ut pacem nihil habituram indignitatis malit, quam in parte florentiſſima Italiae tantam hominum ſtragem, & incerto armorum exitu, certa detrimenta etiam Apoſtolicae auctoritatis. Iret igitur annuente legato; profeciſcitur: ac, ſive mutato inter eundum conſilio, ſive a Vicecomite ita regere negotium juſſus: ad Pontificem ubi pervenit, profert ultro conditiones, quibus finiri exitiabile bellum poſſit, aperitque, quomodo ſit ipſe ab hoſte pacis tentandae cauſa e carcere dimiſſus. Conditiones erant hujuſmodi: Mediolanum & Cremonam haberet Vicecomes: Eccleſiae Vicarius appellaretur: Ad omnia bella, quae intra Longobardorum fines gererentur a Pontifice Max. praeſto eſſet: quingentos cataphractos equites mitteret ad ea bella ſtipendiiſque ſuis aleret. Conditiones eae placuerant Pontifici, quia vectigalem Eccleſiae ſic fieri Galeacium apparebat. Sed cum de pace nihil ab Romano tranſigi poſſet inconſulto Siciliae Rege, qui fuerat in parte belli, iſque conditionibus adderet hoc, ut Vicecomes pari ſecum animo foret hoſtis Caeſari, ſpem pacis ea res turbavit.

Sub anni finem, quo haec geſta ſunt: Aichinus Vercellenſis unus e quatuor Canonicis, qui de occultando Modoetienſi theſauro, ſicuti dictum eſt, inter ſe conſciverant, cum inſtare ſibi ſupremum diem ſentiret, rogat ſuos, ut Aicardum Archiepiſcopum ad ſe adducant: eſſe quae de magnis Eccleſiae rebus agere cum eo velit. Aicardus, mutans in ea rerum perturbatione crebro ſedem exſilii ſui, tunc apud Cardinalem Legatum, ubi moribundus etiam Canonicus, erat, neque recuſavit accedere, qua lectulo humili decumbebat Sacerdos. Poſcit ille vocibus intermortuis, dari ſibi fidem, ſanctum fore ſilentium ejus rei, quam ſibi pari fide cuſtoditam, nunc ſit morte appropinquante, neceſſario officio enuntiaturus.

Ubi data fides, & arbitris remotis, dicere ſi quid haberet, eſt juſſus, indicat locum, in quo defoſſi jacent theſauri Modoetienſes, & quid ipſi viciſſim Archiepiſcopo circa vitae finem ſuper ea occultatione faciendum ſit, monet ex juriſjurandi formula, quo ſe ſe Canonici quatuor obligaſſent. Promittente Archiepiſcopo religioſiſſime omnia cuſtoditum iri, nec niſi urgente ultima hora arcanum ſe illud eſſe cuiquam enuntiaturum, quieto, quod ad eam rem attinebat, animo, Canonicus ille obit ſuum diem.

No-

Nolim equidem credere fictum esse dolo malo, sive per levitatem ab Archiepiscopo Mediolanensi, ut obstrictam sacerdoti morienti fidem super tanta re praesertim, fallere atque prodere ille pro nihilo haberet. Sed quoquo modo, quave de causa fecerit, constat, non exspectavisse dum Canonicus exspiraret: statim ab eo colloquio, rem totam sicuti sibi commissa creditaque esset, Cardinali legato aperuisse. Ajebant, qui postea frustrationem eam, sicuti fit, in sermonibus habuere, minime fuisse mirum, vel potius valde mirum fuisse, quod ab claustris homo reticere nihil potuisset. Legatus etiam ipse, re comperta, veluti si hereditas obvenisset, ita mittit propere Modoetiam promptissimos e suis, qui comprehensis Templi custodibus, & effosso thesauro cum ea praeda redeant ad se. Factum ut imperarat. Pretiosae res, quae naturae vel artis esse miracula tunc dicebantur, ac citra miraculum etiam aestimatione hominum pretiosae: tum alia cara pietati, monumenta quoque clarorum ingeniorum, & uno verbo, quidquid illa Baptistae Aedes per plures jam saecula pio certamine Regum, Pontificum, Caesarum adepta erat, id rerum postquam in conspectu Cardinalis stetit, nesciebat primo, quid faceret thesauris ejusmodi, & quasi effodientium ipse foret unus, aestuabat.

Demum occurrit animo tale consilium, quod ab ipsa sumptum ambitione & placendi cura, dedecus hominis probrumque & ignominiam invenit. Mittit ad Pontificem Maximum omnia illa cum litteris, in quibus erat, quomodo sibi tantarum rerum fieri compotem contigisset. Canonici Sacerdotis nomen, genus simul & patria, morbus ejus, aetas, hospitium in quo forte decubuisset aeger, ut evocatus ad eum Archiepiscopus Aicardus accessisset, quae dicta inter eos, quae petita fides & obligata, quomodo statim eadem irrita per egregium Archiepiscopum, & denique quomodo missi ab se reperierint illico thesauros in latebra quam Canonicus ostendisset: haec omnia legatus ille, veluti texeret annales quosdam, ad Pontificem, addens muneri pretium, accuratissime perscripsit. Orabat ad extremum, ut obvia Superûm benignitate delatas opes acciperet obvio ipse etiam sinu. Sic favere Deum ejus Pontificatui, ut abditi sub terram thesauri reciuderentur, nudaretque ultro sua viscera tellus, quo ille beatior foret. At Pontifex, ut res inspexit eas, accepitque violati sacramenti seriem & ordinem, inhorruit primo periculsus atque confusus atrocitate negotii: deinde excuri confestim jubet ab oppido Modoetia Canonicos ejus Templi cum Antistite suo: simul gravissime increpat legatum: rem, cum neque prudenter, neque pie administrasse demonstrat. Postquam adfuere Canonici Modoetienses, omnia thesauri vasa partesque singulatim exscriptae & exsignatae illis attribuuntur, ejusque assignationis publicae tabulae confectae per Joannem Castellanum cum Apostolica exsecratione si quis in posterum eos attingere atque violare thesauros auderet. Mandatum inde Canonicis a Pontifice est, ut quamdiu maneret bellum, depositos in Avenionensi sacrario thesauros relinquerent: bello finito referrent domum atque restituerent eos in pristinam sedem. Depositi sunt & religiosissime custoditi, paceque postea firmata relati Modoetiam, sicuti suo loco demonstrabitur.

Nunc, ob eam, quam dixi, causam impedita negotiatione Cardonae, gerebatur bellum infensius aliquanto quam antea, & Galeacius in magna victoriae spe, jam coeperat consultare cum suis, an Oppidum Modoetiam, excepta Baptistae Aede totum a fundamentis deleret. Cum de ea re consilia Princeps agitaret, apparuisse fertur ei per quietem Divus ipse, atque ita esse hominem affatus: *Delere tu Modoetiam nostram, & superstitem populo relinquere Aedem meditaris? At ego Oppidi simul & Aedis defensor, ut absistamente desistas, moneo. Si desisteris, Oppidoque meo parcere animus tuus volet: at ego faciam, ut Modoetia sine sanguine & strage cadat in jus dominemque tuam, victoriaque tibi instrumenta dabitur. Sin pergis de mea Modoetia cogitare dure atque crudeliter, victoria ista tibi nunquam obtinget.*

Ab hac visione coelestique per quietem alloquio Vicecomes ut evigilavit, ratus inane esse negotium, ludibriumque somniantis animi, qualia multa, pleno vel inani stomacho reliquiae diurnarum rerum efficere solent, nihilo mitius de Modoetia ipsa cogitabat. Postea, cum insequenti nocte species eadem obversata esset, statuit parcere Oppido, si potitus foret: neque parcere solum, sed illud indulgentia fovere omni, dirutaque restituere, & tantum addere ornamentorum, quantas injurias, & quanta damna bellum intulisset. Ita subita voluntatum, & animorum inclinatione, quae videretur non carere miraculo, deditur Oppidum Vicecomiti, qui nocturnae visionis memor, coelestique munus agnoscens, nec violavit ibi quidquam, & ut pristina etiam frequentia rediret, proposuit ampla praemia, si, qui aufugerant, redire illuc vellent, praeconesque ob id ipsum in vicina loca sunt dimissi. Profecto divinam fuisse rem diceremus, nisi Galeacius postea ipse ibidem Modoetiae traditus in vincula cum fratribus suis, calamitate hac, miraculi gratiam & fidem imminuisset. An potius miraculi pars hoc ipsum fuit, ut quoddam illius populi vaticinium tali Vicecomitum exitu comprobaretur.

Cum enim Galeacius aedificaret arcem, quae semiruta manet in hunc diem, obscurissimaeque latumiae simul inaedificarentur: Oppidani cernentes ingrati operis molem, iratas hujusmodi voces jactebant: *Has sibi patribusque suis latumias Galeacius ponit. Faxit Deus ut fabrica sit ipsorum capiti*; ratumque omen fuit.

Taedet me puletque referre ultra prodigiosi quidquam, ne forte recipiendo in historiam temere aliquid, etiam veris abrogaverim fidem. Sed non debui rursus omittere quae scriptores aequales huic aetati consensu tradidere, cum nullo modo probabile fiat potuisse sic conjurare omnes ut mentirentur, sive potuisse sic decipi, ut ab aliis ementita pro veris admitterent. Thesauros illos Modoetienses, de quibus antea memoravi, tradunt ab homine intelligente rerum earum forte inspectos, cum adhuc Avenione servarentur, pepulisse animum habendi studio, non pio illo vel erudito quia sacra multa & antiqua inessent, sed sordido & furaci, quia plurimae vendibiles gemmae, plurimumque aurum & argentum interniteret. Eam sibi praedam homo ille cum destinasset, levem primo cum Canonicis notitiam adduxisse in familiaris amicitiae consuetudinem, deinde claves sacrarii parasse adulterinas, & capto ad rem peragendam tempore sustulisse sacra illa vasa, & abiisse festinantem ut ex urbe se se proriperet.

Ad portam, quae Rhodani dicitur, ingenti trepidatione progressum vidisse in pontis aditu, quo committitur flumen, species hominum armatorum interminantium, nisi regrederetur. Eo terriculamento rejectum ab transitu pontis, aliam, ac subinde aliam adisse portam, donec ad omnes exitus eadem occurrente cum minis armatura statuit in urbe vendere quod efferre non poterat, redactumque inde pretium, aut abdere postea sub terram, aut exportare aliquo; quasi vindex Numen fallere posset ea sceleris via. Vanus erat nomine Florentinus homo, qui Avenione faciebat aurificinam forte antea notus furi, & furem ipse noverat vicissim: nec debuit primum hoc inter eos commercium esse quod memorabo, sicuti ultimum fuit. Hunc Florentinum aurificem adit sacrilegus ille, & ait esse sibi quaedam emblemata, quasdamve vasorum crustas: & vasa nonnulla, quae vetustas dissolverit, margaritarum praeterea nonnihil, & omnino pleraque fragmenta rerum antiquarum: ea si possit aequa conditione distrahere, sive commutare, facturum libenter, simulque nonnihil profert experimenti causa, quod probum visum artifici, ac posse aliquid convenire respondit. Veniret postero die, & afferret: se se praesentem pecuniam illico numeraturum aestimaturumque tanti singula, quanti praeterea nemo.

Vulgabatur interea per urbem, thesauros illos Modoetienses, clam fuisse sublatos e sacrario, nec ad quos pertineat id facinus indicia ulla exstare. Perculerat is rumor animum aurificis, & profecto descriptionem illam

fragminum huc pertinere ratus, ſtatuit non eſſe ſibi faciendum, ut tali ſe ſe negotio implicaret: poſſe furti alicui poenam in ſuum recidere caput, & fortaſſe ſuberat metus, ne alia cum homine eodem negotia occultata feliciter ad eum diem, emanarent. Refert illico rem in Aulam ad judices, quae dicta ſibi de gemmis auroque venali, quod viciſſim ipſe reſponderit, ad quam horam, quemve hominem exſpectet, ordine cuncta exponit. Miſſi confeſtim ſatellites obſedere diverticula, & angulos, circa indicis tabernam, & cum paulo poſtea fur adveniſſet, exponeretque fragmenta, coorti repente variis e locis lictores hominem comprehendunt, & abducunt injectis vinculis: neque vilis animus tormenta exſpectavit. Confeſſus abſque mora flagitium, & indicata latebra, in quam theſauros abdidiſſet, poſtquam crutae res & prolatae, damnatur ut diſtentus in tabula raptatuſque jumento per viam, ſecto demum in quatuor partes corpore ſacrilegii poenas luat.

Id ſupplicium ſumptum eodem die, quo facinus deprenſum, & ut in partem utramque nobile exemplum eſſet arcendis ſceleribus, praemium indici decretum ducenti florenti in ſingulos annos, & honeſtus in Pontificis familia locus: praeferendis Imperii faſcibus alii eſſe adhibitum ferunt. Theſauri vero ipſi, ne ſemper expoſiti furum ingeniis manerent, in praeterrata capſa ſumma teſtudine Templi ſuſpenſi contra aram maximam, qua ſcilicet omnium oculis cuſtodirentur, ac fuere ibi donec pace per Italiam parta, ſicuti poſtea demonſtrabimus, reſtituerentur in ſuam ſedem.

Ea, quae de Modoetienſi theſauro retulimus, accidere Avenione anno ſalutis milleſimo trecenteſimo viceſimo ſexto, cum ibi Sedis Apoſtolicae domicilium eſſet. At in Eccleſia Mediolanenſi nihilo tranquilliora negotia ſtatuſve melior durabat, quam ille, unde narratio diverterat ad theſauri miracula & caſus: noſtraeque fama Urbis & Cleri, quo magis progreditur annalium ordo, vehementius ingraveſcit, vel ſcribentium licentia, qui nominibus eum invidioſis oneravere, deſertorem atque rebellem appellando, vel rerum ipſarum natura & conditione, quae fiebant. Ludovicus Bavariae Dux, quem ideo Bavarum dixere, aemulo profligato adeptus Imperium, erat a Pontifice Joanne anathemate damnatus, atque capitales cum eo inimicitias gerebat, ita ut exturbare alter alterum agitarent, uſuſque demum Apoſtolico jure Pontifex, imperium Caeſari abrogarat. Hujus arma Galeacius cum in Inſubriam adverſus Pontificem exciviſſet, prodiere obviam Clerici: Pontificisque hoſtem, Eccleſiae perduellem, carentem communione ſacrorum ſub umbella in Palatium deduxere. Atque id parum fuerat, niſi etiam petenti poſtea, ut more majorum coronaretur, ambitioſe id ipſum, & impie conceſſiſſent.

Coronatus eſt in Baſilica Ambroſiana: & quia nullus tunc Mediolani Archiepiſcopus erat, Aicardo, ſicuti dictum eſt, exſulante, ſolennia ſacri ejus obiit Arretinus quidam Epiſcopus eum trium aliorum praeterea miniſterio, quos omnes oportuit etiam ipſo nequiores eſſe, cui caeremoniam impiam, neſcio, ſcelere, an per levitatem, gratificabantur. Sed Epiſcopum quoque illum Arretinum, qui caeremoniae caput fuit, invenio fuiſſe jam antea a Pontifice exauctoratum, debuitque ſicut arbitror, pretio, vel contumacia, huc deſcendiſſe. Nec de Paſquale Placentinorum Epiſcopo (is quoque enim adfuit) fama melior exſtat. Caeterum ea coronatio Caeſaris adulterini facta per Epiſcopos item adulterinos, haud dubie Galeacium ipſum evertit. Namque Bavarus, exulcerato ſuſpicionibus, & calumniis ipſorum inter ſe fratrum animo, Galeacium, & fratres, excepto Marco, qui accuſator exſtiterat, repente comprehenſos, in Modoetienſem arcem, quae Vicecomitum excidio fatalis habita fuerat, conjecit.

Ac tanta fuit ira, ut ne Jouni quidem ipſi parceretur, quem vel praeſens, vel ſperata & deſtinata conſenſu omnium dignitas defendere debebat. Erat enim ex Mediolanenſis Eccleſiae Canonicis ampliſſimo tunc honoris gradu, quem Principes etiam appetebant, & Pontificatum Ambroſianum ob vitae ſplendorem propediem habiturus eſſe eredebatur. Is una cum caeteris fratribus a Bavaro conjectus in vincula, documento potuit eſſe, quam infida ſit gratia quaeſita per ſcelus, atque per divinarum legum injurium: & praemium hoc fuit obſequii quo Caeſarem contra Pontificis auctoritatem coronarant. Quae omnia quomodo acta ſint narrabo: neque fraternorum odiorum tantum inſigne & lugubre exemplum proponam, ſed majus atque luctuoſius aliud ad conſiderandas potentiorum artes, ubi vitae miſerorum inſidiantes, & innoxio numium gaudentes ſanguine nominibus honeſtis tegere diram fitim volunt.

Erat Marcus inter Matthaei filios ſtrenuus manu, conſilio bonus, atque per ſuperiora bella egregiam & fidelem Galeacio fratri operam navarat. Sed quaecumque ille praemia acciperet, querebatur ſemper, non pro meritis tractari ſe ſe, quae humani animi ſuperbia Regum ſaepe domos complevit aeterno luctu, privatiſque etiam miſeriores effecit. Socium querelarum habebat Ludriſium patruelem ſuum, qui expeditionum item comes nihilo feliciorem ſibi virtutem fidemque ſuam exiſtimabat eſſe in aula, quae propter genus & ſanguinem prolixe agere ſecum deberet etiam ſi in otio & deſidia ageret vitam. Ita patrueles duo natura queruli & ſuperbi, addente animos virtute & gloria, cum jactando ſermonibus ita quotidianis viciſſim accenderentur, cepere denique ab ipſa deſperatione conſilium, ut ruina Domus opprimerent miſerias & angores, & ignominias, ut ipſi interpretabantur, ſuas. Sive verum erat, ſive conditio temporum, & ea, quae tunc agitabantur negotia, fecerant ſimile veri, detulere ad Caeſarem hoc Galeacu crimen, quod ille clam inito foedere cum Pontifice Joanne pararet dedere Metropolim ei, compellere omnia ſub nutum arbitriumque ejus.

Nihil poterat accuſatione tali capitalius eſſe ad inflammandum ira animum Caeſaris, eum prae magnitudine criminis ejus, caetera majeſtatis crimina, rebellionesque & proditiones aliae tamquam inania tranſmitterentur. Dummodo ſubjecti, vel populi, vel Principes, ſervarent in eo negotio fidem, ut ab Imperii nomine contra Sedem Apoſtolicam ſtarent, poterant caetera fere agere ſuo arbitratu: rurſus in ea parte commiſſum offenſumve aliquid, ſuſpectos ad omnia, inviſos, exſecrabileſque faciebat.

Cum tanta eſſet atrocitas & invidia criminis apud Caeſaris ejus aures, jamque alteras & tertias ab Ludriſio & Marco ſuper ea re litteras accepiſſet, temperaverat irae tamen, ſcripſeratque ipſe communiter ad Galeacium & Marcum humaniſſime cum adhortatione ea, ut mutuae concordiae, fideique erga ſe memores eſſe vellent: ipſum fore quamprimum in Italia, & digna omnibus praemia perſoluturum. Ut autem deſcendit in Italiam, & Mediolani, ſicut dixi, coronatus, aliquamdiu ibi poſtea morabatur, tunc enimvero non deſiſtebant Ludriſius, & Marcus deferre, & arguere, & demonſtrare ex compoſito cuncta, per quae praeſens Caeſar, non ad ipſa modo criminis cubilia deduceretur, ſed crimen proditionemque totam, ſuis veluti manibus contrectaret. Interdum enim etiam, quo plus auctoritatis accuſationi eſſet, laudabant fratris ad caetera fidem, id quaſi miſerantes unum, quod ad ſuam & familiae perniciem conſilia illa inſana admitteret in animum.

Neque fallebat Galeacium, quibus inſectationibus peteretur, dictitabatque identidem, Marcum fratrem confodere ſuo pugione ſe ipſum: & Marcus ajebat viciſſim, habiturum propediem eſſe Galeacium eam ſolitudinem, quam ultro ipſe quaeſiviſſet. Fratres haec inter ſe cavillabantur alte exulceratis animis, alterius quidem invidia & aemulatione ob maligne communicatam ſecum fortunam paternae hereditatis, alterius vero dolore & metu, quod ab ejuſdem ſanguinis homine univerſae domui exitium quereretur. Nec deerant ut opinor in alterutra parte infidi amici accendendis offenſionibus acres, quorum ſtimulis uterque augerent, ille calumniam, hic in-

incitamenta calumniae & cauſſa. Bavarus enimvero condens profunde in animum, & ſecreta ſecum aeſtimatione penſans ea, quae decernentur, parcus verbis, compoſitus vultu, jam apud ſe quid facto opus eſſet, nemine ſuſpicante deſtinarat. Venenis & venenis, quae ſemper inſtrumenta dominantibus fuere, ſtatuit inimicam emendare domum, eaque in omneis Vicecomites diſciplina nullam eſſe melioremi. Nam ne Marco quidem ipſi & Ludriſio accuſatoribus abeſſe proditionem ſuſpicabatur hoc ipſo, quod proditores ſui ſanguinis exhibuiſſent.

Offenſionem unarum aliqua irritatos detuliſſe communis conſilii indicium: ubi placati eſſent animi, fidem & caritatem inter ipſos, perfidiam & odia in alienos fore. Et quamquam Galeacium unum accuſatione illa infectarentur, familiam totam eſſe morbo contactam eodem, qui nec fortuitus repentinuſque aliquis, ſed naturali per omnes illos contagione diffuſus eſſet. Majo ineunte venerat Caeſar Mediolanum. Cal. Junii fuerat coronatus. Reliquos inde aeſtivos menſes cum per Inſubriam ageret, Stephanum in familiam adſcivit, qui Vicecomitum fratrum natu minimus erat: praeficiturque ille miniſterio intimo & periculoſo tractandi pocula & praeguſtandi potiones Principis, quod tamen in aula illa non fiebat ſemper, ſed Germanica fere ſimplicitate bibebatur, & otiola plerumque praefectura illa erat. Novus familiaris & pincerna miſer, prout compoſita res erat, adſpergitur repente crebris aulae ſuſurris quaſi Principi venenum pararet, ſcilicet ut ſuſpicionis ejus obtentu ipſe veneno mox abſumeretur: praebebutque criminationi ei materiam nota jam alia & vulgata in Galeacium accuſatio. Cum junior Vicecomes apertis jam quoque ſermonibus tanti cogitati ſceleris palam reus ageretur, die quodam epulante in publico Caeſare, potionem, quam ille obſervarus Principi erat, medicavere furtim qui negotii ſibi id ſumpſerant.

Caeſar, ubi ſcyphum accepit, reddidit pincernae Vicecomiti, verboque eſt adhortatus, ut malam opinionem rumoreſque malevolorum diſſueret, queis ipſe diffamaretur. Rapidum incrat violentumque virus, quo juvenilitur & impigre hauſto Vicecomes cum vertigine protinus oculorum animique agere ore ſpumas retrorſumque inclinari. Ad eum vero adſpectum conſcii ignarique pariter inhorruere omneis ſtetereque eodem vultu. Mox, in miſericordiae vicem, quae tam indigne pereunti debebatur, & multorum fortaſſe tangebat pectora, ſucceſſere probra & contumeliae, quales, aliorum adulatio, ſenſus aliorum jactare poterant in eum, qui ſternere ſuper dapes examinem Imperatorem voluiſſet, atrocius infeſtiuſque, quam ſi ferro aggredcretur.

Efferitur moribundus juvenis ex aula ſervaturque in experimentum tantummodo & quaeſtionem, quaſi verifimile fieret, potuiſſe quemquam inducere in animum, ut inter tot adſtantium manus armatoſque cuſtodes, patraret facinus, quo protinus detecto, acceſſio ipſe necis fieret. Cur non potius miſcuiſſet venenator deduiſſetque letum aliquid, quo ſenſim irrepente, fortuitus morbus adſimularetur? aut, ſi tanta rabies animo, tantuſque furor, ut nece ſua quaereret palam Imperatori necem: & inde gloriam, quidni irrueret gladio, remque deſperate perageret, ſicuti noſtra etiam aetate vilis una manus ſepto armatis Regi abſtulit vitam.

Sed Stephanus in angulum fortaſſe projectus aliquem, luctatuſque acerbiſſime cum extremo ſpiritu per aliquot horas, antequam ejus diei ſol occideret, vitae fine eripitur tormentis, quae judices & ſcribae, totuſque ille carnificum chorus exquiſitiſſima jam excogitarat ad eliciendam, ut ipſi ajebant, veritatem, quo conſilio, cujus inſtinctu, quibuſve adjutoribus & conſciis venificum inſtruxiſſet, cum, alioqui apud veneficii auctorem haec ipſa jactari ipſimet ſcirent. Quia juvenis approperata torminibus intimis morte judicium eluſerat, periiſſe ſibi magnam hereditatem reputabant.

Quaerente enim Caeſare effugia tam foedae ſuſpicionis ac declinante inhumani facinoris invidiam, dixerant palam atque affirmaverant, quod ſuſcepti adverſus eum

A ſceleris ordinem, & conſilia omnia totamque flagitio illigatam Vicecomitum gentem interrogato ſcelerato homine exhiberent. Ac brevi eo ſpatio quaerendis indiciis, adornandiſque teſtibus occupati cum carnifice maximo ſatellites minores curſitarunt, fidarunt, non parum inflati facillimo interim ad Principem aditu crebriſque cum eo collocutionibus, unde collecta admiratione & auctoritate, regnaverunt fere ipſi pancarum illarum horarum uſura, aliaque tota die illo ipſorum fuit.

Vidit Deus, multique mortalium ſenſere flagitia, quae per licentiam negotii dieique illius admiſit forenſe miniſterium; dieſque unus ille inventa apud Principem gratia, miniſtrorum eorum alioquibus peperit opes, quas nunquam alioqui adepturi erant. Adeo largus poſtea Caeſar fuit in eos, qui aliquo modo benemeriti fuerant de trepidatione illa ſua; tunc ſcilicet cum corruente inter officii ſui perfunctionem pincerna, eoque deinde jugente animam, interioribus conſcientiae ſtimulis agitaretur, quaſi deſignatus, ipſe omnium oculis impoſtor & ſycophanta ſimulque venenator & parricida familiaris ſui. Fortaſſe enim, ſicut in ejuſmodi negotiis uſu venit, texendo & componendo ſecum ipſe formam ſceleriſque veneficii, expeditiora cuncta ad latendum fallendumque propoſuerat animo, quam re deinde peracta ipſa in experiendo ſuccedebant? Et hoc ipſo creſcebat metus, ne fraus tam indigna detegeretur, quod timeri poſſe videbatur exitium, ſi detecta foret, tenente urbem fratre juvenis perempti, urbeque ipſa adſpernatura & vindicatura infamem dolum.

Poſtquam intelleci fato Vicecomitis, & potentia ſua Caeſar, & arte miniſtrorum, communem in eo negotio famam aliqua ex parte fefellit, caetera deinde quae petita fuerant facinoris ejus pretia, & emolumenta in facili fuere. Ceu participes auctoreſque veneficii, Galeacius Princeps urbis, & templi maximi Canonicus Joannes, & Azo, repente comprehenſi, Modoetiam in arcem adſportantur abſque tumultu ullo. Contiuerat namque Civitas objecta fama tam atroci, tituloque captivitatis tam juſto, quod diluiſſet una domus Caeſari venenum, ac Numine vindice ſcelus in miniſtrum recidiſſet. Cuſtodiae autem & ſtationes & omne militare praeſidium obtorpuerant armati Caeſaris praetentia & majeſtate, quem circumſtabat exercitus major: cujus nutum & imperium reſpicere cives coepiſſent.

Capta ſic, & afflicta Vicecomitum Domo, Bavarus, Principatuque deleto illo omni, rem Mediolanenſem in Romani Imperii jus ditionemque vindicarat, ſicuti corraſa inde, & ablata Gentis ejuſdem olim artificiis fuiſſet, novoque conſtituto regimine in Etruriam abiit. Ab ejus diſceſſu Vicarius Mediolani relictus eſt Guhelmus Monfortius, non ille quidem ſicuti Matthaeus antea, & Archiepiſcopus Otho, parans cogitanſque tale quiddam, ut ex fiduciaria perpetuam ſibi provinciam faceret, Imperioque ipſi per ſpeciem ejus fungendae vicis inſidiaretur: ſed ipſa cum Imperatore concordia fideque erga eum inſeſtus urbi. Nam ſicuti Bavarus ille, inducto in Eccleſiam diſſidio, laceratoque Pontificatu, acta omnia nomenque & auctoritatem Nicolai Pſeudopontificis obſtinate tuebatur; ita Vicario hunc unicus gratiae locus apud Principem, & praecipua benemerendi materies ab impietate flagitioque eodem erat. Quippe civitatibus etiam ipſis idem peccandi locus: neque copioſior alia ſeditionum materies, dum, vel ſpreto in gratiam Caeſaris Joanne, juſſa nutumque Nicolai reſpiciunt: vel pro eo adverſus hunc nituntur. Urbem itaque noſtram ab juſto veroque Pontificatu Vicarius ille alienabat, haud ſine quotidianis, ut credere licet, injuriis, multaque violentia, tum in res ſacras, tum in homines ipſos, qui curae, & adminiſtrationi ſacrorum praeeſſent. Quodque argumento eſſe poſſit, cordi fuiſſe ei, ut caeteras quoque urbes alienarentur: reperio Temacoldum quendam apud Laudem Pompejam ex piſtore familiarem Villarinorum, deinde proditorem, urbe capta illa, ſcripſiſſe illico ad Montfortium hunc, ut mitteret auxilia ſibi ab Mediolano, quibus tueri Caeſaris nomine urbem poſſet adverſus Romanum.

Flexit poſtea Bavarus animum ſuum ob Caſtrucii Caſtracanis preces, ut mandaret e cuſtodia captivos dimitti. Lucae Princeps erat Caſtracanis, qui ſuper aſſiduis poſtulata de captivorum ſalute, defectionis etiam metu Caeſarem perculerat. Eo nimirum metu ſunt dimiſſi, haud tamen ſine grandis pecuniae pactione, quae ſevere deinde exacta eſt & pernumerata ad teruntium: ipſique fratres in Etruriam ad Caeſarem vocati. Galeacius egregia militari fama, & fortuitis idem ornamentis eximius, in itinere, moerore eſt abſumptus, ſecuta interpretatione, extinctum fuiſſe juvenem Caeſaris ipſius dolo. Caeteri, cum ad Bavarum perveniſſent, non procul a captivis in aula habebantur, cuſtodibus appoſitis, qui verba & ſuſpiria & vultus inceſſuſque ſingulorum diſſimulanter obſervarent ceu ſcriptores annalium, & ſatellites iidem ad retrahendum expediti, ſi quis unus veſtigia paulo longius moveret: & Galeacius cum veneni fama, recenti ſui caſus exemplo terrebat fratres.

Aliquanto poſtea rei bellicae neceſſitates, & Caſtracanis ejuſdem arma impulere Caeſarem ut etiam Mediolanum redire Vicecomites pateretur, ibique Vicarium eſſe ſuum Azonem juberet. Sexaginta millia Florenorum ei rei pretium fiere: quae pecunia dum expeditur univerſa & affertur, Marcus Vicecomes inimicus, & accuſator antea fratrum ſuorum, poſtea rebus adverſis ad miſericordiam evictus, apud Caeſarem obſes fuit. Ac ſicuti, neutra in parte modus eſt ullus apud regios animos, onerare miſerus, ſive beneficus extollere domum aliquam inſtituerunt, tam effuſus nunc Caeſar in Vicecomites eoſdem, quam antea ſaevus, & atrox, allevatam ſemel ex calamitate gentem adjuvabat modis omnibus, ut ad fortunam reſurgere poſſent eam, ex qua direpti violentia ipſius ſorent.

Joannes Galeacii frater erat ex templi maximi Canonicis, ut memoravi, quo non contentus ordine, majus, ampliuſque illud appetiverat olim, ut in Cardinalium numerum cooptaretur: id familiae, in qua natus eſſet, id ſplendori etiam ſuo tribui aequum cenſebat. Verum, quia nondum aſſequi recta via ordinem eum potuerat, qua poſſe videbatur via, ſtatuit aſſequi, uſuſque opportunitate, & indulgentia hac nova Caeſaris erga domum ſuam, tenuit commendatione favoreque ejus, ut Cardinalis fieret ab Nicolao, qui Bavari opibus contra Joannem Pontificem Max. excitatus turbabat cuncta perverſo & adulterino Pontificatu. Tradunt alii, Cardinalem Joannem, emiſſe quidem praeſenti pecunia eam dignitatem, ſed ipſi Bavaro, non autem Nicolao pretium eſſe perſolutum. Quippe laborantem, uti dictum eſt, rei pecuniariae difficultate eum, dediſſe neceſſitati ſuae, & precibus anucorum, ut quando reſtituiſſet in patriam honoremque Vicecomites, novum etiam adderet hoc decus.

Ita hominem Nicolao commendaſſe abſque repulſa cooptandum in Patres: pro eo conveniſſe, ut totidem millia Florenorum ab novo Cardinale repraeſentarentur, quot paulo antea nullibus reditum in ſpatriam ipſe fratreſque emiſſent. Neque mirari oportet ſuffeciſſe domum hiſce pecuniarum erogationibus etiam in ipſa exſilii calamitate, intuentes ſcilicet magnitudinem urbis, in quam dominata eſſet haec familia, in quam dominari pararet rurſus. Additur Cardinali huic Joanni ſumma per Inſubriam poteſtas, Legatuſque Pontificis appellatur, quae tam ſancta juſtaque erant omnia, quam etiam Pontifex ipſe juſtus, & ſanctus, neque diuturna, ſicuti demonſtrabitur, fuere. Nunc quaſi Imperium vere Pontificium illud, eaque legitima poteſtas eſſet, ita pro Apoſtolicae poteſtatis jure ſuperis rebus Cardinalis Joannes aliquamdiu ſe ſe immiſcebat. Ac reperio, ſcriptum ab eo litteras eſſe, quas Mediolanenſem Eccleſiam allatur, ut Princeps, itemque de nova ſua dignitate litteras alias ſeparatim, & quemadmodum a Dominoſuo Papa, (id enim verbum uſurpavit) Cardinalis Legatuſque factus eſſet. Litterae ipſae ſunt datae Piſis: annus, & menſis, & dies addita: erantque mieriptae Dominis viginti quatuor viris adminiſtratoribus Reipublicae Mediolanenſis amicis cariſſimis.

In iiſdem Litteris erat: Azonem ſuum novo Caeſaris munere Vicarium eſſe renuncratum. Nondum enim ipſi Mediolanum redierant, ſive detenti per aliquot dies obſequiis, & adulatione erga Caeſarem, ſive ob eam moram cauſam, ut uno tempore Vicecomites duo, poteſtatem alter nomenque Caeſaris ferens, alter poteſtati, fiſtigioque Regum, (ſi verus eſſet honos purpurae) aequiparatus, venirent. Venere circa Februarii menſis initium; & interea dum Mediolani pompa adornatur, ad Modoetium ſubſtitere per aliquot dies: dein exculta in triumphi modum urbe aderant. Nullos tamen reperio Clericorum ordines proceſſiſſe obviam, quia ſcilicet factum ab falſo Pontifice Cardinalem, ut credere velim, abominabantur. Id utique notaſſe debui, quia, cum Modoetiam antea proficiſcerentur, totum eum cum populo Clerum obviam fuiſſe, ſcriptores retulerunt, nec tale quidquam in deſcribendo ad Metropolin ingreſſu iidem addidere.

Per hunc modum reſtituto Civitatis regimine, cui Mediolanenſes utcumque jam aſſuevi ſſent, Caeſare abſente, Vicecomitibus poſt gravem caſum ad novae fortunae principia manſuetis, & modeſtis, ſi non tota quies, certe nec violentia extrema Mediolani erat: Monfortioque, etiam illo digreſſo ab Urbe, violente minus agitabantur ſacra faſti Pontificis ſtudio, cujus propugnatorem acerrimum eum fuiſſe demonſtravi. Nondum annus exierat ab reditu Vicecomitum: Urbeque in priſtinum ſtatum redacta, cum male gerenti in Hetruria rem Bavaro, negotiſque illic admodum infidis tetigerat animum terrae Inſubriae memoria, & redire cupiebat huc, oblitus, ut opinor, quale ſui deſiderium in terra eadem reliquiſſet. Sive memor potius erat, & quemadmodum depoſuerat ipſe omnem ex animo fortaſſe offenſionem, ita placatos eſſe animos allorum credebat, quos perculerat nece proximorum, & exſilii malis, & pecuniae fortunarumque damno: quos e ſummo detractos loco miſerat in vincula: quibus dederat venenum, ſtruxeratque ſimul venem crimen: quorum denique animos terrore mortis, & excidio domus, & peremptorum fratrum exemplo torſerat acrius quam ſi corpora ipſa peremiſſet, ne ſuperſtites inter regia ſervitia extra patriam traherentur.

Haec fortaſſe meminerat Bavarus illata ab ſe mala Vicecomitum domui, ſed quia malefactis deinde beneficiis emendarat, ideo ceſſiſſe priora poſtremis, praeſentiſque jucunditate fortunae veterem obliteratum eſſe ſentum autumabat. Atqui non ea plerunque moderatio animi humani eſt, qui repetens ab ipſa etiam oblivione volvenſque iras renovat ipſe ſuos impetus tunc maxime, cum plane deſederunt. Minima ſaepe res, & homo unus, praetervolanſque forte imago, jactumve temere verbum, ceu ſcintilla aliqua incendia irarum excitavit, quae reſtinxerat dies oppreſſeratve gratia ſecuta offenſam.

Vicecomites autem iſti, quoties ipſi ſe ſe numerarent, fratres abeſſe ſibi duos injuria Caeſaris videbant. Et quantulum abfuiſſe, ut ipſi quoque dum carcere detinentur, dum ſequuntur inimicam aulam, perirent inter quotidianos cibos eodem telo? Quod evaſiſſent, quod ſpirarent, Caſtrucii eſſe beneficium, neque gratuitum id, ſed emptum auro, expreſſumque amici illius armis. Purpura vero interdum etiam ipſi fordebat profani Pontificis munus, idque multarum mercium aeſtimatione ac pretio repentium. Ob haec, occurſante animis dolore & ira, fac pius injurias quam beneficia Caeſaris reputabant: cumque de illius conſilio ac cupiditate redeundi ſuſpicati quippiam eſſent, parabant ſe ſe ad prohibendum, eoque apparatu mites & blandi erga civitatem erant. Simul irritus Nicolai Pontificatus vanaque illius auctoritas abolebatur, exoleſcebat: ſanctior veriorque firmabatur alter, ut novo certamine imminente, paratae adverſus Caeſarem Cleri etiam & Eccleſiae opes forent. Indo Metropoli rebuſque Ambroſianis adimebantur flagitia & labes, quae Vicarius antea Monfortius, & praeſens cum exercitu Caeſar, totaque ea in Sedem Apoſtolicam conjurata factio impoſuiſſet. Statuerat Cae-

Caesar ad Modoetiam agere quod temporis moraturus in Insubria erat: nec de consilio eo jam ad oppidanos illos fuerant perlatae litterae significantes, hospitem fore gravem nemini, potiusque commoda & honores additurum Reipublicae ipsorum, qualia vel olim munificentia & liberalitate Caesarum accepissent.

Quod ubi compertum Joanni & Azoni Vicecomitibus, imittunt ipsi Modoetiam Bonumum Mantegatium, & Paganum à Iandelilum, atque per eos monent hortanturque Modoetienses, ut si salvam esse Metropolim, si salvi ipsi esse velint, ne recipiant oppido Bavarum: dolos & artes, perfidiamque ejus in amicos proponunt: se vicissim parata in id instructaque habituros esse omnia, ut ab urbe intercludatur. In id hac data fide & accepta, simul ad Modoetiam, simul ad urbem munimenta quaecumque noverat illa aetas, Bavaro adventanti opponebantur. Ille relicta in Etruria Episcopo Arretano: quem Mediolani antea coronationis impiae participem fuisse demonstravi, reversus in Insubres, cum ad Padi ripas pervenisset, sensit in hostico se esse. Navigium namque nullum trajiciendo flumini reperierat, pontonesque ad certa loca publico sumptu parati semper alias in viatorum trajectus, nunc apparere desierant. Id suspicandi principium, & pacati nihil ea res ostendebat.

Trajecere tamen aegre repertis vadis equites: caeteri conjectis in utres vestimentis, sive prompta ad id materia fabricatis alveis informibus, qui aquae utcumque innare possent. Quo magis deinde procedebat exercitus, eo infestiora omnia reperiebantur. Nihil pecoris, aut frumenti, reliquive commeatus in agris: & homines ipsi commigraverant in urbes munitas, ut vasta desertaque cunctis tamquam infestissimo venienti hosti relinquerent. Attonito sic agmine, Caesar attonitus ipse progreditur, etiam perculsus magnopere hoc ipso, quod ab Vicario suo Vicecomite nullos interea occursus invitationemque nullam, honorificum aut hospitale nihil adesse videbat: profecto, rebellionem, ultionem, duellum, pericula adesse, & fero jam ipse considerare coeperat capitalissimas in animo humano recordationes injurianum, maleque ullis meritis inuri gratiam homine ab illo, quem olim oblitus gratiae meritique onus insectatus fies. Dubitandi finis fuit, ubi baleares funditoresque aliquot Italici generis, quos in exercitu Caesar habebat, digressi agmine transfugere Mediolanum: & quotidie Germanorum etiam aliqui illuc ad stipendia opulentiora ibant.

Obfirmaverat tamen Bavarus animum in eam sententiam, ne stringeret gladium, priusquam ab Modoetia se se exclusum videret. Igitur ab Laude Pompeja (regione enim eat tetenderat) citato profectus agmine Modoetiam, exhorruit illico, non ob clausas tantummodo portas dispositosque in moenibus armatos, sed etiam, quia intumescente repente Lambro flumine ob immodicos imbres, & extra ripas diffluente quantum antea nunquam, nullo modo potuit ab ea parte succedere ad arcem: idque apud eos qui tunc erant homines, Baptistae miraculum habitum est, cujus numine defensum id oppidum aliquando etiam alias fuit. Tentatis inde Caesar aliquandiu per colloquia oppidanis, postquam modesti nihil respondebatur, cernens ex ejus oppidi munimentis & contumacia, qui animi, quive apparatus ad urbem essent, conditionem omnem acceptarus erat, alicubique quieturus si transigere honeste posset.

Qua cognita per transfugas animi ejus inclinatione, Joannes & Azo, tributum annuum & praesentis pecuniae modicum quid obtulere ei, si quod antea concessisset Vicarii munus atque potestatem novo firmare diplomate, & abire vellet: exstatque diploma magnificum verbis, inane re ipsa, quia Sedis Apostolicae hostis, praeveque coronatus & anathemate illigatus Caesar ille erat. Caeterum ea res, quod Bavarus ab urbe rejectus fuisset, Pontificem Joannem Metropoli Vicecomitibusque placare coeperat: atque id fuit initium auferendi turpia vincula Clero Ecclesiaeque Mediolanensi, queis ad eum diem adstricta civitas tenebatur. Inchoata quin etiam ejusmodi reconciliatione, Cardinalis Joannes abdicavit ea ultro dignitate falsa, riteque ac juste nominis ejusdem honorem a vero Pontifice impetravit, & Novariensis insuper Episcopus ab eo est creatus. Per haec & alia fortunae incrementa Vicecomites excitati rursus: & firmata novis opibus potentia excoluit Azo urbem operibus, quorum magnificentia ne nostrae quidem aetati sine admiratione sunt.

Neque profana tantum illi curae erant. In Palatio, quae nunc Regia est, D. Gothardo Aedem posuit, secutus id nomen eamque religionem, propterea quod magnis ipse articulorum doloribus laboraret. Templum autem ipsum ornavit Sanctorum reliquiis, & omni sacrae supellectilis apparatu, non ad usus modo quotidianos, sed ad magnificentiam quoque & splendorem. Ac, ne qua hominum injuria, quantum in praesentia provideri posset, noceret ei sacrae supellectili, quidquamve auferret, describi singula vasa, & appendi jussit: omniaque cum suo quodque pondere & figura in publicas tabulas ex ipsius auctoritate Pontificis relata sunt. Quae quidem litterae repertae postea in tabulario Cardinalis Joannis, & annalium memoria custoditae, credere cogunt, fuisse Azonem in Ecclesiae rebus magna diligentia & pietate: referamque ego (erit em ipsarum, prout exstant. Ea est hujusmodi: *Azo Vicecomes ex fructu D. Gothardo Aedem posuit ibi argentea vasa haec, attributaque templi custodibus coram Omnibono Cardinali Ioannis cubiculario, & coram Amisite Fratrum Minorum: Calicem argenteum cum patella pondo marcarum octo, unciarum septem. Calicem alterum argenteum orbiculato opere & encausteo cum insignibus gentilitioque stemmate Sabaudiae Ducum, Vicecomitumque & Galluratae: pendit marcas tres, uncias sex. Calicem tertium incisa pietatis figura, marcarum sex, unciarum septem. Calicem quartum opere cireumnato. Crucem parvam inauratam pendente ex ea Christo Laboratore. Crucem alteram e crystallo cum emblematis argenteis inauratis sigillisque pluribus. Crucem in electro simili artificio fabrefactam. Formae majoris crucem marcarum XXXII. unciarum XI. totam ex argento ad collocanda Altaris mysteria in Tabernaculi formam. Crucem aliam argento solidam inauratam collocandam in ara cum pedamento cymatisque & lunulis quatuor insignia Vicecomitum ferentibus. Sitellam argenteam in aquae lustralis usum. Aeream argenteam servando thuri, adolendae arae. Aeream alteram e Crystallo. Crystallinos urceolos duos argento caelatos. Patellas duas argenteas. Patellam ex jaspide. Candelabra tria crystallina caelata argento. Quatuor argenteos vultus quos Azo conflandos curavit, ut repraesentarent era virginum inclytarum, quae Ursula duce amplexae Christi fidem, barbarica tormenta contempsere.*

Praeter haec argentea vasa supellectilemque posuit in eadem Aede Azo multam pretiosam vestem, ad sacra facienda: resque singulas Guifredolus Pusterula litteris consignavit eo fere ordine quo retulimus. Hoc fere tempore, quo sacram D. Gothardo aedem exstruxerat ornaveratque Azo, Cardinalis Joannes Episcopusque Novariae erexerat animum ad curam cogitationemque hanc, ut ab Novariensi Ecclesia ad Mediolanensem transiret. Pulcrum scilicet videbatur, in eadem urbe regnare familiam eamdem utroque dominatu, si sacra patruus, profana fratris filius administrarent. Et invitabat occasio jamdudum exsulantis Archiepiscopi Aicardi, qui propter factionum certamina nunquam in sua considere sede potuisset. Nec ipse fortasse jam magnopere venire in urbem curabat, in qua Domus eadem auctis opibus dominaretur, cujus potentia fuisset exclusus. Agitata res per idoneos homines, communesque amicos sic convenit, ut Ecclesiae commutarentur, traderetque Joannes Aicardo Novariensem: hic Mediolanensem Joanni, pensione interposita mille florenorum rummum. Quae pacta conventa cum Pontifex Max. rata habuisset, Aicardus Novariam, Joannes Mediolanum, alter auctus honore, alter diminutus, concessere. Venienti Mediolanum Archiepiscopo Cardinalique Joanni obviam egressi Ticinenses Porta sacri ordines certavere gratulatione, & pompa cum nobilitate populoque universo, & Azonis ipsius aula, quae dici laetitiam ejus effusissime concelebravit. Is autem dies fuit ad XIII. Cal. Februar. anni

ni CIↃ CCCXXXIV. Quo die Aicardus etiam ab Novarienſi Clero populoque eſt acceptus.

Exſtruxit Archiepiſcopus Cardinaliſque Joannes proprias ſibi aedes, quae poſtea domicilio Canonicorum attributae fuerunt, & via hodie interjecta ab Regia dirimuntur. Regiam ipſam Azo aedificaverat, qui etiam propugnacula mutuliſque addidit moenibus urbis, & pomoerium, hoc eſt, omne ſpatium circa muros, ab omni alio aedificio vacuum fecit. Reſtituit idem Marianae Aedis turrim vetuſtate collapſam: induxitque aquas in urbem, quae per Nilum & Cloacam maximam lutulentae hodie & ſordibus inquinatae decurrunt. Ferme ſub eos dies, quibus permutatio Eccleſiarum facta erat, veneratque Mediolanum Archiepiſcopus Vicecomes, mortuo apud Avenionem in Gallia Pontifice Joanne, ſuffectoque in ejus locum Benedicto, Canonici Modoetienſes in ſpem venere, poſſe ab hoc Pontifice, vel propter inclytam ipſius pietatem, vel ob novi ſummique honoris gratulationem impetrari, ut referri Modoetiam ejus Baſilicae theſauros, qui Avenione adſervabantur, juberet. De ea re, primum omnium retulere ad Cardinalem Archiepiſcopumque Joannem, ejuſque opem imploravere. Nimium diu vetuſtiſſimae religionis Baſilicam caruiſſe ornamentis illis: ſqualere ſacros parietes: imminutam eſſe populi pietatem, templ quoque cultum: & ſacerdotes ipſos minus alacriter jam, & minus religioſe convenire ad canendas preces, quia ſanctiſſimi ſui Tutelaris monumenta illa eſſe apud alienos ingemiſcant. Ne Tutelarem quidem ipſum arbitrari peruide atque olim adeſſe ſibi propitio ac praeſenti Numine, quia ſpoliatam eſſe Aedem ſinant theſauris, propter quos antea inviſebatur. Potuiſſe, dum belli tumultibus Italia permiſceretur, ferre deſidenum, atque theſauros ibi ſinere eſſe, quo minus pervadere licentiae militaris poſſet. Nunc pacatis omnibus, & reddita per Italiam ſecuritate, aequum videri, ut reſtituatur etiam Modoetienſi Baſilicae ſuum decus.

Haec, & alia, cum expoſuiſſent Archiepiſcopo Joanni Canonici Modoetienſes, peterentque ut legationi, quam ſuper ea re miſſuri eſſent, vellet auctoritate ſua ipſe addere honorem. Annuit libens, ſuoque & Principis Azonis nomine ire, legatos juſſit. Iere ex Collegio, Gratianus Arona, & Franciſcus Liprandus cum litteris ad Pontificem, ut ſciret Canonicos eſſe Modoetienſes ipſos, & petendi theſauri cauſa miſſos ab Archiepiſcopo ſimul, & ab Azone Principe, & ab ſuo ipſorum collegio. Addita ſupplex obſecratio, ut beatiſſimi Pontificatus initio, Chriſti Vicarius annueret piorum hominum votis, & theſauros, quibus tamdiu caruiſſet inclyti nominis Baſilica, referri illuc, unde per injuriam ablati eſſent, vellet. Alteras quoque litteras attulere ad Principes aulae viros, quo faciliores apud Pontificem aditus invenirent: & Joanni praeſertim Cardinali Columnae commendabantur. Is Canonicos ad Pontificem introduxit, expoſuitque quid petentes veniſſent. Benigne ſunt auditi: ſed reſponſum, verborum comitate magis, quam exitu rei gratum acceperunt. Haec enim verba Pontificis fuere: velle ſe quidem, ut theſauri, quorum cauſa venerit honeſta & ſacra legatio, reſtituantur in ſuam ſedem: ſed nondum maturum ejus rei tempus adveniſſe. Fore ſe in tempore memorem eorum poſtulati, litteriſque Vicecomitum benigne reſcripturum. Ea cum dixiſſet, dari ſibi litteras juſſit continentes publicam auctoritatem & actionem, qua theſauri olim ipſi traditi, & depoſiti apud Antiſtitem Canonicoſque Templi maximi Avenionenſis fuiſſent.

Cum traditae eſſent litterae, Canonici pro re ipſa ſpem incertam ferentes redire domum. Anno ſal. CIↃ. CCCXXXV. legatio haec ierat, redieratque. Anno, qui ſequebatur, Archiepiſcopus parta per Luchinum fratrem ad Parabiagum victoria, poſuit in loco praelii nobile templum D. Ambroſio parenti urbis: eique templo ex Victoria ipſa cognomen fuit, & inſtituit, ut Decuriones urbis cum Praefecto quotannis mitterent ad id templum ampla dona, quae monumento eſſent, praeſenti Divi ejus ope ſervatam urbem. Memorant, in medio pugnae ejus ardore, ſpeciem quamdam obverſatam eſſe omnium oculis, tamquam D. ipſum Ambroſium equo inſidentem flagelloque inſequentem hoſtes viderent, eoque terrore contrariam aciem eſſe diſſipatam.

Azo poſtea ipſe moritur in medio aetatis flore, non ſine factorum etiam ordinum luctu propter unicam ejus viri religionem, & beneficum largumque animum erga res Eccleſiaſticas, quas pari cura cum Joanne Archiepiſcopo tutatus fuerat. Sepultus eſt in ipſa D. Gothardi Aede, quam ſui Principatus initio ad orientale Palatii latus excitarat. Ac ducente funus Archiepiſcopo patruo, Clerus adfuit univerſus, neque vocatus ille, ut adſolet, ſed ultro effuſis erga Principem ſtudiis, & pietate in eum, qua funeris etiam horas, ut fama eſt, antevenere. Per Vicecomitis hujus tempora Mediolanenſes bellum geſſere cum Joanne Rege Boemiae qui Tridento ab Urbe Brixiam in Cenomanos cum deſcendiſſet, peregrini nominis favore, & novarum rerum illecebra quadam apud inquietos, pleraque Inſubrum adjunxerat ſibi, & repentinus prope ille Longobardorum Rex aliquamdiu erat. Adverſus eum Regem cum Scaligero, cum Gonzaga foedus initum: diviſae foederis lege cum Regulis urbes, quae Metropoli, quaeve parti alteri victoriae praemium forent: Bergomum, & Cremona, & Vercellae, & Placentia, & Lauſpompeja, & Brixia, & Comum, dejecto barbaro, cafibuſve, & pactionibus aliis in jus ditionemque Mediolanenſium redactae: Nec ſine clade exercitus noſtri cum eo hoſte dimicatum: Teuthoneſque interea ipſis aliquando moenibus urbis inſtitere.

Quae omnia, cum auſpicio conſiliiſque Azonis adminiſtrarentur, clarum ejus nomen etiam apud exteros fuerat: & quando caput huic urbi eſſe unum oporteret, rerum ei ſummam permiſerant haud illibenter. Fortuna Principi, ſicut publice laeta, ita improſpera privatim fuit, ob domeſticos hoſtes, Ludriſium, & Marcum: quorum ille, poſt conceptas ſemel in patruelis fortunam iras, manſerat implacabilis, & collectitii ductor exercitus irrumpere in urbem tentarat: hic florenti domui infeſtus, dein ob Caeſaris injurias adducto ad miſericordiam animo, rurſus, poſtquam laeta redierant, atrox, non tam imperio, quam vitae fratris erat inſidiatus. Et uterque, rerum exitu infelices, captivus alter ad Parabiagum in praelio, alter in tentati ſceleris poenam ex palatii feneſtra praecipitatus, lugubrem ei Principi de ſuo ſanguine victoriam exhibuere. Etiam funeſtum aliud ſui ſanguinis flagitium dedecuſque viderat Azo, ortum ab Marci ejuſdem libidine ſimul & ſaevitia. Namque is, Biciam Othorini Vicecomitis patruelis ſui uxorem cum ad ſe pellexiſſet, incluſamque ad Roſatum arci ſubdidiſſe ſibi partum comperiſſet: ipſam, & infantem, & furti miniſtram ancillam dejecerat e feneſtra in foſſam caſtello circumjectam: idque inceſtuoſum, & crudele facinus Principem affecerat moerore. Nam praeterquam quod erat ipſe natura inimicus omnium inhoneſtarum rerum, etiam impoſitam ab Bicia illa impudica labem familiae ſuae videbat.

Agebat octavum trigeſimum annum Azo tunc cum eſt mortuus, communi ſtatura, criſpante capillo, jucundus adſpectu, facie vergente ad rotundum, ſi numiſmati fides, quod iſta ſcribentes ante oculos habebamus. Poſtquam Azo nulla relicta liberûm ſtirpe deceſſit, non dubitavere Ducuriones & Principes urbis Mediolani, quin regimen arbitriumque rerum ad Joannem Archiepiſcopum deferrent: fratremque ipſius Luchinum imperii collegam nominavere. Sed Joannes Luchino permiſit omnia profana, ſtatumque civilem voluit in ejus eſſe poteſtate: ſibi ſatis grave onus Eccleſiae gubernationem eſſe ajebat, & crebrae voces illius audiebantur: Non eſſe mentem unius tantae molis capacem: male conjungi ſacra cum profanis, & fratrem Luchinum melius Reipublicae munia diviſis rebus exſecuturum. Haec verba Pontificis erant. Caeterum non abſtinuit, quo minus, & conſilio, quandocumque res ferret, & auctoritate adjuvaret Lucinum imperiumque commune duorum fratrum fuit,

fuit. In quibuſdam etiam annalibus, ommiſſa Luchini mentione, perſcriptum Joannis Principis, & Archiepiſcopi nomen inveni.

Contaminavit hujus initia Principatus Inſubriamque fere totam ſimile monſtrum ei, cum infamis Guilielmina ſanctitatis opinione alliceret mortales, ſtuprique & adulteriis illigaret, idque flagitium, Archiepiſcopi Joannis providentia, conſilioque, & auctoritate diteſcens fuit. Corrigioſirda eſt in Cremonenſium finibus vix noti nominis pagus antea, ſed malae famae poſt unius feminae ſcelus, quod memorabo. Adoleſcentula ibi quaedam loco nata obſcuro forma fuit eximia, totoque corporis habitu, & gratia morum ac venuſtate, quales corporis animique dotes in agreſti illa nobiles etiam feminae cum invidia & admiratione ſermonibus ferrent. Auxerat hanc ſui admirationem honeſtatis fama, & fama mox alia, tamquam partaeſa excelſo animo cupiditates & vota feminarum aliarum, novis ſe ſe votis obligaſſet, atque virginale decus in magno expetentium ſibi tale matrimonium ambitu, ſervare intactum vellet. Adſpernata muliebrem mundum, quem parentes laeti virginis indole & forma, ſupra fortunam etiam praebebant, coeperat uti cultu atro & exoleto, pſallere domi nocturnis horis: jejuniis macerare corpus: uno verbo, ſanctimoniae exemplum perdita adoleſcentula erat.

Et cum ita viveret, non forma, non decor priſtinus ille elanguerat. Credidere vulgo, non fuiſſe ea ſimulata imitamenta ſanctitatis, & coeleſti fortaſſe flamma tactum illud ſimplex initio purumque pectus exardeſcere ſic ad veram pietatem. Ipſa interim illigata occulto ſacrilegio Clerici unius impure ſcelerateque agebat, & aliquamdiu nihil aliud inter eos, quam flagitioſa conſuetudo ſtupri erat, nihil tale ſuſpicante hominum fama. Poſtea, ſatietate ac taedio ſceleris ejus, vel quia feliciter latebant, nihil jam artibus eſſe ſuis impervium exiſtimantes, impura mulier cum Clerico impuro produxe velut vitae ſanctioris auctores in publicum decrevere. Progreſſi audacter compoſitique palam ad omnem imaginem ſeveritatis, in arcano viventes arbitratu ſuo, concionanteſque paſſim, effecere aſſeclarum ad decem fere millia. Hi nihil honeſti privatim agentes, in hominum conſpectu verberabant ſeſe, ac ſeminudi incedebant: & ſocietas illa officina ſcelerum omnium erat. Late pervagati caeteras Inſubrum urbes, in Metropolim quoque penetrarant, & magnae generis ejus corruptelae Mediolani jam fiebant. Diſjecta ſunt ea quoque Bacchanalia per Archiepiſcopum Joannem, & ejus monitu Cremonenſium Epiſcopus impurae ſectae auctores in urbe ſua comprehenſos damnavit igni. Principum poſtea virorum precibus ei poenae fuiſſe ereptos memorant.

Eodem tempore ſcelus aliud Mediolani exſtitit inſidiantium utriuſque Principis vitae, quorum exitus fuit ejuſmodi, ut ingemiſceret Civitas pertinaciae eorum, & furori, cum quo addicti ſempiternis ignibus animas inter ſupplicia corporum effluvere. Numquam enim, cum tormentis laceraretur, adduci potuere denuntiatione ulla, precibuſve, & ſolitis hortamentis, ut ſalutare Chriſti nomen pronuntiarent, ſive ut erigerent animum ad futurae vitae cogitationem, qua obſtinatione mentis ſunt, ut poſt ſupplicium inhumati laniamenta corvis relinquerentur.

Franciſcus Puſterula erat favore Vicecomitum provectus ad opes, quas non facile Mediolanenſium ullus acquaret, & parem opibus in aula gratiam auctoritatemque obtinebat. Hic, ſive offenſione accepta aliqua, ſive, quia futtetus, & deinde odium capit etiam aulicos homines, cum a Principibus ſuis omnia acceperunt, non minus profecto quam Principes ipſos, poſtquam omnia dederunt: hic igitur, Vicecomitem tollere utrumque agitavit, & ſacram profanumque aulam vacuam dare, ſi deſtinata proſpere ſucceſſiſſent. Fratrem habebat nomine Julianum conſilii hujus participem, & pro neceſſitudine ac caritate fidum ſibi ad omnia ſicut ipſe arbitrabatur. Per eum adjungit ſibi Galeacium & Bernabovem, & Pallam, & Martinum Liprandos fratres: Borolum quoque Caſtelletum & Beltramolum Amicum, auctos item omneis Vicecomitum eorumdem beneficiis; & poſt beneficia nihilo amabilius cogitantes. Hi ſimul omneis conjuravere ut Principem utrumque interficerent, & nihil jam aliud quam idoneam tanto facinori occaſionem exſpectabant. Interea jultanus, incertum, levitate animi, an erga Principem, fide, an vero etiam a fratre offenſus, rem aperuit Alpinolo Caſato, hic Ramengo fratri, & ſtatim res coepta divulgari.

Quod ubi Franciſcus ipſe conjurationis princeps, negotium ire per ora hominum ſenſit, ſublatis repente rebus auſugit. Poſtquam ille non comparebat, Alpinolus, & Ramengus, id quod antea reticuerant, detulere ultro ad Vicecomites: petita prius venia, ne ſibi fraudi eſſet quod deferre cunctati eſſent. Ita conjurati reliqui, miſſo protinus milite praetoriano comprehenduntur, atque conjiciuntur in vincula, primoque tormentorum adſpectu rem confeſſi, redactis in publicum bonis, fame perimuntur, quae ſupplicii foeditas adſperſiſſe Joannis Pontificatui labem eſt viſa. Et hi quidem, Chriſtiano tamen ritu expiatis animis, inter lentae mortis ſpatia non periſſe morte altera creditum ſunt: Franciſcus Puſterula cum filiis duobus deprehenſi apud Piſas, & Mediolanum raptati aeternum periere, cum divinarum ſalutariumque rerum mentionem omnem inter ſupplicium adſpernati eſſent. Alii, non Puſterularum hanc fuiſſe calamitatem tradunt, ſed Beltramoli cognomine Amici, qui fuit unus e conjuratis. Hic propter caeteram ſuam indignitatem, ſordidumque genus, a Principe Luchino reſervatus in carnificinae miniſterium, cum lancinaſſet ſtrenue corpora nobilium virorum, praemium navatae operae id exſpectarat, deſponderatque ſibi, ut ſalvus ipſe dimitteretur. Sed Principem multa ſimul in illud vile caput aſperabant: ſordes hominis, male collocata in eum beneficia, pudor ob nutritum domi proditorem, & quod eum ab cellae vinariae doliorumque praefectura productum exſtuliſſet in aulam, ibique mutata veſte bajulum conſiliis ac negotiis immiſcuiſſet: qualis inſania dominantium, neque tunc coepta eſt ſpectari, neque deſita.

Tot ſimul indignitates, & ſuae denique ſenſus indignitatis in eo extollendo homine accenderant Vicecomiti animum, ut poſtquam carnificem eum fecerat infamaveratque ſpurco miniſterio, carnificis etiam alterius manu ſuſpenſum injectoque pede praefocatum exhibere populo ſtatuiſſet. Addita inſuper proditori bajulo ignominia, quae gratiſſima ſpectantibus fuit. Ad furcam, quae poſita ei ſeparatim extra urbem ſtabat, traxere illigati aſini toto colligentem corpore coenum, & ſordes, per quas trahebatur, incuſſoque, & devoluto per ſaxa capite cruentantem vias. Caeterum, ego non affirmaverim ſupplicii ne acerbitate illa, an impia ſtoliditate contumaciaque hominis factum fuerit id quod non ſine moeſtitia, & horrore ego referam. Memorant perſtitiſſe in eo, ut ab Sanctae Crucis adſpectu proterve rictum averteret, ingerentesque ſeſe hortatores conſputaret ſub ipſo carnificis pondere, cum ab eo calcante humeros damnata Orco anima exprimeretur. Quod portentum abominati Magiſtratus vetuere tumulo inferri cadaver, vetuere deduci patibulo, pependitque inde, donec ipſa dies, & pabulis ejuſmodi volucres aſſuetae abſumerent quod pendebat, quodve fluebat in terram. Punita in hunc modum conjuratione, minime tamen laeti Vicecomites erant, teterque & horrendus exitus Beltramoli Amici ceu prodigium aliquod civium animis haerebat. Plena urbs timorum & ſuſpicionum, tum apud Principes, ne pars minima infidiarum detecta eſſet, tum apud conjuratorum propinquos, & neceſſarios, ne participes fuiſſe conſiliorum exiſtimarentur. Suſpenſamque, & ſollicitam ita Civitatem inſuper moeror ille aggravabat, quod inchoata, ut dixi, poſt rejectum ab Urbe Bavarum, reconciliatione cum Pontifice Maximo, nondum tamen ea res perfecta erat: nondum abſoluta Civitas interdicti poena, quam Pontifex Johannes ob admiſſas aemuli Nicolai temporibus culpas inflixiſſet.

Vercellinus erat ex Vicecomitum genere vir pius, nec ulla ſui parte indecorus Domus, quae jam patriae ſeſe do-

minam feciſſet, quamve ſacra nunc, & profana omnia præ-
ſidem & moderatricem intuerentur. Moerens iſte ge-
menſque tali rerum ſtatu petit ab Archiepiſcopo Joanne,
ut ad Pontificem Max. Legati de abſolutione mitterentur.
Miſſi ſunt Gulielmus Calix, & Leo Dugnanus, & Maſ-
ſinus Sampſon cum precibus hujuſmodi: Ne Chriſti Vi-
carius Metropolim Ambroſianam, & Vicecomitum
Domum temporum neceſſitate prolapſis, divino nunc
beneficio reſurgentes ad obſequium, pro paterna ſua
ergà omneis benignitate repudiaret. Si contumacia conci-
ſcta delinquiſſent forte aliquid, tanto promptioribus
animis obediendo & obſequendo, id ipſum eſſe correcturos. Pontifex Max. reconciliandæ tantæ urbis occaſio-
nem amplexus, de ea re ad Senatum retulit.

Patres relationem accepere lætis animis: factumque
decretum de pace cum Vicecomitibus ineunda reſtituen-
daque Metropoli in veterem ſacrorum uſum, & pincula
dicta urbi ſunt hiſce verbis: *Populus Cleruſque Mediola-
nenſis, & corporis uniuſque Principes, propterea quod publi-
co conſilio deſciverunt ab Eccleſiæ Romanæ auctoritate, Ba-
varumque Sedis Apoſtolicæ rebellem, & Pſeudopontifi-
cem Nicolaum propugnare aliquamdiu voluerunt; nunquam
amplius talia eſſe fatiuros promittunt, & quidquid antea
commiſere, errore humano, & improvido caſu, violentaque
imperitantis eſſe commiſſum quam ſanctè affirmant, & Pon-
tifex Max. animis paternâ ſuâ clementia, & facilitate,
ut ea ſecuta dicuntur, credat. Id ut manifeſtò conſtet apud
eos, qui nunc ſunt homines, aliſque poſt ſæculis ſeruti ſint
hoſce Mediolanenſes exſtruere publico ſumptu ſacella duo, quæ
pœnitentiæ obſequique ipſorum erga Sedem Apoſtolicam ſem-
piterna monumenta eſſe debebunt. Exporro ſacella dicabuntur
D. Benedicto & exſtruentur in Divi Ambroſii Æde: annuus
ad ſacra facienda victigalibus inſtruentur: Sacerdotes utrum-
que ſuos habebit: anniverſario D. Benedicto die res divino
fiet ad ea ſacella ſolemni ritu, atque Sacro Præfectum urbis
alioſque Magiſtratus intereſſe oportebit. Eo die duobus milli-
bus pauperum benigne fiet Reſpublicæ Mediolanenſis nomine:
ſingulos panes ſingulæ accipient: unciæ duodenæ tritici ſin-
gulis panibus inerunt. Hæc omnia ſi faxint Mediolanenſes ſi
tum vero, ſicuti majores ipſorum, cari filii, & ſervi fide-
les Apoſtolicæ Sedis erunt.*

Facta omnia, ſicuti Romanus imperarat, Eccleſiae-
que Ambroſianæ pax data. Pontifex quin etiam ipſe Be-
nedictus, biennio poſt, Mediolanum venit, eſtque ac-
ceptus, non ea modo, quæ Pontifici Max. debebatur
magnificentia, & gratulatione, ſed etiam effuſiore quo-
dam ſtudio, quaſi liberator urbis, & Vicecomitum
domus fundator Principatus. Nam antea, fluctuanti-
bus, & incertis Eccleſiæ rebus, imperium quoque eſſe
incertum, & anceps oportebat. Etiam Archiepiſcopus
Joannes, licet ab Novarienſis Eccleſiæ Pontificatu ad
Metropolim Ambroſianam rite atque interpoſita ſummi
Pontificis auctoritate tranſiſſet, eaque Vicecomitis cum
Aicardo exſule permutatio legitima Eccleſiarum haberetur, nulla tamen de ea re publica monumenta, nullumve diploma proferre Apoſtolicum poterat, & mancus ab ea parte Pontificatus erat. Datæ ſunt ab eodem
Pontifice litteræ, quæ commutationem ejuſmodi ſanc-
irent Apoſtolicæ Sedis nomine, ratamque haberent.
In coreconciliatæ gratiæ fervore, ſpes facta eſt Archie-
piſcopo Joanni etiam impetrandi rem antea nequidquam
agitatam, ut ſcilicet theſauri illi Modoetienſes referri
illuc poſſent, unde ablati olim fuerant, & variis in alie-
na terra caſibus jactati.

Vocatis igitur ad ſe Canonicis, Archiepiſcopus, cum
ſua de theſauro recuperando conſilia, ſpemque de ea re
conceptam expoſuiſſet, jubet eos perferre ad ſe exem-
plum litterarum, quæ ſingulas theſauri partes exſcriptas
atque exſignatas continebant, prout ſcilicet confectæ
eæ tabulæ fuerant, tunc cum theſauri ipſi ab Joanne vi-
geſimo altero Collegio Avenionenſi cuſtodiendi trade-
rentur. Poſtquam attulere Canonici Modoetienſes ea-
rum litterarum exemplum, ſubſignavit Archiepiſcopus
id exemplum ſua manu, tabulaſque publicas ejuſmodi
ſubſignationis juſſit confici per Petrum Vercellenſem,
qui ipſi A Actis erat. Has litteras, aliaſque commen-
datitias tradidit Joanni Baldirono Modoetienſi, qui pro-
fectus Archiepiſcopi Municipiique ſui nomine ſine mora
Avenionem, facile a Pontifice Max. impetravit, ut re-
ferri Modoetium theſauros annueret, eoſque anno mil-
leſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto, die, qui
Sanctæ Crucis inventioni ſacer erat, traditos eſſe Mat-
thæo Veronenſium Epiſcopo, reperi in urbis ejus anna-
libus: ab eo tranſmiſſos eſſe Modoetiam in eadem arca, in
qua conditi fuiſſent, cum Avenione aſſervarentur. Alu,
non ſtatim eos eſſe tranſmiſſos tradunt ab Epiſcopo Vero-
nenſe, ſicuti retuli, ſed Epiſcopum, poſtquam ſibi traditi
fuiſſent a Pontifice Max. miſſiſſe de ea re litteras ad Ar-
chiepiſcopum Joannem, ut doceret ipſe, quid fieri veller.
Archiepiſcopi deinde juſſu Canonicus mutuæ Gratia-
num Aronenſem e ſuo Collegio: datas huic ab Archie-
piſcopo ſimul, & Luchino litteras, quæ legationi fi-
dem adſtruerent, miſſumque cum eo Guidum Calicem
Principum ipſorum nomine, quo plus etiam auctoritatis
poſtulato eſſet: legationem hanc Mediolanum rediſ-
ſe cum theſauris, & ad vitanda latrocinia profectionem
exſpectaſſe legati, ejuſm Pontifex in Apuliam ad coro-
nandum ibi Regem mittebat. Cæterum, ſive miſſi ſta-
tim theſauri Mediolanum fuerint ab Epiſcopo Veronen-
ſe, ſive miſſis Avenionem legatis relati domum, illud
conſtat: Archiepiſcopum Joannem, ſimul atque arcam
in poteſtate habuerit, una cum præcipuis e Clero pro-
ceſſiſſe Modoetium, atque ibi ſingulas res in am maxi-
ma collocaſſe ſua manu, prout a miniſtris ex arca de-
promptæ ordine in manum tradebantur, nempe teſta-
to deſcriptum ſicuti geſta fuiſſet: ſcribas, Petrum Ver-
cellenſem, & Othorinum Niguardam fuiſſe. Si velim
ego in hiſtorico hoc opere prætermittere quidquid Ar-
chiepiſcoporum Principumve poſteris, minus fortaſſe
placiturum credam, ne honeſta quidem, & gloriola
fidem habebunt. Ex memorari triſtes ambiguive do-
morum caſus oportet, ut magna earumdem decora,
magnique conſilii & virtutibus adminiſtratæ res cum
fide atque auctoritate accipiantur. Periculi enim hoc
tempore Vicecomitum domum caſus inhoneſtus, de quo
Bernardinus Corius refert, proximus memoriæ tempo-
rum eorum ſcriptor: referamque ego, quia notabile cu-
ſtodiendis matrimoniis exemplum erit, & quia calamitas
ea perpetuum Archiepiſcopo Joanni mœrorem attuliſſe
viſa eſt, ob labem quæ ſibi impoſita per mulierculæ
unius intemperantiam videbatur.

Fuſca Fliſca, quam alio nomine Iſabellam appella-
bant, erat Luchini Principis uxor, nullius quidem ar-
tea flagitii comperta, ſed proeaciore ſemper cultu, quam
honeſtam matronam deceret: concurſatrix eadem & va-
ga, & amica celebritatum omnium, quod ferme mu-
liebre malum eſt. Hæc mulier, cum audiret celebrari
ſermonibus ejus cæremoniæ apparatum, qua Venetiis
ſacro Aſcenſionis die, darentur nuptialia dona Pelago,
mira cupiditate exarſerat viſendi ſpectaculi ejus, facile-
que ab Luchino conjuge impetravit, ut cum feminarum
aliarum grege illuc itque deportaretur. Elegit ipſa quas
voluit ex familia ſua, cæteraque nobilitate multas adul-
tas virgines, & matronas, quibus forma virginum dura-
ret, eique mulierum turbæ, ſexus virilis nobilitas ag-
gregaverut ſe ſe; ſive erga Principis uxorem obſequio,
ſive juvenilibus quiſque ſtudiis erga muliebrem cum co-
mitatum. Ad Laudem Pompejam paratis inſtructiſque
navibus commiſere ſe ſe flumini: ac ne ſingulos exſequar
muliebris agminis inceſſus & dedecora omnia: Coriī
verbum hujuſmodi eſt: dormiſſe cum Ugolino Iſabel-
lam uxorem Vicecomitis, cæteramque turbam virorum,
& mulierum nihilo honeſtius inter ſe egiſſe. Negotium
fuiſſe tam effrene, & incautum, ut antequam pere-
grinabunda illa multitudo cum Duce ſua rediret domum,
noſceret ſuum unaquæque domus calamitatem: ac poſt-
quam redierant, parante Luchino venenum in adulte-
ram ſuam, anteverterit ipſa maritumque ſuſtulerit. Cre-
ditum id publice dictumque eſt: nec cæteri perinde ſe-
gnes ad vindicandam mulierum ſuarum impudicitiam
fuere: venenique moras adſpernati quidam, violenter
& palam exercuere iras.

Sub-

Sublato igitur per adulterae uxoris dolum Luchino, imperium, & ſumma rerum omnium ad Joannem Archiepiſcopum venit, & ſtatim exacto in ipſius verba ſacramento, cuncta ei obediebant. Manſere aurem tunc hae ſubjectae Vicecomiti urbes: Mediolanum, Crema, Haſta, Alexandria, Alba, Vercellae, Novaria, Bobium, Bergomum, Novocomum, Brixia, Cremona, Placentia, Parma, Laus Pompeja. Hae tunc urbes Archiepiſcopo Joanni ſacramentum dixere: & res Eccleſiaſticae jam hunc civilibus multo magis etiam quam antea immiſcentur unica rerum ferme & contextu caſuum atque conſiliorum uno, cum Princeps Archiepiſcopusque idem cuncta moderaretur, cunctaque ageret ad regiae prope magnitudinis formam. Tranſtulerat is ſedem in Palatium, cujus veſtigia juxta D. Georgii Aedem monſtrantur in hunc diem: inde jura populis dabantur: Metropolis illuc univerſa ſpectabat. Ibi tractabantur foedera, ſocietates, arma, caeremoniae, ritusque ſacrorum: potentiaque tanta finitimis etiam Principibus terrori erat: nec niſi quibus amicitia foedusve cum Vicecomite intercederet, ſtabilem eſſe ſibi fortunam putabant. Itaque Principis Archiepiſcopique hujus aula, veluti totius Italiae forum habebatur: ac foedus expetivere eum eo, Sabaudus, & Gebennenſis, quae maximae potentiae maximique terroris nomina inter Dominantes erant.

At Genuenſes, antea bellare cum Vicecomitibus ſoliti, & per id maxime tempus irritatis ad bellum animis, exterriti jam, & attoniti tantis opibus, per legatos petiere ultro, ne rem Genuenſem in ſuam ditionem reciperet gravaretur, annuitque ille, & Praetorem ei urbi dedit. Caetera pari tenore ac felicitate fluebant augendo Vicecomitum faſtigio, & regiae fortunae magnitudinem ea Domus quotidie magis aequare videbatur, cum repente dedecus aliud inceſſit, quale ſordidi quoque penates agricolarum abominarentur, atque contaminatum quemlibet ea labe Principem infra ſeſe deſpectarent. Namque Fuſca illa Fliſca, de cujus mulieris impudicitia memoratum eſt, ſive conſcientiae ſtimulis icta, ſive inſaniae ſuavitate, cujus apud ingenia ejuſmodi noviſſima plerumque libido eſt, publice profiteri non dubitavit, Luchinum, Novellum, & Urſinam, non ſicuti vulgo crederentur, eſſe Luchini Principis filios, ſed ex Galeacio Luchini fratris filio, inceſtuoſo congreſſu prolem eam utramque ſuſceptam. Id, ut ita eſſe, aequi & iniqui ſcirent, publicas tabulas de ea re confici voluit: taleque magnae domus ludibrium vidit aetas illa, & miſerata eſt.

Joannes tamen Archiepiſcopus excuſſa poſt aliquot dies dedecoris ejus verecundia, muliebreſque ineptus aequo animo ferendas eſſe dictitans, augere imperium pergebat, & pulſis ab Bononia Pepulis, urbis ejus potitur. Ac deducta per eos dies Mediolanum Beatrice Scaligera, quae Bernabovi Galeacii filio deſponſa fuerat, per nuptiarum earum gratulationem, abducere conabatur ſuum aliorumque animum ab recordatione prioris flagitii, tamquam integra ſponſae ejus fama, thalami jam caſtiores, & ſpes novae legitimae prolis, ſanguinisque veri Vicecomitum inchoarentur. Exſtruxitque etiam interea D. Mariae Virgini Aedem ad Garignanum, aſſignatis in templi cultum fundis, quos & immunes onerum tributorumque omnium eſſe voluit: eique decreto, & actioni Decuriones urbis adfuere. Sed ob captam occupatamque Bononiam imminebant Romani Pontificis irae Principi ſimul, & urbi: veterumque etiam offenſarum renovata per eam occaſionem memoria, ſimul civitatem juſſerat univerſam carere communione ſacrorum & jure, ſimul jubebat Vicecomitem alterutro regimine contentum, partem omittere alteram, profana, ſive ſacra mallet. Quae mandata ferens legatus, ubi Mediolanum venit, primo quidem ille benigne ab Vicecomite Archiepiſcopo accipitur, & amica erant omnia, donec ad mandata ipſa depromenda oratio coepta eſt accommodari.

Ut vero triſte verbum enuntiatum eſt, nihil quidem acerbe Vicecomes hoſtiliterve eſt effatus: caeterum infenſo volvens animo reſponſum, quod re ipſa, quam verbis atrocius foret, die feſto, qui proximus aderat, reſponſa daturum ſe, ait, quae Pontifici Max. legatus referret. Eo die adeſſet in templo maximo: velle ſe ibi coram Patria, & coram Parente urbis Ambroſio reſponſa ea pronunciare. Statuto die legatus templum ingreditur: ibique Vicecomes re divina peracta, quam appoſitiſſime, ſacrificali, ſicuti ſtabat ornatu, conſedit ante aram, cumque diripuiſſet ab latere gladium, quo ſuccinctus erat, altera manu crucem tenens, dixit, inſignia ea ſine effe poteſtatis, & donec ſpiritus maneret, cruce gladioque partem imperii utramque defenſurum. Ire et legatus, & Pontifici ſuo renuntiaret viſa ſimul, & audita.

Viſa res indigna Pontifici, novaque percitus ira, jubet Vicecomitem ſiſtere ad Tribunal Apoſtolicae Sedis: ni faciat, anathematis poena damnat adhuc hominem, oneratque diris, & Eccleſiae Catholicae hoſtem appellat. En mvero Vicecomes, ad ea, nihil in ſpeciem animo turbato, dixit, iturum ſe utique, & imperata facturum. Mox duodecim millia peditum, equitum ſex jubet eſſe in procinctu, ut ſecum eant, majoremque porro numerum armare pergit. Simul, praemiſſis Avenionem hominibus ſuis, qui commeatum aliaque neceſſaria expediret, terruerat eo apparatu Pontificis animum aulamque totam: & Avenone, tamquam exſpectatione novi hoſtis trepidabatur. Namque curatores illi, qui praemiſſi erant, emendo frumenta, conducendoque aedes, & congerendo in ſuas apothecas quidquid uſpiam in mortalium alimenta venale proſtaret, largeque per omnia pecuniam effundendo, fecerant annonae penuriam, & praebuerant ſpeciem haud dubie cum exercitu ſuo venientis Regis. Tunc Pontifex, vocatos ad ſe Vicecomitis homines interrogat, quantum pecuniae ad eam diem inſumpſiſſent, illiſque profitentibus quadraginta millia florenorum, rependi ex Pontificio aerario ſummam eam, Vicecomitemque ipſum admoneri juſſit, ut ea profectione ſuperſederet, uſque ſuperſedit.

Ita liberatus etiam ipſe non minore cura, quam quae Pontificis compreſſerat iras, ad urbis, & imperii ſtatum, & diſciplinam, atque perpetuitatem domi ſtabiliendam intenderat animum, requecum Decurionibus urbis communicata, Municipale jus omne Mediolanenſium, quod inter tantas Reipublicae commutationes, tantoſque dominantium, & ſubjectorum caſus prope exoleverat, reſtituit, ac promulgavit, parata ei rei quiete haud tamen in longum tempus. Nam ſemper poſtea, corrigere, vel addere aliquid, prout tempora, & res monebant inſtituere quibus ea providentia in urbe, & poteſtas, ſaepeque publici Concilii auctoritate variata res eſt, donec avorum noſtrorum memoria Ludovicus Sfortia ſuae domus everſor, corpus municipalium legum firmavit: aliique poſt eum etiam Principes expoliendo operi curam animumque adverterunt.

Sed initia juris deſcribendi nobis ab Longobardorum temporibus manavere, cum ſcilicet Juſtiniani legibus ad eorum adventum urbi noſtrae fortaſſe ignotis, certe non receptis, darentur ab novo, & externo repentinoque dominatu propria quaedam jura, & leges, quae manſere donec id Imperium. Eo per Carolum Magnum deleto, Lotharius Imperator praeſcripſit inſtituitque nonnulla, quae beneficiarias praecipue conceſſiones, & omnia generis ejus jura, terminos, fines, vim, officium, auctoritatemque continerent. Inde poſt utriuſque Berengarii vanas in Italiam impreſſiones, tranſlatis in Germaniam rebus, dedit quaſdam Metropoli leges idem ille qui ſtravit everitque urbem Aenobarbus. Ex ruinis vero illis, poſtquam aſſurrexere majores noſtri, conſtantia eadem, & ſapientia, qua novam ex barbarica ſtrage excitare urbem potuerant, jura etiam condidere ſibi, nec ſemel ad id Reipublicae conſtituendae munus adjecere animos, conferendo pro ſe quiſque in medium quae ſaluberrima excogitaviſſent. Ab Aenobarbi fine, libertate uſurpata, deinde inter ipſas Vicecomitum Turrianorumque factiones, decrevere multa, & ſcivere, quae ne ſecutae quidem repudiavere aetates, & manent adhuc.

Omnia, quae cadunt in hominum vitam ſtatumque civilem, judicia, lites, pretia rerum, & mercimonia, culpas, & poenas, & quidquid uſpiam in communi conſuetudine

tudine esse controversiorum potest, comprehenderunt unico municipalium legum volumine, & capitibus de unumquaque re editis inclusaque in id volumen scena verum cunctarum, quae inter homines aguntur, sive peccantur, contrahuntur, aut ambiguntur, damna, & injurias, licent tamque omnem inter se mortalium coercuere. Quae coercitiones, & decreta, retenta diu, & custodita, semperque aucta, & amplificata, cum sub Matthaeis denique filiis prope interciderent, Luchinusque etiam nescio quo spiritu ea sustulisset, ab Archiepiscopo Joanne hoc tempore, sicut dixi, restituebantur. Volebat is ita restitui semel ac sanciri municipalia haec jura, ut abrogari postea tollique sive convelli nusquam possent. Ideo Decuriones urbis excivit ad singula capita recognoscenda, & inspicienda secum: eadem in octingentorum Concilio proposita sunt: eadem adhibitis ex unaquaque urbis regione prudentibus viris agitata, & consultata. Referebant hi ad suos, nec grave Principi, Decurionibusve urbis, Concilio ve octingentorum, cognoscere quid super tanta re quisque afferret ac sentiret. Fortasse etiam nobilium familiarum posteri minime adspernati erunt illud qualecumque historiae obsequium, si retulero prudentum virorum nomina, quorum opera, & consilio Princeps Archiepiscopusque idem in ea juris descriptione est usus.

Composuerant primo digesserantque capita, Leo Dugnanus, Signorolus Amedeus, Manfredus Sarazonus, Erasmus Aliprandus, Jacobinus Bossius, Philippus Castiola, Franciscus Bripius, Jacobinus Vibragerus, Jacobinus Panigarola, Beltramnus Gironus, Joannolus Paganus. Hi seriem rerum edidere primi cum praefatione titulisque hoc: Quod Deo optimo maximo gloriosum, Reipublicae Populoque Mediolanensi salutare esset, ipsos eam disciplinam, & ea decreta composuisse regendae civitati, rationemque habuisse, ut ex vetusti codicis auctoritate, ordineque ac praescripto cuncta moderarentur. Jurisconsulti sunt adhibiti, Laurentius Bernadigius, Aramannus Alemannus, Ambrosius Septala, Franciscolus Capra, Astolpholus Lampugnanus, Franciscus Sulbiagus, Franzus Spanciota, Antoniolus Resta, Ruminus Porrus, Philippus Capellus, Carnevarius Mandellus. Singularum urbis regionum homines singulares fuere, Tobiolus Aliprandus, Jacobinus, Petrus & Gremolus Panigarolae, Rogerius Ecclesia, Franciscus Osius, Rugerus Bassus, Erasmus Aliprandus, Othorinus Burrus, Guidetus Pusterula, Maffeolus Morigia, Palea Grassus, suae quisque Portae nomen, & auctoritatem ei negotio addentes: & alicunde bini aderant. Et statum quidem, formamque, & jura civitatis constituerat hoc modo Archiepiscopus, nulla re omissa, quae providenda animadvertendaque esset: negotia vero externa, ob captam, sicuti dixi, Bononiam, haud tam facile constituebantur. Et Pontificis Maximi propter eam rem indignatio, hoc ipso accendebatur, quod repressa fuerat tamquam meru, cum nimirum Archiepiscopus, hostiles illos apparatus Avenionem praemisisset, Apostolico mandato eluso hostiliter ipse subsecuturus. Quo magis ille ardesceret justa jura, Bononiaque depellere Vicecomitem destinaret, Florentinorum insuper assiduae preces, & querelae efficiebant. Nam ea civitas, vetere Guelfarum partium adversus Gibellinos odio, semper infensa Viceconitum nomini, tantam in vicino urbem habere inimicam, certum Reipublicae suae esse perniciem putans, non desistebat obtestare Christi Vicarium, ut communem eum hostem dejicere inde maturaret.

Sed in Pontificia tunc aula erat Avenione Gulielmus Grassus Abbas S. Victoris ex Gallica Urbe Massilia, summa apud Pontificem gratia, & auctoritate, qui postea fuit Urbanus Quintus. Demonstrando is magna pericula belli, & difficultates, eorumque ancipitem, tum Pontificis ipsius ad quieta consilia vertebat animum, tum Florentinorum querelas elevabat. Eos damnis odiisque suis irritatos trahere velle secum Apostolicam Sedem, non eadem decora Sedi Apostolicae, & populo imiturbulento. Quin potius via aliqua commodior iniretur: ac

A fore interea pacis agitandae intermuntium offerebat, exitu fortasse meliore, quam quo interruntii priores rediissent. Itaque Mediolanum ipse mittitur repetendae Bononiae, & agitandae pacis mandataque libera afferebat, ut salva Sedis Apostolicae dignitate transigere posset etiam re infecta, quae negotii erat caput. Fortasse alia quaedam etiam occulta pacta, sermonesque fuere occulti inter legatum eum Abbatem, & Joannem Archiepiscopum, quibus sermonibus & pactis negotium mutuo & arcano consensu composuere impeditum illud, anceps, deteriusque semper factumdum agitatur.

In praesentia nihil aliud ex eorum colloquiis, totaque negotiatione arripere potuit hominum solertia, nihilve postea aliud vulgavit cuncta mutans dies, quam ea ipsa quae in media luce palam agebantur. Haberet tibi Vicecomes urbem Bononiam, ipse heredesque ejus, ac testandi causa, juris eam esse Pontificii, dena millia florenorum quotannis Apostolicae Sedi tributum ferrent. Coleret pie ac religiose Vicecomes Apostolicam Sedem, & Pontifices ipsi vicissim Archiepiscopo Mediolanensi, domuique Vicecomitum faverent paterne, ac benevole, siquidem fide atque obsequio merita esset. In eas conditiones pax convenit, & Archiepiscopus Mediolanensis Princeps Bononiae appellatus. Urbs liberata Apostolico interdicto: quae poena temporibus illis totes irrogata Metropoli, toties ablata, mirari cogit, aut tam pronam fuisse Civitatem ad peccandum, aut tam saepe relapsos, veniae subinde locum apud Sedem Apostolicam invenire potuisse.

Dum Mediolani agitantur ista, & fiunt, struebantur in diversa parte incrementa Mediolanensi imperio, quae Metropolim tam alte attollerent, quam evecta antea numquam fuisset. Veneta Classis in Sardoo mari, commisso cum Genuensibus praelio, navibus eorum captis aut demersis, caesoque Ligurum exercitu, circumsessa deinde etiam urbe, & commeatibus intercluss, minitabatur extrema ei populo: plena ibi omnia cladis, & luctus, desperationisque erant. Neque spes ulla relinquebatur ex Vicecomite populoque Mediolanensi, cum postea quam in ditionem se se contulerant nostram, jam ultro defecissent, & interfecto, quem Vicecomes dederat, Rectore urbis, Praetorem sibi novum creassent arbitratu suo. Attamen, necessitate cogente implorare auxilium etiam ab iratis, sive quia sperarent, translatam imperitantium ritu omnem esse iram ab inileris in eam partem, cujus tanta victoria esset, per intermissa custodiis loca missis ad Vicecomitem legatis, simul errori, venium, simul tradita denuo urbe, praesidium ab eo salutemque petiere.

Minime fallebat obsessos ea opinio, quam de Archiepiscopi ira erga Venetorum fortunam & victoriam conceperant animis: & cursum eum rerum in aemula sui Principatus Republica non minus profecto ille oderat quam Genuenses ipsi, quibus dies ultima, nisi per Metropolim stetisset, aderat. Itaque oblitus priora Vicecomes, vel certe, tamquam oblitus, classem quantam maximam potest adversus Venetos mittit, magnoque praelio victor, capto etiam Imperatore Veneto, Ligustici maris potens efficitur, insularumque & civitatum per oram eam Dominus. Accessit quarta Sardiniae pars, quam tenuerat hereditario jure ob matrimonium cum Nini Gallurae filia.

Joannes Vicecomes, his editis operibus, & aucto quod acceperat imperio, prolatisque finibus, & bello clarus & pace, moritur anno Sal. CIↃ CCC LXV. Ab ea quoque parte felix, quod inito adversus ipsum foedere factaque maximorum Principum conjuratione, cui resistere non potuisset, ante tanti discriminis tempus excessit. Pietatis quoque laudem scriptores ei tribuunt, quod propinquante fine, cura nulla major fuerit tot negotiis implicito homini, quam ut omnibus Ecclesiae mysteriis expiaretur. Et instituerat ipse solenne anniversarium, ut statio die sacrosancta Altaris mysteria per urbem, Clero universo pompam deducente, gestarentur: quae pompa, quo primum die ducta ab ipso est, centum millia mortalium interfuere. Cernitur in templo maximo

mo tumulus hujus Archiepiſcopi, carmine addito, quo ſubjectae urbes longo ordine numerantur cum inſectatione vanitatis humanarum rerum, quod Dominum tot terrarum parva nunc area includit, & gignente ſibi ſupplicia corpore ab vermibus laceretur. Tanta fuit ejus fama per gentes, ut nullus praeterea Regum Principumve tempeſtate illa ſermonibus celebraretur, averſis ni-
A nirum in unius admirationem omnium animis, ob ſplendorem, & magnificentiam, qua nemo eum aequavit. Clemens animus erga ſubjectorum errores: prolixa in Chriſti pauperes liberalitas erat ei: ac niſi Sedi Apoſtolicae moleſtus fuiſſet, pauci erant in Mediolanenſium Archiepiſcoporum numero, quos regnandi prudentia conferre cum Vicecomite hoc poſſemus.
B

Eo mortuo, Robertus Vicecomes Archiepiſcopus eſt factus iſque rem Eccleſiaſticam Mediolanenſem tenuit: reliqua diviſa ſunt inter Stephani Vicecomitis filios, prout Patrui teſtamento factae partes erant. Matthaeo (is ſtirpis maximus erat) ceſſere, Lodi Pompeja, Placentia, Bononia, Maſſa, Bobium, Pontremulum, & Sancti Donnini vicus. Bernabos haec accepit: Cremonam, Cremam, Soncinum, Bergomum, Brixiam, Vallem Camonicam, Ripaltam, & Caravagium, & plenaque minora oppida, & quaecumque Benacus pertingit. Galeacii reliquum fuit imperium. Genuam, ut communi jure haberent, ipſi inter ſe fratres conſcivere. Metropolim quoque ipſum promiſcuo imperio per Praetorem regendam eſſe decreverunt. Ita, mortuo quamquam Joanne, potentia Domus priſtina manebat, niſi quod ab
C omnibus caput & ſplendor ille rerum deſiderabatur.

Ferme ſub Archiepiſcopi Joannis obitum, Carolus Imperator Mediolanum venit, eſtque ab Archiepiſcopo Roberto in Baſilica Ambroſiana rite coronatus: & viciſſim ipſe Vicecomites fratres, ſuos in Mediolanenſi provincia Vicarios, appellavit. Nec multo poſtea, fratrum eorum maximus moritur, ex intemperantia, ficuti creditum eſt, libidinis, conſtuprator illuſtrium feminarum. Ea vulgatior fama fuit, exhauſtum immodico turpitudinis uſu juvenem, ignominioſe obiiſſe: caeterum, alii prodidere, repertas in tabulario Euſtorgiano tabulas teſtamenti, quo Valentina mater, dolos, & inſidias fratrum in filii ſui vitam, muliebriter infenſa exſecraretur. Mortuus eſt ad Seronum, duodecimo ab urbe lapide, cum ob amores libidineſque ſuas eo ſe ſe abdidiſſet: proceſſitque Clerus illuc univerſus funeris cauſa, & deductum in urbem cadaver, tumulo majorum intulere.
D

Matthaeo hoc extincto, ſive ſua intemperantia eum, ſive fratrum dolus abſtulit, reliqui duo Galeacius, & Bernabos imperium tenebant. Id per urbium nomina regionumque fines diviſiſſe ac laceraſſe non contenti, etiam diviſione inter ſe Portarum urbis laceravere. Tonſa, &
E Orientalis, & Nova, & Romana Bernabovi evenerunt: Cumana, & Vercellenſem, & Ticinenſem, & quae Jovis dicitur, Galeacius accepit: quaſi partibus evertere vellent id quod raptum totum ex alieno occupatumque temere ab initio erat. Cum juveniliter, & inconſulte ita ipſi inſtituiſſent rem, imminuitque diſſidio domus, amicis dolori eſſet, aliis ludibrio, nec populus ipſe interim Eccleſiaeve Mediolanenſis, genuino illo Principatu laetari poſſet: ſtatim extrinſecus advenere calamitates, & negotia, quae conſulere in commune fratres coegerunt. Alioqui dominatus iſte per duorum Archiepiſcoporum violentiam, interjecto alterius patre alterius fratris filio, raptus ex Caeſarum incuria temporumque conditione, perierat ob diſcordes nepotum animos: ac redierat pene domus in antiquum eum ſtatum, cum Ubertus, & Berta, & nondum Decii Canonicus Otho apud Maſſimum inter ſaxa & rupes onera fortaſſe tantummodo nobilitatis ſentirent. Et fuit omne periculum ex avaritia, quae ſemper inimica rebus omnibus honeſtis, tum vero ſit ipſa ſibi ridiculum ſimul, & capitale malum, ubi ad imperii negotia tabes iſta pervenit. Dum autem diviſo imperio, diviſique etiam urbe fratres, uterque ſibi cupidiſſime tenderent, neutro ſatis per ſe tuto, damna, & pericula haec appetivere ambos.
F

Leonardus erat quidam Archiepiſcopi Joannis filius, nihilo melior, quam reperta ſemper fuerit ejuſmodi proles, quae cum ſcelere ignominiaque parentum procreatur, ſemperque parentibus id flagitium ſit poena, ſpectatis omni ſemper aetate nonnullorum exemplis, quos ob admiſſam infacta toga turpitudinem & quaeſitos inter caſtimoniae vota liberos, puniere poſtea liberorum ipſorum ſcelera, miſeriaeque, & finis. Leonardus hic Archiepiſcopi Joannis filius, deliciae parentis aliquandiu ſpeſque, & cura, deinde deſperatio, & luctus, & pudor, tantus in Novarienſi Praetura, vivo adhuc eo, flagitiorum omnium deformitates, libidine, rapiniſque explicarat, ut ſine miſeriae libidinis flagitium id abominaretur pater: nec videre amplius ſpurium, nec audire nomen ejus vellet. Ea ipſa patris alienatio trucem ſua ſponte animum irritarat, libenterque nimium illius odio patrueles omnes teneros adultoſve deleſſet, ne ſanguinis nominiſque Vicecomitum quiſquam reliqueretur. Obſtiterat attentus ad cuſtodiam ſalutemque juvenum, & vigil, & acer, & in nulla curarum parte remiſſus ſenex.

Ut ille deceſſerat, & rapax cupido fratrum, ipſos ab mutua diremerat ope, dejicere utrumque imperio agitabat, & excito in id Joanne Demarcho Montiſferrati, tam hoſtili animo pares conatus eum proſpero etiam eventu adjecit. Ticinum, Alba, Haſta, & quaecumque fere in ſubalpinis per Galeacium tenebantur, capta inciſu uno; ſimul, Genuenſes, & omnis illa ora, tractuſque Ligurum, qua levitate tradiderant Joanni Archiepiſcopo ſuum Rempublicam, ea in conſtantiam verſa rebellaverunt. Novariam, & Vercellas, cunctaque campeſtria Dertarchus idem invaſit. Bononiam, Pontifex Maximus, damnata Clementis facilitate repetebat: foederataque jam inde ab Genuenſi caſu contra Joannem Arcluepiſcopum Veneta arma, morte pauliſper ſuſpenſa hoſtis, acrius infenſiuſque adverſus juventam & diſcordiam heredum movebantur. Quae, ſicut exitialia Vicecomitum dominatui, ita urbem, agrumque Mediolanenſem exercebant inter diſcordes dominos, & belli mala, quorum cuſpam Galeacius in Bernabovem, hic in illum, conferebant, cum verius de utroque Metropolis conqueri poſſet.

Profecto, magnopere ego abeſſe velim a ſuſpicione flagitii, tamquam, aut Vicecomitum horum, aut familiarum aliarum ſervire voluiſſe memoriis videar, opuſque Civitatis deſtinatum inquinaſſe adulatione erga ſingulas domos: quae ipſae, negotiis & curis cupiditatibuſve nunc occupatae aliis, nec requirunt fortaſſe iſta, nec pertinere ad ſe jam putant. Sed ſicuti paraptem a principio me rem tantummodo hiſce litteris compleſti publicam, idque etiam initio operis profeſſum, privata paulatim involverunt: ita civilibus iſtis belliciſve noſtrae urbis caſibus, res, & nomina caſuſque familiarum obrepunt, & gentem nominaſſe totiesunam pudet. Atqui non aliter conſtare ſeries hujus Imperii rerum poterat: non aliter explicari quomodo patria per omne tempus egerit, quidve ſit paſſa, quaſve pertulerit maximarum rerum difficultates, ut in eum ſtatum, quo nunc ſtat floretque, perduceretur. Sive immutabili divinae providentiae lege ac nutu, quo cuncta mortalium reguntur, ſive, per nutum legemque eamdem, temporum miſeria, civitatis ipſius vitio, potuerat ſic ſupra caeteros efferre ſeſe una domus. Ea deinde, ſicuti dominantes ſolent, trahendo in ſe res omneis civitatis ipſius vim nomenque occuparat, nec opes tantum, & vires, ſed conſilia etiam aliena, & fortuna quodammodo urbis, fiebant ejus familiae felicitas, & providentia. Rurſus, errores, & calamitates eorum in civitatem exonerabantur, & fuebat Metropolis quidquid una domus peccabat. Ita proſpera vel adverſa Vicecomitum iſtorum narramus, tamquam miſerias gloriaſve urbis, cujus periculis adminiſtrata omnia fuerunt, in quam damna cuncta recidebant.

Bernabos & Galeacius, ubi cadentem hoſtium impetu ſine domus fortunam, & intenta undique in ſe arma conſpexerunt, tum ſponte ſua, tum precibus amicorum, non jam aliena exempla fraternae diſcordiae, ſed domeſticam

ſticam praeſentemque perniciem, inſtantia ſimul, & futura mala proponentium, poſitis odiis, quae infida ſocietas imperii aluerat, quaeve etiam ſecuta diviſionem erant: unam illico domum ex duabus, unicum imperium, animumque ſibi unum fecere. Non portas jam regioneſque urbis rapiunt aviditate dominandi, ſed dividunt ſibi pericula, & hoſtem: ipſaque civitas, antea diviſa factionibus inter fratres, communi periculo urgente fit exercitus acieſque una. Tota protinus in equis & in armis fuit, jam dudum aſſueta bello, & militariter intenta, paratuque ad omneis motus. Exit Ticinenſi porta Galeacius cum urbani exercitus parte, populabundoſque Lando quodam duce Theutonas, praelio ad Caſoratum uno caedit aut fugat. Emiſerant foederati barbaricam eam manum, ut vaſtatione agrorum incendiiſque villarum terrore urbi injecto, motus aliquis civium adverſus Vicecomitem utrumque excitaretur. Quae res, ſi ex ipſorum animi ſententia cecidiſſet, haud poſtea difficilem in diſcordi duorum fratrum dominatu defectionem fore univerſam ſperabant. Exitu populationis ſenſere, nequaquam tam diſſoluta, & projecta omnia eſſe Mediolani, quam creditum initio fuerat. Exit vero ſimul etiam cum exercitu alio Bernabos, iis animis, ut Mantuae Principem, cui ſpes & arma foederatorum praecipue nitebantur, clade aliqua propria ab foederis ejus ſocietate retardaret, idque eſt aſſecutus, tum robore exercitus ſui, tum Clerici unius proditione, quo tradente, caſtella aliquot capta: unde Mantuano terror, & injecta rebus mora, quae petita erat. Major ea, & praeſentior fuit, ubi Galeacius, in diverſa parte, tempore eodem, geſta felicius re, fortunam ſuam, & fratris, ex abjecta prope, & deſperata, florentem quodammodo, & auctiorem excitaſſe eſt viſus. Namque, dum Mantuanum, & dolis, & armis Bernabos urget, obtecta per alterum illum, receptaque Papia eſt, & quo illuſtrius, glorioſiuſque reciperetur, hoſtes ipſi adjuvere.

Cum enim in facienda deditione Ticinenſes, Galeacii pertimuiſſent iras, ob atrocia multa, quae, dum obſiderentur, auſi erant, eoque metu, miſſis occulte ad Bernabovem legatis tradere ſeſe potius huic voluiſſent, rejecit eos ipſe ad fratrem, ultroque deprecator irarum fuit. Ea repente aequitas, idque liberale certamen erat inter diſcordes nuper, & certamine avaritiae infenſos. Addidit vero etiam Galeacius recepta ſic urbe nobile facinus, quo plebis juxta & nobilitatis ejus murifice ſibi devinxit animos, conjecto in vincula Jacobo Buſſolario Monacho, quem hominem, ob male partas opes & ſcelera publice inviſum, turbaſque in ipſo diſcrimine concitantem, cinxit indagine per Fratres alios Humiliatos, & catenis injectis, miſit Vercellas in Monaſterium, unde erat: ibique ille, rata apud Patres captivitate, clauſtris incluſus arctioribus eſt, quam quae ad eam diem fugitarat.

De Fratre iſto Jacobo referam, quae ſcriptores ante me alii citra Ordinis illius offenſionem prodidere. Nam, non ſolum vitia erunt donec homines, ſicut ille ait, ſed etiam, ubi probi ſint, & honeſti multi, ibi perditum fere, & nequam eſſe non neminem, jam inde a proditore Juda, fert ſermo etiam quotidianus. In Fratre Jacobo Buſſolario fuere omnia praeter pium religioſumque animum. Animus callidus, ambitioſus, quantaecumque fortunae capax, impatiens ejus in qua natus erat, quamve dare clauſtra, & Ordo ille univerſis poſſet: artes, & litterae ei, tum celebratae inter ſuos, tum gratae in vulgus, tum Principum ſenſibus accommodatae. Concionator ante omnia magnus habebatur. Sed praecipua gloria ſtudiumque ejus, conſultare de Republica, de bello, de cauſa imperii, de omni civium jure, & ferme ad aſtus, & dolos, ad faeva, & tyrannica conſilia inclinabat, vel hac morum fiorum parte nulli fatiditus dominationi, & frequens arcanis. Hominem hunc jam diu quaeritantem negotii aliquid effugiaque ab Monaſterio, & diverticula, Montiſerrati Demarchus, capta Papia, praefecerat ei urbi Gubernatoremque ibi appellarat. Saevum ingenium irritatum longa poteſtatis cupidine, Monaſteriique neceſſitatibus, & privatae vitae miſeriis, ubi materiem diu quaeſitam, ubi imperium habuit, exercuit ita, quaſi tyrannorum aliorum infantiam atque ſimplicitatem ultro increpare videretur. Et erat plane nova forma tyrannidis, ubi concionibus ſimul, & gladio per ſaevitiam libidinemque omnem, & rurſus imitatione pietatis imperitans Frater, corpora & fortunas animoſque omnium in poteſtate habebat. Feruntque memorabile illud, & nulla fortaſſe unquam antea violentia tyrannorum factum: ut, ſcilicet, poſteaquam caedibus, & rapinis totaque poteſtatis vi debacchatus fuerat, concionando denique die quodam in hoſtem, coegerit orationis vi matronas deprimere ultro, & in belli uſus conferre quidquid pretioſi abditum haberent.

Adeo, cum rerum atrocitate ſecundus nemini eſſet, ſuperabat omneis hoc ipſo verborum telo, quo vulnerans hominum pectora poterat avertere animos etiam ab malorum ſenſu quae interim patiebantur: nec mala ea eſſe, ſed medicinam, & ſalutem probabat. Exſecrabantur hominem eumdem ob impia facinora, & miraculo ſapientiae ſuſpiciebant, donec ſera flagitiorum poena irretitum contempſere denique cuncti, vinciique ea nimis molle eſſe ſupplicium ajebant. Recepta Papia, punito Fratre hoc Buſſolario, conterrito Mantuae Principe, caeſa fugataque Theutonum manu, & per haec omnia, foederatorum adverſus Metropolim fractis acciſiſque rebus, nihil tamen magnopere eſſe effectum videbatur ob novum ſuper urbe Bononia certamen, quo Mediolanenſium arma cum graviore nunc periculo occupabantur. Namque urbem eam, ab Joanne, ſicuti demonſtravimus, Archiepiſcopo occupatam, ab Clemente Pontifice Maximo vindicatam, ab ejuſdem Legato traditam rurſus attributamque Vicecomiti, Apoſtolica Sedes hoc tempore, armis ſimul, & interdictis aſſerebat: ejuſque Legatus Aegidius Cardinalis, Picenum cum imperio fere univerſum tenens, non bello ſolum ad repellendum inde Vicecomitem nitebatur aperto, ſed occultis etiam artibus, quae videri fraudes potuere, niſi conſuetudo militaris, & cauſae aequitas, conſilii potius & prudentiae nomen dediſſet. Aegidii Cardinalis dolus, ſive militare conſilium, quo Vicecomites in eo Bononienſi negotio eluſit, fuit res quaedam hujuſmodi.

Urbem Bononiam, jam inde ab eo tempore, quo diſcedens ex vita patruus Archiepiſcopus, diſcordes inter ſe juvenes atque ad lacerandam diſſidio Metropolim, ſua quemque avaritia inſtinctos reliquit, permiſerant Joanni cuidam Olegianenſi regendam imperio, & tuendam, experti fortaſſe antea fidem hominis in minoribus rebus, & parem animum in re illa tanta, tamque anciipiti ſperantes. Ille enimvero, inutilem in tali negotio ſtultamque fidem eſſe exiſtimans, praeclare occaſione eſt uſus, ſeque ex Praetore Dominum ejus urbis fecit. Quamdiu manebat diſcordia inter fratres, damnaque & clades obſtrepente invidia non ſentiebantur, id ſicuti pleraque alia damnum in levi habitum eſt. Ut autem alio ſuper alium exoriente metu, & ab univerſa ruina periculo imminente, reſipiſcentes poſitis vanis inter ſe certaminibus, adverſus externum hoſtem, & adverſus tot ingruentia arma coaluere, tunc amiſſa Bononia momentis aeſtimabatur ſuis, & recuperare utique eam volebant. Magnificum id quidem, & utile, ſed adeo difficile, & impeditum, ut neque eſſe tentandum videretur. Nam proditor Olegianenſis, egregie ſeſe munierat, tum foederatorum auxiliis, tum civium ipſorum fide: & procul ab domo inter hoſtilia omnia gerenda res Vicecomiti Mediolanenſibuſque erat. Ac niſi eſſent haec ipſa tam infeſta & deſperata, deſperatiſſimum infeſtiſſimumque erat illud, quod, ubi depulſiſſent urbe proditorem, bellum ex ea victoria cum Pontifice Max. reſtare aliud idemque viderent.

Itaque impares ei negotio vi aperta, ad fraudem iere, quae hoſte ab alio ſelicior in ipſos parabatur: ſuntque inter Vicecomites, & Olegianenſem, & Sedis Apoſtolicae legatum tentata paria conatibus iſdem, eventu diſ-

diſſimili, ut Bernabos, & Galeacius proditorem fallere ſuum vellent, ipſi fallerentur ab Legato, fraudeque detecta, res ad Bononiam aperto Marte gereretur. Et Vicecomitum quidem dolus in Olegianenſem, exituſque doli is fuit, ut pace inita eum eo, miſſiſque etiam adverſus Romanum legatum auxiliis, incautum deinde ſic, & nil jam ab Mediolano timentem opprimere conarentur: & poſtquam non ſucceſſerat, moverent denique arma in fidei deſertorem. Legatus vero ubi hoſtem utrumque poſt fraudes irritas, toto virium conatu de ſua Bononia inter ſe dimicantes, pluſque ſpei in parte eſſe Vicecomitum vidit, tamquam mutuatus artem, inito etiam ipſe cum his foedere, diſſolvit ficta ſocietate res eorum ſecundas, deinde tranſlato ad Olegianenſem ſubſidio, retentum ab eo exigua in ſpe Bononiam ex pacto accepit.

Bellum inde cum Apoſtolica Sede gerebant Vicecomites noſtri, ductoque in Bononienſem agrum exercitu Bernabos, oppidis, arcibus, caſtellisque captis, ſecundiore aliquamdiu utebatur fortuna, quam quae armis deberi illis videretur. Non tamen iidem interea, quamquam bello occupati impio, deſiterant regnantium more dare urbi ſignificationes pietatis: publicorumque operum magnificentia detinebant five erigebant civium animos, quae ſemper fuit ars & cura Principibus, ſemperque violentis & impiis rebus praeclara & ſpecioſa multa Tyranni etiam addere conſueverunt. Xenodochia, & valetudinaria Mediolani Bernabos inſtituit, ſub D. Catharinae nomine unum, ſub D. Jacobi aliud, ſub D. Ambroſii tertium, & quae Mala Statio hodie juxta forum maximum dicitur, ut aeris alieni cauſa nexi, defectique vitae alimentis, ſubſidio aliquo publico ſuſtentarentur. Arcem Jovis Galeacius inchoavit, quae poſtea communiter ab utroque Vicecomite abſoluta munimentum eadem & terror urbis, poſt Philippi Mariae denique mortem, detractante id jugum populo, diruta eſt, & rurſus inſtaurata per generum ejus Sfortiam. Galeacii etiam opus fuit Palatium in Arena aemulum magnificentiae alterius illius, quod ab Azone eum D. Gothardi Aede prius exſtructum fuiſſe demonſtravi. Juxta D. Joannis Aedem, quae ad Concam dicitur, palatium aliud Bernabos, perducta ad Romanam uſque turrim xyſto cum ea turri conjunxit, muroque eſt amplexus quidquid inde ſpatii per foſſae ambitum ad uſque D. Stephani Baſilicam excurrit, & ejus veſtigia muri in hunc diem cernuntur.

His aliiſque perfectis operibus, Galeacius, & Bernabos, rem deinde longe pulcherrimam aggreſſi, Ticinenſe Gymnaſium inſtituerunt, quod hodie ſeminarium noſtri Senatus Magiſtratuumque urbis, idemque nationibus exteris bonarum artium emporium, tot ab primordio fui, ad hanc aetatem edidit decora pacis, & litterarum fere miracula, ut ſcholae pene illae totam diſciplinis ſuis excoluiſſe Italiam merito dici poſſint. Neque tamen dici illud poteſt, pluſne nominis & famae Gymnaſio ipſi attulerit, eorum claritudo, & fama, qui diverſis temporibus in ſuo quiſque genere Principes Academiam obtinuere, an eorum rurſus nomen & gloria, qui ab Magiſtris hujuſmodi prodierunt. Adeo, pares in utraque parte palmae virorum ſpectantur, & ſapientiae flos occurſat ex omnibus provinciis accuratiſſime ſemper delectu petitus conductuſque huc expoliendae juventuti, rurſuſque ex ipſa juventute, proventu felici ſparſus in omneis terras, quacumque litterarum, & civilis diſciplinae aliquid ſedet.

Incertum & ambiguum id quoque dictu, majora ne praemia, vel ad opes, & ſplendorem, vel ad ſapientiae teſtimonium magnitudinemque nominis, attulerint ſibi poſteriſque ſuis ex Ticinenſi Gymnaſio, Doctores ipſi, analumna Doctorum, & velut Academiae proles juventus elato hinc per omneis gloriae vias pede plus ejuſmodi praemiorum invenerit. Nam Magiſtri ſimul & diſcipuli, purpura, & lato clavo, quibuſve aliis fulgere inſignibus glorioſa mortalitas amat, & domum, & patriam unde erant, auxere ad certamen. Statque, & his & illis gloria in aequo, niſi quod aſſidue ſuboleſcens atque inexhauſta juvenum multitudo, decora omnia latius occupavit, majorque Cardinalium, & Senatorum populus numerari parte in iſta poteſt. Pontifices Maximi prodiere ab hiuce Scholis, quodque longe auguſtius etiam cenſeri oportet, prodiere Sancti. Tantum porro voluminum ex eodem fonte manavit ad illuſtrandas artium optimarum diſciplinas, ut ſi alibi ceſſatum a ſcriptis eſſet, potuerit haec ſumicere obbibliotheca generi humano. Quum Academiae felicitatem, & tanta per omnes aetates incrementa intuentes Caeſares, & Pontifices, quive alii facultatem indulgendi aliquid habebant, ornare eam immunitatibus, & privilegiis, quae magnitudinem, & gloriam ejus teſtarentur ſimul & augerent.

Et noſtrae Civitatis clariſſimi cives, quibus opes in id animique ſuppeditarunt, haud ampliorem uſum de patria bene merendi locum exiſtimavere eſſe, quam ſi ad Ticinum in ipſa Gymnaſii ſede Collegia fundarent, in quibus ſuae gentis juvenes ſtudiorum cauſa alerentur. Hinc Mariana, & Caſtelleonea, & Griphia, Boſſiaque hoſpitalitas haceſſit, & vocat hodie illuc familiarum earum prolem: & generoſi fundatores illecebra talis hoſpitii Muſas atque ſapientiam penatibus inducunt ſuis, etiam poſtquam ipſorum nomina audiri deſiere. Sed Collegia quoque iſta jam fere deſiere audiri, poſtquam Sanctus Carolus Borromaeus, & Pius V. Pontifex Max. poſito ibidem uterque regalis magnificentiae Collegio, Academiam quodammodo ipſam ad ſuae Civitatis, & patriae adoleſcentes transferre potuerunt, ut largius ibi opulentiuſque, quam in patria haberentur. Stant excelſae moles, altitudine & majeſtate ſua conſeſſae Romani Pontificatus opes, & multo magis inclytas conditorum animas, quae talibus docuere monumentis, quos opum earum eſſe exitus oporteret. Aluntur ibi Principum diſciplina & ritu nobiles adoleſcentes, quibus nobilitas ipſa oneri erat: & ditati interim Academiae diſciplinis, domos fere ſuas augent opibus, per quas nepotes alii ſubſidia, & alimenta ea repudiabant. Bernabos, & Galeacius anno ſalutis milleſimo tercenteſimo ſexageſimo, id Ticinenſe Gymnaſium aperuere: unde Metropoli Senatores, & Magiſtratus, unde haec etiam, quae inter ſacra dominatur prudentia Juris, & omne aequi ac iniqui diſcrimen venit. Ac principio quidem, ſicuti rerum omnium initia & elementa habentur, horridum & rude quiddam Scholae illae Ticinenſes fuerunt: Principeſque ipſi magnificum & ingens neſcio quid ſe ſe afferre exiſtimaverunt, cum Dialecticos, & Medicos, & Philoſophos, & Juriſconſultos ad inchoandam Academiam praeſto ſibi eſſe profiterentur, & de ea re edicta promulgarent. Poſtea, res in tantam frequentiam venit, ut claſſes ibi profitentium habeantur, & cujus modo rei diſcipulus eſſe poſſit, ejus ſint etiam interpetes, & magiſtri, tum matutini, tum veſpertini, tum primores, & anteſignani, tum alii extra ordinem: quod factum ita inſtitutumque eredo eſt, praeſertim, ut varietate docentium proterviae ac ſatietati juventutis obviam iretur.

Antequam ſcholae iſtae, Vicecomitum cura inſtitutae eſſent, peregrinabantur ſtudiorum cauſa juvenes noſtri, coetuſque & ſcholas procul ab domo alienas frequentabant. Revocavere Bernabos & Galeacius edicto univerſos: & domeſtica diſciplina eruditi deinceps ad Ticinum jufſerunt. Eae litterae ſunt datae ad III. Cal. Novembris ejus anni quo Academia ipſa fundata aperta que erat. Urbs autem Ticinum eſt electa, ideo, quia praeter amoenam coeli temperiem, & acceſſus illuc ex tota Inſubria faciles, locus eſſe videbatur civili comitate, & ſuburbana licentia recte compoſitus aptuſque Metropolitanae juventuti. Nam aetatem egreſſam adoleſcentiae rudimenta, juvenili ferocia exſultantem, ignarum obſequii comiter atque hilare habendam cenſebant eſſe inter ſtudia ſapientiae, & vitiorum neceſſitates, quas ſecum ipſa affert.

LIBER III.

PER haec pacis opera, Vicecomites, in medio belli diſcrimine, cum famam ſibi inter cives, & apud exteros ingentem quaeſiviſſent, munierant etiam interea ſeſe magnarum Domorum affinitatibus, quae apud Principes vincula laxantur aditringunturve dominationis utilitate vel damno: tantique iunt inter eos neceſſitudines iſtae connubiorum, quantum ortae in diem cauſae momentum fecere. Quippe, ſi nullis aliorum exemplis ea regiorum animorum ſpectata ſaevitia eſſet, poterat generis hujus celebre documentum fieri ipſa Vicecomitum Domus, cui grande ſubſidium inſtrumentumque rerum matrimonia petebantur, dein exſtincto primae gratulationis calore, odia tantum ex affinitate & mutuae fraudes manebant.

Catharinam Matthaei junioris filiam Ugolino Gonzaghae deſponderunt adhuc infantem, parique aetate filia Franciſci Carrarienſis eſt deſponſa Marco Bernabovis filio item infanti. Priori matrimonio dotem dixere pagos, & oppida nonnulla: quid ipſi ab Carrarienſe accepiſſent, incertum fuit: dies nuptus utriſque eſt dicta cum primum infantes adoleviſſent. Aliud etiam puerile matrimonium feſtinavere, pacta Montisferrati Demarcho Maria Galeacii filia quadrienni, tamquam ad finiendas veteres cum ea domo inimicitias unicum puella illa placamen foret. Majorque ſponſa, & praeſidium domui majus ex Gallia aderat Iſabella Regis ſoror nupta Joanni Galeacio Galeacii f. praeter regii ſanguinis gloriam, dotem quoque ferens, qua Vicecomites in Galliam uſque opes protulere. Nam ſororis ſuae virum Rex Carolus Comitem Virtutum appellabat: qui titulus, & Dynaſtia ſecuta maritum eſt: caetera matrimoniorum compendia, quae petita erant, irrita fuerunt, ſive etiam in contrarium cecidere, cum ſcilicet ipſaemet quaeſitae res, incitamenta irarum, & cauſae bellorum fierent.

Maria Galeacii filia, quae Montiſferrati Demarcho ad placandas inimicitias pacta erat, ſtatim mortua acrius de integro odium in ea parte excitavit, eruperuntque irae, quas interjecta pauliſper infans morata erat. Et affines reliqui, uno omneis animo conſilioque, poſthabita ratione uxoria, ſepoſitoque, procul ab omni bellica conſultatione muliercularum reſpectu, junxere cum Aegidio Cardinale Romanoque legato arma, poſtquam Vicecomes urbi Bononiae recipiendae acrius inſiſtebant: tantoque promptius junxere, quia connubiorum tunc denique artem intelligebant. Fallaci ſeſe neceſſitudine comprehenſos fuiſſe, & illigatos, ut ad eum tantae capiendae urbis conatum obnoxii immobileſque haberentur. Itaque, nuptiarum foedera feminis relinquentes, ſtrenue bellum in Vicecomitem utrumque parabant: domumque eam, unde uxores, aut nurus acceperant, dederantque viciſſim, parati erant delere, dum metuunt, ne nimium ipſi attolleretur. Partibus in generos ſoceroſque animis, Bernabos, & Galeacius, cognita eorum adverſus imperium potentiamque ſuam invidia, quoniam ſummis humanae benevolentiae pignoribus eos conciliare non potuiſſent, coercere magna aliqua clade geſtiebant, obliti puellarum, quae ipſae, oblitae paterni tecti, tecta potius reſpiciebant ea, in quae venerant jam, vel in quae iturae ex pacto fuiſſent. Metropolis vero ipſa, & urbs Mediolanum, Ambroſianaque haec Eccleſia, cum paulo antea, laetitiis, & publica propter eas nuptias gratulatione exſultaſſet, ſimiliſve fuiſſet exſultanti, repentino propter mutata omnia luctu miſerrime conflictabatur. Nam, & manente Sedis Apoſtolicae indignatione, diraeque manebant adhuc, & tamquam in damnatam exſecrabilemque gentem, hoſtium injuriae feliciter nimium, & abſque ulla mutua ipſorum clade procedere incipiebant.

Injuria, & cladis illatae per hoc tempus Inſubriae terris, & agro Mediolanenſi graviſſima fuit illa, cum Anglorum copiae truces ingeniis & irritata ſaevitia, quod Gallico bello ſtipendia nulla ab ſuo Rege accepiſſent, oſtentante praedam inſtigante que animos Sabaudo, irrupere. Vaſtata per eos, & direpta omnia tam immanibus modis, ut dubitari poſſet, rapiendi ne magis libidine veniſſent, an ſaeviendi in corpora poſtquam nihil erat ultra quod raperetur. Alexandrina via populabundo agmine ingreſſi Longobardorum fines, abſque diſcrimine ullo, miſtam virorum, & feminarum, & teneraе, grandiſve aetatis ſtragem edidere, quacumque inceſſerunt. Quae non poterant auferre, fracta, & comminuta conjiciebant in caeſorum acervos: & ubi ad Monaſterium forte devenerant aliquod, ſi corpora erant opportuna turpitudini, foedabantur: niſi libido ſaevitiam morata erat, ſqualida, contemptaque ora puniebantur nece. Et conſtitit, trucidatas eſſe nonnullas poſtquam ſub barbara inhoneſtate ingemuerant.

Ea barbarica irruptio fulguris pene inſtar eſt pervagata Mediolanenſem agrum: ac ſicuti ſui adventus famam copiae illae Britannorum anteceſſerant, ita noſtros apparatus vitaverē celeritate eadem, cum, & ex agris, & ex urbe adverſus eum hoſtem armati ad ſigna cogerentur, adeoque terror ipſis inſtitit moenibus urbis, ut Gallaratum, & Seronum cinctа muris loca nudata eſſent, ne barbari arces ſibi eas occuparent. Jam enim, & Caſtrum novum in Derthonenſi agro, & Romagnanum in Novarienſi, & alias alibi arces occuparant, in quas collata, deinde praeda omni, ſimul abdidere ſeſe, ſubſidium non leve foederatis, & formidabile momentum iiſdem, ſi gens pretio venalis, & amica plus offerenti, tranſiret in partem alteram, ſicuti poſtea corrupti per Galeacium tranſiere.

Nunc, & barbari timebantur ex vicinis Metropoli caſtellis, & quotidianae municipiorum, oppidorumque defectiones timorem augebant, improſpero ſimul omni fere Mediolanenſium conatu, quamcumque in partem arma Vicecomites tuliſſent. Defecere Vogherienſes, & Caſalenſes, & Garlaſchum, & Sala, & loca alia, non quidem ſuo nomine, ſuiſque viribus umquam aeſtimata ſupra locorum humilium vilitatem: ſed tamquam in aegro corpore, quidquid aggravaret, majus quam pro re ipſa damnum periculumque habebatur. Et vulnerabat maxime animos, quod ad Montiſferrati Demarchum ea loca deſciviſſent, quae ſemper inimica domus auxerat viciſſim odia, poſtquam mortua, ſicut dictum eſt, infante, a primis humanae benevolentiae vinculis, ad ultimas mutuarum infectationum acerbitates laxati inſtinctique animi erant.

Guelfi Brixienſes etiam ad Demarchum eumdem caeteroſque foederatos urbem vertere eam conati, manifeſteque rebelles, hoc ipſo victoriae ſpeciem habebant, quod poterant aliquamdiu pugnare cum Metropoli. Victi ſunt, non tam ab exercitu noſtro, quam orta forte peſtilentia, quae adſidentes moenibus foederatos abire inde coegit. Sed accepta mox ad Mutinam clades documento fuit, nequaquam Mediolanenſium cauſa id malum hoſti divinitus fuiſſe immiſſum, ſicuti propter ipſius rei opportunitatem interpretati erant. Namque caeſa ibi magna exercitus parte, Bernabove pene oppreſſo ipſo, captis primoribus urbis: intelligere potuerunt, arcano fortaſſe alio divinae providentiae nutu tabem eam excitatam nihil ad ipſorum commoda pertinuiſſe. Mediolani interim congruentia omnia tam infauſtis rebus erant: ſummaque civium voluptas ſpectandis eorum ſuppliciis, quorum domeſtico latrocinio vaſtata Civitas erat, dum foris bella haec gerit. Picardonus Vaſſallus, qui per nomen munuſque curandi rationes Principum, afflixerat multas innoxias domos, pecuniamque ſibi ingentem fecerat, extra portam Ticinenſem ad Vigintinum, fractis laqueo cervicibus e furca pependit. In alia calcitravit furca Gherardus Bruſatus: fatelliteſque & ſcribae ad quinquaginta, effoſſis oculis, demiſſi per urbem, coeno, fuſtibuſque obruebantur, permiſſa hac licentia plebi, ſolatioque ob latrocinia, & fraudes quas ab illa hominum faece perpeſſa erat. Dederat Bernabos ea ſolatia urbi, poſtquam amiſſo ad Mutinam exercitu, perculſis omnium animis, ſeditio fortaſſe nonnulla timebatur.

Paulo

Paulo poſtea, Britannorum copiae, quas foederatis adverſus Vicecomites adjunctas fuiſſe demonſtravimus, oblata per Galeacium ſtipendii largioris illecebra, quam quod inde accipiebant, alienantur, & militiam relinquere ſeſe ingratam dictitantes, tranſtulere ſigna in partem, cui terrori ad eam diem fuerant. Hos caſus alternante bello dimicabatur inter Pontificem Max. & Vicecomites: atque propter id certamen Italia fere tota in armis erat, Bononia defenditur aut oppugnatur, dumque urbem eam, in hac vel illa manere parte Principes caeteri, utile ſive aequum cenſent.

Anno octavo poſtquam id bellum ſuſceptum initumque erat, pacem inire in has leges: Traderet Bernabos caſtella omnia & arces, quas in Bononienſi agro captas haberet. Pontificis nomine vicißim ei perſolverentur quingenta millia florenorum nummûm. Ea pecuniae ſumma donec perſoluta decem penſionibus eſſet, Urbs Bononia teneretur ab Arduino Cardinale Cluniacenſe, neque Bernabos praeſidia deduceret ex arcibus & caſtellis oppidiſve, antequam pecunia pernumerata eſſet. Si qui captivi Mediolanenſes, aut ſi quae Vicecomitis arces in poteſtate Pontificiorum eſſent, eae arces, iique captivi reſtituerentur. Ante omnia redderetur urbi Mediolano ſacrorum uſus, omneque interdictum tolleretur, & ſuo ritu legitime, ac juſte frequentaretur Eccleſia Mediolanenſis, manerentque Metropoli Ambroſianae jura omnia quaecumque antiquitus fuiſſent. Earum rerum cauſa Cardinalis ipſe Arduinus Mediolanum venit, connixo ſuis etiam opibus Vicecomite, ut Legatus Apoſtolicus quam magnificentiſſime acciperetur. Exhibiti publice ludi, convivia que & certamina equeſtria, in quibus, atro candidoque colore diſtincti equites, atque in duas turmas diviſi jucundum Legato ſpectaculum praebuere. Cumque per eos forte dies auctus filiola Vicecomes eſſet, optavit ut ea per Legatum eumdem ſacris lymphis abluceretur: annuitque ipſe, & ſancto illo pignore privatim etiam inter eos amicitia conciliata eſt: gloriosa & jucunda cuncta in pompam magis quam fida, & duratura. Quippe tota etiam legatio, & mutuo conſenſu ſcriptae conditiones irritae futurae erant: neque ſatis conſtat inter ſcriptores, utrius partis culpa fuerit in diſſolvenda pace, quae certe diu non manſit.

Bernardinus Corius, ſimplicitate magis, equidem arbitror ſua, quam adulatione in Vicecomitum genus, aut in res Eccleſiaſticas malevolentia, Clericorum fuiſſe culpam, ait: eos poſthabentes utilia rectis diſceſſiſſe a conditionibus, & coalitam pacem ſine cauſa abrupiſſe. Sed potuit fortaſſe conferri juſtius id ipſum in Vicecomites ipſos, quos aviti ſpiritus, & domeſtica exempla quidlibet audendi, Matthaeus & Joannes, per dominationis infamam culpis erga Sedem Apoſtolicam hereditariis iſtis aſſuefeciſſent. Vrbem namque eam Bononiam ab Archiepiſcopo patruo interceptam uſuque poſſeſſam perdidiſſe ipſos, culpam fore quamdam ſcilicet inexpiabilem, ſibique & majoribus ſuis turpe flagitium exiſtimabant. Hinc illa erga Sedem Apoſtolicam levitas & contumacia, contemptuſque pacis & conditionum omnium, quaecumque urbis ejus imperium alio tranſtuliſſent. Ita dominantium inſania, Mediolanenſes, poſt exigui temporis pacem, in bellum rurſus coacti impium infelicia arma retinebant, ne modeſto umquam otio & Catholica tranquillitate frui civitas poſſet. Domus autem ipſa Vicecomitum, quam olim coerceri Reipublicae Majeſtate non difficile fuiſſet, jam civium indulgentia, conditione temporum, artibus ſuis, ſupra Rempublicam evecta erat. Atque faſtidiis nunc aequalium Regulorum affinitatibus, quae notis inter pares miſeriis, aemulationeque & livore, & ubi periculi tempus veniſſet, manifeſta perfidia corrumperentur, ad matrimonia diverſa quaedam adjecerant animos, quibus initis, neque fraudem ab maritalibus familiis, neque ſub earum tutela vim ab aliis timere ullam poſſent. Namque cum Auſtriacis Archiducibus in Germania conſociavere ſanguinem, quae Domus incorruptae nobilitatis fons, Caeſarum Regumque procreatrix, gravida imperiis, ſatura gloriae, ſinceram amicitiae fidem, & undique ſecuritatem ipſa ſui nominis magnitudine polliceri videretur.

Virida Bernabovis filia data eſt Leupoldo Alberti filio, cujus matrimonii pignus, non ad praeſentis modo fortunae ſtatum, ſed in futura quoque ſecula praeſidium domui fuit. Inde enim ortus eſt Erneſtus, Erneſto Federicus Imperator, Federico Maximilianus, ab cujus ſtirpe prodit Imperium, quo nullum umquam fuit majus inter homines, ſi orbis utriuſque ſubjecta ei hodie Regna numerentur. Alia Bernabovis ejuſdem filia Thadea nomine, nupſit Bavariae Ducis filio, viciſſimque nurum ſibi Bernabos ex ea domo petiit, vel mortua interim, vel ſpreta Carrarienſi puella, quae filio ejus Marco deſponſa prius fuerat. Violantam Galeacii filiam Lionello Angliae Regis filio dederunt: eaque matrimonia, non ſicuti priora, vanum ſine exitu, ſine mutua caritate nomen fuere, ſed fida & cum ſuo quodque fructu ob partis alterius, & Auſtriacorum praecipue magnitudinem, qui minorem domum, poſtquam ſibi junxerant, volebant etiam eſſe ſalvam. Et urbs ipſa, partim laetabatur adjunctis ſibi per matrimonia tanta praeſidiis, partim, ut exiſtimo, occulte anxia erat nimiam Principum domui acceſſiſſe confidentiam videns. Qui laeti quive ſolliciti erant, certatim omneis plauſere nuptiis ejuſmodi: ſponſaeque dum ad maritos deducuntur, ſive accipiuntur in urbem, exhauſit ex privatorum domibus adulatio quidquid fere quotidianae & aſſiduae bellorum neceſſitates, tributaque & hoſtiles incurſus reliquum fecißent. Volebant enim, & urbem, & ipſos quam ſplendidiſſime apparere, ſive luxuria, ſive magnanimitate, quae propria ſemper populi hujus fuit: provocabantque ſumptuum & opulentiae certamen Regna provinciaeque huc alienae nuptiarum earum occaſione confluentes.

Rodulphus, Leopoldi patruus, magno Germaniae Procerum ornatiſſimoque comitatu eum Mediolanum ad viſendam ſponſam, & firmanda pacta veniſſet, ibi eſt mortuus, & in Di Joannis Aede ad Concam illatus tumulo non ſine funeris honore, quem, & hoſpitii comitas erga Principem externum, & Auſtriaci nominis magnitudo poſtularet. Et Sponſa quidem illa in Germaniam poſtea deducta eſt, cingentibus latera Principibus viris totaque proſequente Nobilitate Mediolanenſi, donec ad provinciae fines egreſſi Auſtriaci puellam excepere. Ad Violantam vero Galeacii deducendam profectus Mediolanum ex Anglia Lionellus, cum Inſulae Regnique fere opes in urbem tranſtuliſſe diceretur, haud tamen ejus adventus utilis Metropoli fuit, volentibus ſcilicet noſtris etiam oſtentare plura, & pugnare cum barbarico illo faſtu. Ad Templi maximi valvas nuptiale ſacrum fuiſſe peractum tradunt ab Epiſcopo Novarienſe, poſtquam is in Ara maxima ſolenni ritu perlitarat: Bernabovem patruum puellae digitum tenuiſſe dum ab Epiſcopo illo annulus fite inderetur. Epulum in Aenae Aula fuit, tanto apparatu, tantaque ferinae & manſuetae carnis pompa, ut ſingula fercula ſinguloſque miſſus dignos hiſtoria judicaverint qui res ejus aevi litteris prodidere. Nos potius indignati ſumus, multumque miſerati patriae vicem, cum eos luxuriae annales inſpiceremus. Scilicet, ſolidos a pros auro gemmiſque diſtinctos, & altilium omne genus cum ſua quodque caelatura, & coronamento illatos menſis, cumque ordine cuncta inferrentur, ſimul inducta in aulam multa deinceps venaticorum canum paria, ut noſcerent convivae Moloſſos pecudum earum laniſtas, quas ipſi lancinarent. His ipſis aurea ſubligacula gemmataſque braccas, & torques, & collaria ſive millos, pene, ut canibus fortunam in qua incedebant, convivium omne invidere cogeretur, cum nihilo parcius exculti viri femineaque eſſent. Ampliorem equorum ornatum, qui dorſo impoſita fercula devehebant in conclave, rurſuſque fulgentes magis atrienſes, qui jumenta ipſa tenebant loris. Centum amplius equos, ut quique inducti erant, dono datos a Principe cum phaleris ephippiiſque ſuis, quorum pretio jumentorum greges emi potuiſſent. Duos eximia ſpecie

ſonipedes eſſe inductos, quorum alterum, ex ferocia Leonem, alterum Abbatem appellarent. Condere annalibus haec juvit. Aulae quoque Principes, miniſteriumque totum & diſcumbentium ordinem, caeteraque pompae & conviviі ejus tradidere.

Ubi, cum Novarienſis Epiſcopi nomen inter alia convivarum nomina perſcriptum exſtet, credere cogor nullum hoc tempore Mediolani Archiepiſcopum fuiſſe: niſi ſi forte erat, & propter iratum rei Bononienſis cauſa Pontificem, dexterе ſeſe ſubducebat, ne coetibus intereſſet eis, unde labes ad ipſum aliqua perveniret. Id ut potius credere velim, adducor, quia quadriennio ante, Roberto Vicecomiti, poſt ſeptimum Pontificatus annum in Eccleſiae Mediolanenſis adminiſtratione Gulielmus Puſtertula ſucceſſerat, cui novem anni tribuuntur in Archiepiſcoporum faſtis, neque nomen ejus inter negotia tamen ulla reperitur.

Caeterum, non erant omittenda nobis civium nomina, quos ad matrimonia illa concilianda, Bernabos & Galeacius, interſuntios adjutoreſque habuerunt. Fuere autem, Manfredus Saluttus, & Protaſius Camus, duo Vicecomitum Conſiliarii, quos Principi utrique ad omnia fuiſſe aſſiduos conſtat. De Salutio ambigitur, fuerinne urbis noſtrae civis, an familiaris tantummodo Principum, & alienigena caſu forte aliquo ſecutus hanc aulam. Caimus ex Germanicae originis familia jam inde ab Conradi Imperatoris, & Archiepiſcopi Antimiani temporis profecta in urbem, & ſaepe alias apud Principem optima quaeque ſuadendo profuerat huic patriae, & nunc ſubſidium adverſus externa arma exiſtimans urbi fore opportunum, ſi Principes ſui cum Auſtriaca domo jungerentur, magnopere contenderat ut id fieret, origimis etiam commendatione delectus qui ſuper iis rebus in Germaniam legaretur. Duos hoſce, Salutium & Caimum una cum Bernabove & Galeacio obviam proceſſiſſe venienti Anglo, refert ſcriptor, qui ipſe in parte pompae fuit. Caeteri deinde, quo quiſque cultu & ordine inceſſere, ab ſcriptore eodem recenſentur, Franciſcus Zanchadius, Dominicus Ardizonus, Jacobus Previdus, Gaſpar Viceſortes, Zanolus Armenulphus, Joannolus Biragus, Henricus Comes. Capita haec Mediolani rerum, & conſilium Principi utrique intimum fuere, quas hodie familias, excepta una, vel altera, arbitror, poſſe noſtris hominibus irriſui eſſe propter cognomina inaudita appellationeſque abſurdas, quae ſeputta jam pridem omni domorum gloria & ſtirpe, nunc ſcilicet ad breve momentum ex diuturni ſilentii caligine prodierunt.

In haec ſpectacula effuſa civitas, dum fruitur ſimul abſumiturque nuptiarum apparatu, non ſenſerat interea molem apparatumque belli, quod Vicecomites adornabant, quodque viciſſim ab aliis in ipſos adornabatur. Namque, dum commeant ſuper nuptialibus eis negotiis crebrae legationes, dumque Principes etiam inter ſe ipſi cum noſtris alieni congrediuntur, tranſacto paucis, quod ad puellam & dotem attineret, omnis arcani colloqui pars major fuerat id bellum. Ac ſuper menſa etiam, de ſuis, aut hoſtium viribus, de locorum opportunitate, regionum ſitu, Principum animis, quae fida, quaeve infida, quid toto orbe validum aut aegrum, diſſerendo oblectarant ſcyphos produxerantque conviviі horas. Nec ſegnius in parte altera conſultabatur. Sedens Avenione Pontifex Urbanus conventum ibi Principum habebat, ad delendam Vicecomitum tyrannidem, urbemque Mediolanum una cum Italia tota liberandam. Et exeito illuc inter caeteros Carolo Caeſare, donis eum, atque promiſſis ingentibus armaverat ſecum. Vicecomites, re ſtatim conſtituta Genuenſi, intoque cum Republica illa foedere, ne quid negotii ab ea parte reliquum domi eſſet, Britannorum copias educunt, partemque Latii pervaſtant.

In ea populatione, Ambroſius Bernabovis ex pellice filius, & nobiles aliquot Mediolanenſes, qui cum eo barbaras manus ductabant, in eavam forte vallem illati capiuntur. Hine accenſi ab utraque parte acrius animi: Pontifexque Urbanus progreſſus ab Avenione Viterbium, dimiſſis per varia Inſubrum loca Cardinalibus, ad Vicecomites ejiciendos tota vi incumbebat. Simul aderat Caeſar ipſe exercitum ducens gloriae praedaeque avidum, tantoque ferociorem, quo major apud eas gentes erat fama Inſubriae opum, & quanto pulcrius hoc ipſum eſſe putabant, quod ad liberandam Italiam ducerentur.

Hae copiae, cum ſeſe Pomificiis caeteroque ſoederatorum exercitui junxere, Mediolanenſes in agro Mantuano Ferrarienſique bifariam diviſi erant, praecipua Vicecomitum in duas illas urbes ira, propter ea, quod ab Gonzaga, & Eſtenſe Pontificem Urbanum in ſua damna maxime fuiſſe inſtructum ſcirent. Mantuam, uſque ad portas urbis graſſati ignibus & ferro conterritam direptionis metu habebant. Ferrarienſium naves Pado annı ſubſidio Mantuanis eunies exceperant inſtructa & deducta ad Guaſtallam claſſe, quae prope major fuerat clades, quam prior alia terreſtri Marte illata cum deſperatione omnium & luctu. Exſtructo etiam ad vicum fortem Caſtello, obſidebant, haud dubie poticbanturque flumen. Id capere caſtellum Caeſariani primum omnium conati, cum vi aperta nihil efficere potuiſſent, obruit poſſe munimenta illa ſperarunt, ſi diſjecta mole, qua non longe inde coercebatur amnis, aquae repente omneis immiſſae ac ſuperfuſae eſſent. Intumuerat enim per eos dies imbrium auctu Padus, & proluvies illa repentina undarum, exercitu ipſo violentior futura erat. Sed noſtri ad ejus periculi caſum attenti vim fluminis ingruentem vertere in adjacentes campos, merſaque humo ipſa Caeſarianorum caſtra turbavere.

Initia belli haec neutri parti laeta eſſe poterant: quippe, cum Mediolanenſes praeter armatam fere totam in ſe Italiam duo capita rerum humanarum Pontificem & Caeſarem imminentes ſibi hoſtes viderent: his dubium cruentumque exitum portendere viderentur principia rerum urbs numquam plane victa: ſubnixi Principes Regum opibus, contumax adverſus clades fortuna Vicecomitum. Et erant in utroque exercitu, ſicut armorum inſtigatores & cupidi praedae multi, ſeditioſi & egeni etiam ex Principum numero, ita meliores alii, neque praedam ſibi quaerentes ullam, neque probantes illa arma, ſed officio erga Pontificem & Caeſarem, patriave legibus & veterum foederum neceſſitate tracti in id bellum. Cum Bernabove Senatores ex urbe aliquot, & ex Mediolanenſi Clero graviſſimi viri Civitatis, quorum ille conſilio utebatur: cum Caeſare Bavarus & Auſtriacus, qui, licet ea caſtra ſequerentur, recenti affinitate proni in Vicecomites, hortamenta ſtimuloſque pacis ex quotidianis caſibus arripiendo mitigabant ſuos, nec magno negotio, horum opera, tanti illi utrimque fremitus, & apparatus pauliſper conquievere.

Induciae tamen erant potius, quam pax ipſa, dum ſcilicet Pontifex, & Caeſar controverſa quaedam capita deciderent, quorum arbitrium & cognitio ipſis permiſſa erat. Et poſt aliquot inde menſes, quia coeperat apud Vicecomites ſuſpecta eſſe cunctatio judicii ejus, ſumptis iterum armis, & facta in Mantuanum agrum impreſſione, ſubegere terrore arbitros, ut res eas, quae in controverſiam vocabantur, propere definirent. Ut vero edita de controverſis illis capitibus ſententia, Pontifex & Caeſar, nihil de Bononia, quae prora, & puppis erat omnium rerum, explicavere: tunc Vicecomites, abſque ulla pacis, ſive induciarum verecundia, tentant rurſus Romanum impudentiore arte, quam ſi bello aperto aggrederentur. Cum enim Peruſiam urbem Pontifex Maximus acerrime oppugnaret, eaque urbs non poſſet ullo modo evitare Apoſtolicae Sedis vim, miſſa ſunt ab Mediolano auxilia obſeſſis, datumque famae, tamquam Joannes Acutus, accepta ab Peruſinis pecunia, copias quibus ipſe praeerat, & Britannum praecipue militem tranſitione ſua illuc avertiſſet. Huie dolo mox alius ſubnectitur dolus ab iiſdem animi ſtimulis, quod permiſſo hoſtibus ipſis arbitrio de rerum ſumma, exciduſſent ejus rei actione & jure, propter quam injuſtis cuncta armis turbarant. Speraverant enim, cum inclinatis ad pacem animis arbitros ſumerent Pontificem & Caeſarem,

rem, poſſe per Auſtriacum, & Bavarum effici, ut Bononia ſibi ab illis adjudicaretur: & per colloquia fortaſſe occulta inter eos ita convenerat.

Quae ſpes ubi irrita fuit, gerebant Vicecomites aliud occulte bellum, callidaque conſilia & improbi aſtus erant velut caſtra ſcilicet aciesque contrariae, donec etiam ad iſta rediretur. Poſterioris autem doli Vicecomitum, unde Mediolani ad arma bellumque cum Pontifice Maximo redium eſt, ordo exituſque fuit hujuſmodi:

Lucam urbem Cardinalis Bononiae Legatus vicaria poteſtate tuebatur, ob civiles, credo, bellicaſque artes, & providum animum electus, qui in magno rerum Italicarum diſcrimine ei urbi praeeſſet. Multae ibi opportunitates, & apta omnia Vicecomitum conſilio, quo nihil in Italia relinquere ſibi intentatum volebant. Nacti ea in urbe proditorem Aldericum Lantelminellum, ita cum ipſo rem inſtituerunt, ut ejus ſimulatione pacis & gratiae, quam cum Apoſtolica Sede reconciliatam habere viderentur, mitterent Lucam octingentos equites cum duplici peditum numero ad Legatum, tamquam ſubſidio adverſus Florentinos, cum quibus bellum grave & difficile Romano erat. Auxiliares illae copiae ſtatim ubi intra moenia acceptae diviſaque eſſent, tunc vero Lantelminellus, uti gnarus locorum opportunitatumque omnium, & acceptus homo nobilitati juxta, & plebi, dux fieret ad urbem, Vicecomitum nomine capiendam atque occupandam. Egregie dolus hoc ordine inſtructus fuerat: ſed proditor translata repente fide illuc unde pretium ſperaverat forte majus, Legato dein ipſi cuncta patefecit, nudatiſque ita animis diſceſſum a fraudum ſpe, belloque aperto, ſicut antea, dimicatum.

Pontificis Urbani tamen obitus moram brevem attulit eis armis, interimque Mediolanenſis exercitus quacumque ductus erat, varia fortuna rem geſſit. Caſalem, & Valentiam, & pleraque Mirandulani tractus cepere, multiplici intra paucos dies & inſigni victoria, non tam ob loca ipſa, quae capta erant, quam quia magni & aeterni hoſtes, Montisferrati Demarchus, & Feltrinus Gonzaga, & cum Ferrariae Demarcho, nonnulli alii clade ea ſubacti eſſe videbantur. Sed Feltrinus ad Rhegium, ubi ſe urgeri acrius vidit, accitis ab Ferraria & Bononia auxiliis, pene oppreſſit noſtros: urbemque eam, paulo poſt, idem, dum adverſus Ferrariae Demarchum defendere nequit, maluit dedere Bernabovi, ut hoſtem potius hunc ibi dominantem videret.

Ludovicus Gonzaga Mantuae Demarchus, & Manfredinus Saxoli Princeps, poſt Urbani mortem, & harum rerum eventus, relicta foederis ſocietate pro Mediolanenſibus ſtabant. Duplici eo exercitu ad noſtrum adjuncto, Mutina oppugnabatur. Corregienſes, jam ſpreto Ferrarienſe ad nos deſcivere, praeter obſcuriores alias Dynaſtarum ad Metropolim tranſitiones, inter quos Saluccianus ad quotidiana certamina impar Sabaudienſi, petito hinc ſubſidio, quidquid virium & opum viciſſim ipſe habebat, detulerat ad Bernabovem. Redierе ad obſequium Novocomenſes, & Vulturenae vallis pagi, totaque illa lacuſtris, aut Alpina regio, cum antea conſternati ad arma, rupibus ſeſe ſuis, ipſoque convallium receſſu adverſus imperii majeſtatem tutarentur. Per Romani quietem, belli incrementa haec Mediolanenſium rebus accedebant, eoque ſpatio novae arces excitatae, aut veteres firmatae paſſim, ad Tritium nempe, ad Decium, ad Senagum, ad Melinianum, ad Cuſacum, & ad loca alia, vel in provinciae finibus, vel in media provincia, atque ſub urbem ipſam, prout ſcilicet alicubi, vel ab hoſte vicino diſcrimen, vel ab inteſtina rebellione metus, vel etiam opportunitatibus juncta iſtis amoenitas ad Principum oblectamina, quibus illi carere nolebant inter majores curas.

Compreſſum aliquamdiu bellum ultra differri non poterat, delato poſt Urbani mortem ad Gregorium undecimum Pontificatu, qui, quo placidior mitiorque ingenio erat, tanto magis accendebat quiete ſua Vicecomitum audaciam, & viciſſim ipſe ſtimulis increpantium quotidie eorum facta, irritabatur. Ita anno CIↃ CCC LXXII. Junio ineunte, exercitus duo, Pontificius & Mediolanenſis, haud procul ab Saxolo (Robera loco nomen eſt) oppoſitis caſtris, ſicut ab Imperatore utercumque ſuo educti inſtructique erant, conſtitere. Ab Romana parte, rerum ſumma penes Franciſcum Folianeum fuit. Regebant Metropolitanos, Ambroſius Vicecomes Bernabovis filius, & Joannes Acutus, noti jam ſatis in hiſtoria homines, & alio loco producti, ſicuti res tulit. Primo conflictu vicere Mediolanenſes: & poſt eam victoriam, ductis ad Rhegium captivis, Romanus Imperator, neſcio, qua Bernabovis ira, ſuſpenſus e muro examinatuſque eſt infami etiam apud gregarios milites & abominando fine. Spatio deinde menſis unius, reparato Legatus Apoſtolicus exercitu, & alienato a Vicecomitibus Joanne Acuto, coactiſque per Sabaudienſem & Ferrarienſem eis dividere circum varia loca milites, Parmam, Rhegium, Placentiam, Vercellas, Novariam, Ticinum, aut in poteſtate habebat, aut premebat damnis & terrore populationum.

Ut vero Sabaudienſis, & Ferrarienſis, & cum Eccleſiaſtici exercitus parte, Luchinus Novellus, trajecto Ticino, ad Modoetiam uſque cuncta pervaſtarant, deficientibus paſſim ab Vicecomite Guelfis, nemo erat iere, quin de furtivo illo imperio, ſive, uti tunc appellabatur, tyrannide Vicecomitum, eſſe actum putaret: quo ſucceſſu Pontifex Gregorius auctо animo, vi majore eſt amplexus liberandae Inſubriae gloriam, atque in eam rem, qui capere ſecum arma vellent, his omnium noxarum plenam, & Apoſtolica indulgentia ſalutarem veniam conceſſit. Vicecomites ipſi viciſſim adverſus eum terrorem armavere populum, Clerumque adeo ipſum agere excubias, & ad omnia belli munera eſſe paratum juſſerunt.

Tantus inceſſerat metus, tantaque rerum perturbatio, ut templa arces fierent, & cum ſago teloque conſpici Sacerdos nemo erubeſceret. Me ſane pudet jam hoc ipſum narrare, quod Clericorum noſtrorum acies contra Romanos exercitus armaretur, nec ſatis eſſet, ea militia reliquam foedari civitatem, niſi ſacra etiam quodammodo ipſa Principum furore in aciem educerentur.

Non autem interea praeliorum exitus erant alii, quam quos eſſe oporteret, ubi contra Pontificem Max. pugnare cogebantur iidem, qui in acie potius illa ſtare deberent & vellent: ſicque reddita Mediolanenſibus & Vicecomiti non ſemel ea clades, quam primo ad Roberam praelio Pontificiis ipſi intulerant. Monſtratur in hunc diem noſciturque locus in Brixienſi agro trans flumen plurimo nobilitatus Mediolanenſium ſanguine, cum eo proceſſiſſent impediendi cauſa, ne Joannes Acutus, qui deſerto Vicecomite tranſierant ad Pontificios, conjungeret ſeſe cum Sabaudienſe, qui ſuum ſimul, & Romanum exercitum regione ea ductabat. In eo praelio, caeſis aliquot Mediolanenſium millibus captiſque qui effugere non potuerant, Joannes Galeacius Galeacii filius aegre effugit, quin ipſe quoque caperetur. Capitur mox Ambroſius Bernabovis filius, obtruncaturque ad Caprinum in Martinianae vallis faucibus, miſſus cum exercitu alio illuc ob rebellantes Guelfos, qui tamen paulo poſt ſunt ab ipſo Bernabove domati & ſubacti non ſine mutua clade propter montanorum animos obſtinatos vincere vel mori.

Angebant iſta Vicecomitum animos, mallentque fortaſſe quieviſſe a principio, ne ſtirpe ab una continuus tot malorum ordo fereretur. At parte in altera, quamquam laeti rerum eventus, & ſecunda belli fortuna, moeſti tamen erant animi ob ſaeva & impia, & Chriſtiano indigna nomine multa, quae quotidie fiebant, nec illo ſatis cohoneſtari poterant militaris licentiae vocabulo, quo ſcelera & calamitates cunctae bellorum teguntur. Adeo exceſſerant modum, Eccleſiaeque ſtatus & diſciplina omnis interciderat. Praecipue torquebat Pontificis animum recentis petulantiae pudor, quae ad Vercellas in ſacrarum virginum monaſteria debacchata erat. Namque, cum urbs ea, tenente arcem Vicecomite, capta ab Eccleſiaſtico exercitu fuiſſet, variarum gentium milites, invalido ad coercendum Imperatore, clauſtris effractis, corpora dicata Deo, & puri-

tati, turpiſſimae contaminarant: praeter ſeminarum aliarum adulteria, & ſtupra, quorum tanta coluvies tunc ea in urbe fuit, ut hiſtoria nihil ſolita mirari tale, ſemperque acceſſionem hanc omnium bellorum, veluti negotium inane tranſmittens, immorata utique fuerit huic muliebri cladi, remque deplorarit. Talia audientem armorum eorum flagitia Pontificem Gregorium haud minor habebat moeſtitia ob illud Catholicae Eccleſiae dedecus, quam Vicecomitum iplorum animos timor ob res adverſas, & imperii diſcrimen: atque ita paſtorali animo, & Reipublicae cura ille, ſollicitudinibus iſti privatis, pacem reſpexere rurſus, cui, pactae in annum induciae pignus fuere. Per induciarum earum quietem, ſaeviora nonnulla Bernabos eſt domi auſus, quam quae bello aſſiduo paſſi ejus erant: ac tyrannidem tunc demum vere nuncupari eam cogeret, ſi juſtum antea legitimumque imperium diceretur. Nam quaſi invideret ipſe quieti, & ſaluti urbis, quae repentina, & inſperata aderat: & quaſi non ſatis miſeriarum ad eam diem una domus Metropoli univerſae intuliſſet, Marthesanae praecipue terris, memoria rebellium olim ibi Guelforum infenſus, Gibellinos in familiarum earum perniciem excitavit, auctor ſeditionum, quas reprimere potius ac ſedare debuiſſet.

Inde Civitati etiam ipſi infenſus ſaevire in eam coepit. Edixerat olim, ne quis occideret aprum, neve canes, & apparatum alium venandi cauſa haberet. Ejus edicti nomine, & obtentu, ſpoliare fortunis, privare vita, delere ab ſtirpe familias, incendere domos, & effoſſis quidam oculis reſervabantur in vitae ludibrium, & poenam. Quicumque enim guſtaſſet aprugnae carnis aliquid, beſtiamve ipſam mortuam ſpectaſſet, ſive attigiſſet, tenebatur lege, quae de apris erat, & promptiſſima ea tyranno materies ſeritat. s in omnes, quoſcumque odiſſet ob alias cauſas. Alebat vero ipſe canum ad quinque millia ſumptu omnes alieno, diviſos nempe per urbem in hoſpitia, quomodo milites dividuntur. Centuriones, & tribuni cohortium earum erant: luſtrabantur venaticae cupiae ſingulis menſibus: inſpectioque ea magnum Principi vectigal erat. Nam, ſive quis Moloſſus arguerat macie ſua hoſpitis illiberalitatem, ſive largiore nutritu inutiliter pingueſcebat, irrogabatur multa altori, & ſevere exigebatur. Et tributum ſimul aliud centum millia florenorum nummûm Vicecomiti huic miſere obnoxia Civitas in ſingulos annos ferebat.

Cauſabatur ipſe graves bellorum impenſas, quibus exhauſtus nimium attenuatuſque eſſet. Ubi pauliſper conſtituiſſet domum, depuliſſetque miſerias rei familiaris, & vulnera pro communi ſalute accepta ſanaſſet, tunc civium quoque fortunis, & immunitati large ac prolixe conſulturum. Lenitas, & manſuetudo verborum haec erat: interimque duos Franciſcanos Minores, qui miſerati patriae calamitatem, auſi fuerant ipſius auribus ad divini judicii terrorem inſuſurrare nonnihil, percitus ira damnavit, ut igni cremarentur, & cremati ſunt ficto crimine tamquam Haereticiipſi eſſent. Profecto, ego magnopere indignor, & eos qui tunc erant homines, multo magis indignatos eſſe exiſtimo propter caſum hunc in Republica Mediolanenſi novum & atrocem, ut nepotes Uberti, & Bertae ab Maſſino pago, & Canonico, dein Archiepiſcopo Othone profecti, nobiliſſimae Civitati ſic inſultare poſſent. Atque indignari tamen id ipſum magis, quam admirari licebat reputantes, ſcilicet, minime diverſos alios clariſſimarum Rerumpublicarum Imperiique praeſertim Romani caſus jam inde ab advena Tarquinio, & Servio Tullio, qui dominari potuere in urbem, cujus inquilini, vel ſervi erant. Etenim coeleſti ſemper nutu, & immutabili Divinitatis providentia, per inania haec, & apud mortalium animos abſurda paratur in longum dignitas & ſalus urbibus ipſis, ſicuti quidem urbi noſtrae quodammodo parata eſt, cum ab ejuſmodi Principatu ſimularentur opes, quarum reliquiae diviſae poſtea in mille poſterorum domos aiunt hodie nobilitatis florem, magnanimoſque Vicecomites, vel pace, vel bello ornamenta Inſubrum.

Pactis, ut dixi, cum Apoſtolica Sede induciis, Bernabos inter haec tyrannica inſtituta vitam imperiumque agebat: & poſtquam indociarum exierat annus, impiis rurſum armis, quantum ex tuto poterat, ad vota impia nitebatur, auctus etiam ſubſidiis affinitatibuſque novis, & hoc ipſo violentior. Nam duarum filiarum alteram Federico Cypri Regis filio in matrimonium dederat, alteram Franciſco Mantuae Principi: & mortuo jam Lionello Angliae Regis filio, per ſecundas viduae nuptias Montisferrati Demarchum perennem illum hoſtem ſtabili foedere junxiſſe ſectum videbatur. Ac veluti praeſidia parans ultimo conatu, & conquirens undique omnia, projectior homo libidine pene, quam crudelitate, cum plenam adulterinae prolis domum, ſpuriosque & ſpurias tota urbe complures in angulis haberet, Doninam Joanni Acuto, Eliſabetam Lucio Lando, Iſoltam Guidono Foliano cum ſua quamque dote, & viciſſim ad res firmandas utilitate locavit.

Icto deinde etiam cum Florentinis foedere, ſeque & Metropolim Eccleſiaſtico bello pertinacius quotidie illigabat. Galeacius caetera concors fratri & fidus, in eo tamen conſilia ſeparabat ſua, quod habere cum Pontifice volebat pacem, & Pontifex viciſſim delectatus obſequio Principis ac pietate, caſtella, & arces reſtitui juſſerat ei quae ſuperiore bello ademptae, Romano praeſidio jam tenebantur.

Moritur deinde ille, & paterni ſenſus una cum fortunae parte heres Joannes Galeacius Apoſtolicam Sedem omni religione colebat. Is Piccininam Bernabovis filiam Actio filio ſuo jungere nuptiis cupiens, cum in ea re, conſanguinitatis vinculis impediretur, poſuit hoc Catholici Principatus rudimentum, ut ſuper ea re Pontifici Maximo ſupplicaret: peteretque ut patrueles Actius & Piccinina rite legibus ſolverentur, quae leges inire matrimonium ipſos vetarent. Preces ejuſmodi ſuas mandavit Antonio Saluciensi, qui poſt Puſterulam Mediolani Archiepiſcopus erat. Atque, quo teſtatior eſſet illuſtriorque ſignificatio obſequii erga Sedem Apoſtolicam, juſſit confici tabulas auctoritate publica ſcriptum hoc habentes: Quemadmodum rogaſſet ipſe Archiepiſcopum ſuum, ut ſuo nomine Pontifici Maximo ſupplex eſſet ad matrimonii jus impetrandum. Supplicavere una cum Archiepiſcopo, Franciſcus Eſtenſis, Bonifacius Coconatus, Andreas Pepulus, Philippus Caſolus, quos praecipuae per Italiam nobilitatis viros Vicecomes idem ad Pontificem Maximum legarat.

Aliquanto poſtea Joannes Galeacius ipſe aliam patrui ſui filiam in matrimonium duxit, exſtatque ita ſcriptum in annalibus: Archiepiſcopum Mediolanenſem una cum Archiepiſcopo Neapolitano annuiſſe, ut id matrimonium rite iniretur, & vincula conſanguinitatis Apoſtolica auctoritate diremiſſe. Catharina nomen erat ſponſae. Hanc, & Galeacium ipſius patruelem rite interrogatos Eccleſiae ritu, Archiepiſcopus idem in D. Joannis Aede ad Concam matrimonio conjunxit.

Anno altero, poſtquam id matrimonium initum erat (is fuit a Chriſto nato ſupra milleſimum trecenteſimum octogeſimus primus) uxor Bernabovis Regina Scaligera nomine, concepit animo majeſtatem illam Templi, quod D. Mariae Virgini dicatum inſtructumque Sacerdotiis amplis, & honeſtiſſimo Collegio, pars hodie Regiae magnitudinis in hac urbe eſt. Turrianorum aedes dirutae cumulaverant ruinas, ac deforme monumentum conſpiciebantur: ruptis nunc vere domibus vulgare nomen manebat. Ibi Scaligera templum exſtruxit, addiditque templo cognomen, ut Scalenſis Virginis Aedes diceretur. Primus lapis poſitus eſt ad VI. Idus Octobris obeunte caeremoniam Archiepiſcopo: impetravitque deinde Scaligera a Pontifice Max. ut ſibi liceret inſtituere ibi Canonicorum Ordinem cum Antiſtite ſuo, utque ſacerdotia illa gentilia ſuae domus eſſent.

Per eos dies Archiepiſcopus ipſe, Cleruſque Mediolanenſis eum ruſticano etiam Clero ad expiandos mortui Galeacii Manes conſcivere, ut quas ille pecunias ex Eccleſiae bonis fructibuſque coegiſſet, eas remitterent ultro, & condonarent, cum eo ſcilicet, ut Joannes Galeacius filius, & heres ſacellum poſitum in D. Antonii Aede patris

patris nomine exſtruendum curaret. Sacellum poſitum eſt, pecuniaque attributa, quae ſexcentorum aureorum nummûm ſummam ad noſtrae hodie pecuniae aeſtimationem efficeret in ſingulos annos, aliaque piacula Galeacii Manibus fuere.

Anno qui ſequebatur, Scaligera mortua eſt: iſque caſus Bernabovem graviſſime perculiſſe eſt viſus. In eo domeſtico luctu, per omneis Imperii ſui partes litteras miſit, quarum ſententia fuit hujuſmodi: *Bernabos Vicecomes Mediolani Imperialis Vicarius. Lugubrem noſtrum caſum, quo nuper afflicti ſumus, ſignificamus vobis, exiſtimantes, eadem fide, qua proſperis noſtris laetamini, etiam adverſa proſequuros. Regina Scaligera cariſſima noſtra auxer diem ſuum obiit: ita Deo placitum eſt, cui reſiſtere, nec poſſumus, nec velle debemus. Angimur tamen vehementiſſime pro eo ſenſu, qui nobis a natura tributus eſt, & ob peccata fortaſſe, noſtra percuſſi tali plaga in moerore hoc jacemus. Ut igitur appareat, luctus noſtros vobis eſſe communes, utque magnis Reginae virtutibus honos habeatur: volumus, vos atratos eſſe, veſtemque lugubrem ut habeatis unuſquiſque veſtro ſumtu mandamus.*

Haec ſumma litterarum fuit, factura utique fidem animi vere Chriſtiani, ſi quilibet alius ſcripſiſſet. Quia Bernabovis nomen Epiſtola praeferebat, ſatis id viſum cur ſimulacra inania pietatis & manſuetudinis irriderent. Obiit Regina Scaligera diem ſuum ad XVIII. Cal. Sextileis anno aetatis ſuae quadrageſimo: Sepulta eſt in D. Joannis Aede, carmine adſcripto, quo religionis laus inter caetera magnifice jactatur. Sed ſcriptores, qui temporibus vixere iiſdem, quique aliis narravere quae viderant pertulerantve ipſi, ſuperbam, impiam, audacem, & inexplebili cupiditate mulierem hanc totidem vocibus appellare Scaligeram minime dubitaverunt. Ejus maxime ſtimulis praecipitem in omnia tyrannidis flagitia Bernabovem eſſe actum, eademque matris diſciplina filios eruditos ad omne ſcelus nequiores etiam fuiſſe patre: patrem una cum filiis & uxore, diſpoſita & inita habuiſſe conſilia de Joanne Galeacio interficiendo, ut imperium omne occuparent, juveneque ſublato, conſortium illud inſociabile dominationis tolleretur.

Quae conſilia, diu, ſicuti credere licet, agitata inter ſenem jam tyrannum, & juvenes turbulentos, & immiſtam marito prolique Scaligeram, poſtquam haec deceſſit, in capita auctorum recidere, cum adhuc agitarentur. Nam juvenis Galeacius, ubi conſiderando attente patrui inſtituta, & vitam, patruelium que mores, & male diſſimulatam erga ſe invidiam: nimium blanditiarum & fictae hilaritatis quoties ex deſtinato congrederentur triſtes, & magnae rei cogitatione ſuſpenſos, quoties repente aditi deprehenſique eſſent: ſuſpicari primo aliquid coepit: deinde acrius vehementiuſque ſuſpicari: poſtremo conjecturas ipſe ſuas conferendo cum nonnullis aliis indiciis, quae per exploratores, & amicos delata erant, eo pervenit, ut haud dubie rem totam, & orientes in caput ſuum inſidias videret ſicuti ea, quae oculis cernuntur. Non erat facile effugium remedium ve periculi imminentis, tenente Metropolim imperiique arcem inſidiatore patruo, paratis ad ejus juſſa patruelibus, implacabilibus proximorum odiis, ubi ſemel accenſi ſunt, multo magis implacabili violentia, ubi rabies in potentiae aemulum conſortemque Principatus accendit.

Unica ſpes etiam ipſi in fraude & dolo, ut peteret inſenſam Domum iiſdem artibus, quibus ab ea petebatur, malletque, quoniam eo neceſſitatis ventum eſſet, capere quam capi, & prodi potius hoc memoriae, quod patruo ipſe manus injeciſſet, quam quod foret ab eo interfectus. Simulat primum omnium vehementiſſimam animi ſui interturbationem, quaſi tactus divino ſpiritu, nihil jam ageret cum mortalium rebus attonituſque mortalitatis fine, ſe ſe quam ſanctiſſime ad ſuprema comparare vellet. Nec fuerat antea ab ſtudio imitamentiſve pietatis alienus. Nunc enimvero ſumpta larva ſanctimoniae plane ipſius, remittere curas imperii, colloqui de morte tantum, & Paradiſo cum Minoribus Franciſcanis, eorum quotidie aliquem ad menſam adhibere, menſa uti parciore, & modeſta, corporis habitu, & cultu videri ipſe quoque Franciſcanorum unus, nec in publico tantum oculiſque populi, ſed domeſtica, & interiore diſciplina, ut falleret etiam ſi quos in familia appoſitos ſibi ab hoſte patruo exploratores haberet. Prodibat ad templa quotidie ſupplicatum, & nudis aliquando pedibus ivit, ſtipatus tamen ſemper interea catervis armatorum, & auctis circa palatium excubiis ex fidiſſimorum delectu. Ea ipſa diligentia contemtum auxerat ſui, tamquam, inter alterius vitae curas, & moriendi formidinem inſaniret.

Sic Bernabos interpretabatur, multaque apud ejus filios in patruelem irriſio erat, ob mores, ſicut ipſi exiſtimabant, fatuos & abſurdos, queis ab vita ſenſuque communi ille alienaretur. Ne vi quidem alia opus eſſe in eum, cui mens animuſque ſua ſponte contabeſceret. Pervagatus templa omnia ad Ticinum, & fatigato colloquiis ſollicitudinibuſque de altera vita ſuis quidquid ibi ſanctiorum hominum erat, diſſipat hanc repente famam, quod Deiparae Virginis Aedem, quae ſupra Variſium in montis vertice eſt, adire vellet. Armat deinde peregrinationis ejus cauſa exercitum, & poſt aliquot dies itineri ſe ſe committit. Praecedebat ipſe pedeſter, cum nobilibus aliquot fortibuſque viris haud ſine piorum comitatu quos circa ſe adſiduc habebat. Equitum turmae modico intervallo ſubſequebantur: pars militum anteceſſere, pars circumfuſa Principi nullo ordine ibat: accipiebanturque cuncta veluti per inſaniam juvenis, qui vellet ſe eſſe beatum, & Panicis terroribus agitaretur. Bernabos, Ludovicum, & Rodulphum e filiis ſuis jubet obviam exire peregrinabundo illi, fruique ſpectaculo, & partem ejus etiam ad ſeſe poſtea perferre. Mox ipſe quoque exit, tamquam debito honore erga fratris ſui filium, & filiae maritum, revera, ut averteret ſuſpiciones ſermoneſque hominum, & gratiſſimam oculis animoque ſuo ſpeciem ex illius inſania uſurparet.

Ad D. Ambroſii Xenodochium obvii invicem fuere. Ibi deſcendere volentem ad pedes, Otho Mandellus, & Bernardonus Lonatus, quibus a Joanne Galeacio mandatum erat, injectis repente manibus in mulae qua vehebatur habenas tenuere Bernabovem, ſtatimque equites, & tela & multae armatae manus circumſtetere ipſum & filios adeo deſtitutos ab omni civium caritate fideque familiarium, ut nemo gladium ſtrinxerit, nemo inclamaverit ad arma. Id ita futurum eſſe Galeacius viderat. Captivi ducti ſunt in arcem Jovis, & Domus ipſa Bernabovis diripienda plebi data, ut contacti praeda illa cives ſpem omnem pacis cum tyranno amitterent.

Ita Joannes Galeacius, depoſita repente ſimplicis animi perſona quam ſumſerat, omiſſaque peregrinatione, & dimiſſis in ſua clauſtra Religioſis hominibus, quos ad ſcenam eam inſtruendam adhibuiſſet, imperium hac fraude omne adeptus, omnia callidiſſimorum Principum conſilia tractabat inter callidos tantummodo & armatos: conſpiciebaturque ad malitiam Bernabove ipſo nihilo deterior. Scripſit ad omneis Italiae Principes de captivitate patrui, conſilioque ſuo neceſſario, & quemadmodum patienda ſibi ultima fuiſſent, niſi fraudes hominis appetentis Italiae dominatum ipſe anteveniſſet. Neque vero in caput tantummodo ſuum paratas ab eo fuiſſe inſidias, ſed omneis, quicumque per Italiam opibus & fortuna aliqua, vel auctoritate poſſent obſtare tyrannidi, inſidias eſſe ſimilibus appetitos. Contemptorem Numinis, irriſorem omnium religionum, poſtquam templa ſpoliaviſſet, Civitatemque pene ſuſtuliſſet, generum etiam fratriſque filium eumdem tollere voluiſſe, nullis injuriis nullove laceſſitum odio, ſed tamen, quia propria quadam & inſana ſua ratione cenſeret, non poſſe eodem ſtare loco religionem ſimul & imperium & ſocietatem humanam. Qui hoc animo fuiſſet in ſuos, hunc facile exiſtimari poſſe, quid in alienos meditaretur.

Scriptis in hanc ſententiam circumminiſſiſque litteris addiderat Galeacius confeſſiones & indicia tremendarum rerum horribiliumque ſcelerum, partim, ſicuti erant a Bernabove cogitata vel admiſſa, partim, ſicuti criminatori eidem, & domino facile erat fingere adverſus reum, qui clauſo jam in tenebris ore, ſpirituque & ani-

ma prope interclusa nullam emittere vocem posset. Etiam si innocens Bernabos & calamitate indignus illa foret, notum tamen est, quid domi suae Principes efficere per solertiam, & obsequia ministrorum possint, ubi quempiam illigare judicii forma necesse habuerunt, sive destinavere per iram. Tanto promptiora omnia erant adversus eum, qui violenter, injuste, avareque olim imperitando, plurimam nunc, & criminationi materiem, & animus alacritatem addebat ad comminiscenda in ipsum etiam ea, quae non admisisset: inspectoque quaestionis volumine, meritam poenam habere Bernabovem annuerunt idem illi, qui audita captivitate, exemplum magnopere improbarant.

Sic Galeacius invidiam averterat a se omnem, patruumque socerum, & patrueles ex tanta detractos fortuna, carcere obscuro clausos tenebat, ipse totius provinciae imperiique Mediolanensis potens, nec ea satis opum & terrarum amplitudine more Regum contentus. Ne victoria quidem ipsi contentus, & captivitate suorum, incruentaque possessione totius provinciae imperii, sustulit paulo post veneno patruum, eoque facinore mistam laude infamiam est assecutus, quia exemerat captivum tam infelicis vitae poenis, & rursus, quia noluerat saltem vitam relinquere ei postquam imperium lucemque ademisset. Datum est venenum per carceris custodes, infusumque fuit delectabili phaseolorum cibo, tanta negligentia famae quod ad rem eam attineret, ut super eadem mensa conversis repente oculorum pupillis & ipsum manti protinus ore vociferari moribundus senex incideret, ac paulo post efflaret animam.

Spatium tamen fuisse Sacramentis, alii tradunt, & multa circa alteram vitam sollicitudine, religiosoque conatu Bernabovem haec idemtidem verba pronuntiavisse: COR MEUM CONTRITUM ET HUMILIATUM DEUS MEUS NE DESPICIAS. Ut exspiravit, imponitur feretro calidum adhuc servesque cadaver, & mandatur tumulo, qui in D. Joannis Aede ad Concam, sicuti hodie visitur, stabat. Namque ille, sive melior intimo sensu, quam inter imperitandi cupidines artesque videretur, sive deterior etiam, & nequior quam fama hominum ferret, velut cogitatione supremorum exstruxerat id sibi sepulcrum integra adhuc aetate, & sicuti metiuntur vitae spatia mortales, nondum juxta curriculi calcem.

Exitium autem hoc clademque Bernabovis antecessere prodigiorum monitus, quos facile civitas interpretata est, postquam mortuum in vinculis tyrannum, captivos ejus filios, & servam in novo Imperio domum videbant. Palatium fulmine ictum, & pars muri quassata erat. Rodolphus Principis filius fulmine alio pene exanimatus. Insigne Gentis, vipera, quae juxta D. Georgii Aedem in palatii fastigio steterat, dejecta turbine, & pleraque alia cum acciderent, neglecta, post rerum mutationem, cuncta illuc referebantur.

Sublata in hunc modum tyrannide, tyrannoque ipso, novus Princeps ante omnia operam dabat, ut & pietate in Deum, & manifactudine in cives moderationeque imperii diversum se se praestaret ab ejus institutis, in cujus captivitate & nece, liberandae Italiae titulo usus fuerat. Simul hoc volebat assequi, ut memoriam nomenque ejus diversitate illa oneraret. Forte per eos dies Templi maximi turris procubuerat ingenti ruina, vicinisque tectis dilapsa moles, aedium hominumque stragem ediderat qua Canonici ipsi incolebant, & aliquot eo casu obtritos esse Canonicos ferunt. Ex reliqua multitudine periere ad ducentos: parque fere numerus mutilatorum, aut exigua in spe trahendarum animam, fuit. Ea primum largi pliique & mitis animi materie Galeacius arrepta, materiem ipse sermonibus tota urbe gratissimam honestissimamque dedit: quanto Superûm munere calamitas ea dilata fuisset in Principis hujus tempus: quanta calamitatis accessio, si altero illo imperitante accidisset, qui civium & populi malis laetaretur. Nunc, & Principis impensa benigne curabantur, quibus in eo casu decrat domi aliquid, & illius ruinosi aedificii casus, initium & origo fuit Templi Deiparae Virginis, quod unum hodie in terris visitur dignum magnitudine & gloria Divae, cujus nomini sacratum dicatumque est.

Anno CIↃ CCCLXXXVI. qui Galeacii imperitantis alter erat, procederat turris. Ad XVI. Cal. Junias anni ejusdem, magnificis verbis adhortante populum Clerumque Galeacio, & hortamenta majora pecunias thesaurosque suos ad inchoandum opus profitente ac depromente, sterni ac dejici coepta est Mariana Aedes, obscurior, & humilior illa fortasse, quam pro reliquo splendore urbis, & Metropolitani nominis majestate. Annum fere totum tenuere, demolitio veteris Aedis, & deformatio novae, quae accitis undique architectis apud Principem Galeacium, & Archiepiscopum Antonium, circino & graphide quotidie adornabantur. Insequente Majo, constituta novae molis forma, purgataque ruderibus area, & fundamentis apertis, primus lapis est positus, isque dies fuit Nonis Maji. Quem hoc loco pom & adscribi diem oportuit, ut nota essent primordia operis, cui per ducentos amplius ab eo die annos adlaboratur, & fore aliquando finem homines desperant, iidemque simul admirantur, potuisse tam brevi aevo continuis artificum etiam omnium laboribus, & continua pecuniarum omnium erogatione fieri id quod vident. Adeo, cum stet Aedes amplexa quidquid miraculorum ars & pecunia depromere & ostentare possunt, cumque tantae urbis populus in vasto illic & capacissimo sinu, beatarum sedium imagine contentus attontusque fruatur: requirunt tamen, quaenam ingenia mortalium, & annorum spatia, & naturae ipsius opes suffecturae sint, ut frons fastigiumque templi absolvantur, utque ab rupe, & Verbano Lacu transvehantur in urbem excisae jam & praeparatae in vestibulum columnae longitudine ac diametro, quantam profana antiquitas ne cogitare quidem ausa est.

Hanc novae Aedis ichnographiam, ottographiamque, & scenographiam ex Germanica symmetria trigonali ratione norma peraequata confectam, & multorum dierum consultatione tractatam, inter Archiepiscopum, & Principem, & architectos, aliosve Primores urbis, probavere & fuscepere, nulla cura quod ad sumptus infinitos talis fabricae attineret. Nam, & civitas universa studiis exarserat immanibus, & Princeps ipse Galeacius large acervos proferebat, cum scilicet in D. Nazarii arce, quae nunc Xenodochii maximi sedes est, tantum argenti aurique, tum rudis, & infecti, tum facti, & signati reperisset, ut plaustris per aliquot dies compluribus inde eveheretur. Augebatur inde una cum opere ipso Principis animus ad molem attollendam, qua nulla toto terrarum orbe conspectior foret, nec minor gloria civium animos attollebat, ut non quotidianis modo largitionibus, sed fundis atque reditibus, & hereditatibus saepe totis fabricam ejusmodi instruerent. Atque in tantum postea splendor eam tantasque divitias res venit, ut cum opificii magnitudo quantamlibet posse pecuniam exhaurire videatur, patrimonium tamen aerariumque hoc fabricae ipsi superstes fieri necesse sit. Eritque tempus olim, cum supra, infra, extra, intra, absoluto opere, certatimque refulgente marmore & auro, spirantibus undique simulacris, & altero hoc statuarum populo provocante hominum pietatem, etiam sacra supellectili jam destituente impensas, cogitabunt Praefecti quid pecuniis illis facere redundantibus debeant. Tanta liberalitas, & munificentia populi Mediolanensis fuit. Quod si mihi, peractis in quae tetendi, parumper adhuc agere ista licitum fuerit, velim utique exhilarari exponendo fabrilium harum Ecclesiae Mediolanensis opum magnitudinem, & statum, earumque oeconomiam, & administrationem ad magnae Reipublicae formam: scilicet, ut regantur ab Cleri civiumque primoribus, ut inter ordinem utrumque provinciae comparentur, ut sua singulis munera, cunctis auctoritas & suffragium, corpori demum universo caput & aliquando subsidia, quae semper oportet esse ibi ubi sint magna negotia, & pares animi. Simul, domestici marmoris copiam, generaque & varietates, & proprias venas, delectum artificum, ac sacro patescente campo nobiles officinas, operum aestimationes, constituta stipendia archi-

chitectis, cauſarum actores, litiumque patronos, & ſcribas, & omne miniſterium, partemque juriſdictionis & imperii, omnia ſedulo exſequar cum bona recordatione & laude majorum noſtrorum, qui tantas ad Deiparae cultum opes contulere.

Longe vero gratiſſima atque ad animi mei ſolatium aptiſſima deſcriptio erit ipſius Templi, quod magnae provinciae inſtar, vagandi per ſingulas partes, in longum, in latum, ſurſum, ac deorſum, intra, extraque, ab imis fundamentis ad ſummas coronides, ſpatia ampla praebebit: & pervagatio iſta juſtum propriumque ſibi volumen requiret. Nam ſicuti Graecus Pauſanias, deducta per terram eam univerſam narratione, quoties ſtilo gradum fecit, reperit res hiſtoria dignas, parique paſſu procedunt ibi locorum nomina, & res inclytae ac memorandae: ſic nobis in tradenda Metropolitanae Aedis forma, ad ſingulos fere lapides, aut artis eximiae, aut ſumptus immenſi, aut myſteriorum inſignium contemplatio occurſatura eſt ſucceſſiraque ultro ſub ſtili acumen. Interim, demonſtraſſe ſic ſufficiet operis mutia, quod anno eo ſalutis humanae milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſeptimo ſub Joanne Galeacio Principe urbis, & Antonio Saluticnſe Archiepiſcopo inchoabatur.

Eodem anno, Angleriam, Tainum, Guarniſium, quae loca fuerant Archiepiſcopo ſubjecta, Pontifex Max. Catharinae Joannis Galeacii conjugi conceſſit, impoſita vectigali marca, teſtandi cauſa juris ea loca eſſe Eccleſiaſtici: & ſublatis aut omiſſis veterum certaminum cauſis fida tranquillaque erant omnia Vicecomiti cum Apoſtolica Sede. Caeterum, cum laeti novo imperio Mediolanenſes datum ſibi divino beneficio Galeacium, & perpetuam ſub eo pacem inter ſeſe gratularentur: Bellum Veronenſe aderat, haud quidem ejus hoſtis viribus & nomine magnopere timendum, ſed ob adjunctas Scaligero gentes Principeſque alios, non minus grave ac terribile Metropoli, quam alia, quae ad eam diem bellata erant.

Antonius Scaliger erat hoc tempore Veronae Princeps ſub Vicarii Imperialis titulo etiam ipſe tyrannidem exercens haud umquam amicus homo Vicecomitum genti, ſemperque molitus aliquid palam ſive ſecreto, quo dominatus iſte elideretur. Praecipue autem obſtare voluerat, ne Germanica matrimonia, quae dixi, inirentur, & ferendo maledicta in Vicecomitum genus foedera ea pene diſjecerat. Inſuper, afflictis & dubiis ad Brixiam rebus accedendo ipſe, & fovendo ibi hoſtem, aut inſtigando, difficiliora omnia Mediolanenſibus effecerat. Spes quoque & conſilia pacis incundae cum Patavino, maligne turbata per eumdem: & quoniam haec ipſa forte innotuerant, damna alia graviora, vel jam intuliſſe occulta, vel in poſterum illaturus eſſe credebatur. Cum tali homine bellum apertum quam pacem infidam habere Joannes Galeacius malebat: ac veterem populi Romani morem uſurpans, repetito, quidquid hoſtiliter ac malevole in ſe ille tentaſſet, ſive admiſiſſet, ob talem animum, & talia facta publice amicitiam ei renuntiavit, bellumque indixit.

Perculſus ea denuntiatione Scaliger, cum reputaret imparem ſe vi aperta tanto hoſti, fraude, qua caetera egerat, utendo, purgabat infime objecta, Galeaciumque ipſum, compoſitis metu & adulatione vocibus, & Patrem, & Dominum fallaciſſime appellabat. Exſtant enim utriuſque litterae, alterius quidem, ſcriptae ſevere ac dolenter in perfidum amicum, implacabilem hoſtem, ob eamque perfidiam & acerbitatem, rem ad arma deducentes, alterius vero, tam humiliter, & abjecte deprecantes iram, ut ea ipſa deprecatio & abjectio indicium eſſe poſſet animi captantis aptiora ſibi tempora, & credulitati alienae inſidiantis.

Poſtquam invicem ea ſcripſere, Galeacius haud minor talium artifex, ut qui vitam imperiumque cum domeſticorum hoſtium pernicie fingendo etiam ipſe adeptus eſſet, intellecto affu & contempto, nihil ultra verborum ſuper iis rebus effatus exſequi bello parat, datis tantummodo ad Florentinos litteris ut juſtum id neceſſariumque eſſe bellum ſcirent. Eventus belli minus cruenta

A fecit omnia quam publica exſpectatio & urbis metus fuerat. Quippe inducto in Veronenſem agrum exercitu Mediolanenſi, viciſſimque Scaligero, ſuis & amicorum copiis ad vim arcendam impigre coorto, cum res ab utraque parte in magno diſcrimine eſſet, capta momento pene uno per dolum urbs Verona Scaligerum ipſum, & foederatos fregit: cunctaque ei hoſti ſubjecta loca Metropoli acceſſere. Dolus autem, per quem capta ſine ſanguine Verona eſt, res quaedam hujuſmodi fuit: Ejecerat Scaliger patria Guilelmum Bevilaquam, vel potius, iſte fugiens ultro Reguli illius violentiam, contulerat ſe ſe Mediolanum, in opulenta hic aula magnaque

B urbe, tutam & honoratam reliquam ſibi fore vitam credens. Quae ſpes, cum eum minime fefelliſſet, inter caetera commoda, & ornamenta, quae in altera hac patria eſt affecutus, bello etiam hoc Veronenſi Mediolanenſis exercitus Imperator rem univerſam militarem in poteſtate habebat. Benacioram cum villarum incendiis, & agrorum vaſtatione perpopulatus, multas munitas arces, & pleraque opportuna loca ceperat, non procul a ſpe capiendae urbis, quae jam acerrime oppugnabatur.

Sed, ut dixi, res magni diſcriminis erat: validaque munimenta, & pertinacia defenſorum foedam in aditu dimicationem oſtendebant. Tunc ille, clandeſtino colloquio corruptis nonnullis, quos ibi in vetere patria fidos

C adhuc amicos habebat, rationem cum illis hanc iniit, ut facta eruptione, captivos ſecum in urbem traherent fortiſſimum quemque Mediolanenſium, qui praeparati in id ipſum, abſque periculo vel certamine ullo, in manus, & vincla ipſis traderentur. Ferme ſub auroram, obſcura adhuc luce cum erupiſſent, rediſſentque proditores ovantes captivorum agmine quos ducebant, dato familiari ſigno recepti in urbem, aliquantum a porta, qua exierant redierantque progreſſi, demunt raptum ficta illa vincla Mediolanenſibus, & converſo ad portam eamdem gradu vigiles obtruncant. Ita patuit exercitui aditus in urbem, Scaligerque ad primum tumultum conſcenſo equo, vocans ad arma, nomenque ſuum inculcans, ubi reſides ſtare univerſos vidit, elapſus ſcapha

D per Atheſim fluvium Venetias ſuae ipſae cladis nuntius cum infuna trepidatione appulit. Cuncta, quae ille poſſederat, & urbs Vicetia praeſertim, antea multum expetita Vicecomitibus, ad Galeacium Metropolimque pervenere: arma inde Mediolanenſium in Patavinum Carrarienſem incubuere, tum fortuna tum ingenio ſimilem hoſtem ei qui fractus nuper ſubactuſque erat. Parvum is quoque imperium vaſto tenens animo, violentia in ſubjectos, in ſuperiores invidia, malignitate in omneis, ut Regulus ac Dynaſta, nimium potens, ut Regum quiſpiam nimis inops, ſeque & alios aſſidue inquietabat, cum neque intra fines conſiſtere illos poſſet,

E & in aliena tranſcendere volentem deſtituerent vires, fortuna ſemper adverſa retineret. Praecipue, cum iſta Vicecomitum domo agebat aemulatum, in eo ipſo Scaligeri olim aemulus, & ſicut ille, per fraudes fere occultas, quia bello aperto impar. Vomicam etiam hanc tolli longe venientem oportere Joannes Galeacius exiſtimans, ut imperii ſecuritatem, & vitae quietem haberet eam cum qua reliquos ſuos dies agere deſtinabat, miſſo in Patavinos exercitu, aſſumptis in expeditionem auxiliis, levi negotio, propter alienatos illic ab tyranno omnium animos, tyrannum ſubegit ipſum, ut populi impetum timens, ſe ſuaque omnia, liberos, uxorem, urbem, arcem dederet, ne civium ſuorum manibus, id quod proſpiciebat fore, laceraretur.

Haec victoria Vicecomitem extulit ingenti gaudio: & ſicuti cuncta proſpera ad Deum Virginemque Deiparam, referre ſolitus erat, edixit, ut per omnia imperii ſui loca ſupplicationes per triduum haberentur. Edicti forma haec fuit: Benignitate Numinis aeterni, ſemperque alio ſuper aliud erga res Mediolanenſium divinae indulgentiae munere eſſe factum, ut Patavinus imperium omne quod tenebat, deſperata ejus defenſione permitteret in ſuam, & populi Mediolanenſis poteſtatem. Id ſibi accidiſſe gratiſſimum, quia domitis undique hoſtibus,

bus, & parta per terras omnes pace, facultatem jam denique optatiſſimam illam habiturus ſit agendi tranquille & quiete cum ſubjectis ſuis id vitae quod ſupereſſet. Pro tanto coeleſti beneficio, licet inter hujuſce mortalitatis miſerias nihil vicißim erga Deum Opt. Max. fieri pie ſatis ac reverenter poſſit, cenſere ſe tamen honorem divinae majeſtati utcumque eſſe habendum. Proinde, ſupplicantes populi ad ſua quique templa procederent, Chriſtumque Salvatorem una cum ſanctiſſima ejus Matre venerarentur ob id munus. Datae ſunt litterae Abiati, quo ſe ſe Princeps ob peſtilentiae metum contulerat: dieſque & annus in iis litteris adſcriptus XXVI. Cal. Dec. CIↃ CCC LXXXVIII.

Eo anno centeni quinquageni viri nobiles e ſingulis urbis regionibus, quod publicum concilium erat, per ſitas quique paroecias de more congregati, dedere Othorino Matliano, Joanni Caſato, Joanni Puſterulae, Odoardo Conrado, Joanni Carnago, Franciſco Maurolae, Georgio Moreſino: his omnibus dedere mandatum, ut Reipublicae Mediolanenſis nomine in verba Joannis Galeacii Vicecomitis jurarent. Juravere, ſubjectam & obnoxiam fidamque Principi civitatem fore, ratumque teſtamentum habituros eſſe, quodcumque ille recte, & ordine feciſſet. Idem dixere ſacramentum Joanni Mariae filio infanti, qui anno eodem ad Abiatum natus Principi ex Catharina uxore erat: dixerantque parentes id puero nomen ex voto, quod nuncuparant, dicantes Sanctiſſimae Virgini Mariae prolem, quae ex eo matrimonio naſceretur. Non deinde Clerus populuſque Mediolanenſis fruebantur ea pace, & felicitate, quam ſub tali Principe exſpectarant, quamve Princeps ipſe jactando atque oſtentando ſermonibus, & ſpe vana ſemper, nondum re ipſa patriae exhibere potuerat. Quin imo deducta res in eum ſtatum eſt, ut onerati tributis immodicis Sacerdotes, tempora illa deſiderarent, quae ſub Bernabove deteſtati erant. Cauſa, non tam ex Principe ipſo, quam ex communi imperitantium conditione, ut diu alios moleſti, poſtquam vellent ipſi quieſcere non poſſint. Nam ubi ad priſtinum Mediolanenſe Imperium adjuncta Veronenſi, & Patavina re, tanta potentia Vicecomitis erat: invidia, metu, dolore protinus excitati, quos irrita aliqua cupiditas, vel imminentia pericula, vel accepta damna ſtimulabant, conjunctis inter ſe viribus Florentini & Veneti Scaligerum & Carrarienſem profugos ad ſe & ſupplices tamquam miſericordia & favore amplexi ob ſuum pars utraque utilitatem, reſtituere pulſo Vicecomite conabantur in ſedem unde per eum detracti pulſique erant. Hinc bella & calamitates Principi urbibuſque ſubjectis, & malorum omnium ſumma redibat in urbem noſtram.

Jubilaeum hoc tempore Romae fuerat, exactoque jam ſaeculari anno, Vicecomes aegre ferens quod homines ſui propter continua bella, peregrinationis & Indulgentiae fructu caruiſſent, impetravit a Pontifice Bonifacio, ut Jubilaeum idem ex Romana formula Mediolani eſſe vellet ac juberet. Placebat Pontifici occaſio expiandi tot feceſſionum flagitiis antea temeratos Inſubres, pleniſſimaeque Indulgentiae munus hac formula conceſſit: *Omnes, qui ſunt in Vicecomitis imperio, viri, ſeu feminae, civilis ordo ſacerque qui peccata ſua rite confeſſi dolenterque deteſtati erunt, Indulgentiae hujus munere ac virtute liberantur noxis omnibus atque abſolventur. Peregrini, qui conſequendae Indulgentiae cauſa ierint in eam urbem, per decem dies Mediolani commorabuntur, ibuntque ad templa ſupplicatum. Templa autem haec erunt, ad quae ſupplicabitur, D. Mariae Virginis Aedes, D. Nazarii, D. Ambroſii, D. Laurentii, D. Celſi. Ad templa iſta qui poterunt ac volent eleemoſinae nomine donum dabunt, augendo illic cultui divino, templiſque ipſis ornandis atque excolendis.*

Convenere Indulgentiae cauſa magna Mediolanum multitudo: cumque ſtatuta & finita exiret dies, prorogavit eam diem Pontifex Max. adjecitque treis adhuc menſes, intra quod ſpatium aditus ad coeleſte id munus pateret. Verſa tota in religionem Civitas, eademque in pietatis nunc etiam alienae domicilium, minime tamen interea, ſicut dixi, requieſcebat a bello, quod praeter primas in Vicecomitem Metropolimque expeditiones, facta omnium fere Italiae Principum conjuratione, vi tota motum repente erat. Nam Veneti, & Florentini, verecundia foederis, quod ictum cum Vicecomite habebant, geſſerant velut ex occulto bellum, magiſque induerant arma exſulibus illis Carrarienſi & Scaligero, quam armati palam ipſi prodierant in ullam aciem. Nunc palam omnes Italiae dominatus armabantur, Principeſque etiam externos traxerant ſecum: & fama fuit, Pontificem ipſum Bonifacium, quamquam, ad animarum ſalutem, Jubilaeum paſtorali animo mitis indulgenſque conceſſiſſet, tamen huic infenſum fuiſſe potentiae, damnoſamque & periculoſam eam Eccleſiae rebus exiſtimantem, caeteros ad conjurandum incitaſſe.

Certe, cum id Principum Italorum foedus, & pacta inter ipſos armorum ſocietas Mantuae promulgaretur, titulum ei foederi ac ſocietati praetulere hunc: auctoribus Pontifice & Caeſare, conjuncta eſſe arma remque ſuſceptam. Armeniaci Comes Caroli Galliae Regis gener erat, magna virtute & fama, quam diuturna per Gallias Hiſpaniaſque militia & proſperis in utraque parte expeditionibus nobilitarat. Hunc adverſus Vicecomitem in Italiam excivere foederati, praemiſſa ad eum grandi pecuniae ſumma, ut ea pignus eſſet ingentium aliarum rerum, quas longe ſupra pecuniam etiam aeſtimatas, quo promptius expeditionem iterque capeſſeret, oſtentarant. Pollicebantur enim ejus militiae pretium, Caſtella & arces, &, Vicecomite pulſo, ſtabilem in Italia ſedem, & quamcumque aliam victoriae partem ipſe exoptaſſet.

Dictum tamen ſecreto inter nonnullos, creditumque fuit, non tam mercede illa promiſſiſque foederatorum, quam ſoceri Regis dolo Comitem eum Armeniacenſem in Italiam eſſe adductum, remque verecunde occultatam ob recens cum Valentina matrimonium, quae Galeacii ipſius filia Ludovico Regis fratri nupta erat. Gallum Rege mirrito ſemperque miſerabili ad exitum conatu jam indeab eo tempore imminentem huic Metropoli, ſimulaſſe generum hunc ſuum, ut per occaſionem invitantium foederatorum in Italiam profectus, ſimul moliretur in re iſta Mediolanenſi aliquid, ſimul Pontifici Bonifacio, cui Pſeudopontificem Avenionenſem ipſe opponebat, inſeſta omnia efficeret, atque etiam data opportunitate palam eum oppugnaret.

Profecto, hominibus Gallis cavendum ſemper erit, ne, vel cupiditate ſua, vel conſiliis alienis inducantur, ut res tentare Italas velint & exempla haec in omni illic Regio colloquio & Senatu pro documentis eſſe debebunt, quoties de tranſitu Alpium deliberatio inciderit. Nam, niſi ipſae ab natura interjectae Alpes atque tot luctuoſi caſus exercituum, Ducumque & Regum, qui tranſgredi voluere, conſtituiſſent diſciplinam refugiendi proculab hoc ſepulcro Gallorum Italia, poterat vel ipſe Comitis Armeniacenſis caſus ante ducenteſimum hunc fere annum, exſecrabile & horrendum Italiae nomen in perpetuum facere Gallorum genti. Ducebat Armeniacenſis armatorum ad decem millia veterani militis, & ſub victore ſemper duce vincere aſſueti: neque clariores alios bello viros bellicoſiſſima natio celebrabat. His ad Alpium ipſarum radices conjunxere ſeſe copiae aliae, quas foederati regione illa praeparaverant, ut tranſgreſſo in Italiam Gallo, praeſto eſſent atque aſſociarentur, quo terribilior ad Metropolim invadendam exercitus univerſa ſtatim mole duceretur. Florentina legatio cum praefectis & curatoribus ibat Armeniacenſi comes, ne quid exercitui deeſſet, utque per compendia viarum expedito agmine Galli irent.

Per Salinas, inde per Taurinos progreſſi Alexandriam verſus, dum pleno gradu Mediolanum, & feroces & laeti vicinitate tam expetitae urbis, recta contendunt, triſte praefagium vicinae cladis, & in eodem fere loco triſtiorem eladem habuere, quae Mediolani cauſa gaudiorum ingentium, ſolenniumque ſupplicationum fuit, quamvis, ut dixi, ob novas illas in media pacis exſpectatione miſerias acrumnaſque bellorum moeſti omneis, &

& tributis onerati immodicis jacerent. Unum ignobile caſtellum ſervavit in tali tempore Metropolim, perditque Gallos, & memorabile in omnia ſaecula militarium flagitiorum exemplum edidit. Nam niſi loci ejus oppugnatione retineri ſeſe paſſus eſſet Gallus Imperator, foretque ſtrenue proſecutus iter ſuum, ita ut venire & adeſſe Gallos fama eadem ferret: fortaſſe inter attonita & ſuperioribus feſſa bellis omnia ſine certamine victor, & cuncta camporum tenens ad moenia urbis accediſſet: ac caetera deinde Mars anceps & urbis fortuna decretura erat.

Tunc ignobilibus adſidendo muris exitum ſtatim habuit eum infelicem. Caſtellatium nomen eſt loco quem ex itinere occupare Galli concupiverunt, ridiculo conſilio, niſi ſi potius Deus ipſe, vel ira in gentem eam noſtri vel cura, vecordiam duci militibuſque tantam injecit. Admotis machinis & omni oppugnandarum urbium apparatu, cum hinc quaterent ſtrenue muros, hinc circumjecta popularentur, die quodam oppidani meridiano tempore (& erant Sextili forte menſe calores magni) ſpeculati incuſtodita omnia, dum hoſtes aut ſedent dormitantque humi, aut per caſas, & tentoria ludibundi terunt tempus, pars vagi, & palantes, pars ſub vexillis & agmine praedas agunt: eruptione facta eſcas ignis circumdedere tecto quo trecenti amplius equi abditi erant, & parem fere hominum numerum ſtraverat ibi juxta equos ex vino & aeſtu gravans corpora ſomnus. Arſere ibi cuncta momento pene uno, nec prius ſenſere Galli incendium, quam tunc cum fumo & vapore flammiſque involuti, neque oculis, neque animo competebant ad ullum in tali diſcrimine neceſſarium & ſalutare opus. Adcurritur undique ad id ſpectaculum, & Armeniacenſis ipſe trepido nuntio excitatus, cum ambuſta crematque omnia, & informes equorum hominumque figuras inſpexiſſet, ne caſu quidem eo admonitus erroris ſui, quo tamquam alter Annibal circa partes minimas infeliciſſime diſtrictus expedire ſeſe, caputque petere ipſum neſciret, omiſſa adhuc urbe Mediolano, cujus potiſſimum cauſa trajecerat Alpes, pergit ſtimulante inſuper ira caſtellum oppugnare illud. Simul ad vicinae urbis moenia cum exercitus parte progreſſus, minitabatur ei urbi excidium, & viles inde exire Lombardos jubebat.

Ejus vero vocis contumelia & indignitate permotus Jacobus Vermus, qui collocatus ibi ab Joanne Galeacio cum Metropolitani exercitus parte erat, exit ad pugnam, cohortatus antea milites ſuos, ut inſultantem barbarum cogerent vocem mutare, quam ſtolide jeciſſet: docerent, non viles, ſed generoſos eſſe Lombardos. Qua porta cum duce ſuo exierant Metropolitani, contra eam multitudo conglobata Gallorum conſtiterat. Inter contumelioſe inſultantes, & contumelia irritatos diſtricti confeſtim gladii, & quidquid telorum, in hac, vel in illa parte erat. Dimicatur confertim, & paſſim, tumultuarie magis, quam ordine ullo, pugnandique ordinem ſuus cuique impetus, ſua praebet ira. Vir virum ſaepe amplexus detrahit equo, fodiunt oculos, ora mucronibus quaerunt: & aliquamdiu veluti luĉta quaedam ex equis erat, irruente in mortuum Metropolitanum ſemivivo Gallo, vel exſpirante ſuper exanimem Gallum Metropolitano milite, dum cuncus, & turbo ille pugnantium glomeratur. Sed pellendo invicem ſeſe, ac trudendo, paulatim in vineas nexu traducum impeditas devenere. Ibi Gallus Imperator, Armeniacenſiſque Comes, multis antea victoriis elatus, bello hoc miſſus ad oppugnandum Pontificatum, capiendamque Metropolim Italiae arcem, acto forte in traduces eas & palos & vitilia equo, dum bellua irretita jactat ferociter ungulas tantoque magis implicatur: evolutus ipſe, ſive ſponte deſiliens, ab iis, qui caſum viderant, facto repente concurſu comprehenditur, & velut immanis fera onerator vinclis, atque pertrahitur in arcem.

Quod ubi captum abductumque videre Galli ſuum Ducem, ita concidere animis, ut nullo negotio caperentur ipſi quoque, aut caederentur. Namque, praeter eum terrorem, & caliginem offuſam ab tali ſpectaculo repente animis, etiam mollia corpora, nec ferentia aeſtus ultro fatiſcebant. Qui validiores fuere, fuga arrepta, tenebrarum beneficio (nox enim interveneraat) aliquot millia paſſuum praecepere continuo curſu, donec inſecutis noſtris oppreſſi retraherentur.

Miraculo pene fuit, quod mille Mediolanenſes decem millia Gallorum viciſſent: nam tantum in utraque parte fuiſſe numerum conſtat. Florentini curatores, & legati, qui deduxerant infauſto itinere exercitum, etiam in vincla comites iere. Nunciata ea Mediolanum, tanto laetiora fuere populo Principique, quanto triſtior vulgatiorque erat in urbe fama veterum irruptionum Gallicarum, cum ſcilicet onuſtam rerum noſtrarum praeda gentem trucidaſſent ſub oneribus ipſis, haud ſine mutua clade majores noſtri paſſi res inſuper ab iiſdem alias, quarum deformitatem fuſo per vias univerſo praedonum ſanguine eluere coacti eſſent. Nunc, quia tam abominatae memoriae hoſtem provinciae jam ingreſſum limina, ducis error, & praeſens Numen, virtuſque militum ad fines in ſtatione locatorum oppreſſerat: res digna viſa eſt, quae pietate, & gratulatione publica celebraretur: & Principis juſſu, nocturni tota urbe fulſere ignes ſupplicationeſque de more habitae per triduum. Captivi, paucis poſt diebus ademptis armis, & equis, dimiſſi omnes, praeter paucos, qui monſtrabantur a caeteris ob divitias, & ſplendorem. His enim edita pecuniae ſumma, quam ab domo accirent: & donec pretia redemptionis adfuere, in vinculis retenti. Armeniacenſem ipſum primo captivitatis die mortuum eſſe ferunt, ſive agitatione tanti caſus & moerore animi, ſive hauſto etiam veneno, quod Regio barbarico more ad dubia fortaſſe abditum gerebat.

Hunc exitum habuit Gallica in Mediolanenſes expeditio. Nec felicior alia, qua foederati Joannem Acutum patriae defertorem eodem tempore miſerant ad urbem invadendam, certa prope victoriae ſpe, ſi, hinc ab externo exercitu, hinc ab transfuga, & proditore circumfederemur. Is ab Patavio cum ſex millibus armatorum per Veronenſis agri fines expedito agmine progreſſus in Cenomanos trajecto Ollio amni, conſtiterat jam in Abduae ripa, tranſiturus, niſi audita Gallorum clades, & conſpectae trans flumen Mediolanenſium copiae avertiſſent. Simul, parte ab altera ex tranſverſo aderant noſtri, quos Vicecomes ad primum nuntium ejus adventantis hoſtis, ponte, qui erat ad Tritium pagum, propere transgreſſos immiſerat. Itaque, duplici terrore objecto Acutus, & ad ea arma, quae ſibi imminere videbat, accedente Gallici caſus fama, fugere maturavit, evaſitque non parvo dedecore militum noſtrorum, de quibus proditum ita ſcriptumque eſt: Ne lanceam quidem tunc unam ipſos infregiſſe. Et foederati quidem haec adverſus Vicecomitem Metropolimque tentarant. Vicecomes autem & Metropolitani, odio vicifſim & ira in eos, haud multum diſſimili fortuna quacumque opportunitas aliqua invitarat, promoto bello hoſtilia cuncta molichantur: Florentinoſque praeſertim, prohibitis terra marique commeatibus, urgebant fame, ne ipſi quidem tam procul ab domo expertes ejus calamitatis maloque illo, poſtea redire domum coacti. Solvendae tamen obſidionis initia primaſque cauſas alii referunt ad Pontificis Bonifacii conſilium, & dignam ſummo Paſtore actionem, qui conflagrare bello res Italas videns, ſeque ſermonibus, & opinione hominum inter concitores ejus eſſe belli, ad demendam tantam ſibi labem animoſque placandos, curas auctoritatemque converterit.

Reperio veniſſe ab Roma de pace legatos ad Vicecomitem, principemque legationis Ricardum Carracciolum Antiſtitem Ordinis Hieroſolymitani fuiſſe. Eo arbitro conditiones pacis agitatas depoſitaque arma: pacem ideo minore per Italiam laetitia acceptam, quia fuerit in conditionibus, ut ex eo anno, per quinquaginta annos dena millia florenorum nummûm Carrarienſis Mediolanenſi tributum annuum ferret. Ea res invidia & dolore ſollicitabat adhuc animos: & infida cernens omnia Vicecomes infidus ipſe viciſſim, renovavit cum Galliae Rege foedus, petens inde praeſidium adverſus hoſtes

alios, & adulatione ea hoſtem hunc ipſum fallens: ac tunc primum Gallica lilia ſtemmati Vicecomitum acceſſere, dum imperii cauſa cuncta ſerviliter ad gratiam obſequiumque exquiruntur.

Nondum exierat alter ab inquieta illa, & ſollicita, invicemque ſuſpecta pace annus, cum manentibus iiſdem animorum ſtimulis invidia & livore adverſus alienas opes, rurſuſque ira & metu in parte cui invidebatur, ad nova foedera, novaſque conjurationes intenti erant. Ad Vincislaum Caeſarem utrimque miſſi in Germaniam Legati, pro caeteris expoſcebant illius arma, vimque & auctoritatem ad vindicandam Metropolim, Vicecomitemque dejiciendum: pro Vicecomite precabantur, ut rem potius ipſam quam inimicorum calumnias ſpectando, rueri vellet antiqua Caeſarum beneficia erga domum gentemque eam, neve opes Imperii commodaret hominibus, qui clariſſimae domus ruina ſubſidium fidele adimere Imperio conarentur. Miſerat Vicecomes inter legatos oratoreſque ſuos Petrum Philargum Cretenſem, Epiſcopum Novariae, qui poſtea Cardinalis, & Mediolani Archiepiſcopus fuit, deinde delato Concilii Piſani ſuffragiis ad eum Pontificatu, Alexander eſt novo nomine appellatus: ejuſque viri decora, & ſi quid inter magnas virtutes habuit etiam humanae labis, poſtea exponemus. Nunc, & in ea legatione caput rerum ipſe erat, & praeter communia cum ſociis mandata, ferebat illud ſeorſum, ut poſtquam ea confutaſſet, quae foederatorum legati criminantur, offerret quantamcumque pecuniae ſummam Caeſari, ſi Joannem Galeacium creare, & appellare Mediolani Ducem vellet. Ac tanta fuit, ſive viro prudentia & dexteritas ingenii, ſive pecuniae quam oſtendebat illecebra, Caeſar ut ſpretis quae adverſus Vicecomitem afferebantur, juberet eſſe Mediolani Ducem, diplomataque & litteras & quidquid aliud rei confirmandae adeſſe oportebat, admodum prolixe concederet, minime occulta interim contrariae legationis querimonia, crebriſque ſuſurris, quod, aut fides non habita ſibi eſſet, aut recti pravique diſcrimen omne confunderetur.

Legati Mediolanenſes, re feliciter geſta, & impetrato, quidquid Princeps optare ſuus potuerat, laureatas praemiſere ad ipſum litteras de fauſtiſſimo negotiorum omnium exitu, quibus litteris allatis, confeſtim Aquilae inſignia imperii, Principis juſſu Mediolani locis omnibus attolluntur: & adulatio in Caeſarem per cuncta oppida ſubjecta Metropoli eadem erat. Paulo poſt, legati ipſi adfuere, Civitate erecta novi nominis admiratione, cujus honorem ex Germania afferebant. Nam veteratilla, Vicarius, & Rector, Dominuſque, & Princeps, aut miniſterii ſervilis, alienarumque rerum titulum praeferebant, aut ambitioſe & callide uſurpata, veluti furta quaedam agnoſcebantur. Etiam, cum populi Duces dicerentur, levis quaedam, & permiſſa nimtempus, obſequiique magis quam imperii appellatio ea erat, quia nimirum poterat populus idem Magiſtratum auferre qui dediſſet.

Nunc Caeſar, una cum Ducis nomine, populos ipſos, ſceptraque, & diademata dabat, itura ad filios, & nepotes poſſeſſione imperii, tamquam parentes avique ipſorum in eadem fortuna nati fuiſſent. Adjunxerat Caeſar redeuntibus domum legatis ſuum ipſe quoque ad Mediolanenſes legatum Beneſium nomine, qui in publico Civitatis Concilio judicium ac decretum id de Vicecomite ſuum exponeret, ipſumque coronaret. Is Beneſius petito Senatu (Senatus tunc erat octingentorum Concilium) dixit de Vicecomitum gente, Galeacique meritis falſa & vera quae voluit, & quomodo Caeſaris Majeſtas, Principatum urbis in ea fundare domo ſtatuiſſet civium praeſertim ipſorum cauſa, ne urbs & Metropolis tanta ob incertum ambiguumque regimen, expoſita foret ſeditionibus ſuis, cupiditati alienae, belloque ſemper infeſtaretur, ſive appeterent eam externi, ſive familiae intus potentes, fluctuans & vacuum aliquando Regnum occupare vellent. Nota Senatui neceſſitas erat, in quam prima quaeque patiendo & admittendo, deducta ſibi publica res foret, nec reſponderi quidquam attinebat, praeter pauca illa ſolitae & meditatae adulationis: ut felix, ut laeta civitas eſſet providentia Caeſaris & cura: ut ipſius de Vicecomite judicium, atque conſilium nihil ab civium ſingulorum exiſtimatione & voluntate diſcreparet.

In campo, qui Ambroſianae Baſilicae circumjectus eſt, coronandi caeremonia Ducis peragenda erat. Ibrad valvas, quae ſpectant in ſolis occaſum, pegma amplifimum, & gemmum in pegmate tribunal adſtructus ad adſcenſum gradibus, auro purpuraque contexta moles ſumma artificum contentione, Principis juſſu erigebatur. Eo perfecto opere, die quodam feſto, qui dies fuit IV. Nonas Septembris, procedit ab Jovis arce Princeps cum Principum aliorum comitatu, hoſtiumque etiam ipſorum legatis. Namque cognita Caeſaris inclinatione animi, omneis, ut praeciſum ab ea parte ſpem viderunt, adverſus praeſentis neceſſitatis telum, quaeſita per ſimulationem gratia aderant duro ore, & nulla flagitii hujus verecundia, quod rupta nuper pace minitati & moliti, rurſuſque meditantes & moluentes Galeacio & Mediolanenſibus bellum, in pompa nunc agmineque adulantium conſpicerentur.

Inceſſere autem una cum Duce coronando, praeter caeteros, Theodorus Montiſerrati Demarchus, Franciſcus, & Jacobus Carrarienſes, Ugo Saluciensis, Antonius Urbinas: perennium hoſtium nomina, qui, cum rerum facie mutando idemtidem ſuam, animos ſemper eoſdem retinebant. Nihilo amicioribus incedebant animis, legati Veneti, legati Florentini, Perufini, Piſani, Siculi, Bononienſes, Senenſes, Lucenſes, & urbium populorumque aliorum, quibus laeta erat res, ſive fingere expediebat. Proceres urbis, tum ſimulatione laetitiae, tum ſuo equorumque cultu externis illis aemuli, moeſtitia majore ob patriae ſervitium, quod extrema illa caeremonia ſanciebatur. Circumſteterant tribunal delecti equites, totoque campi ambitu diſpoſita armatura varii generis fuit. Ipſo in tribunali Caeſaris legatus Principem humaniſſime excepit: caeteri poſt eum ordine ſubibant, & in ſua quiſque ſede collocabantur. Otho Mandellus vexillum tenebat, ſecto in decuſſim ſtemmate, Gallica Lilia, Vicecomitum Anguem, Germanicaſque Aquilas attollens, ſicuti per faſtum, & adulationem inſignia illa contexta erant. Res divina facta eſt per Philargum eumdem, qui miſſus antea in Germaniam impetraverat a Caeſare illa, emeratque Principi caeremoniam hanc titulumque Ducis.

Sacrificio peracto Caeſaris Legatus novum Ducem ita alloquitur: *Majorum tuorum facta, & magnae tuae virtutes induxere Caeſaris animum, ut Metropolim hanc Provinciamque Mediolanum, & ſubjectas urbes, Ducis nomine poſſidendas tibi, & poſteris tuis decerneret auctoritate & jure, qua haec omnia ad Sacri Imperii Majeſtatem ſpectant. Atque munus hoc familiae veſtrae meritis & fide debitum, ſicuti ad populorum, etiam pertinere ſalutem cenſet Majeſtas eadem, ita populos ipſos ob tanti beneficii memoriam & fructum, fore omnis ſui cum majore benevolentia memores, Principeſque alios ad bene merendum de Romano Imperio talibus exemplis acrius incitari poſſe confidit. Nec hortari, nec monere plura loci temporiſque hujus eſt, & impletum eſt omne munus, hoc ipſo quod te Caeſar meus elegit. Nam & Divina providentia Numenque illud, cujus nutu ſingula, & cuncta regumtur, prius elegerat, jam inde ab Avo & Atavo procreatum ex ſtirpe dominatrice, tot hoſtium victorem, tanti Populi ſuffragiis judicioque approbatum.*

Beneſius Caeſaris legatus haec ita perorarat, eamque orationem excipiens Philargus Epiſcopus Novariae pari brevitate reſpondit, tamquam ſui Principis nomine beneficium liberalitatemque Caeſaris adoraret: & conſentaneam ei verborum adorationi fore rerum fidem erga nomen Imperii pollicebatur. Prolata hinc diplomata recitantur, queis per fori apices, & vocabula Aulae, res univerſa Mediolanenſis, & ſingulae partes hujus Imperii, quae aſſurgunt in colles, quaeve exſpatiantur in campos, prata, ſilvae, pafcua, pifcationes, venationes, jus omne beneficiarium, jus omne bellicum, mos & conſuetudo civium, praemia & poenae, vitae neciſque poteſtas cum Ducis titulo tradebantur ſub nutum arbitriumque Vicecomi-

comitis, pari erga posteros ejus munere, si qua legitima proles in domo esset, consuetudine & ritu, quo negotium illud aestimare potest hominum fama.

Quibus recitatis, juratum in Caesaris verba Vicecomitem ornant diademate, & baltheo, & peplo, equoque insidentem sub umbella in Arenae aulam inducunt. Diademati pretium perhibuere scriptores cc. m. florenorum nummum, & admiratione vanitatis in tantam Chronographi nonnulli vanitatem evecti sunt, ut alia Principis gestamina, totoque ejus diei apparatus ad calculum revocando, summas annalibus ingentes congererent, quasi calamitates & onera civium, raptaeque illae ex privatorum laboribus pecuniae, aut publica aliqua felicitas, aut gloria aliqua Principis essent.

Caeterum, eodem anno, quo peracta caeremonia erat, apparuit, quam vilia essent illa apud infensos, & longe aliud agitantes animos, quam quod legationum officio & simulatione vultus praetulerant: vel potius apparuit, quam invidiosum & grave spectaculum tanti splendoris, tantarumque divitiarum fuisset apud eos, qui ne antea quidem perferre famam & auditionem opum earum potuissent. Nam Florentini statim incursavere Pisanos, quibus oppugnandis, haud dubie Mediolanensium arma movebantur: & Galliae Regem aggressi legationibus ac promissis, tam diu fatigavere, donec relicto quod prius icerat foedere, novum secum adversus Mediolanenses iniret foedus, hostisque ex amico Vicecomitis fieret. Mox Gallus vi subita morbi dejectus e potestate mentis, foedera omnia, regnumque ipsum, ac deinde vitam reliquit. Florentini tamen hostilibus perseverabant animis, & luo Marte rem Pisanam infestando, mitti nostros illue exercitus coegerunt alienissimo tempore propter exortum aliud cum Mantuano bellum, quod etiam venientibus inde auxilais gravius & difficilius quotidie efficiebatur.

Ita coronato Duce, Metropolim, eaedem quae prius urgebant calamitates, & impensae bellorum: foederatique paulatim priores, ab alio alius, sollicitudine omneis & metu excitabantur, ne Vicecomes, firmato jam Caesaris auctoritate Imperio, nomenque Ducis adeptus, appeteret etiam Italiae Regnum, unde finis dominationi, vel libertati suae. Pro se quisque mittebant auxilia Mantuano & Florentinis, ut si alterutra in parte Mediolanensem exercitum afflixissent, succedisseque aliquid, ad Metropolim deinde invadendam ferente universi impetum darent. Metropolitanus autem in Hetruria copias, Florentinumque bellum regebant Joannes & Albericus Balbiani fratres, egregia ante id tempus militari fama, & pari erga Vicecomitem fide, quam utramque laudem eo bello corruperunt. Nam neque memorabile quidquam gessere, dispersi & vagi quacumque populationum & praedae vocaverat spes: & ingemiscente ne quidquam ac reclamante Alberico fratre, Balbianus alter ad Bononienses defecit. Meliore aliquamdiu fama, non tamen exitu meliore Jacobus Vermus Mantuano bello datus ab Vicecomite Imperator agebat. Is enim quadraginta navibus longis Pado amni Mantuanam classem aggressus, incenso ponte, quem Gonzaga ipse tuebatur, magnaque hostilium triremium parte, vel capta, vel acta in fugam, triduo post, exposito milite in ulteriore fluminis ripa cum castra posuisset in Mantuano septo, repente ob loca uliginosa, lutulenta, coelique intemperiem, affectum morbo tabeque exercitum pene omnem habebat, ipse etiam aeger.

Quam recta occasionem foederati, cum subita illa Mediolanensium victoria in metum adducti, Bononiae de rerum summa consultassent, copiasque suas ad opem Mantuano ferendam in unum contulissent, citato agmine accurrunt, ac levi certamine, caesis aut fugatis nostris, castra opulenta copia omnium rerum cepere. Vermus evasit ignominiae trepidationisque plenus, & una cum eo reliquiae cladis ad Guastallam consistere. Clades inde alia urbi Mediolano erat exactio tributorum, quae tanto accepto detrimento Vicecomes ad reparandum bellum, civibus Cleroque immodica & intoleranda imponere cogebatur. Centena millia florenorum nummum in singulos menses fisco Ducis exigebantur ante eum casum. Nova haec tributa octingentorum millium summam explevere, eaque tabes multas illustres familias absumpsit.

Omnis publica privataque pecunia deferebat hoc tempore in domum Principis, & civium alimenta novus belli apparatus occupabat. Revocatur ex Etruria Albericus Balbianus cum eo exercitu, quem circa Pisas habebat: isque modico relicto ibi praesidio properus adfuit, stimulante praeter Ducis mandatum etiam cura & dolore fraternae defectionis, ut quod ille deliquerat, ipse emendaret. Praeterea, Facinus Canis, & Paulus Sabellicus, ille Casilensis, hic Romanus, clarus uterque bello & formidatus, proposita ab Vicecomite spe rerum ingentium, & amplissimis in praesentia stipendiis adsciti copiarum duces, quae per urbem & per agros conscriptae subitario delectu, ad omneis hostium conatus opponebantur.

His ducibus, & Jacobo eodem Vermo exercituum Imperatore, Mediolanenses, ad Florentiam, ad Mantuam, ad oppida alia, ita perculerant foederatos, ut Veneti, cum anceps ites ad id servassent animos, mitterent de pace legatos ad Vicecomitem, & omni sua auctoritate contenderent ne ultra dimicaretur. Ea res, & conciliandae pacis actio difficilior aliquanto impeditiorque erat ob irritatos superiore clade Mediolanensium animos, ob speratam nunc victoriam, & ob conditiones, quae ab utraque parte proponebantur. Veneto tamen admitente Senatu pactae sunt induciae decem annorum, fuitque hoc ita positum in conditionibus, Mantuanus ut Mediolanensi beneficiario jure subjectus esset, & testandi causa, Imperium se ab Vicecomite habere illud, vectigalis Metropoli fieret ipse posterique ejus: quam conditionem accipiente Gonzaga, publicis tabulis consignata res est, testatoque perscripta. Detegitur postea quamquam sero, domestica Principis calamitas, intestinusque proditor, qui diu consilia & arcana omnia aperiendo foederatis corruperat saepe victoriam & tardarat, causaque etiam fuerat cladis: neque ullae hostium conspirationes conjunctae exercitus tantum damni attulerant, quantum hujus perfidia, & scelus.

Pasquinus Capellus fuerat Cremonensis, qui sordido etiam, non solum humili loco natus, nullis honestis artibus imbuerat animum: sed arsei scribere Principum nomine epistolas, ejusque servilis ministerii occasione noverat herilia cuncta, mentem & sensus animi intimos: quantum pecuniae domi, quid virium in exercitu, fida & infida omnia, quid in quamque diem pararetur, quid sponte sua quisque dies afferre posset. Haec omnia jam inde ab Galeacio II. patre Ducis, diuturno usu comperta proditor habebat, emptusque ipse prodigis ad talia solertiis hostium venditabat, hac ipsa merce opes Principatus despectans infra suas. Prodidit eum Carolus Malatesta, statim ubi, pactis, ut dixi, decennalibus induciis, & sperata post inducias pace coeperat apud emptorem praecipue eum vilis contemptusque esse. Pecuniae ejus apud nummularios repertae, & in fiscum redactae, subsidium opportunum exhausto tot bellorum sumptibus Principi fuisse dicebantur quasi per jocum: sed revera etiam fuere.

Ipse ad Ticinum intra constitutas densasque trabes (Caveae Ticinensi manet adhuc horribile nomen) conjectus claususque contabuit. Luchinus Novellus etiam hoc tempore mortuus est, ille, qui effusa matris impudicitia subditus Luchino Principi partus, postquam ipsa ultro professa est adulterium, aufugerat, prima juventa Principis filius habitus, reliqua deinde vita extorris. Venetias se se contulerat exul: ibique obiit facto testamento, cujus singula capita pietatem ejus viri declaravere. Jussit cadaver suum deportari Mediolanum, atque in D. Francisci Aede sepeliri, qua sacellum Innocentum nomini ipse olim exstruxisset. Duodecim millia florenorum nummum apud nummularios deponi jussit, ut ejus pecuniae fructus annui Carthusiensibus Monachis cederent. Ingentem aliam pecuniae summam, quam Florentiae habebat, legavit in eum usum, ut duodenae

quotannis adoleſcentulae, quarum ob paupertatem pudicitia periclitaretur, dotem inde acciperent, nuberentque. Multos porro fundos, quos poſſidebat in agro Mediolanenſi, legavit Carthuſiae, quam ad Garignanum Joannes Archiepiſcopus inſtituerat, adjecitque onus, ut ex fundorum eorum fructibus Monaſterii aedes olim inchoatae exſtruerentur: abſoluta aedificatione, fundi ipſi Monachis alimenta praeberent atque adderentur in reliquum Monaſterii patrimonium Corneredi, & Meſeri arva Monachis eiſdem reliquit ea conditione, ut ex bonorum eorum fructibus, pauperibus benigne fieret, darenturque dotes nubilibus puellis, quibus id ſubſidii dandum eſſe Patres cenſerent. Luchinus Novellus Venetiis moriens haec legarat inſtituteratque anno 1500 ex. unde publica in exſulem miſericordia, & renovata in feminam indignatio, quae dignum hunc honeſtiore matre partum profeſſione illa ſua dedecoris infamaſſet.

Eo anno verſa penitus eſt Inſubria in religionem, quae non multum a ſuperſtitione abeſſet, idque ab re ipſa Miſericordiae tempus appellatum. Initia religionis ejus profecta, e Subalpinis: & non magni primo coetus, paulatim allumendo ſubinde alios, in eam multitudinem pervenere, ut agmina complura fierent, ideo, quia non idem locus alere ſimul univerſos poſſet. Admiſti mulieribus viri, grandioribus minores, facti quoque profanis ad quindecim fere millia mortalium incedere nudis pedibus, involuti lineis, ita ut pars exigua, qua cernerent, aperta relinqueretur. Trina quotidie templa obibant canendo ſanctiſſimas preces, quarum formam Diſcipulis ſuis Chriſtus ipſe praeſcripſit. Id initium erat: dein Angelica ſalutatio ſubdebatur: deinde nomenclatura Sanctorum, aliudve quippiam ex iis, quae D. Bernardus pio carmine eſt modulatus. Ut ad quemque locum pagumve acceſſerant, concionabundi Sacerdotes, conabantur ſuadere quamplurimis, ut ſeſe in agmen conferre ſuum vellent. Digredientes inde, carmen illud concinebant: STABAT MATER DOLOROSA JUXTA CRUCEM LACRIMOSA: tum caeterae quas dixi preces ordine ſequebantur. Et quacumque duae ſeſe viae interſecarent, ſtrati humi, pleno ſonitu ferientes aethera, divinam miſericordiam implorabant: inde Miſericordiae tempus appellatum. Pauci primo fuerant, deinde paucis aggregando ſeſe alii, numerum & populum eum, quem dixi, efficere.

Tradunt temporum eorum ſcriptores, multas implacabiles inimicitias per homines illos eſſe ſublatas, multos a flagitioſa vita perditiſque moribus traductos ad perfectionem & ſalutem. Addunt etiam miracula more ſuo: vias in ſublimi concurrentes inter ſe acies, ſolemque puro ac ſereno coelo languidum ac prope emortuum jubar per dies aliquot praetuliſſe: rurſus quaſi ſcintillantem eſſe conſpectum, ac deinde, fornacis modo globos igneos cum fumo ac vapore evomentem, in citreum, & luteum, ac denique in atrum colorem conceſſiſſe: ſpeciemque eam Antonius Mirabellus ſe ait vidiſſe cum Landae vicarius eſſet. Veluti prodigia imminentium Urbi calamitatum haec accipiebantur, ſed ea quae deinde inſecuta ſunt, fecere, ut certiſſimum & unicum Princeps ipſe prodigium fuiſſe diceretur. Jam ille ſupergreſſus omnium fere Principum imperia & opes, domitis hoſtibus, data pace quibus voluerat, aliis illigatis inducarum vinculo, capta Umbria, miſſis in Etruriae civitates praetoribus, Bononia etiam recepta, illa tantarum dimicationum urbe inibi erat, ut Italiae Rex coronaretur.

Treis adulti filii: ſubnixa domus conſanguinitati omni, quae, vel ad praeſidium, vel ad ſplendorem expetenda eſſet: ipſe quinquageſimum quintum annum ingrediebatur in tanta gloria nondum ſenex. Et cum ita conſtituta fundataque cuncta ei eſſent, prope aderat, cum deficere ab Metropoli nomineque Vicecomitum ſingulas paulatim imperii partes, & imperium denique totum exſtincta omni ſtirpis hujus virili ſobole, per ſuperſtitem unam feminam in peregrinam aliam transferri domum oporteret. Sed Princeps ignarus, tum appropinquantis ſibi mortis, tum rerum earum, quae poſt mortem futurae eſſent, majeſtate animoque regio cuncta agebat: dimicantibus inter ſe Regum aliis arma interpoſebat ſua, cum aliis ipſe gerebat bellum.

Conſtantinopolitano Imperatori ſuppetias adverſus Turcarum Principem Amuratum miſit, cum petendi auxilii cauſa Mediolanum occultus ille veniſſet. Robertum Bavarum, novum dejecto Vincilao Caeſarem invadendae Metropoli jam tranſgreſſum Alpes, commiſſo in Cenomanis praelio retro compulit Tridentum. Pontificatus quoque Maximi curam atque defenſionem amplexus, conſilia Regum externorum de creando ſuae nationis Pontifice, diſſimulato negotii ejus intellectu, diſcuſſit arte, quam ipſa temporum conditio ſuppeditabat. Cum enim Rex Hiſpaniae, Rex Gallus, atque his interjecti tranſalpini alii Principes, miſſa in Italiam legatione, verbis quidem & ſpecioſo ad omnes titulo peterent Eccleſiae Catholicae pacem, finemque diſſidii, quo Pontificatus eo tempore diſtrahebatur, re autem ipſa molirentur id quod dixi, & Concilium Italiae Principum dari ſibi poſtularent: Vicecomes, quem praecipue legatio ea fatigabat, hujuſmodi reſponſo expedivit rem: Totam eſſe peſtilentia contactam Italiam: non poſſe Principes abſque manifeſto exitio congregari: ubi calamitas ea deceſſiſſet, Reipublicae conſulturos. Ita periculoſa res, quae ſub ſalubri titulo tentabatur, Vicecomitis hujus providentia & aſtu diſcuſſa eſt. Florentino etiam bello, expugnatione ejus urbis finem impoſiturus erat, cum ipſe moritur. Mortuus eſt ad Meliniaum decimo ab urbe lapide, quo ſeſe contulerat in peſtilentiae metu: formaque mortis comparatus eſt omnibus, qui umquam ſanctae deceſſiſſent.

Tanta ei ſollicitudo vitae alterius, & ab eadem magnitudine animi, qua geſſerat imperium, cura tanta extremi actus fuit. Cadaver in Monaſterio Viboldoni collocatum eſt interea dum exſequiae regali pompa adornarentur. Exſequiarum autem apparatus, & pompa fuit hujuſmodi: Familia Praetoris, & familia Praefecti urbis atrata praeibat: facri ordines cum ſua quique Cruce ſequebantur. Poſt ſacros ordines ibant, qui ſuo quemque loco continerent, evagationeſque prohiberent. Ad templi maximi valvas conſtitere milites, ut quietus ac ſine tumultu ingreſſus praeſtaretur: alii toto templo ad Aram uſque diſpoſiti curam eamdem agebant. Equus Principis cum galea & criſta gentilitiisque inſignibus, & armatura, qua die uti ſolitus fuit, ad valvas uſque perductus, ab iis qui tenebant, traditur aliis, ac deinde per manus aliis, eodemque ordine, varia arma, & vexilla portantes equi circa templi valvas traditi ſubducebantur. Cohors deinde alia nobilium virorum ſequebatur conſervandi ordinis cauſa: poſt cohortem eam Gabriel Maria Principis filius ibat cum longo Legatorum ordine, quos Civitatum, & Rerumpublicarum Principes miſerant. In eo agmine fuere Pontifices & Abbates, & pleraque alia ſacrarum dignitatum nomina, prout quemque ſuus animus erga defunctum, vel ſuae opes apud heredem, vel aliena mandata exciverant ad lugubre id munus. Poſt eos procedebant Legati civitatum regionumve ſubjectarum Metropoli, & ex regionibus civitatibuſque iiſdem Collegia Monachorum, Cleruſque univerſus. Miſerant eaedem civitates equitum agmina ſplendidiſſima quantum in atro illo & funeſto colore eſſe poterant. Hi Cleri ſui veſtigiis inſiſtentes, bini quaternique vehebantur. Proximi erant octo regia ferentes vexilla, poſt quos, duo millia hominum vadebant cum facibus accenſis, & oblonga pullaque veſte, quae pectoris medio inſignia Vicecomitum gentis aurata praeferebat. Archiepiſcopus deinde Mediolanenſis cum purpuratorum manu totoque Templi Maximi Clero feretrum anteibat. Feretro ſuccollabant Principes viri ſuccedentes invicem integri feſſis, & ſupra id aureum umbellam alii Procerum attollebant. Circumfuſa feretro erat alia turba ferentium clypeos, inſigniaque & vexilla: & agmen extremum claudebant duo millia hominum cum ardentibus taedis. Ad templi valvas Legati Principum, & civitatum nominatim citabantur, acceptiſque funalibus ad Aram uſque procedebant: inde flectentes ad ſiniſtram proximo diver-

verticulo in aulam tetendere. Ibi funebris oratio habita eſt a Petro Caſtelletto Dominicano, diſerto temporibus illis homine, & propter vitae etiam dignitatem claro.

Teſtamentum apertum heredes habuit Joannem Mariam Anglum, Philippum Mariam Anglum, & Gabrielem Mariam Anglum: aliaque inerant nihil ad Rempublicam attinentia: ſed adnexa religionis & patriae rebus haec fuere: *Ticini Monaſterium heredes mei exſtruunto Carthuſienſi Ordini, idque Monaſterium deſcripti ex ordinis ejus diſciplina cellas, quatuor & viginti Monachorum ample capax fiet. In Monachorum alimenta florenos bis mille quingentos heredes mei quotannis erogunto. Monaſterium illud ut quamprimum aedificetur, decem millia florenorum annua e Sanctis Columbani praediis aſſignamus. Aedificatione abſoluta, volumus bonorum eorum fructus inſumi diſſolvendo aeri alieno, ſi quid alicui debemus. Diſſoluto aere, quod reliquum erit ex fructibus bonorum eorum in pauperes dividetur. In eo Carthuſienſi templo poſt Aram maximam exſtruatur marmoreum monumentum appoſitis gradibus, effigieſque noſtra item ex marmore ſolio inſidens fiet. Galeacio patri marmoreum monumentum fiat Mediolani in Templo Maximo, in eumque tumulum ipſius oſſa transferentur. Collocandis D. Auguſtini reliquiis arca incheata ſumptu noſtro perficietur. Sanctis Spiritus Aedes decem Canonicos habebit cum Antiſtite ſuo, eaque aedes Ticini anobis incheata abſolvetur, & alimenta idonea Canonicis heredes noſtri praebebunt. Ad eandem urbem, trans Ticinum, qua ponte jungitur flumen, D. Antonio aedes ponetur ſumptu noſtro: ea Sacerdotem cum Clerico habebit. Romae D. Mariae Virginis Templum aliud aedificari volumus, eique templo Sacerdotes novem praeeſſe, quos alem atque ſuſtentabunt haeredes noſtri. Veronae tria ſacella exſtruentur, Evangeliſtae Lucae unum, aliud Martyri Georgio, tertium ſanctiſſimae Trinitati, eaque ſacella ſingulos cum ſuo Clerico Sacerdotes ſumtu noſtro habebunt.*

LIBER IV.

JOANNE Galeacio mortuo, duodecim viri, quos ille filiorum adoleſcentiae rectores inſtituerat, exigunt publice ſacramentum in verba Joannis Mariae, novumque Ducem eum, deplorata in perpetuum libertate Mediolanenſes accepere. Inicia novi Principatus infauſta, & turbulenta calamitates inſecuturas haud obſcure portendebant, cum, & ipſae per ſe civitates ad rebellionem ſpectarent, & apud veteres Vicecomitum inimicos conſilia evertendae Domus acerrime infenſiſſimeque agitarentur. Principes autem auctoreſque talium conſiliorum Florentini erant, adducto in ſententiam mentemque eamdem Pontifice Maximo propter antiquas culpas hujus domus, & contumaces ſemper animos, quoties inter ſe diſcreparent Apoſtolicae Sedis auctoritas, & cupidines augendae dominationis. Recens inſuper ira Romanum ſtimulabat in Bononiae urbiumque aliarum raptores, nec leve incitamentum ortum ipſa domus imperiique hujus erat.

Itaque, dolore & indignatione ardens contulit in Vicecomitum pernicitem arma cum Florentinis, & urbem Ferrariam, miſſo in id Cardinale legato Eſtenſi firmavit ea conditione, ut gerendo adverſus Vicecomites bello Imperator ille adeſſet. Jacobus Rubeus Veronae Epiſcopus cum Petro fratre ad Parmam invadendam cuncta moliebantur. Alberici Balbiani, & Vani Gozadini defectio his adjicitur, qui maximis ab Joanne Galeacio beneficiis auctis, non eo ſolum aggravabant inclinatas res, quia partas hic opes auferebant ſecum, ſed multo magis quia deſperaſſe de Metropoli imperioque hoc videbantur, & notitiam arcanaque multarum rerum ad hoſtes tranſtulerant. Videntes iſta duodecim viri rectores adoleſcentiae Vicecomitum conſilio inter ſe habito, placandum in primis eſſe Pontificem ſtatuerunt, ac rogavere Mediolanenſem Archiepiſcopum, ut Principis, & Reipublicae nomine ſuper ea re legatus ire Romam vellet.

Eo ſuſcepto munere ille cum iviſſet, Romanas reperit iras graviores multo quam antea umquam fuiſſent. Toties rebellis una domus, & una toties damnata Civitas angebat ibi indignitate animos, quod ſimulatque veniam impetraſſent, ad priſtina relaberentur. Non modo auditam parum benigne legationem, ſed ipſum quoque legatum in manifeſto diſcrimine eſſe verſatum ferunt. Poſt Archiepiſcopi reditum, calamitas invaſit urbem, quae, & fuit ipſa malum atrox, & mala deinde alia concivit: ac de eo caſu quam breviſſime abſolvam ſicuti proditum eſt ab iiſdem illis, qui in parte tantae calamitatis fuere. Franciſcus Barbavaria erat unus de duodecim, quos moriens Joannes Galeacius rectores filiis, ut dixi, inſtituerat. Hunc juſſerat caput eſſe rerum conſiliorumque omnium, eique ut aula tota pareret, ſanxerat extrema ſua voluntate, quam reſcindi violarique nefas eſſet. Is homo, ſive intemperanter abutendo poteſtate ſumma, ſive communi eorum conditione, qui ſupra caeteros evecti infenſis aequalium olim oculis adſpiciuntur, facta per nonnullos conjuratione deſtinatur ad necem. Conjuravere in eum Antonius Vicecomes, Joannes & Gavazius Aliprandi fratres cum parente ſuo Galeacio, Porri fratres Antonius & Galeacius, aliique complures, prout horum quiſque, propinquitate vel amicitia fidos ſibi aſſumpſit. Statuerant impetu in aulam facto trucidare ibi Barbavariam, paraverantque idoneam manum in id ipſum, quae adverſus praetorianas etiam ſtare cohortes poſſet.

Haec agitari conſilia, cum ſenſiſſent, Catharina mortui Ducis uxor, & Barbavaria principem jam urbe locum tenens, miſere Joannolum Caſatum ad Vicecomitem, quem caput eſſe conjurationis compererant, ut ex eo ſciſcitaretur, quae cauſa ipſi turbandarum rerum, quidve dolens, atrox in Barbaviam conſilium ſuſcepiſſet. Vicecomes, conſpecto Caſato protinus expedit ferrum, hominemque obtruncat. Tumultus inde pervadit urbem, & dum cives ad eum caſum pro ſe quiſque armantur, Clerici quoque ſumpſerant tela: direptio ſacrarum aedium fiebat, & in Archiepiſcopi aulam pervenerat terror. Catharina Principum mater apopletico ſtupore ſemimortua impoſita raptim in currum, vehitur per urbem, ſedatoque parumper tumultu cum liberis recepit ſe ſe in arcem Jovis, & pax reddita eſſe rebus videbatur. Poſtero die, concitante populum Antonio Porro, ſumpſere iterum arma promiſcua civium, & Clericorum multitudo, rurſuſque prodeunte Catharina ſedatur tumultus. Eaedem tumultuandi, & quieſcendi vices per dies aliquot repetitae, donec Barbavaria ipſe cauſa & initium rrarum aufugit. Non tamen ea fuga lenierat animos: quotquot ex Barbavarine factione Mediolani reſidui erant, occidebantur in illius contumeliam, ſatiabantque innoxiorum etiam caede iras. Sed & ſocii impotentiae immiſtrique injuriarum dominante antea illo multi merito nunc plectebantur, haud ſatis tegente capita inviſa honore religioneve ulla, etiam ſi Magiſtratibus Sacerdotiſque auctis praeeſſent. Ambroſiani Abbatis caedes, ob loci ejus dignitatem magis quam publico ullo luctu inſignis fuit. Praefectura illa Monaſterii Ambroſiani magnas opes auctoritatemque parem opibus adjunctam ſibi per ea tempora habebat.

Forte Monachorum ſuffragiis mandata fuerat homini, qui litteris quidem, & innocentia vitae mereri debuerat eum gradum: caeterum debuit idem, ſicuti res monſtravit, eſſe lento ingenio & ſegni: ad repellendas injurias, ſive ne violentia quidem ulla ipſius valuerit adverſus armatos, & dominantes. Hunc Barbavaria loco cum dejeciſſet, impoſuerat Monaſterio quem voluerat ipſe Abbatem e familiaribus ſuis temerarium hominem, & abſurdum immemoremque fortunae prioris, qualia ferme ſunt hominum ingenia, qui ab humili loco ad commoda aliqua proceſſere. Praeterquam quod erat e factione Barbavariae, offendebat etiam ipſe moribus ſuis animos, & legitimi Abbatis ſolitudo ſqualorque non parvum incitamentum erat, quo magis adulterinum hunc averſarentur. Interfectus aviditſime eſt, nec alia tam grata in publicum caedes fuit, Abbaſque prior cum magna bonorum gratulatione reſtitutus in ſuum locum. Sed prius, facto in Monaſterium impetu, diripuerant illic omnia, crudeliterque debacchati fuerant, laceratoque & perfringendo quae noluerant aut non potuerant auferre.

ferré. In reliqua multitudine furor partium tanto atrocius defaevit, quanto copiosior promptiorque ibi furori materies erat. Neque capita tantummodo petebantur ad necem: infantes ipsi ad parietes allidebantur, ut quamque diversae factionis domum ingressi factionis alterius homines erant. Ac tanta fuere odia, ut vulnera & caedes in levi haberentur, nisi etiam dehonestamenta domibus invicem addidissent.

Reperi in annalibus id quod invitus referam, nollemque tetigisse: sed historiae fides cogebat. Mediolanensem Archiepiscopum tradunt in parte tam atrocium inimicitiarum fuisse, quemque in tam turbidis atque funestis rebus haud aliter quam conciliatorem animorum nominari oportebat, hunc inter initia caulasque malorum prodidere. Archiepiscopus erat Petrus Cretensis ille, de quo antea memoravi, primo Minorum Franciscanorum Antistes, dein Vicetiae, tum Novariae, nunc Mediolani Pastor animarum, ac paullo postea Cardinalis futurus, ut ab hoc denique gradu ad Pontificatum Maximum suo tempore extolleretur. Et erat ille fortasse quietus ac probus, sed conditione temporum effugere non potuerat quin sese turbis immisceret. Is, una cum Antonio Porro decemque consiliariis, quos Catharina sibi assumpserat, coepit ipsam adeo infestis modis obsidere Catharinam, ut ea captivae prope instar haberetur. Appositis custodibus domi claudam tenebant, irritumque erat quidquid ipsa inconsulto Archiepiscopo consiliariisque caeteris in re etiam domestica decernere voluisset. Si forte illa sese commoverat, volueratque prodire, populus ad arma concitabatur, ipseque Archiepiscopus inter populi concitores erat. Sex in urbe Praefectos constituerant, ad quorum nutum arma caperentur. Hi simul atque inclamassent, tota in armis et at civitas, & more belli cuncta agebantur. Itaque tantae clades & miseriae urbis, animos fecere provincialibus ad tentandam ab Metropoli defectionem, quam in cupiditate animisque omnium jam diu inclusam reverentia & metus imperii comprimere ad eam diem ac retardare potuerat. Sprevere primo, & abjecere majestatem Cremonenses semper laeta civitas contumaciae fama, & pernicie saepe sua gloriam eam quaerens. Tum Brixia Coenomanorum haud absimilibus ingeniis exemplum secuta est, exemploque ipsa suo alias ad rebellandum civitates incitavit.

Rebellavere deinde agmine uno, Bergomum, & Crema, & Laus Pompeja, & Placentia, & urbes aliae certamine factionum prolapsae etiam ipsae ad rabiem civilisque arma velut aemulatione in Metropolim a qua deficiebant. Bononiam & Asisium, & Perusiam tutores & consiliarii Vicecomitum Pontifici tradidere ultro ob metum, quia non aliter quam placato Romano sisti posse impetus ille praecipitantis imperii videbatur.

Interim Catharina Principum mater, quam Archiepiscopi decemque consiliariorum saevitia captivae instar habitam fuisse dicebamus, die quodam eluctata custodias, discessit ex aula, & sese rursus in arcem abdidit, quo casu atrocius quam antea in urbe tumultuatum est. Namque uti populus universus erat Archiepiscopi, decemque consiliariorum, ad eum motum consurrexere omnes, jamque manifesta defectio ab nomine, & domo Vicecomitum fiebat. Strata passim humi cadavera nobilium virorum reperiebantur, & qui capita partium erant, demersi in cloacas jacuere. Praecipue commoverat animos atque perturbarat dira illa species, cum Antonius, & Galeacius Porrus, & Galeacius Alliprandus Principes partium in foro reperti essent capitibus abscissis, & ad latera collocatis cum tanta insuper vulnerum foeditate, ut eorum ora non agnoscerentur, donec nusquam vivi reperti, cadaverum denique conjectura innotuere. Jacebant insepulti, nisi Augustiniani Fratres ob necessitudinem fortasse aliquam, facto repente agmine sustulissent corpora, & in D. Marci Aede tumulassent.

Cum ea deformitas rerum omnium Mediolani esset, conventus civium habitus est tentandae pacis, si forte respicere cum aliquo honesto sensu laceratam indigne patriam possent iidem illi, quorum acerbitate lacerabatur. In co octingentorum conventu Christophorus Castellionaeus rudi facundia concionem habuit, cujus initium homines fortasse illi admirati sunt, aetas nostra arrideret. Cum enim ei propositum esset hoc tradere populo, ut Barbavaria revocaretur, ita est exorsus: OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT ET SINE IPSO FACTUM EST NIHIL. Quae verba, praeterquam quod absurde potentiam exsilii extollebant, etiam irreligiose translata ex divinarum litterarum oraculis ad quotidiani sermonis consuetudinem erant. Barbavaria tamen est in patriam revocatus summo Civitatis universae studio, cum interfectis, qui capitalissime hominem oderant, horum etiam affectae mutassent animos, & tota illa conjuratio dissoluta esset.

Prodiere venienti obviam Principes urbis, atque ipse inter caeteros Archiepiscopus una cum Francisco Gonzaga Mantuae Principe prodit effusa in exsulem adulatione, tamquam amores & deliciae spesque & salus urbis in capite jam illo essent. Sed restituto in hunc modum Barbavaria, cum profectum esse aliquid ad Reipublicae tranquillitatem videretur, casus repente infestus desiderabiles fecit atrocitate sua priores turbas potius, quam ut ex brevi & infelici pace, sanguine rursus civili cuncta inundarentur.

Ab latrunculi supplicio unius orta est causa irritandi Guelficos Gibellinosque furores, armandae civitatis adversus Principem, Principi civibusque tensum & mentem adimendi, dum ille Majestatem imperii facto forte uno violatum, hi privatum dolorem atque alienas iras ulciscuntur.

Monemus erat quidam trucis audaciae gladiator, & latro pessimus, minister & assecla Castatorum, cujus manu nonnullae palam, plures ex occulto patratae caedes fuerant, nulla ipsius ira nulliusve inimicitiis, sed ad nutus tantummodo heriles ne excideret mensa, & stipe qua alebatur. Et rumor erat, familiaritate salarioque eo minime contentum exire saepe noctuper diverticula urbis telo socioque succinctum ac spoliare si quem solum inermemque nactus esset: saepius circa suburbanam viam insessa latebra dare extuto impetum in viatores, & spolia in latebras alias referre. Venditabat quoque sese, & venditabatur ad facinora, & artes hominum interficiendorum quem quisque ob metum sive per iram occulte sublatum vellet. Hunc Moncinum, post clandestina multa flagitia compertum unius denique flagitii, & ab eo indicio, totius ante actae vitae manifestum damnaverant judices, ut laqueo publice exanimaretur. Statuto igitur die, cum ad supplicium ducendus esset, tota illa familia Castatensium, conquisitis undique amicis haud contemnendo agmine praetorium irrumpunt, & eripere carnifici satellitibusque Moncinum conantur. Fit ob eam rem tumultus ingens, ac districtis utrinque gladiis, pro latrone pugnant, qui salvum, quive supplicio affectum volunt: neque, aut justitiae cura istis, aut illis amor tam indigni capitis: sed satellites, eamdem sibi furcam, si ereptus foret, Castatenses infamiam, nisi ereptus, timebant. Perlato in aulam nuntio, movetur statim ferocia juvenis Principis, ut erat ipse, & quid insolentiae sit illud, coram spectet.

Ubi Princeps, & cum eo tela praetorianorum in conspectu tumultuantibus fuere, crescunt animi satellitibus, Castatenses ab fuga subsidium petunt, & in P. N. regionem trepidi conglobantur. Concaluerat Principi pectus, non jam solum ab audaciam eorum qui tantum facinus in conspectu pene suo tentassent, sed etiam ob trepidationem eorumdem & fugam. Vestigia fugientium cum praetoriano milite raptim insecutus, ad usque D. Petri Aedem adequitat, quae corrupto cognomine Cornaredia Aedes dicitur, ob depictum olim ibi cum piscatorio rete Apostolum. Portae Novae Proceres conspecto circa meridiem Principe, strepitusque abeuntium, & persequentium audito, tempus in suspicionem, causam in crimen, arripuere: ratique saevire mero & petulantia sua juvenem, tela e fenestris in eum conjiciunt. Et ille quidem ad eum casum attonitus anheluque metu sese in aulam recepit, stetitque eo die tumultus intra Moncini tantummodo caedem, quem carnifices prae-

praetorio in ipſo ex eminula quadam trabe ſuſpenſum ſtrangulavere injecto tanto violentius ac ſaepius pede, quaſi ob iram diſcrimenque Principis, etiam ipſos traſci oporteret. Caſatenſes vero cum affectis ſuis, hoc ipſo deſperata vena & ſalute, quod Principem in id periculum adduxiſſent, ad extrema & abrupta omnia converſi Franciſcum Capitaneum, & Othonem Ruſconum rebelleis hoſtesque Vicecomitis eoſdem, & rebellium exſulumque aliorum duces, ad ſpem capiendae urbis excitos adjunxere ſibi, validam & magnis rebus aptam manum hominum, qui ipſi ad rem gerendam nihil aliud quam auxilia aliqua circumſpiciebant.

Poſtquam deſperati iſti novos ſic invenere deſperatos, duo agmina ſibi, duos inceſſus parant. Agmine uno fauces adtumque Portae novae occupant, altero perſultant urbis vias, & vivere Guelfos, trucidari Gibellinos jubent. Quae ubi nuntiata Principi, confeſtim ille, miſſo per urbem praeconio edicit, ut quicumque ſalvum eſſe Vicecomitum genus velint, in Arenae aulam eant armati: qui non adruerint, ſe eos pro hoſtibus eſſe habiturum. Cives, ad eam vocem idque edictum, haerebant attoniti haud minus quam ipſo rebellium inceſſu & clamore. Nam neque pro Principe armari inireque aulam volebant, ne motu eo impedirent, ſi quid forte boni ad res novandas urbemque liberandam tumultus ille afferret, neque reſtando, & manendo audebant animos nudare in manifeſtam ultimamque perniciem, ſi exſpectatione illa deſtituerentur. Inter manendi metum & eundi recuſationem arreptus quae cuique ad manum fuerant armis, congregabantur inter ſeſe Guelfi, & ad loca ſubinde aliqua ſubſiſtebant quaſi jam jamque ituri, caeterum inito conſilio exſpectantes, quorſum res ipſa evaſura eſſet.

Nec minus apud rebelles tumultuatoreſque ipſos trepidabatur. Videbant civitatem univerſam torpere metu, & ſeſe jam eo progreſſos, unde receptum habere nullum poſſent. Curſitando, & inclamando, ad Pontem veterem devenere, inde in Cuſani angiportum flectunt, hinc uſque ad Malum angulum agmine infauſto progrediuntur: & allevaverant pauliſper animos conſpecto Gavatio Reina ſuae factionis homine, & duce Portae Vercellenſis, qui conſcenſo equo, per omnes vias ibat vociferans, ut omneis ſe ſe domi continerent: ſic jubere Principem. Ad Malum angulum aedes fuere unius inſignis Guelfi, quem Cautum Concurrentem appellabant. In eas ſeſe aedes abdidere ad quadringentos, & ſumpta albae crucis nota, quod inſigne Guelforum erat, conjurant, quandoquidem in eam neceſſitatem ventum ſit, aut mori cum gloria, aut ferro ſalutem ſibi, patriae libertatem invenire. At Vicecomes, in eo diſcrimine familias ejet, de quarum fide minime ambigebat, armarique ſingulos jubet. Confeſtim armantur Puſterulae, Cribelli, Lampugnani, Cami, Landriani, Corii, Boſſii, Badagii, Riſii, Maini, Marliani, Mirabilae, Stampae, Arluni, Gallarati, Mandelli, Vicomercati, Burri, Mantegatiae, Ferrarii, Orombelli, Dugnani, Salae, Tuſcani, Gambaloitae, Plati, Gurbaniatenſes, Oprini, Stratae, Moroni, Selvatici, Galerati, Petraſanctae, Arconati, Craſſi, Meltii, Baſgaperii, Crotti, Sixii: quae familiarum nomina ſic retuli, ne ſuus umquam nobilitati honos in ulla noſtri operis parte ſubtractus fuerit. Urbano huic exercitui, Jacobus Crucejus, & Bartholomeus Amiconus duces fuere: ſimul Vicecomes ipſe cinctus latera fidiſſimis ad omnia quae in tali caſu eſſent agenda, & diſponenda, obibat. Cumque fortiſſimorum virorum iſta acies obequitaret aedibus, quas Guelfi rebelleis ceu arcem inſederant, erumpere auſi illi quaſi phrenetica acie evaſere per catervas arci ei circumfuſas, nec fere multo plus accepere damni quam intulerunt. Pugna deinde cooritur acrior tanto, quo magis, eruptio illa, hinc audacia, hinc pudore animos accendit. Cadunt utrimque multi, ſed plures in rebellium parte, quia pars altera, & numero, & animis creſcebat, aggregantibus in ſingula momenta ſeſe nonnullis, ubi dimicantem in eadem acie Principem, & ſpem, quae primo ſuſpenſos tenuerat, eſſe irritam vident. Inclinari deinde paulatim, & diſſipari fuga rebellium agmen, inſequente ferociter & urgente agmine altero donec ad D. Anaſtaſiae Aedem, qui fugiebant, quive ſequebantur, pars utraque pleni vulnerum, & caedis pervenere. Ibi, non jam earum, quas retuli, familiarum homines, quive ſeſe poſtea adjunxerant, ſed tota illa regio in perditos profligatoſque Guelfos pugnabat, niſi ſi caedes erat ea potius quam pugna. Et late ſpatiatur ibi via in campi fere modum, quo laxius liberiuſque caederentur, nulla ſicut inter anguſtias declinatione & impedimento, ſed obſeptis omnibus effugiis, & diviſa utrimque acie, conſpectis hoſtium amicorumque capitibus. Evaſere pernicitate equorum, & ſolertia ſua nonnulli, paucos injectis vinculis abduci Princeps in cuſtodiam juſſit, & in furcam laqueumque reſervari, ne tam honeſte perirent. Per octo amplius horas pugnatum eſt, ejuſque tumultus dies fuit x. Cal. Jun. anno 1404. ereuento ſcilicet illo, & tantis publicis calamitatibus inſigni.

Poſtridie ejus dici, quo victoria haec parta de rebellibus erat, ſupplicia de captivis ſumebantur conſpectione eo, quia nobiles viri poenam eamdem ſubibant, quae latrunculo uni arrogata tam funeſtas in urbe turbas excitarat. Praecipua invidia ſaevitiae Principis fuit ob Caſatenſium necem, qui paſſim pependere furcis, haud tamen ſine multo apud malevolos irriſit, quod Moncini illius antea liberatores, ignominia nunc, & dedecore mortis Moncinum ipſum referrent. Qui ex gente domoque ea opulentiores erant, praeſenti pecunia tenuere, ut datis potius cervicibus obtruncarentur. Per aliquot inde menſes, rarus abſque inſigni aliquo ſupplicio dies erat, & poſtquam carnificina haec exhauſerat omneis captivos, tamquam in acie rurſus occidebantur familiarum earum homines, quae cum Caſatenſibus neceſſitudine aliqua conjunctae eſſent. Biliorum maxime familiam exſtinguere omnem Princeps volebat, infeſtus huic nomini, propterea quod, ſicuti adjutores ad rebellandum Caſatenſibus fuiſſe occultos conſtabat, ita ſupplicio cladeque iſtorum irritati, tantoque magis infidi habebantur. Eadem cauſa ſpoliationis & exeidii nobilibus aliis familiis fuit: Abbaſque D. Ambroſii, de quo pulſo, dein reſtituto demonſtravimus, ob nonnullam earum rerum ſuſpicionem occiditur. Latrunculi Moncini furca, & familiae unius temeritas haec mala attulit urbi, cum ab aliis pauliſper reſpirari malis coeptum eſſet. Caeterum, minime dubitatum eſt, quin furca temeritaſque eadem, etiam liberatura urbem fuerit, ſi Joannnus Vignatus cum Ruſcono Caſatenſibuſque, ſicuti conſtitutum inter eos fuerat, ſeſe conjungere maturaviſſet, atque cum ſua manu praeſto fuiſſet ad ea loca quae per eum occupari debuere. Sero poſtea ille ad foſſam vallumque ſuccedebat cum jam caeſi rebelles, aut capti eſſent, cujus rei terrore, preſſo velut angue refugus abiit.

Poſt cladem hanc civilemque tumultum Metropolitana res, & Provinciae negotia quo coeperant motu prolabebantur, haud equidem crediderim vitio magis ullo, quam turbatarum tantopere rerum in ipſa imperii ſede, & arce. Neque manebant tantum in rebellione urbes eae quas antea deſciviſſe ab Metropoli demonſtravimus, aliaeque ſubinde aliarum ſtimulis & exemplo deficiebant, ſed etiam intra Dioeceſim Agrumque Mediolanenſem arma ab ipſis inferebantur.

Agreſtes itaque noſtri deſerto arvorum cultu quotidie migrabant in urbem cum pecore ſuo, & jumentis, ne alerent hoſtem, neve ipſi praeda abacta ab populatoribus iiſdem interficerentur: quae rebellium ira & licentia contemptioque in Metropolim, ad extremos fines graſſata erat. Ea vero agreſtis turba conferta ſub tecta, ſtatim infecta morborum tabe eſt, qui per urbem deinde vulgabantur tanta contagione, ut ſexcenti quotidie, atque interdum plures perirent. Accedebat ex incultis agris ſocium aliud peſtilentiae bellique malum fames, quibus ſuper alia ingruentibus malis, urbs ipſa ſolitudinis pene inſtar fiebat. Ac, miſerabile ſane dictu, in deſerta pene, & vaſta, & quotidianis funeribus exhauſta urbe conquieſcere partium inſania non poterat: Gibellinique, & Guelfi,

elſi, dum patria perit, inter cadavera, civium, & Reipublicae deſperationes, de faſtu & gloria ſui nominis adhuc pugnabant. Principem ipſum Ducemque Joannem Mariam indignum nomine imperioque hoc, ferunt laetum interea exitio civitatis, non modo inſtigatorem fuiſſe factionum, ſed inſita ſaevitia adeo eſſe debacchatum, ut non peſtem magis, non tamen non civilia bella Mediolanenſes abominarentur. Veterum Tyrannorum crudelitates cum hujus immanitate comparatae, de infamia ſua multum atrocitateque perdiderint, ſicuti monſtrabunt ea, quae ordo iſte rerum & temporum inſtitutus referre me invitum cogit.

Cum enim, ſuper ea, quae dixi, famis & peſtilentiae mala, quotidianae caedes fierent inter Guelfos, & Gibellinos, cunctaque Principum furore permiſcerentur, conſilium hoc cepere multi miſeri, & deſperati ſenes, ut facto agmine per omnia compita incederent lugubri voce pacem expoſcentes. Ita flecti ad lenitatem infenſos illos mutuis inimicitiis animos poſſe arbitrabantur. Traxerant ſecum aliud puerorum agmen, quos eadem clamitare docuerant: ſimplexque illa multitudo irriſu potius digna, quam ſupplicio per urbem incedebat. Obvius huic forte phanatico agmini Vicecomes fuit, atrocemque ludum fecit aetati, cui parcendum fuerat etiam ſi in aliquo humano errore deprehenſa eſſet. Nihil aliud quam pacem clamitantes, tamquam ob infandum ſcelus, immiſſa militum manu, ceu pecorum greges mactavit. Adeo deteſtabatur oderatque pacis nomen, ut ea patrata innoxiorum caede, legem tulerit, ne quis in imperio ſuo Sacerdos, cum rem divinam faceret, uteretur pacis verbo, ſubderentque potius tranquillitatis nomen quoties vox ea occurriſſet. Tanta ſaevo Principi licentia etiam in res Eccleſiaſticas fuit. Inhumanum hinc aliud ejuſdem Vicecomitis facinus traditur, a quo beſtiae ipſae refugerunt, & miraculi inſtar habita eſt ea beſtiarum recuſatio, ſcriptoreſque proprio nomine miraculum appellavere. Joannes Puſterula erat inter eos, qui opibus & multitudine aſſeclarum ſtare contra Principem poſſent, & communis famainimicum hunc Ducis agnoſcebat. Filium is habebat natum annos duodecim, quem cum ſorte Vicecomes in poteſtate haberet, patris odio puerulum infontem lacerandum canibus exponere ſtatuit.

Poſtquam ea rabies accenderat animum, Squareiae Giramo canum magiſtro negotium dat, ut aſſuetos tali miniſterio, & jam neſcatos humana carne Moloſſos avidiſſimoſque cibi ejus in puerum immittat. Puer, audito mandato, poſitis humi genibus in Principem obverſus, orare coepit, ut ſibi ignoſceretur: numquam ſe poſtea commiſſurum eſſe aliquid, & poſſe nunc puerili verbere coerceri, ſi quid admiſiſſet. Ea ſimpliciſſima deprecatio potuerat flectere quamvis immitem animum, vel hoc ipſo, quod ne paternas quidem inimicitias intelligere miſer ille videbatur, experſque erat omnis, non modo culpae, ſed ſenſus etiam quo agnoſcere culpam poſſet. Enimvero Tyrannus fero animo pueriles eas preces adſpernatus ciebat nomina canum, quos immittere Squarcia magiſter deberet. Guercius primo eſt immiſſus immanis hominum vorator, & celebratae feritatis Moloſſus, qui laxato nodo, quo adſtrictus tenebatur, eripuit ſe ſe cuſtodi, & unico ſaltu, qua ſupplex puer jacebat ſe ſe ejaculatur ad monſtratam praedam. Crediderat circumfuſa ſuibicorum corona conditum in belluae ventrem illico corpuſculum illud fore, viſceraque laniatu ſpectaculum atrox praeceperant oculis animiſque, quod ſecus evenit. Namque beſtia admoto roſtro odorata puerum abſtinuit dentes, & conſedit humi, ſaepiuſque irritata quiceſcebat. Mox canem unam inclamat Princeps, cui Sibillinae nomen fecerant, atrox animal, & earum Tyranno, quia non aliud infeſtius humanae figurae avidiuſque talis cibi monſtrum in toto grege habebat. Ea quoque bellua ſolura & immiſſa pepercit infanti. Credebaturque inviolabilis, donec Squareia ille canum magiſter, Principis juſſu diſtricto gladio ſecuit puero ventrem: nec ideo ſuſa humi viſcera ſanguinemque canes iidem attingere potuerunt.

Caeterum, quotidiana Vicecomiti huic erat voluptas gratiſſimumque ſtudium objicere ſubinde canibus aliquem, atque ſic explere odia, vel ubi odium deeſſet, inter ludiera id ſumebat, prodibatque nocturnus cum canum grege, & obvii quique lacerabantur. Et funeſta pleraque memorantur alia, inter quae, unum, ſicuti dirum, & immane, ita utile, & ſalutare exemplum ſint. Plebejus homo paupertatis extremae, cum mortuus eſſet, deerat funeri ſumptus, neque ullo modo poterat ſuperſtes uxor pauculos expedire nummos, quos deſignator, & veſpillo, & medius inter eos praecipua ſaevitia Parochus implacabiliter exigebant. Aliter, relicturos eſſe domi cadaver interminabantur. Mulier exclamare multum obteſtarique flebiliter, ut auferrent: polliceri ſeſe poſtea perſoluturam: interdum rogare, uti tollerent lodicem, vel pecuniae loco, ſi quid aliud in vacua illa domo placeret, dummodo maritus humaretur. Spurca, & ignominioſa turba obduraverant animos, viduamque habere ſibi domi ſoetorem jubebant: numquam, niſi praeſentem viderent pecuniam, niſi certi ponderis ſimalia comparerent, cadaver illud eſſe elaturos.

Cum interea dies unus, alterque & tertius exiſſent, eſſetque flagrantiſſimum tempus aeſtatis, audiebatur tota vicinitate mulieris ejulatus, non jam maritum lugentis, ſed calamitatem hanc novam. Forte illac praeteribat Princeps, auditoque mulieris ululatu, qui facile in viam uſque reſonaret, ire e familiaribus ſuis unum jubet, & cognoſcere quid infortunii, quidve deſperationis in illa domo eſſet. Relatum eſt de cadaveris incommoditate, faevitiaque veſpillonum ſicuti res erat. Tunc Princeps, imperato, ut daretur argenti, quantum funeri ducendo eſſet ſatis, mandat ſimul ne mora ulla ſepeliendi corporis fiat, ipſeque dum exſequiae celebrantur, intereſſe voluit, & attonitis rei novitate cunctis incedit in parte pompae, & cum reliqua multitudine tacitus ad templum uſque progreditur.

Poſtquam cum feretro omnes intravere, peraguntur funebria, lactuſque Sacerdos copioſa ſtipe quam acceperat, mortuale carmen modulatur altiore ſono, cunctaque peragit impigre miniſteria, omnibus praeter Principem ignaris, quid futurum deinde eſſet. Extra templum, in campo, qui tribulium illorum ſepulturae dicatus erat, effoderant ſcrobem quibus ea cura, & jam direptum feretro cadaver inferre illuc parabant. Princeps arripi Sacerdotem, & inferri protendique prius in foſſam jubet, deinde ſuperimpoſito cadavere congeri humum: ea ſpurco homini ultima merces fuit. Qui res eorum temporum prodidere, factum id reliquis ſaevitiae exemplis annumerant, atque adeo, ſuper caetera Principis hujus atrocia rem eam infectantur.

Ego durum id quidem, & ſeverum videri poſſe cuipiam exiſtimavi, ſed indignitatem quoque Clerici nihilo mitiore ſupplicio fuiſſe dignam exiſtimabam. Et Archiepiſcopum ipſum, quamvis atrocitate rei commotum, reperio tamen tranquille id placateque pertuliſſe, propterea quod etiam ipſe fortaſſe foedam ſu hominis avaritiam, quae contaminaret Eccleſiae nomen, ſic fuiſſe plectendam exiſtimabat. Anxium tamen cum Eccleſiae ſuae miſeriis & Principatu tali tyrannideque Vicecomitis, fortuna major excmit Mediolanenſium turbis, eſtque in ſummo rerum humanarum culmine collocatus. Cum enim Gregorius XII. Piſanum Concilium obire recuſaviſſet, Patres cum dejecere Pontificatu, & principum ſacrorum hunc fecere, atque Alexandrum V. mutato, ut aſſolet, nomine appellaverunt. Sed nec honos ei ſtabilis fuit, orta inter Patres diſſenſione, quae ipſum evertit. De eo Archiepiſcopo prius Mediolanenſi, dein Pontifice Max. fama haec ab malevolis & impiis diſſipata manavit: hominem fuiſſe litteratum, ſed ſuperbum eumdem, & immoderate deditum abdomini. Quippe quadringentos aulicos habentem, cum adhuc Mediolani Archiepiſcopus eſſet, certaſſe magnificentia & ſplendore domus cum Principe ipſo, & quoties in menſa cibi alicujus cupiditas palatum tetigiſſet, ſi is non eſſet ad manum, tamdiu ſolitum exſpectare dum coqueretur id quod forte appetiverat. Ea ſordida patientia, totos interdum accu-

accubuiſſe dies, & coenae horas in antelucana tempora productas eſſe nonnumquam, quae taedia plebejos etiam helluones fatigare potuiſſent.

Anno altero poſtquam Archiepiſcopus Philargus ad Pontificatum Maximum hinc vocatus evectuſque erat, Joannes Maria Vicecomes primo triduanarum ſupplicationum die cum in D. Gotthardi Aedem rei divinae cauſa prodiret, interficitur, illatumque templo maximo cadaver, mulier una, quae corpore quaeſtum faciebat, operuit miſis, ob quod meritum a Philippo Maria, fratre mortui Principis, eſt honeſte maritata. Dies idem alia caede fuit inſignis non minus grata in vulgus, vel etiam gratiore, quia miniſter atrox laevitiae Principis, fera quidem, ſed tamen merita nece ſublatus erat: & publica ferme odia in tales homines incumbunt. Giranus erat ille canum cuſtos, idemque arbiter, & inſtrumentum ubi carnificinae aliquis deſtinaretur: crediderantque multi, nequaquam horrenda illa facinora patraturum fuiſſe Vicecomitem, niſi magiſtrum, & artificem hunc habuiſſet. Populi concurſu eſt interfectus, abominandumque cadaver affixum januae paternarum ipſius aedium, ut dedecori etiam monumentoque eſſet. Ordinem vero conjurationis in Joannem Mariam, & ejus conſilii participes, ac miniſtros agendae rei, & ea, quae poſt Tyranni necem ſecuta ſunt, illatumque Urbis omnem, & quomodo Principes urbis, hoc interfecto Vicecomite conflictati ſint inter vindicandae libertatis conatus, & imminentem alte perpetui ſervitii neceſſitatem: haec omnia Bernardinus Corius refert ex Antonii Vicomercati commentariis, quem eo tempore Cauſidicum fuiſſe, & ea occaſione frequentem in aula, ſcribendis quae videbat, curam advertiſſe ait. Me ſane etiam ſimplicitas iſta delectat Cauſidici narratoris, ejuſque teſtimonio ac fide funeſtarum rerum ſcena peragetur.

Franciſcus Maynus, & Andreas Bagius fuere primi, quos magnae cogitationis manifeſtos notaverit ſcriptor ille Vicomercatus arripiens initia ſuſpicandi ex eorum colloquiis, concurſationeque, & vultu. Eos, ait, ventitantes in aulam, multumque ſecreto colloquentes cum Joanne Carnago conſiliario Ducis, abeuntes poſtea inde, & redeuntes, & cum levi ſuſurro, diſcordes inter ſe, mox annuentes toto capite, & rurſus ambigentes, admirationi fuiſſe ſibi, & pepuliſſe animum, ut cogitaret etiam ipſe quid rei, quidve negotii eſſe poſſet illud. Die, quo Princeps eſt interfectus, ab arcano illo, & tantopere ſollicito colloquio propere digreſſos, deſcendiſſe per ſcalarum gradus, & dato velut ſigno tota diſperſos aula nobiles alios viros advolaſſe, & veſtigia eorum eſſe inſecutos. Ad quem motum, tanto magis excitata ſibi cura videndi quid fieret, exiſſe diſſimulanter e conclavi, & prodeunte paulo poſt ad rem divinam Principe, vidiſſe caedem ejus. Vulnera fuiſſe duo: unum in capite, alterum in dextro crure, ſtatimque tibia inciſa, & ad mediam uſque frontem pateſcente hiatu Tyrannum exſpiraviſſe.

Interfectores non ſunt ab eo ſcriptore propriis nominibus diſtincti & notati, ſed conjurati promiſcue omneis, qui facinori perpetrando adfuere, hoc ordine recenſentur: Andreas, & Paulus Bagii fratres. Joannes Puſterula Venegonenſis. Otho Vicecomes, Franciſcus, Luchinus, & Farina Maini: Ambroſius, Gabriel, Ricardus, & Franciſcus Trivultii, Andreas, & Bertonus Mantegatii. Pariſius Concorretius, & Jacobus Aliprandus, & alii praeterea nonnulli, ſpeculantes rei exitum ex omnibus aulae diverticulis, & ſi quid facto opus eſſet, proditurі. Fuerant omneis in ſummis aulae miniſteriis, atque ex intima Ducis amicitia, & quod quiſque munus ejus beneficio obtinebat, eo ſunt uſi ad conjurationem in ipſius caput opportunitate omni inſtruendam. Cum enim Facino Cane per eos dies agente animam, tumultus in urbe poſt ejus mortem exſpectaretur aliquis, eoque metu Princeps in arcem conferre ſeſe ſtatuiſſet, primum, omnium ſuadendo multa, & demonſtrando effecere, ut longe tutiſſimam in aula ſedem ſore ſibi ille opinaretur. Deinde, aditu hoc ad inſidias invento, muniendam igitur eſſe aulam, firmandaque praeſidiis opportuna loca oſtenderunt. Ejus quoque conſilii fallaciſſima ſpecies cum repudiari non poſſet, ipſi ſibi inſidiatores cuſtodiam portarum, majore adhuc fraude depoſcebant.

Ita Bertonus Mantegatius, e conjuratis unus, fatali Principis ipſius vecordia excubare cum armato milite ad valvas jubetur, ne qua poſt Facini illius mortem irruptio plebis in aulam fiat. Sic, nimirum, etiam adverſus Praetorianos munierant ſe ſe conjurati, ne, vel peragendae, vel peractae rei obſtarent eorum tela, quo minus cuncta ipſi exſequerentur, uti deſtinarant. Ne gladius quidem contra diſtrictus eſt unus haſtave objecta una, cum ſua in ſede Tyrannus interficeretur: cumque interfectores, ejacente exanimi, per aulam urbemque caetera delendi Principatus, & uſurpandae libertatis agitarent, communita ſtatim aula, & inſeſſa praeſidiis urbe, arcem oppugnare ipſam aggrediuntur, quae una libertati obſtabat, & magni facinoris opus id erat reliquum. Principis interficiendi tyrannidiſque delendae conſilia & apparatus ſatis felicem adhuc exitum hunc habuerant, niſi ea, quae ſunt inſecuta, patratam caedem, emolumentumque caedis cum pernicie inſuper illuſtrium virorum liberatorum urbis irrita & vana feciſſent. Facinus erat Canis, ex copiarum ductore & amico Vicecomitum, jam in tantum auctis opibus, ut Vicecomites ipſos fortunae magnitudine, imperiique finibus facile aequaret. Novaria, & Derthona, & Ticinum, & Novocomum ei obediebant: tum in agro ipſo Mediolanenſi Briantiae tractus univerſus, Vallis Saxina, Variſium, Romanengum, Canturium, & Roſatum, & quaecumque Verbanus dites late populos ad Vogoniam uſque alluit, latiuſque porro prolaturus imperium ille erat, niſi capto etiam prope Bergomo Coenomanis imminentem mors abſtuliſſet. Ac duxerat iſtius potentia initium ab liberalitate prius aliqua Vicecomitum, dum ob navatam ſtrenue operam, ſpectatamque fidem, Blandratum, & loca alia ignobilia ſorti viro & amico homini aſſignant, quo ſortior etiam in poſterum amicioreque foret. Deinde creſcentibus quotidie meritis, auctu ſimul admiratione viri apud exercitum populumque, apud Principem vero neceſſitate vetera beneficia muneribus tuendi novis, novi additi fines, & fortuna rurſus haec amplificata, quo magis eam ipſe comitate, ac ſplendore omni decorabat, grato ſemper erga priora animo laceſſens quidquid optare vel capere poterat. Poſtremo, ditatus ita & excultus, adeo placuerat, ut neceſſitudine etiam nonnulla junctum ſibi Vicecomites propinquum ſuum fratremque appellarent. Et fraterno ſcilicet ille ritu plane egerat, gerenſque pro fortuna animos, maluit diviſum cum Vicecomitum domo imperium habere, quam ſingularum partium munera quotidie aucupari.

Dum rebellant pleraeque, ſicut demonſtravi, urbes, dum etiam Vicecomites ipſi rebellandi cauſas praebent, labaſcitque fortuna domus, interpoſuerat ſe ſe vindicem ceu & ultorem: mox tranſlata in ſe ipſum victoria, eum, quem dixi, Principatum ſibi effecerat: quodque majus videri poſſit, erat interea aſſecutus ut ſpecies amicitiae cum Vicecomitibus iiſdem maneret.

Facinus hic igitur, cum in Ticinenſi arce moribundus, nondum tamen alienata mente, nuntium de Joannis Mariae nece accepiſſet, vocatis ad ſe in extrema illa hora fidiſſimis amicis, dextraſque ſingulorum amplexus rogare inſtitit, ut ſi retinerent eum erga ſe animum quem ſemper habuiſſent, Vicecomitis necem ne ſinerent inultam, quae morienti ſibi nuntiata, turbaret alacritatem, cum qua res humanas alioqui relicturus fuiſſet. Nec proſequerentur deſunctum ignavo queſtu, ſed quae volviſſet meminiſſent, quae mandaſſet exſequerentur. Talia dicentem ſpiritus defecit: dieſque idem triduanarum ſupplicationum, ut dixi, primus Facini Canis obitum, & Joannis Mariae Vicecomitis necem conjunxit. Mediolani, Duce interfecto, neque Princeps jam erat, neque libertas, deferentibus nonnullis imperium ad Hectorem quemdam ex eadem Vicecomitum domo, clamantibus adnitentibuſque aliis, ut veteris Reipublicae forma reſtitueretur. Sed pro Hectore ſeditioſiſſime concitabat plebem Bertus Cacia Placentinorum

rum Epiſcopus, quem conjurati adjutorem ad multa, A
participemque habuerant: ac re geſta feliciter, ſcotſim tendens, Hectori Principatum parabat.

Ejus negotii cauſa Mediolani nectebat moras: ac die quodam in templo maximo tanta vi concionatus eſt ad populum de Hectoris manſuetudine illius, futuraque per eum felicitate novi Principatus, ut claves portarum urbis, vexillumque Reipublicae & ſceptrum, & diadema, ad eum deferrent, Ducemque appellarent. Mox Philippus Maria, ſimul fraternae necis, ſimul paterni imperii vindex adfuit, non ſolum exercitu omni, qui ſub Facino Cane militaverat: ſed veteranorum etiam copia ducum metuendus, quorum fidei moriens Canis uxionem mandarat in Joannis Mariae interfectores. Terrorque cum vindice aderat alius, ingens pecuniae ſumma, & imperium omne Facini ejuſdem, quod ducta in matrimonium vidua ipſius Beatrice adeptus erat. Tunc vero, & ab Hectore intra muros, & extra per Philippum Mariam Civitas ab duplici domino, duplici hoſte vexabatur. Hector, ob novae fortunae bellique neceſſitates tributa immodica viritim & oſtiatim in ſingulos dies imponebat: detrectantes coercebat vinculis: & in arce quae eſt ad Portam Romanam arido pane detinebantur nobiles viri, donec, aut alimento eo, non ſecus ac fame, perirent, aut imenta pecunia miſſoque ad exactores tributo, accipere ſe ſe imperium faterentur.

Philippus Maria, diſpoſito circum moenia exercitu prohibebat comportari quidquam in urbem & urebat ſata populator agri, quem a populationibus defendere debuiſſet, cum in ipſius poteſtate mox omnia futura eſſent. Urbem habebat Hector: in arce quod praeſidium fuerat, ante Tyranni prioris necem, pro Philippo Maria conſtantiſſime eam tuebatur. Aliquamdiu neutro inclinata re dubitabant Mediolanenſes, utrius magis partis gratiam ſequerentur, cum par utrimque metus, damna eadem, nec odium diſſimile eſſet in duos, quorum uterque per caedes injuriaſque civium inferre patriae tyrannidem vellet. At ubi praeſidii praefectus vocato per tubicines populo in ſubjectum arci campum alta pronuntiari juſſit voce, Philippum Mariam, adeſſe paterni D
vindicem imperii fraternaeque necis ultorem: innoxiorum ſanguinis minime cum indigere, ſi fratris ſui interfectores dedantur: pacato agmine urbem intraturum: tunc enimvero, Hectori, & conjuratis infeſtiora omnia quotidie magis eſſe coeperunt: & poſt irritos aliquot in ultima deſperatione conatus, relinquentibus infauſta ſigna cunctis, prope ſoli relicti, victoris deinde iram explevere.

Fuerant in conjuratione, praeter eos, quorum nomina ex Vicomercato ſpectatore Corius in Annales ſuos contulit, noſque teſtimonium & auctoritatem ſecuti utriuſque recenſuimus, etiam alii, quos, vel ab ſcriptoribus iis, taedio numerandi tantam multitudinem, eſſe praetermiſſos apparet, vel ab ducibus eis auctoribuſque conſilii participes adhibitos fuiſſe conſtat. Numerus utique tantus, ut etiam poſtquam deſerti deſolatique fuiſſe dicuntur, auſi ſint objicere ſeſe victori exercitui, eaque non una acies fuerit. Sed, & ab majore paſſim acie caedebantur, & urbana multitudo novum conſpicata Ducem, profligatiſque rebellibus imperium adeſſe priſtinum videns, vertit arma in eoſdem, ad quorum nutum ipſa quoque rebellarat, & feminae ipſae conjiciebant faxa e feneſtris in Hectorianos, dum fugiunt illi aut reſiſtunt: eaque lapidatione juxta D. Donnini templum ex Joannis Stradae aedibus, Joannem Carolum Hectoris fratrem pene oppreſſum ferunt, cum Bernabovem Medicinam, & Antonium Alciatum inſequeretur. Ipſi Medicina, & Alciatus, per Parochi aedes in alteram viam evaſere: Parochumque ipſum Stephanum Cribellum nomine, regione diſcurrens ea quaeſivit Hector ad necem, quia duobus illis effugium dediſſet. Repertus, & productus imminente gladio clamitabat, nullam ſuam in ea re culpam fuiſſe: aperto forte oſtiolo illos irrupiſſe, ſimul, & exiſſe per oſtiolum aliud, cum ne domi quidem eo tempore ipſe eſſet. Ita exitium vitavit.

Philippus Maria interim in arcem ingreſſus, & paulo poſt vectus humaniſſime per urbem, haud dubie tenebat imperium, laetis, ut in tali neceſſitate omnibus praeter eos, quos ex conſcientia metus angebat. Hector, & Joannes Carolus, perditis rebus aurugere Modoetiam, & intra arcem incluſi tutum ibi receptaculum aliquamdiu habuere, donec compoſito omni rerum urbanarum ſtatu Princeps eo curas vertit. Conjurat reliqui, aut evaſere, qua quemque caſus tulit, aut evadendi ſegnitiem capite luerunt. Neque dubitatum eſt, quin ipſius diſſimulatione & arte Ducis fuerint elapſi nonnulli, quibus aliorum ſupplicia tulerint ſalutem, dum invidia tam cruenti ingreſſus timetur. Inter eos, Creſcentiaci Antiſtes, quem dignitatis vocabulo Praepoſitum appellabant, abeſtque id Monaſterium quatuor millia paſſuum ab urbe, B
parabat fugam eadem animi praeſentia ad vitandum periculum, qua conjurationem ipſam conſilio miniſterioque omni inſtruxiſſe convincebatur. Sed potentia, & ira, miniſtrique Ducis plus valuere. Retractus e fuga ſiſtitur in ejus conſpectum, magnoque convitio increpitus carnifici deditur ſine mora & obtruncatur. Franciſci Maini, quem Praepoſitus ad omnia conſcium participemque habuerat, par in fugiendo conatus, idem exitus fuit. Paulo Bagio, & ignobilioribus aliis addita ignominia, ut antequam ſupplicium de eis ſumeretur, jacerent per aliquot dies in collaria pone ectis alte capitibus expoſiti ad injurias, & ludibria omnia quris inceſſere eos plebs infima C
miſerabili erga novum Principem adulatione cogebatur. Apud animum quiſque ſuum moerebat, ut opinor, tali fortium virorum clade, qui cum voluiſſent liberare patriam, praemium egregii facineris hoc referrent. Hic Philippo Mariae finis ulciſcenda fratris nece, quae tamen nulli laetior fuerat, licet, haec ſimulacra & imitamenta doloris, ut famae exhibitionique hominum ſatisfieret, ab eo adhiberentur. Nam & imperium adeptus erat, & quae cariora imperio, libertatem, & vitam, regnante illo captivus ſub Facino Cane ad Ticinum proximuſque exitio, quo fere captivitas inter Principum ſuſpiciones finitur. Caeterum, ſicuti ex fraterno ſenſu dolorem, puniendis, ut demonſtravi, interfectoribus D
ſimulaverat, ita ſimulans in ipſo dolore clementiam atque ſatiatum ſupplicii animum, ultioni ſtatuit finem, exactoque ſacramento, ad curas imperii, quae multae, & magnae ſimul undique eum circumſtabant, animum convertit.

Anno CIↃ CCCCXII. ad X. Calen. Quinct. juravere Cives in Philippi Mariae verba, cum prius ille conſenſu militari Dux Princepſque appellatus eſſet: ſuntque ille, Vicecomitum Ducum, ut omni Regia virtute ſecundus nemini, ita ſucceſſionis ordine poſtremus. Ad Principatus initia hujus regebat Mediolanenſem Eccleſiam Joannes Vicecomes Vercellinſ filius, quem Carolus Malateſta ſub Joanne Maria exercituum Imperator, E
contracta cum Archiepiſcopo Philargo olim amicitia, poſtquam is ad ſummа pervenerat, commendaverat ei, ut honorem, quem vacuum ipſe reliquiſſet, huic demandaret: neque ille abnuerat. Verum Archiepiſcopus iſte, triennio poſt in Conſtantienſi conventu, tamquam vitio creatus (incertum qua de cauſa) movetur loco, decedereque jubetur honoris gradu, quem nec recte, nec ordine obtineret. Poſtea ille, defendendo ſeſe, & purgando, ut in priſtinam Sedem novi Pontificis decreto reſtitueretur obtinuit, fuitque ſub Eugenio legitimus Archiepiſcopus, ſicut in loco demonſtrabitur. Nunc ei Barptolemaeus Capra Mediolanenſis ſufficitur, qui Conſtantienſi Concilio interfuerat, & ob rerum Eccleſiaſticarum uſum, una cum Jordane Urſino, praeſederat ex Patrum auctoritate conventui curator & magiſter, ut omnia cum dignitate adminiſtrarentur. F

Is ubi Mediolanum Archiepiſcopus venit, magnopere vexabatur ab priore Archiepiſcopo, qui & favore civium, & Principis gratia validior concoquere non poterat hoc ipſum, quod loco dejectus eſſet. Ac die quodam, cum per Abbatem Sancti Ambroſii ad aram maximam proferretur diploma recitandum, quo diplomate Capnam Archiepiſcopum Martinus Columna Pontifex Maximus renuntiabat, corripitur repente Abbas ab Sacer-

cerdote quodam ex ipſius aræ miniſterio, iſque Sacerdos extortas Abbati de manibus Apoſtolicas litteras fodere gladio ſuper aram inſtitit. Et aderant armati milites pro Vicecomite exſule jubentes audere presbyterum eum, atque minitantes, ſi quis violare ſacrilegum auderet. Capra perculſus atrocitate facti, conjectanſque inde, ad quales ipſe animos, & in quam aperta veniret pericula, ſubduxit ſeſe dilerimini, & occultiſſime porta Jovis egreſſus Romam aufugit, rediitque Mediolanum, & iterum deinde exſul fuit. Uſque in Francifci Sforciae tempora vexatam Pontificatus diſſidio Mediolanenſem Eccleſiam tradunt: Sforcia demum regnante reſtitutum Vicecomitem, cum aliquamdiu ſediſſet, poſt breve deinde tempus vacuam eidem æmulo Metropolim reliquiſſe. Verum poſteriora haec, quomodo geſta fierint, demonſtrandi, locus erit.

Ab Conſtantienſi Conventu, cui Capra Archiepiſcopus affuerat, Pontifex Martinus Romam proficiſcens ex itinere Mediolanum venit, eaque publica laetitia turbidis ac moeſtiſſimis rebus interjicitur. Prodiere venienti obviam una cum Clero univerſo, Dux ipſe Philippus Maria, Senatuſque Mediolanenſis, Nobilitas tota tanto apparatu, quanta majeſtas & fama hoſpitis erat. Juriſconſulti, & Medici in purpura & pelle, ſicuti tunc Collegium utrumque diſtinguebatur, umbellam attollebant. Ea mille florenorum nummûm æſtimatione fuit. Tubicines antecedebant Pontificale agmen: in agmine ipſo minores Pontifices erant Principeſque alii ſacri, vel profani, ut quique ſpem officiumve ſuum ſequebantur. Proxima hinc veniebat cohors honorariorum ephoeborum cum reliquo Ducis famulatu in pretioſis equis: equi Pontificis octo purpura inſtrati ducebantur, poſt eos, ducenti viri Nobiles obaerata Principi manus ibant. Ante Pontificis umbellam ducebatur mula pyxidem vehens, in qua ſanctiſſimum Chriſti corpus collocatum erat, ſicuti praeferuntur ea myſteria Pontifici Maximo cum iter facit. Sexaginta Sacerdotes linteati cum funalibus id ferculum religioſe deducebant, eamque ſacram cohortem, & caeremoniam Epiſcopus unus regebat. Cardinales duodecim Pontificem ſequebantur. Cremaniolae Comes & Guidus Torellus magna apud Vicecomitem gratia tenebant frenum jumenti, cui Pontifex inſidebat. Galeotus Bevilaqua ferebat Eccleſiae vexillum. Fabricius Columna vexillum alterum, in quo ſuae gentis inſignia depicta cernebantur. Spatio deinde modico interjecto, triplicis Regni argumentum inſula ex gemmis contexta portabatur. Et altero tanto ſpatio Vicecomes diſtabat medius inter armatorum agmen, & caeteram urbis nobilitatem ſplendidiſſime excultam.

Sic procedente pompa pervenit Pontifex in templum maximum, flexoque ante aram poplite breviter precatus, ac deinde pari brevitate concionatus ad populum, octo annorum indulgentiam conceſſit omnibus, qui, cum ſalutari culparum ſuarum deteſtatione piaculum id ampleƈterentur. In aulam deinde Vicecomitis Pontifex eſt deductus, atque ibi umbella direpta & lacerata eſt inter multos, qui ſibi reliquias eas appetebant. Urgebatur interea multitudine operarum ſtructura aræ maximae, populique concurſus ad neceſſaria miniſteria fiebant, cum ea ſpe ac voto, ut a Pontifice Max. ara dedicaretur. Trium dierum ſpatio demoliti priſtinum opus, novam molem excitavere: Pontifexque Martinus abſoluto novo opere dedicavit aram, & in ea rem divinam fecit. Centum amplius millia mortalium interfuiſſe ſcribuntur ei caeremoniae, obtritoſque & eliſos fuiſſe complures, tenet fama, quae magnis celebritatibus cladem ejuſmodi aliquam ſemper adjungere amat. Pontifex Maximus peracta dedicatione pronuntiavit centum dierum indulgentiam omnibus, qui anniverſario Dedicationis die aram eam religioſe adirent: & poſt aliquot inde dies ipſe abibat.

Recreaverant pauliſper iſta urbem: atque occupato poſtea bellis externis Principe, quies ab civilibus malis erat conſentanea quieti & prudentiae regnantis. Nam hujus mores ab avi atavique natura & inſtitutis longe diverſiſſimi, patrem potius referebant, ita ut homines, quibus otium fuit, committere inter ſe Vicecomitum iſthorum ingenia, atque alium ex alio, ſicuti fit, aſſimilando referre ad genus & originem quemque ſuam, verbum uſurpaverint iſtud: Philippum Mariam videri quidem ab Joanne Galeacio ortum: ſed neque caeterum hujus prolem, ſimile quidquam habuiſſe patris, neque patrem ipſum ad majores ſuos ulla ſimilitudinis nota pertinuiſſe. Adeo, & habuit Philippus Maria, e filiis unus virtutes Joannis Galeacii omneis, & hunc nulla avorum vitia adiuere, praeter artes, queis regna continentur, quaeve commune regnantibus omnibus vitium ſunt. Jam primum omnium, in religionis negotio, quae res ab ipſis Vicecomitum initiis ad Joannem uſque Galeacium, ſcribenti iſta mihi, toties excuſanda, toties declinanda, vel circumeunda, ne qui offenderentur, fuit, expedita, & integra fama Philippum hunc Mariam habet. Nulla anathemata regnante eo, nullae Pontificum irae, aut ipſum, aut ſubjectos ei populos, & hanc aliena culpa ſemper temporibus illis defixam interdicto aliquo Metropolim, appetivere. Colebat Apoſtolicam unice Sedem dicto obediens, & effuſus in obſequia ſi quid mandati inde acceperet. Cumque in magno totius Eccleſiae diſſidio, conſtituendi Pontificatus cauſa, Conſtantienſe Concilium haberetur, ſingulari ſua ob inſitam pietatem cura ejus rei & ſollicitudine fecit, ut legatos illuc mitteret, ſuo & civitatis nomine pollicentes omnia Patribus, quae ad negotium illud ſtrenue ſanƈteque adminiſtrandum peti hinc poſſent. Legati ſunt miſſi, Epiſcopus Alexandriae, Abbas S. Ambroſii, Gaſpar Vicecomes, Otho Mandellus, & Galeottus Caſalis: legationique ei ſplendor additus, qui praeferret erga res Romanas animum ſenſumque ejus a quo mittebatur.

Sane, quod vexari Archiepiſcopum Capram ab Joanne Vicecomite Concilii jam auƈtoritate damnato paſſus poſtea fuerit, offendere id aliquo modo poſſe animos videtur, adverſarique patriae religionis hereditati & famae, quam ei affingnamus. Verum, id quoque, ſicuti etiam animadverſio in conjuratos interfectoreſque fratris, cum caetera tam pia fuerint, condonatum eſto neceſſitati dominationis, quae caecat ſaepe animos, & peccare invitos cogit. Nam quemadmodum ſaeviendum Principi fuit, ne Ducum impune interficiendorum exemplum proderetur, ita ſui ſanguinis hominem ab homine alieno in Metropolitani Pontificatus certamine devictum, fore quodammodo detrimentum imperii, habemque exiſtimabat. Reliqua deinceps fuere ejuſmodi, ut Principem, religione, prudentia, imperio, atque per totam Italiam auƈtoritate maximum, Mediolanenſes admodum laeti intuerentur. Scilicet, etiam inter ipſa triſtia, ſicuti demonſtravimus, atque cruenta initia Principatus, dum nobilium virorum nece parentaret interfecto fratri, dumque majeſtati domus per damna Archiepiſcopi Caprae inſerviret, dederat quaedam ejuſmodi ſigna, ut mitem ipſius animum, rebuſque ſacris valde addiƈtum agnoſcere omneis poſſent. Eſſe in urbe conjuratorum poſteros, eſſe in domo, & patrias obtinere fortunas excelſo paſſus animo, declaraverat ſic, eratque teſtatus, quod ſuae conſcientia aequitatis nihil inſidiarum ipſe ſuſpicaretur. Petrum vero Garzelinum ex Humiliatorum ordine unum e conjuratis cum in cuſtodia haberet, Praepoſiti Creſcentiacenſis exemplo trepidum, & in pari culpa ſupplicio addiƈtum eidem, non modo vivere ac dimitti juſſit, ſed Cavenaghi Praepoſitum etiam in poſterum eſſe jure ac poteſtate qua ante conjurationem inter ſuos fuiſſet. Unius ſacri capitis poena contentus fuerat in exemplum: contaminari ultra religioſo ſanguine per iram, nefas atque impium duxerat. Euſtorgiani Fratres item acceptis ab Hectore praediis muneribuſque multis, cum & ſuſpecti eſſe poſſent, & invicem ipſi ſuſpectarent Ducis iras: omnia eis quaecumque remiſſent, intacta conſervavit.

Hoc itaque Principe contenti cives laudabant ex prioris Tyranni comparatione fortunam Urbis, tertiumque jam hunc Mediolani Ducem, & praecipitatam in familiae unius ſceptra Rempublicam, vel jam aſſueti ſervitio, vel delimiti manſuetudine imperitantis, nequa-

quam, ut mala loquebantur. Tributa tolerabant abſque tumultu ullo: ſtrenue ad bella prodibant, ubi prodierant, quaſi pro communi patria, non quaſi pro domino gerebant rem. Ita Mediolanenſis exercitus paucorum dierum ſpatio Alexandriam, Bergomum, Brixiam, Laudem Pompejam, Placentiam, Cremonam, & aliquot praeterea magni momenti arces recepit, captis, aut caeſis qui per vim eas proditionemve occuparant. Urbs Novocomum ab Eleuthero Tyranno dedita eſt tot victoriarum metu. Tritium, & Voghera, & Crema, re magis quam nomine militariter celebrata loca, aliquamdiu oppugnationem toleravere. Cremaniola copiarum ductor, ob res eas proſpere geſtas, ab Philippo Maria Caſtri novi Comes creatur, idque munus in Templo Maximo, flexo ante aram poplite accepit. Rebelles, & latrunculi, qui ex contemptis metuendi, concitis in arma civitatibus, negotium Metropoli exhibuerant, alius alio ritu, pro ſua quiſque, vel contumacia, vel fortuna, poenas dedere. Gabrino Fondulo Cremonenſium turbatori caput Mediolani abſciſſum. Arceli duo, per quos prodita Placentia, in furcam acti tamquam fures. Malateſtam Bergomi & Brixiae invaſorem, utraque amiſſa urbe fugientem, cum intercipere poſſent, neglexere. Diverſi & foedi aliorum exitus fuerunt.

Hunc rerum curſum, & tenore fluentes uno Metropolitanorum exercituum victorias urbs Genua, cum aliquamdiu morata eſſet, humilitate deditionis gloriam auxerat, niſi Princeps ipſe Philippus Maria tantae rei occaſionem errore quodam ſuo corrupiſſet. Namque Principes ejus Civitatis, poſtquam terra marique urbe circumventa ſua, & magna ex parte capta, deſponderant animos, abjecta gloria ſpeque defenſionis, permittunt ſeſe victori exercitui, praeſidiumque Mediolanenſe admittunt. Inde, ut majorem deditioni gratiam facerent, decernunt legatos, qui cum clavibus portarum adeant Ducem, ac petant ut rem Ligufticam placatus lubenſque in ditionem accipiat. Verum ille, ſive iratus ei urbi, quia morata victoriam eſſet, ſive ob res proſperas ſuperbia invadente animum, ſive re vera, pietate erga Sedem Apoſtolicam ne admiſſis quidem in conſpectum ſuum legatis, renuntiari jubet: Pontificis Maximi legatum adirent, & cum eo ſuper deditione colloquerentur. Legatus Apoſtolicus Mediolani Cardinalis Inſulanus erat: iſque in Ambroſiana Aede, precibus Genuenſium auditis, claves portarum Ducis nomine accepit. Superbum id viſum Liguri: venientem cum tantae rei munere legationem ſpretam haud dubie & eluſam: rejectos alio: non dignos eſſe habitos, quos ſua omnia dedentes Dux Mediolani audiret.

Itaque, quamquam auditi poſtea ſunt, & ab Duce eodem cultu etiam donis honorificeque dimiſſi, ſera tamen & inutilia omnia fuere, quia repulſae contumeliaeque prioris dolor alte animos occuparat. Reverſi domum ita renuntiavere legationem, ut Senatus, fronte quidem, & ſimulatione praeſenti neceſſitati ſuccumberet, acciperentque miſſum ab Mediolano Praetorem, intimis vero conſiliis, & arcano fremitu rebellionem paratent, quae non multo poſtea erupit.

Interea Mediolanenſe nomen celebrari quotidie magis admiratione vel invidia populorum aliorum, & redacta paulatim in veterem ſtatum Metropoli patrioque recuperato imperio Philippus Maria, arbiter fere Italiae rerum habebatur. Ortum deinde eſt ex tantae potentiae metu bellum atrox, conjuratis adverſus Metropolim Regulis liberiſque populis, dum pro ſe quiſque metuunt, ne tam proſperae Mediolanenſium res ſibi exitio forent, ac domitis undique perduellibus, & frenato vel ſublato quidquid domi eſſe moleſtum poſſet, ad toties repetita ſemperque irrita vota majorum ſuorum attolleret Philippus Maria animos, ut ſcilicet Italiae Rex ſuperbo lumium, & apud caeteros quoque Reges invidioſo, ac formidabili nomine diceretur. Ad ejus rei ſuſpicionem Florentini primum ſunt excitati ſolertia & calliditate ſua, & veteribus odiis. Hi poſtea Venetos admoniere. Genuenſes, uſurpata olim, dein amiſſa libertas, ingenia gentis, ſpretae legationis ira, occaſio, preceſque potentiſſimarum Rerumpublicarum ad tentandum hoc tempore fortunam incitabant. Tum Rex Alphonſus, & permotus legatione Florentinorum, & ſuo dolore ardens, quod rem Neapolitanam adoptionis jure vindicanti ſibi Mediolanenſium arma obſtitiſſent, haud aegre ſuas viciſſim opes exercituumque partem in hoſtium horum damna pollicebatur. Sabaudiae Dux Amedeus, & Demarchi treis, Eſtenſis, & Monferratenſis, & Mantuanus, fiducia validiorum, ſtimulis quiſque ſuis, & in commune omneis, deteſtatione atque odio regni imminentis armati in Mediolanenſes, dum a majoribus conjuratis erumpendi ſignum daretur, exſpectabant.

Mediolanenſibus, & Philippo Mariae in tantarum diſcrimine rerum maxime adverſarium erat, quod Cremaniola ille, per quem ſuperiora bella adminiſtrata fuerant, quo duce ſubegerant rebelles, tranſierat nuperrime ad Venetos, eaque tranſitio, nonnihil quidem etiam, ob viri famam, & in re militari uſum, ſed multo magis ob prodita per eum arcana hoſti, ſollicitam civitatem habebat, veluti ſi aliquem ex intima familiaritate ſervum in domum recipi inimicum quamvis praepotens herus videret. Diſceſſerat autem transfugeratve ille, partim quidem, ab cauſis iiſdem, ob quas diſceſſiones, & transfugia ſervorum fiunt, partim vero, ob cauſas alias proprias ipſius, atque ſingulares. Nota & communia incitamenta abeundi huic fuere Cremaniolae: quod pro magnis ſuis meritis, parce avareque ſe ad eam diem eſſe tractatum quotidiana ſervientium calamitate reputabat: quod ea quae ſecum praemia quotidie coarctarentur, large in ſcurras, aut in rerum leviſſimarum miniſtros effundi a Principe conquerebatur: quod demum aemuli ipſius & inimici praecipuum gratiae in aula locum tenerent. Illa vero ab gloria virtutibuſque viri, ſecreto, & occulte proficiſcebantur: quod Princeps ipſe certamine miſerando coeperat cum eo Cremaniola velut agere aemulatum, ejuſque obterere famam ſtudebat, adeo ut praefectos alios ſuos in ipſum irritaret ſereretque inimicitias, & Guidi Torelli praecipue odia in ipſum ultro aleret. Torellum quin etiam ipſum, demoto eo praefecerat claſſi apud Neapolim, & contumeliae huic addita mox gravior contumelia, Genuenſem quoque praefecturam, quae velut ad prioris injuriae ſolatium data erat, adimit ei, & Cardinalem ipſum Inſulanum illuc mittit.

Haec igitur dolens Cremaniola ſimul & indignans abierat ab Philippo Maria, juſſeratque valere Mediolanenſes, quos ipſos, & Principem ſera jam inutiliſque poenitentia angebat ob alienatum, & fugere coactum hominem, cujus egregia militaria facta, olim inviſa, nunc periculo imminente celebrabantur. Spes omnis in Franciſco Sforzia erat, quem viginti trium annorum juvenem aetas illa Scipioni aequabat corporis animique indole, magnitudine geſtarum rerum, atque tam immaturae virtutis pene miraculo: de cujus origine juvenis, & quemadmodum, ex patris contubernio, poſt ejus caſum, ad alienorum exercituum imperia pervenerit, ac imperium denique ſibi proprium hoc fecerit, demonſtrabo, eum perducta in ipſius Principatum hiſtoria, novos urbis noſtrae caſus ab rebus jusdem pertexere incipiam. Nunc adverſus eos, quos dixi, foederatos adſcitus Vicecomiti Mediolanenſibuſque copiarum ductor, & adminiſtrator belli gerendi, ſtatim conflictabatur invidia, & aemulatione multorum, qui fremebant atque indignabantur, homini mandatum eſſe peregrino id munus, in patria, quae gentibus ipſa aliis ſuppeditare e ſua ſobole Imperatores poſſet. Namque Proceres urbis, Mediolani, quibus animis, & ipſorum inter ſe certaminibus effecerant, ut ad ſummum imperii militaris alienigena potius conduceretur, iiſdem alienigenam hunc ducem inſectari poſtea non deſiſtebant, tum apud Principem varie criminando, tum apud exercitus corrumpendo & detrectando ipſius imperia, donec feſſus ille tam iniqua rerum conditione poſtulavit ultro a Vicecomite, ut Imperatorem bello alium daret, cui parere Mediolanenſes mallent, & ſe ipſum ad petendam obſequii fidei que gloriam primum fore pollicebatur, quoniam parum felix in imperando fuiſſet.

Ca-

Carolus Malateſta Piſaurienſis inde Metropolitanos exercitus regebat, cui homini expeditius fuerat Imperium ejuſmodi tradere ac relinquere ſi jam teneret, quam adipiſci novum, & ſuccedere Franciſci Sforziae artibus, quae magno cuilibet etiam egregioque duci comparationis diſcrimen terribile efficere poſſent. Erat Malateſta aptior paci, quam bello, mgenſque hoſtibus acceſſit fiducia poſtquam in hunc modum mutato duce, vim ſimul imminutam eſſe Mediolanenſium ſenſere. Ducem vero ipſi Cremaniolam habebant, praeterquam quod Sforziae quoque metuendum, ſi duo iſti maximi duces in bello hoc maximo congrederentur, etiam ab ira & metu, tamquam in ultimo diſcrimine ſollicitum, ut & male de ſe meritos ulciſceretur, nec ſeſe transfugam ulciſcendi locum eiſdem daret. Armatorum millia foederati effecerant ad triginta duo: Metropolitanus exercitus ex viginti millibus conſtabat.

Principia belli circa Brixiam urbem conſtitere: quae civitas, cum aegre ſemper antea Mediolanenſe imperium tuliſſet, ad foederis famam ſuſtulerat animos, & inſtigante Cremaniola ad Venetos defecerat. Duae tamen illic arces, vetus, & nova Vicecomitis nomine tenebantur, & munitiſſima alia caſtella Coenomanorum Oldratus Lampugnanus miſſus illuc ab Mediolano Praetor auxerat praeſidiis, ex quo labare gentis fidem, & defectionem parari ſuſpicatus fuerat. Has arces, & caſtella, quamdiu Lampugnanus, adverſus acerrime oppugnantem hoſtem retinebat, irrita defectio habebatur, & urbs ea poſita in medio, pari utrimque ad obtinendam eam conatu, neque Mediolanenſium erat, neque Venetorum. Ut vero Lampugnanus exceſſit arce, quae in ſummo colle poſita urbi imminet, urbs ipſa amiſſa eſt, non parvi quidem per ea tempora nominis, ſed majorem, quam pro nomine praebitura materiem malis, quae poſtea Inſubriam univerſam, & Inſubriae Metropolim hanc afflixere.

Capta ſic Brixia, foederati Venetas naves Pado flumine ad ſpem capiendae etiam Cremonae immittunt, cum quibus male, dein proſpere pugnatum, & Venetа claſſis ab victrici noſtra claſſe profligata, nonnihil eſt ſolata urbem admodum moeſtam defectione Brixienſium: ſpoliiſque, & roſtris navium Mediolanum relatis, navale decus omnium ordinum gratulatione celebratum eſt. Sed antequam ſecunda pugna in flumine committeretur, terreſtri ad Pompilianum Marte cladem acceperant Mediolanenſes, ob quam ne poſterioris quidem hujus victoriae gaudium apud occupatos luctu animos pro rei magnitudine ſentiretur. Malateſta in eo praelio captus, pars minima cladis ejus fuit: captivitaſque potius illa apud infenſos civium animos pro ſolatio habita eſt.

Adeo exſecrabantur Mediolani publice omnes iſtum ob imperia improvida, queis exercitum perdidiſſet, cum, aut conſervare potuiſſet, aut etiam victorem reducere, ſi ei, aut in ſuis, aut in alienis conſiliis conſtantia tamen aliqua adfuiſſet. Nam ubi ſtatuerat forte recte aliquid, protinus id per metum trepidationemque mutabat: gnarique hoſtes moris, & conſuetudinis hujus, captabant inſcitiam hominis, & arbitratu fere ſuo pavidum animum quotidie agitabant. Ubi nullus erat timendi locus, ipſo corrumpebat timore pulcherrimarum rerum occaſiones, & faciebat commodiora cuncta hoſti: ad fraudes idem hoſtium, a quibus vix illo umquam momento ceſſabatur, ſecurus incautuſque agebat. Infauſto die, quo cladi accepta eſt, cum ſubduxiſſet exercitum in colles, id quod paucitati adverſus multitudinem admodum ſalutare fuerat, laceſſente, & omnibus modis id ipſum quaerente Cremaniola deſcendit in aequum, & quam extentiſſimo potuit campo copias locavit, quaſi de induſtria, ut ab majore hoſtium numero circumfunderentur. Ibi nata eſt occaſio inermes etiam nudoſque fere trucidandi.

Nardus erat Torquatus in Mediolanenſi exercitu, qui ſtipendia pedibus faciebat, & Sforzianarum fuiſſe cohortium peditem hunc ferunt. Sive per laſciviam ille, ſive offenſione interpoſita aliqua, ſive ferox animo, & oſtentandae virtutis cupidus, manipularem ex foederatorum exercitu alium provocarat ad ſingulare certamen, ut in exercitus utriuſque conſpectu decernerent uter melior manu eſſet. Noverat utrumque fama militaris ob multa fortia facta, & ob procera corpora magnoſque artus, queis longe ſupra caeteros eminebant: atque ab certamine gloriae irritatis praecipue animis in eam deſcendere aleam utique concupiverunt. Perfertur ea res ad Ducem etiam utrumque & veluti per ludum accepta gregalium horum provocatione ſtatuitur dies, quo die, medio inter exercitum utrumque campo veluti per tacitas inducias militum oculis id ludicrum exhiberetur.

Statuta ſpectaculo dies fuit XI. Id. Octobris, quam atram populo Mediolanenſi lucem notaſſe volui, ut notaretur ſimul poſterior altera laeta & ſerena nobis, tenebricoſa, & funeſta hoſti. Nam ſicuti illa prior multas populo Mediolanenſi lacrymas tulit, ita Juniae Idus anno inſequente, partam eam ex noſtro luctu lauream Venetorum nomini deformavere majore luctu. Procedunt igitur eo die manipulares uterque concertator ex antecondicto in campum quatientes arma quibus pugnaturi erant, verbiſque mutuo inſultantes. Simul duo contrarii exercitus procedunt ordine ad ſpectaculum velut in eamdem ſcenam, ſed neque animorum habitus, neque vadentium forma eadem erat. Hoſtes ab duce ſuo juſſi ſumere arma tamquam in aciem ibant, & praeceperant haud dubie pugnam animis hoc ipſo, quod, ſeque & praefectos ſuos nihilo ſegnius armatos videbant, quam cum in praelia iretur. Noſtri, ſine galea, ſine telo, pars magna emittebantur ab diſcincto item inermique duce multum reclamantibus Franciſco Sforzia, & Guido Torello, qui, ſi nullum alium in uſum, diſciplinae ſaltem militaris ergo, & decoris ornatuſque cauſa cum inſignibus armiſque ſuis exercitum etiam inter ludicra eſſe habendum monebant: interimque ipſi privato conſilio armabant ſuos, & horum exemplo recurrebant ad capienda tela etiam alii, quibus minime imperatum erat.

Pars tamen, ut dixi, major inermium fuit: & poſtquam aſſedere, hinc ſemermis iſta multitudo, hinc probe armata multitudo major incipiunt concertatores duo inter ſe dirigere ictus, quos uterque inferebant, declinabantque arte eadem, quae ipſa augebatur tot inſpectantium verecundia: neque huic aut illi periculum ſuum, ſed utrique partis ſuae gloria propoſita eſt. Dum iſti ſic pugnant, noſtri quidem ſimpliciter intenti occupatique ſpectaculo, nunc clamoribus adjuvant militem ſuum, nunc eo perielitante conticeſcunt: hoſtes vero pugnam animis volventes ipſi aliam, non ad peditum duorum inane certamen, ſed ad nutum intenti ducis, accepto repente ſigno exſurgunt, expediunt tela, dant impetum in noſtros, & tota momento uno ſcena fit acies qualis fortaſſe antea numquam ſpectata erat. Septuaginta millia mortalium (tantum enim fuiſſe exercitus utriuſque numerum conſtat) in unum convoluti globum, pugnabant armati cum ſeminudis, queis indignatio rabieſque ipſa loco armorum fuit, & percuſſi jam vulneratique multi in mortem, aut telo arrepto aliquo, vulneravere proditores, aut per tela ipſa furibundi ad fauces affluxere eorum, ibique unguibus & dente gerebant rem, atque conatui ſuo immoriebantur. Conſtitit, ab moribundo inermi non neminem eſſe praefocatum, cui proſtrato ac dejecto ille ſuperincubuerat, bucculaque revulſa injecerat manum. Quodque foedius dictu videri poſſit, in ipſa poſtea noſtrorum ſtrage reperti quidam ſunt compreſſis tenentes dentibus membra aliqua hoſtium, quae ſpiritu extremo aſperante animos, impetumque addente abſtulerant morſu: & ſicut inter caeſorum acervos, madida ac fluentia cruore hoſtili Mediolanenſium ora cernebantur, ita in loco praelii fuſae paſſim auriculae repertae ſunt: ac in ipſa deinde talis victoriae gratulatione proditores irriſui fuere, cum auribus mutilati, vel truncis inhoneſto vulnere naribus, virtutem fateri Metropolitanorum cogerentur, qui per ducis inſcitiam fraudemque ipſorum deprehenſi ſine armis praelia tamen illa naturae telis ediciſſent. Caeterum,

Sforția, & Torellus, aliique, qui vel horum juſſu, vel ſponte ſua armati ad ſpectaculum exierant, ferro etiam, quantum pauci adverſus plurimos poterant, ſuſtinuere hoſtem, ibique Cremaniola pene irritum ſuum dolum erat deteſtatus, cum paucorum arma defenderent etiam nudos, negotiique tantum exhiberent.

Sed neque juſta haec armatorum acies, neque nova alia, cui dolor & ira fervorque ſpiritus ultimi repererat in dentibus, & unguibus tela, quae dux improvidus ademiſſet, contra ſuperfundentem ſeſe multitudinem atque ſuccedentes integros feſſis, & contra tot manus circumferentes undique ferrum valuere: fuitque ſummum virtutis opus effugiſſe ex eo praelio, dum hoſtes, aut tot inermium ſtrage, aut contra paucos armatos, defenſione ſui occupantur. Effugere Sforția, & Torellus, & alii, quos ſua virtus, & duo illi duces adjuverunt. Reliquus Mediolanenſium exercitus caeſus aut captus una cum Imperatore ipſo Malateſta, qui cauſa tantae cladis fuerat: vulgoque, ceu nova clades habita hominis ſalus, quem ſepultum atque obrutum cumulis caeſorum ipſius culpa tot fortiſſimorum militum, potius quam captivum atque ſuperſtitem debuiſſe eſſe, ajebant.

Calamitas igitur ad Pompilianum accepta haec, & amiſſus tam indigne exercitus, manente apud ſingulos eorum deſiderio quos quiſque amicitia vel propinquitate attingebant, navalis victoriae laetitiam deflorabat quae ſecuro anno de Venetis parta, cladem hanc ipſam, ut dixi, ſolabatur. Navalis autem victoria Mediolanenſium, apud temporum eorum Chronographos hoc ordine tradita perſcriptaque eſt: Cum Pompilianenſi illo caſu elati Veneti, actum eſſe de Vicecomite ac Mediolanenſibus ſperarent, inſuperque ſiniſtro ipſi alio cum noſtris ad Soncinum praelio irritati, proſperis ſimul & adverſis in Metropolim accenderentur, claſſem inſtruunt navium diverſi generis fere centum eo conſilio, ut Pado amni Cremonam aggrediantur: ſi urbe potiti forent ea, conſiliis deinde rebuſque majoribus imminentes. Praefecerant claſſi Nicolaum Treviſanum ex prima illic nobilitate, ſed multis etiam maritimis expeditionibus omnique bellica laude nobiliorem. Claſſis noſtra quinquaginta navium fuit. Navarchi, & praefecti, quamquam haud perinde aſſueti fluctibus, tamen, & indignatione ob recentem ſtrandem acuente animos, & exercitatione jam uſuque nonnullo praeparati ad diſcrimen, cujus magnitudine prope jam Oceani fama conceſſerat in Padum, nec de eo tamquam flumine homines loquebantur. Summa imperii totius ad Pacinum Euſtachium, & Franciſcum Sforțiam, & Nicolaum Picinnum ſpectabat, quorum fidei ac virtuti ut omnia crederentur, temeritas Malateſtae infelix eſſecerat.

Ut primum infeſtis concurrere roſtris naves, & adverſa utrinque fronte pugna inita eſt, quinque Mediolanenſium triremes, caelis propugnatoribus, obtruncato remigio capiuntur: qua clade duces in magnum metum adducti ſunt, ne terreſtri ſimul, & navali certamine, bello aperto pariter & fraudibus victa Metropolitana res defendi ultra non poſſet. Ac tanto magis id ipſum timebant, quia ad elaſſiariorum ingentem numerum, quos Treviſanus diſpoſitos egregieque armatos in navibus habebat, novae copiae acceſſurae dicebantur ex Cremaniolae exercitu, qui Mediolanenſium nomini infeſtiſſimus haud procul ab Pado caſtra habebat. In eo periculo, Sforția uſus hoſtium arte, dolum etiam ipſe nonnullum ſubſidio aſſumit, atque ad diſſimendum propio metu Cremaniolam, mittit ad eum duos, qui tranſfugarum ſpecie oſtendant, re deſperata navali Mediolanenſes, paratos eſſe deſcendere in terram, & nocturno impetu caſtra aggredi. Fraus ea ſaluti rebus fuit, & adverſus inſidiatorem inſidiae valuerunt. Detinente namque Cremaniola militem in caſtris, ut adverſus invitatos parati intentique eſſent, & Treviſano exſpectante ſubſidium, ut impreſſione una debellaret: noſtri, ſimula verios in ſpem auxiliorum, ſimul ab re jam bene geſta incautos aggreſſi Venetos, turbavere primo, deinde expugnavere claſſem, quae poſtea terrori victoribus fuit etiam poſtquam capta diſſipataque erat. Adeo, & tormentorum numero, & omnis generis armatura, & navium magnitudine, ac firmitate inexpugnabilis videbatur, niſi praeter eam, quam dixi, ducis artem, caſus etiam repentinus, & amnis quodammodo ipſe, expugnaſſet.

Cum enim certamine accenſo, par metus, & ſpes in parte utraque aliquamdiu eadem eſſet, ac noſtros jam fere poeniteret ejus ſpei, cum qua pugnae diſcrimen laceſſiviſſent: accidit forte hoc, ut Practoria Veneta triremeſque aliae, quae propter magnitudinem ſuam, multa aqua liberoque ſpatio indigebant, illatae in anguſtias quaſdam, fixis ibi inter vada carinis, explicare ſe ſe non poſſent. Tunc vero Treviſanus cernens exitium ſuum, ejecit ſe ſe ſaltu in ripam, atque inter vepres, & alia queis inculta veſtiuntur, eſt elapſus. Idem fecere duces, & praefecti alii, quibus, ſimul Imperatoris exemplum, ſimul metus cuique ſuus haud inhoneſtam in tali caſu fugam ſuadebat. Qui manſerant, attoniti triremium impeditarum caſu, Imperatoris reliquorumque fuga, & expeditis undique Mediolanenſium navigiis, haud multo plus momenti efficiebant, quam ſi ipſi quoque effugiſſent.

Ita, modis omnibus inclinata ad iniqua re, Veneti partam tot antea maritimis victoriis gloriam perdidere fluminis injuria: ſicuti tunc ſermo hominum fuit. Cremaniola poſtea infortunium luit capite, ſuſpectus proditionis, quia nullam in tempore opem tuliſſet. Mediolani ad victoriae gratulationem hujus, laetitia acceſſit alia ex Sigiſmondi Caeſaris adventu, qui ad petendam hinc de more coronam aderat, ne dilata diutius ea res ad legitimam imperii poſſeſſionem impedimento ſibi eſſet. In Ambroſiana Aede coronatus eſt ab Archiepiſcopo Capra, quem hoc tempore reperio nihil obturbante aemulo, ſua in ſede fungentem omni paſtorali munere etiam Principi acceptum fuiſſe. Coronati caeremonia Caeſaris in temporum eorum tabulis ita perſcripta eſt: Archiepiſcopus Capra procumbentem ad Ambroſianam aram in genua Sigiſmundum ſolenni carmine precibuſque uſitatis expiavit. Annulo digitum ejus annularem, ferreo diademate caput cinxit. Nudum gladium & ſceptrum, & globum, inſignia Imperii, in manum dedit. Haec omnia ſicuti acta eſſent, Balthaſar Capra Archiepiſcopi juſſu conſignavit litteris, & publica documenta rei caeremoniaeque ejus confecit. Ex Cottarum familia, cujus gentis homines vetuſto jure ad caeremoniam adhiberi hanc oportebat, nemo unus adfuit. Totidem verbis antiquae tabulae caeremoniam tradunt, qua Sigiſmundus Caeſar Mediolani eſt coronatus, tempore eodem, quo partam de Venetis victoriam, & poſt magnae cladis luctum, ingens navale decus, in triumphi modum exculta Metropolis juſto gaudio concelebrabat. Ac veluti cumulante in eos dies fortuna res omneis ſecundas, & magnas, triumphus alius urbi exhibitus eſt: duo captivi Reges uno tempore, Navarrus & Aragonius, quos inter Neapolitani regni tumultus acerrime obſidenteis Cajetam, Genuenſium claſſis (erant adhuc Genuenſes in poteſtate Mediolanenſium) obſeſſis miſſa ſubſidio, cepit, ductique Mediolanum aliquamdui exempla rerum humanarum fuere, trepidi ſcilicet, quidde ipſorum capite Dux Mediolani ſtatueret.

Servati benignitate ipſius clementiae gloriam tulere ei, quae victoriae famam auxit. Fertur Aragonius, cum ab Philippo Maria intra Jovis aream, ſalva inter captivitatis miſerias Regiae majeſtatis reverentia, humaniſſime compellaretur, proponendo pari affabilitate, & modeſtia fidem ſuam, gratumque animum ad omnia, quae tanto diſcretus ſpatio, imperii hujus cauſa facere poſſet, ac rurſus oſtendendo Gallorum impotentiam, & pericula, vel damna, quae Mediolanenſes appeterent, ſi Neapolitana res illuc tranſiret, flexiſſe Ducis animum, ut ſalvum, & incolumem Regem utrumque dimitteret, habito inſuper honore, & hoſpitalitate omni, quae mutuis obligaret pignoribus animos, ob ſalutem, hinc datam, hinc acceptam, & ob beneficia, quae ſalutem etiam honeſtarent. Per aliquot inde dies,

Ara-

Aragonius, & Navarrus fuere Mediolani, amplectente ac venerante Metropoli Regiam magnitudinem in eiſdem, quos paulo antea adſpexerat ut hoſtes, & miſerata erat, ut captivos. Opulentiſſimi civium certavere munificentia & comitate omni erga eos, ac data ſunt munera, quorum admiratione, Reges externi fortunas urbis ſupra regnum uterque ſuum extollerent palam. Apud Vitalianum Borromeum praecipue fiere in hoſpitio, qui ſplendore domus, & pecuniae magnitudine proximus fulgio Principis habebatur. Refert Boſſius, feſtos eos dies omnes fuiſſe populo Mediolanenſi, ſupplicatum ad praecipua templa Urbis, campanarumque ſonitu vocata cuncta ad hilaritatem: Reges ipſos in templum maximum ventitaſſe aliquoties, atque ibi, tum partium B ſingularum, tum univerſae molis attentiſſima contemplatione mirifice eſſe delectatos: in patriam deinde reduſſe tam benevole erga Mediolanenſium nomen affectos, ut captivitatis deinde illius etiam jucundiſſime meminiſſent.

Caeterum, ſicuti haeta haec in ſpeciem atque in ſignificatione in pompam, ita graviſſimae rei damnum attulere, nimiumque magno triumphus ille ſtetit. Namque Genuenſes, etiam irritati, ſicuti demonſtratum eſt, ſpretae fuae legationis ignominia, poſtquam dolor hic inſuper novus acceſſit, ut partam ſua claſſe victorium, captivoſque Reges, & defenſi Neapolitani regni decus, omnia in ſummam, & potentiam conceſſiſſe Mediolanenſium viderent, defectionem, quae dilata adhuc fuerat, haud ultra diſſulere, ſpectaculique & triumphi invidia illius àmiſſa eſt urbs, quae maritimas opportunitates Metropoli addebat, ſine quibus nullum imperium ſatis validum eſſe poteſt. Simul, ejuſdem Neapolitanae victoriae Regiaeque captivitatis invidia apud aemulos hujus Imperii Venetos Florentinoſque renovaverat antiquam curam, ne urbs uno tempore victrix, & hoſpita liberatrixque Regum, ad ſpem Italici Regni, per haec, & alia quotidie facta violentior, nulla deinde ope poſſet unhiberi, niſi nova quamprimum remedia ei malo parerentur.

Igitur, ad priſtinas ejus rei ſollicitudines novo hoc addito metu, conjurationem etiam ipſi ſuam inſtaurant, foederaque nova ineunt de coercenda Metropoli continendoque intra fines Inſubrum Vicecomite, vel etiam exturbando inde, quod ſi eveniſſet, in caetera poſtea conſilium ex eventu ipſo capturi erant. Ea conjuratio trahebat Eugenium Pontificem Max. haud ſine graviſſimarum deinde rerum conſecutione & nexu ſcilicet, ut Vicecomiti Metropolique cum ſacrorum Principe bellandum eſſet, & Chriſti Vicarius, Principum aliorum certaminibus odiſque implicaretur: quo negotio, Apoſtolica Sedes ad extrema pene deducta eſt, capta vrbe Roma, profugo Pontifice, deinde exaugurato: & initia cauſaeque tantarum calamitatum, haud aliunde quam ab nimia Vicecomitis potentia fluxere, nec alio etiam referebantur.

Cum enim ex Veneta nobilitate eſſet Pontifex Eugenius, ſpiritusque idem, ut exempla docuere, politico magis quam Apoſtolico, patriae ſuae memor, cuncta ad Reipublicae illius amplitudinem referret, ideoque ſuſpectus Vicecomiti ab origine ſtudiiſque ſuis etiam ante id quod dixi foedus fuiſſet, tum vero into foedere, inſenſus atque inviſus magis, adverſus Imperium hoc agebat omnia hoſtiliter, & viciſſim hinc ad evertendum eum cuncta ab Vicecomite exquirebantur. Nec Eugenio placebat vivere dominarique eum, unde periculum Venetae libertati ſemper intactae immineret, & metus indignatioque Vicecomiti erat ingens, ſi Eccleſiae arma, & Apoſtolicae Sedis opes, imperiumque ſacrorum, & ſuprema illa auctoritas fierent ſub fidia illis, quos, odium, & invidia, & dolor alienae pacis inquietaret.

Cumque adeo acceuſi utrimque animi eſſent, Philippus Maria hoſtem perſequendo hunc, eo provectus eſt, ut, & Concilii Baſileenſis auctoritate, Pontificatu dejiciendum eum curarit, & poſtquam id tenuerat, confictis etiam ejuſdem Concilii nomine litteris, populoque Romano concitato, Picenum ipſe invaſerit, fraude certamineque hoc impia Vicecomitum omnium facta haud dubie ſupergreſſus. Verum iſta dum fierent, deſcivit ab ipſo Franciſcus Sfortia ille per quem fiebant, cauſaeque defectionis magnae & arcanae quaedam ferebantur. Notiſſima illa, & celeberrima ſermonibus hominum fuit: quod Nicolaum Picininum Sfortiae inimicum, Philippus Maria nimium extuliſſet: atque occultiore ſuſurro muſſitabatur ſimul illud, quod Vicecomes, & Sfortia, jam pater, & filius, gener, & ſocer, adoptionis & ſponſalium jure nuncupati, vincula ea caritatis incitamenta inarum ſibi invicem tecaſſent. Cum enim Philippus Maria Franciſcum admiratione virtutis (niſi fortaſſe metu) in nomen familiamque Vicecomitum adoptaſſet, eique Blancam filiam deſpondiſſet: gravium atque quotidianarum offenſionum utraque ea neceſſitudo materiem praebebat, indignante Sfortia, quod, gener, & ſucceſſor hereſque deſtinatus, procul ab domo, procul ab aulae limine haberetur, nec tempus matrimonii veniret umquam, & potiores interim alii eſſent haud alia ſcilicet commendatione, quam odio ipſius & aemulatu. Philippus Maria viciſſim ſuas habebat cauſas expoſtulandi graviſſime & conquerendi, ſive culpa in filio erat aliqua, ſive cum nulla eſſet, fingebatur ſuſpicione patris, aemulorum arte, vel etiam, innoxius, ut plerique credidere, juvenis, peccare nonnihil, & peccando, laedere ſe ipſum cogebatur ob ea ipſa, quicis laedi ſe ſe expoſtulabat. Non enim gratia tantummodo gratiam parit, ſicuti verbum habet vetus, ſed uberiore foetu, injuriae naſcuntur ex injuriis, & dum ulciſci priora homines volunt, damnis fere novis implicantur.

Sic offenſionibus alienati mutuis Vicecomes, & Sfortia, quotidie magis alienabantur, exibatque ſermo, quod neque alter adoptaſſe vellet ac deſpondiſſe, & alter, ſine lare adoptionem, ſine ſponſa thalamos adſpernando, patris & ſoceri ſimul nomen inane adſpernaretur. Haec inter Vicecomitem, & Sfortiam jacta ſemina odiorum diſſidiique aliquamdiu cum tuiſſent: cuncta ſpeculati Venecti arripuere occaſionem, & illectum ad ſe Sfortiam exercitibus impoſuere ſuis, eoque deinceps Imperatore gerebant bellum adverſus Mediolanenſes, donec poſt multas mutuas clades facta ingenti rerum animorumque mutatione, reconciliatus ipſe ſocero patrique cuncta cum eo reconciliaret, atque pax magna ſed non duratura, iniretur. Neque vero arbitror, ex omni memoria aetatum aut populorum, homines umquam fuiſſe ullos, aut tam faciles ad bella, aut in pace tam inconſtanteis: & inter omneis eorum temporum caſus nihil tam admirabile occurrit, quam potuiſſe ipſos inter ſe populos, & Principes fidem habere ullam, cum data ſemper fides illico vana fieret. Infenſi bonis viciſſim alienis, ob minimam quamque rem, occaſionemque natam ad arma ibant: ubi poenituerat armorum, quaerebant eadem levitate pacem: haec ſtatim impetrata diſplicebat, & rurſus violata reconciliabatur: atque cum ſaepius ita egiſſent, nondum tamen credendi invicem ſtomachus taedumve ſubibat. Ne vincula quidem ipſa humanae ſocietatis, quae apud gentes omneis, maxima, & ſanctiſſima habentur, in ea Principum inconſtantia valuere, quominus Sfortia inſidiantem ſibi Vicecomitem dejicere Regno ſimul & vita conaretur etiam ex quo deducta tandem Blanca, ſexus utriuſque prolem ediderat, uxorque jam, & maritus, & borum filii, Vicecomitis nepotes, avus vero iſte, & ſocer, & rurſus filia illa, generque, plena caritatis nomina, mollis ac teneros in parte utraque facere animos poſſent. Et poſtquam inter pignora iſta ſaevitum tantopere erat, coaluere tamen iidem animi rerumque praeteritarum oblivione indicta, adverſus hoſtes alios iniere foedus, quod ne rurſus abrumperetur, morte, credo, Vicecomitis effectum eſt. Nam ea paulo poſt, ſicuti memorabo, eſt inſecuta, tunc cum flagrante bello Italia, tumeſcentibuſque animis ira, & metu, & mole ſuſpicionum, monſtrum adhuc exſpecturi aliquod poſſet ſimile priorum, quae ſocerum, & generum ſpectacula utriuſque hoſtibus antea fecerant.

Caeterum, huic tantae ſaevitiae animorum, & levitati,

tati, quae quidem, non tam hominum ipſorum, quam dominationis videri vitium potuit, rerum etiam, quae interim accidere, varietatem, & ſaevitiam recte aliquis comparaverit. Bergomum, & Brixia, & Vicetia, & Verona, Mediolanenſes inter, & Venetos obſeſſae ſaepius, captae direptae, die aliquando uno, aut dominos habuere eoſdem, qui hoſtes fuerant, aut ab dominis paulo antea ſuis hoſtilia cuncta pertulere. Veneti fâcto ad Caſſanum ponte, flumen transgreſſi Abduam, colleſque depopulati Briantaeos, capta ad Bripium Leucumque arce, caſtellis circa flumen inſeſſis communitiſve aliis, ſpe maxime inteſtinarum ſeditionum ad ipſa moenia urbis Mediolani acceſſere tamquam dejecturi Vicecomitem, Imperiique ſui ſedem facturi Metropolim. Iidem ab Orientali porta (regione namque venerant ea) pulſi & rejecti vix tutum ut ſua caſtella receptum habuere. Urbe in ipſa, Euſebius Caimus particeps omnium conſiliorum Principis, idemque ad Principes alios ſaepe legatus interficitur in templo maximo, cum ad D. Juliae aram effuſus in preces poſitis humi genibus jaceret: & cauſa tam violentae necis fuit ſuſpicio, quod Franciſco Sforziae Veneti*que* arcana imperii prodidiſſet. Cujus hominis neci continuatur Nicolai Piccinini poſt gravem morbum obitus haud ſine multo hominum ſermone, quod inter tot acies, atque tot inter tela verſatus ille non potius occubuiſſet ferro. Mortuus eſt ad Corſicum, qui locus navigabili alveo alluitur quinto ab urbe lapide, indeque devectum cadaver in templo maximo ſepelitur exſequiis, quae decerent exercituum Imperatorem flagrantiſſima apud Principem gratia, quo amiſſo, ſimulacra luctus in aula tamquam ob res perditas fuere. Tumulus ejus ingredienti Templum ad dexteram eſt juxta valvas Sacrarii Majoris cum marmorea tabula, quae parieti inaedificata ſubjectaque Deiparae Virginis imagini, carmen inciſum hujuſmodi habet: *Nicolaum Piccininum ſub Philippo Maria, exercituum Imperatorem, cui, ex corporis brevitate, cognomen ad fuerit, ſitum eſſe ibi, & petere ab omnibus, qui eo acceſſerint, ut brevi apud Deo Matrem prece adjuvetur.*

Haec duorum hominum funera, curas ſermoneſque civium a publicis malis bellique cladibus aliquamdiu averterant cum eorum alter, falſa Principis ſuſpicione interfectus fuiſſe diceretur, alter magnum Principi luctum, & una cum luctu ſollicitudinem reliquiſſet, quemnam eo amiſſo perinde fidum ſtrenuumque aſſumere ſibi ducem poſſet. Ante funera haec tumultus in urbe fuerat periculo, quam re major a Brando Caſtelleoneo Cardinale ortus, qui magna erat etiam inter collegas auctoritate & fama, aderantque opes, & animus fervidus, reique ſemper alicujus molitor. Inter caetera Sacerdotia quae multa & ampla obtinebat, D. Ambroſii Monaſterium fuit ea conditione, & jure, ut pars vectigalium cederet Monachorum alimentis, reliqua Commendatarius teneret. Monachi erant Ciſtercienſes, qui Ordo jam inde ab initio fundatus ibi, & conſtitutus pari cum Canonicis jure Baſilicam eam tuetur. Hos ille Monachos dimiſerat e Monaſterio omneis, induxeratque Carthuſienſes in eam ſedem haud parva Mediolanenſium offenſione & ira. Fit urbe tota propter eam rem conſternatio, & tumultus, qualis eſſe ſolet, cum publica jura violata animos irritavere. Poſtquam aliquamdiu turbatum eſt, publico denique conſilio opis implorandae cauſa ad Principem itur. Is abire ex templo Carthuſienſes jubet, vacuamque relinquere Ambroſianis ſedem. Ni abeant, igni ſe & ferro dejecturum eos minitatur, ſtatimque illi abiere. At Cardinalis, ubi Ducis interminitatione Monachos ceſſiſſe loco videt, ad conſilium aliud adjecit animum, ut Ambroſiani officii ritus deleret, ac pro eo Romanam formulam in Mediolanenſis Eccleſiae conſuetudinem inducere conaretur. Id non poſſe fieri arbitrabatur, niſi codicem ipſum intercepiſſet, in quo formulam Ambroſiani ritus D. Ambroſii manu deſcriptam ferebant. Adſervabat codicem Praepoſitus D. Tecla venalis homo, ſicuti res docuit, an potius abſque ſcelere ullo, levis, & parum acer ad cuſtodiam rerum, quae fidei ipſius concreditae eſſent. Hunc auro corruptum, ſive promiſſis, vel qua alia deceptum arte Caſtellaeoneus in eam mentem adduxit, ut ſacroſanctum codicem prodere ſibi non recuſet. Accepto codice, Cardinalis idem facile deinde exſequitur caetera, & primum omnium agendo cum Canonicis, impetrat hoc, ut die feſto res divina Romano ritu fiat ad aram maximam: & data opera dies eſt electus Epiphaniae, quo majore concurſu, ac celebritate nova caeremonia ſpectaretur.

Confuderat ea res admiratione ac novitate civium animos, atque inter ſeſe frementeis, cauſam, ſive auctorem immutandi patrii ritus quaerebant. Poſtquam cognitum eſt, rem eſſe artificio & machinatione conflatam ejus Caſtellaeonei Cardinalis, ad ipſius repente aedes advolavere cum facibus, & obſeſſa domo minitabantur excidium, ni ſibi codex Ambroſianus ille traderetur. Cardinalis enimvero perfuſus horrore periculi, projecit e feneſtra librum, ac timens in reliquum deinde tempus populi Mediolanenſis iras, Placentiam, unde oriundus erat, aufugit. Philippus deinde ipſe moritur jactatus febricula per aliquot dies exhauſtuſque ventris profluvio quem utrumque per ſe lethalem in affecto corpore morbum adverſus remedia omnia contumacem efficiebant curae circumſtantes, cum Venetorum arma, ſemperque ſuſpectus gener, & Imperii amittendi metus obturbarent neceſſariae quietis horas, indeque ſtomachus alienatus coqueret prave, atque venenaret quidquid prodeſſe poterat. Etiam praeter honeſtas eas ſollicitudines, decoraſque moleſtias Imperii nomine, miſerabilis cum ignominia angor exercuerat virum ob Beatricis uxoris impudicitiam, quae deprehenſa cum adultero, clementer tamen punita eſt, dato moriendi ſpatio intra Buraſchi arcem, quaſi flagitium aliud, & non extremum illud muliebre puniretur.

Reliqua fortuna moribuſque Vicecomes fuit iſte, tum felix hoc ipſo, quod amiſſum fratris importunitate fere Imperium omne recuperat, tum abſque ulla fratris ſimilitudine paternarum omnium virtutum famam nactus, ſi ab Romano demum abſtinuiſſet arma, ac niſi orta illa, Capram inter, & Joannem Vicecomitem contentione de Pontificatu Ambroſiano, favendo potius huic, offendiſſet ſuſpicione animos, quaſi Sedis Apoſtolicae decreta, & auctoritatem nollet obſtare ſibi ad ea quae moliretur.

LIBER V.

METROPOLIM PROVINCIAMQUE Mediolanum, & principem hunc Inſubriae populum, ab ea libertate, quam poſt lapſas Imperii Romani opes, ad ejuſdem Romanae Reipublicae ſimilitudinem invaſerat tenueratque per aliquot ſecula incorruptam, Turriani primum ſub tribunitiae poteſtatis titulo in ſervitutem petiere. Deinde Vicecomites Turrianis ejectis pari fallacia Principatum ſibi uſurpavere eumdem, Archiepiſcopuſque Otho, vi ſimul, & gratia, commendationeque Pontificatus illato in familiam ſuam Tribunorum nomine, decepta patria, Caeſaribus eluſis, viam ad Imperium inclytum fama per gentes omneis poſteris ſuis aditu hoc invenit, ut ad ludibrium denique tantarum rerum, Philippus Maria, nepotum ultimus filiam unicam, & cum filia regnum alieno homini relinqueret, inimici generi ſocer inviſus, cui in moriendi dolore triſtius morte hoc ipſum fuit.

Philippus Maria Vicecomitum Ducum ultimus deceſſit anno CIↃ CCCCXLVII. tempuſque id eſſe depellendae ſervitutis rati Mediolanenſes, fortius omnino quam ſelectius ad eam rem incubuere, jamque ſe ſe pro liberis haud dubie gerebant. Inter quae non duraturae libertatis exordia Archiepiſcopum Mediolani fuiſſe nullum, tradidere quidam, quibus ego utique adſentirer, niſi potiores apud me auctores alii ſuperſtitem Pontifici Caprae Joannem Vicecomitem, de quo dixi, alterum facerent. Cum enim ad Philippi Mariae fere finem Capra vitam Pontificatumque perduxerit, contraria ei ſententiae, & certiſſima conjectura dari hinc videtur. Neque vero fieri poteſt, ſuperſtitem Caprae Joannem illum fortaſſe fuiſſe

fuiſſe quidem, ſed nihil juris aut poteſtatis ad Eccleſiae gubernacula habuiſſe, cum vitio creatus, ideoque dejectus Pontificatu antea eſſet. Apparet namque fuiſſe etiam reſtitutum, idque convincitur Apoſtolici diplomatis teſtimonio, quo diplomate piam ipſius mentem de ſacerdotiis quibuſdam novis inſtituendis laudat Pontifex Eugenius, annuitque, ut ea ſacerdotia ex Apoſtolicae Sedis auctoritate inſtituat, quo auctior, & florentior in Eccleſia Mediolanenſi divinus cultus eſſe poſſit, & quo pluribus ſimul ipſe monumentis ad aeternam ſalutem inſiſtat. Ibi vero, & Archiepiſcopum Eccleſiae Mediolanenſis Apoſtolicae litterae nuncupant Joannem hunc Vercellim Vicecomitis filium, & omni alta affabilitate honoreque verborum proſequuntur: quarum ſane litterarum hue transferre ſummam juvat, ut melius clariuſque noſcatur origo ſacerdotiorum, quae ab Archiepiſcopo illo Joanne fundata gentilitia hodie poſteris ejus manent. Summa igitur ea litterarum haec fuit: *Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Joannem Archiepiſcopum Vercellim Vicecomitis filium, volentem ampliſicare Mediolanenſis Eccleſiae cultum, proque animo, pro fluxis & caducis mortalium rebus, ſupera, & aeterna cogitantem ſupplicaſſe Apoſtolicae Sedi, ut ex ejus auctoritate licitum ſibi eſſet, ad caetera loca Canonicorum Templi maximi, locum addere unum, quem obtinens Canonicus, dignitatis vocabulo Praepoſitus appellaretur. Supplicaſſe item, ut in D. Nazarii Aede ad aram, quae Floriana dicitur, & in Templo maximo ad aram alteram, quamcumque ipſe elegiſſet, jus facultatemque haberet ſacerdotia inſtituendi ad rem divinam in utraque ara perpetuo faciendam. Quae ſacerdotia, & cum Praepoſiti titulo Canonicatum, Archiepiſcopus idem, ſicuti ſuo aere fundaturus inſtructuruſque eſſet, ita ſupplicaſſe, ut ſibi, heredibuſque ſuis, poſtquam ipſe deceſſiſſet, jus foret eligendi ac nominandi homines idoneos, quibus ea demandaremur. Ea conſilia & poſtulata, quia pia & juſta eſſent, conmerentque divinum cultus ampliſicationem, etiam auctoritate Apoſtolica debuiſſe comprobari, ideoque annuiſſe Pontificem Eugenium, ut Archiepiſcopo Joanni cuncta ea, ſicuti eſſent expoſita & petita, gratificaretur.*

Inerat deinde diplomati mandatum aliud Apoſtolicum, ad Joſephum Bripium, Canonicum ejuſdem Eccleſiae Mediolanenſis, ut ille, inſpecta & cognita donatione bonorum, quae ſacerdotiis inſtituendis ab Archiepiſcopo Joanne aſſignarentur, ſi rem eſſe idoneam videret, exſequeretur, atque praeeſſet ei actioni. Aſſignavit Archiepiſcopus, Canonico quidem & Praepoſito florenos nummos centum: rei vero divinae ad aram utramque faciendae, nonaginta. Mimme igitur ego dubito, quin, & Archiepiſcopus iſte Vicecomes, & legitimus Archiepiſcopus Mediolani fuerit, tunc cum, Philippo Maria extincto, Vicecomitum nomen ab ſuperbia faſtigioque Principatus ad privatae fortunae jura neceſſitateque redierat. Sed mortuo Principe, tanti rerum motus aderant, bellique tanta moles, ut ſicuti haec Archiepiſcopi illius actio fefellerat vulgatos urbis annales, planeque exciderat ex omni litterarum memoria, niſi repertae forte apud Archiepiſcopi heredes Apoſtolicae litterae traditaeque nobis rem ſilentio oblivionique exemiſſent: ita actiones alias ejuſdem, aliorumque Pontificum intercidiſſe mirum haud videri debeat. Nunc conſilia Reipubliceae Mediolanenſis in uſurpanda tuendaque libertate, ſpes atque cupiditates Italiae Principum interjectas, varios ancipiteſque caſus, & veluti dubitantem in co diſcrimine fortunam, & qui demum exitus negotio fuerit, narrare pergemus.

Mortuo Principe, Mediolanenſes erectis ad liberandam urbem animis, haud ſine exſecratione majorum ſuorum, qui ab familia una, per Archiepiſcopi fraudem, ſervitium patriae imponi illud paſſi eſſent, conſpirarere, ne quemquam Mediolani regnare paterentur. In id, proviſis, quae providenda erant, multumque inter ſe ſe collocuti Principes urbis etiam ante divulgatam Ducis mortem, poſtquam ab intimis ea celari deſita eſt, diſponunt paſſim armatos ad omnia ſuſpecta loca, vias ipſas tranſverſis foſſis, & catenarum obice, ne ſit uſpiam ad interiora aditus, claudunt. Dein, tamquam haud dubie jam uſurpata libertate, Principatuque deleto, Reipublicae formam, quam maxime aequabilem, repetitis ex vetere Republica exemplis tumultuarie inſtituerunt: publicum urbis Concilium Senatuſque octingentorum, qui ſummae rerum praeeſſent, renovatur. Caeteri Magiſtratus in ſingulas portas deſcripti bini, hique facti bimeſtres, ut eunte per capita honore, pax animis, amorque ſtatus ejus maneret: caetera omnia ſalubria, & apta libero populo quae poſſent eſſe conquirebantur: & quo magis placebant inita libertatis, eo invidioſius exſecrabiliuſque Vicecomitum & Regni nomen fiebat. Haud tamen prohibuere, quo minus Philippus Maria Principum ritu tepelretur, eſtque ſepultus penſili tumulo poſt aram maximam, quale Joannis Archiepiſcopi monumentum manet. Alii, ſepultum quidem rite Principem, ſed die funeris, tantum fuiſſe turbarum in urbe tradunt, ut interpellata exſequiarum caeremonia ordineque confuſo, pompa ipſa diſſiparetur, & ab deducendo cadavere averſi Clerici ſimul, & Proceres, & familia tota, & populus ipſe ſpectator, abirent, qua quemque vel periculi metus, vel cura aliqua ſuarum rerum, vel ſtudium etiam inane videndi quid fieret, avocarat. Erant publici Concilii capita repetendaeque libertatis auctores, Antonius Trivultius, Theodorus Boſſius, Georgius Lampugnanus, & Innocentius Cotta. Hos, & Principes fere alii ſequebantur, & plebs ipſa, ceu parentes patriae ſuſpiciebat, intentaque erat ad imperia eorum, & nutus.

Sed multa ſimul obturbabant terrebantque: prope victor in vicino Venetus hoſtis, mota Italiae totius arma ob relictam hanc ſine imperio urbem, urbe in ipſa factiones detectae trahentium rem ad eumdem Alphonſum, qui paulo antea captivus Mediolani fuerat. Et erat Mediolani Regis ejus exercitus, miſſus quidem ab Rege ſubſidio adverſus Venetos, cum hoſte imminente illo Philippus Maria periclitaretur, ſed nunc mortuo Vicecomite, eadem copiae Aragonio Regnum, & ſibi ſedem in hac provincia meditabantur, verſaque in terrorem etiam auxilia erant. Praefectus eorum auxiliorum Raimondus Bollus, occupata Jovis arce factus ex auxiliari hoſtis, vexilla Regis ſui populo oſtentans concitabat turbatos nimium ſua ſponte animos, ut ſpecie illa novi, & externi dominatus objecta alienarentur interdum ab iis, quos liberandae patriae auctores nominavi. At viri fortes, quibus, neque perſeverantis animi vigor deerat, neque ad conſilium, quamvis inter ancipita expediendum, ſubtilitas ingenii & acumen, & rerum uſus, eodem tempore, & malum tollere hoc quod domi natum erat, parant, & adverſus imminentes alios undique hoſtes, praeſidia opportuna moliuntur. Raimondum eum Aragonenſem, corruptis auro qui circa ipſum in arce erant, dejecere inde, arceque recepta ipſa, inimiciſſimum illud libertati opus immiſſa cum ferramentis plebe demoliti ſunt. Familiam vero Raimondi, quae in Monaſterii Ambroſiani aedibus erat, diripuere univerſam, & multiplici in omneis partes terrore oſtentato, duces alios peregrini exercitus adjunxere ſibi: quae omnia, nec providentius, nec feliciusadminiſtrari potuere, quam geſta, & adminiſtrata erant. Paulatim inde agendo multa, & providendo labuntur ad conſilium, fronte quidem ipſa, & ſpecie conſentaneum prudentiae & felicitati eidem, atque liberantibus patriam in tali tempore prope neceſſarium, ſed exitu ad id quod quaerebatur miſerabili & calamitoſo.

Franciſcum Sfortiam generum ſuum, Philippus Maria, ſaepe alienatum, ſaepe reconciliatum rurſus, & ſemper, ut demonſtravi, ſuſpectum, paulo antequam moreretur, victus ingruentibus undique periculis, rogaverat, ut ad ſe cum exercitu ſuo veni et, & in itinere ipſo, dum properat ille, dum accingitur ad ſoceri mandata, novae exortae ſuſpiciones tardaverant venientem, & moratae erant, donec abſumpto ſene, ac finitis eo tandem exitu ſuſpicionibus, agitare ſerio demum ipſe imperia, & res magnas coepit. Hunc, accepto nuntio de ſoceri morte, properantem ab Cotoniola,

jamque progreſſum in Parmenſium fines, & ibi caſtra habentem, re agitata in Senatu, per Scaramutiam Balbum rogant, ut in eaſdem gerendi belli conditiones, in quas fuerat a Philippo Maria evocatus, venire pergat. Quod conſilium, ut dixi, ſicut exitio rebus fuit, ita ſalutare in frontem, & prope videri neceſſarium poterat ob inclytam ejus hominis in re militari famam, ob veterani robur exercitus quem ducebat: & qua nihil ſocius amicuſque aſſumeretur, acerrimum fore hoſtem apparebat, vel ſuis ipſius auſpiciis, vel tranſlata ad Venetos omni virium ſuarum mole. Erat Franciſcus Sfortia Sfortiae Attendoli filius, cui Attendulo, ſua virtus, & fortia facta apud Reges gratiam, opeſque, & inde partem imperii, propriosque exercitus, & ipſum Sfortiae nomen invenere. Antea, Jacobus, ſive Mutiolus fuerat: parenteſque ejus, Joannes, & Eliſia intra Cotoniolae fines honeſti, praeſagium accepiſſe ferebantur, fore, ut depoſito, quod ipſi impoſuerant nomine, proles ea nomen aſſumeret aliud quod fieret familiae cognomentum, & late noſcitaretur. Hoc igitur parente Franciſcus ortus, poſtquam is in Aterni fluminis trajectu ſummerſus abſque duce ullo Sfortianum exercitum reliquerat, conſenſu militari ſalutatus Imperator, ac deinde, quacumque bellum aliquod gereretur, expetitus, & Philippo Mariae praeſertim adſcitus, fortunaque ſub ipſo uſus ea, quae demonſtrata eſt; nunc accepta a Mediolanenſibus gerendi belli poteſtate, reique militaris adminiſtratione, ſtatim diviſas curas habebat, tuendi Mediolanenſium ipſorum Imperii, & ſimul rapiendi uſurpandique inde quantumcumque poſſet ſalva in ſpeciem fide: donec gerendae demum alienae perſonae finis, belloque aperto invadendi quos tuebatur, tempus veniret. Appellatis in itinere Parmenſibus, acceptaque ab iis fide, ne ab Mediolanenſium amicitia & auctoritate diſcederent, Cremonam cum exercitu progreditur, quam ei urbem Philippus Maria dederat, cum Blancam filiam in matrimonium daret. Ibi conditiones, in quas fuerat ab ſocero conductus, cum Aluiſio Boſſio, & Petro Cotta Reipublicae Mediolanenſis oratoribus firmat, uno hoc addito, ut ſi Brixiam ipſe cepiſſet, urbem eam haberet, liberam: ſi poſtea Verona etiam eſſet capta, hanc quidem haberet, Brixiam vero dimitteret. Rebelles inde Tiemenſes, qui Mediolanenſium odio parati imperium quodlibet accipere aliud, adverſus Metropolim caput ſibi aliquod quaerebant, aſſumit ſibi, Comeſque Papiae appellatur, praeclara interim apud Mediolanenſes ipſos excuſatione hac uſus, quod niſi maturaſſet ipſe urbem recipere eam, ventura fuiſſet in hoſtium poteſtatem, quodque magnus bellicus apparatus, & Pado amni armandae naves ibi haberentur: ſpes praecipua belli, quod ipſe adminiſtrandum ſuſcepiſſet. Proinde, ne offenderentur, ſubſidiaque imperii ſui ſcirent eſſe, quidquid Franciſcus Sfortia poſſideret.

Mala initia negotii etiam ad exitum infauſti, peſſimeque Reipublicae conſultum optimus quiſque autumabat tunc, cum ſumma rei militaris ad hominem eum delata eſſet. Ac talibus quidem initiis offenſo Senatu, multumque ſuſpecta novi Imperatoris fide, conſilium occulte initum eſt Mediolani, ut peterent potius ab Venetis pacem, quam ut bellum gererent eo duce, qui rapiendo ſibi, & intercipiendo quas ad Metropolim adjunxiſſe debuerat urbes, rudimenta ea infidi animi in ipſo rerum aditu poſuiſſet: miſſoque confeſtim in caſtra Venetorum Petro Cotta, pacem & foedus petiere. Sed cum Veneti, alias etiam, ut ferebant, eluſi ſpe pacis, legationem eam ſpreviſſent, neceſſaria viſa diſſimulatio adverſus Sfortiam, quem ceu priorum obliti, attentiore in poſterum cura, per litteras monuere, ut meminiſſet, tuendi Mediolanenſium Imperii cauſa ipſum eſſe adſcitum: nihil erraturum, ſi omiſſis in praeſentia curis cupiditatibuſque aliis, rem eam ageret: Senatum Populumque Mediolanenſem, inter alia inſtituta, quibus delectetur, grati animi famam erga bene meritos non parvi aeſtimare, & poſſe praemia tribuere ei ob fidem, majora, quam quae antecapere ipſe feſtinaret. Talia quaedam ad Sfortiam in caſtra perſcribi Senatus juſſerat: uſique deinde diſſimulatione ac lenitate eadem, ſpeculatores appoſuere ei, per quos, in ſingula fere momenta, quid ageret, quove moveretur, ſcirent. Et ille, nondum, ſcilicet, maturum eſſe tempus exiſtimans depromendi id quod penitus animo inclusum habebat: ſimul, & Senatus litteris, & conſcientia admonente, videns, ob interceptam Papiam, tentatique in conditionibus alia, ſuſpectum ſe eſſe Mediolani, ſedulo agitabat, moliebaturque omnia, ut ſuſpicione ea ſe eximeret, faceretque fidem animi, nihil aliud, quam bene geſtae Reipublicae laudem quaerentis. Opportune autem ad placandos Mediolanenſium animos, probandamque Senatui fidem, ei contigit, ut Derthonenſes Ticinenſium animo ſemper averſari Metropolim, urbis ſuae imperium ad ipſum deferre vellent, multumque rogarent, ne accipere gravaretur: quod abnuit ille, & Praetorem tantummodo dedit. Caetera deinde gnaviter ac proſpere adminiſtrando, conſulendo de rebus omnibus Senatum, & Senatuſconſulta diligentiſſime exſequendo, ea aliquamdiu erat integritatis fideique exiſtimatione, ut, cum alia ſuper aliam victoria nuntiaretur, objurgarent amici ejus alios, quod ipſum ejuſmodi ſuſpicionibus violaſſent.

Cum enim praeter Veneti belli molem, Galli etiam, & Genuenſes, & Sabaudienſis, & Eſtenſis, ad occupanda Mediolanenſis imperii varia loca, prout quique partem aliquam, vicinitatis illecebra, ſeu jure nonnullo petebant, uno tempore coorti eſſent: tantis afflictam difficultatibus Rempublicam fide illius ac virtute quotidie fieri meliorem apparebat. Et referebat, ut dixi, ille cuncta ad arbitrium auctoritatemque Senatus, ut ne gloriae quidem fructum, adeo non jam imperii partem quaerere ſibi ullam videretur. Foedus quin etiam inire cum Galliae Rege, ne ea res apud Mediolanenſes detrimento ſibi eſſet, recuſavit, cum clandeſtina in id legatio in caſtra ad ipſum veniſſet. Majoreque & illuſtriore merito, Rainaldum ab Rege eodem cum exercitu miſſum ad tentandas Italiae res, jamque concitatis ad rebellandum Alexandrinis, finitima invadentem, repreſſit precibus & auctoritate, memorans in colloquio vetera patris ſui merita erga Regem Gallum. Placentiam inde, quae praeſidio Venetorum tenebatur, oppugnare aggreſſus, quadraginta dierum labore expugnat, urbemque eam inter exercitus utriuſque injurias vaſtatam peſſime ac direptam conſtituit Reipublicae Mediolanenſis nomine: ſolatia, & jura, & magiſtratus dedit. In cujus quidem oppugnatione urbis, nihil a ſcriptoribus praeterminiſſum eſſe video, quo major fieri poſſet gloria, vel Ducis ipſius, qui rem geſſit, vel Populi Senatuſque Mediolanenſis, cujus nomine geſta eſt, vel etiam hoſtium ipſorum, qui, ne urbis ejus poſſeſſione dejicerentur, pertulere ac tentavere quidquid ex patientia, ingeniiſve mortalium, inter magnas dimicationes, hiſtoria umquam admirata eſt. Sagunti profecto, five Syracuſarum, aut Tyri conſtantiam & aerumnas, & hinc oppugnantium, hinc obſeſſorum artes, & in utraque parte multiplicem ſtragem Placentina ea res aequavit: neque ego repetendo deſcripta jam ſedulo ab aliis, certamen inane famam, otiove abutar, cum vix ad ea ſufficiam quae nunc primum ex diuturno ſilentio in lucem hanc aliquam extrahuntur.

Agentem iſta Sfortiam laudabant quidem Mediolanenſes, deceſſeratque ſuſpicio multorum animis capitaliſſima illa, quam ipſe ſibi, primis, ut demonſtravi, diebus, conceiverat: ſed quo majora erant ea, quae geſſiſſet, ruurſus nimia gloria viri ſuſpiciones aliquando hominum eaſdem irritabat. Nam, praeter ſecundas quotidie magis ad Placentiam res, & jam prope depulſos ea regione Venetos, foeduſque cum Galliae Rege repudiatum: celebrabatur omnium ſermone ſingulare illius ingenii acumen, quo conſilia omnia Venetorum exceperat, atque eluſiſſet, ſimulque robur animi, quo leviter laceſſitus vocaſſet ipſos ad univerſae rei dimicationem, & illi pugnam detrectaſſe ferebantur. Nimium id eſſe gloriae videbatur, quae, ne ſeſe altius efferret, frenandam eam, atque comprimendam, ſecreto in con-

conciliis ajebant. Itaque, dum ille Placentiam in propinqua jam ſpe victoriae quateret maxime, & oppugnaret, miſſo alio in Alexandrinum agrum ab urbe exercitu Mediolanenſes, poſtquam infectum rurſus ei agro Gallum ita domuere, ut ſuper vetera exempla, terribile atque funeſtiſſimum id infelices reliquiae referrent domum, gloria etiam ipſi elati, victorem exercitum duci Derthonam jubent, eique urbi, quod Metropolitano ſpreto imperio Principem ſibi Sfortiam habere voluiſſet, pro ea temeritate malum, exitiumque ferri. Ne magna aliqua urbis ejus calamitate fanciretur urbium etiam aliarum fides, idque exemplum in Sfortiae ipſius contumeliam ſtatueretur, ea res obſtitit, quod cives illi, ejecto protinus quem Sfortia dederat Praetore, permiſere ſeſe Mediolanenſium poteſtati, & in quaecumque pacta adigi ipſos viſum fuit, juravere.

Minime fallebat Sfortiam, telum in ſui nominis famam directum fuiſſe illud, nec Derthonenſi populo, ſed ſibi uni terrorem eum eſſe oſtentatum, admonitoſque ſic eſſe omnes, quantum opis & praeſidii in tutela fideque ipſius collocatum habere poſſent. Sed multo magis angebat eum, quod parce, & lente cuncta ex urbe ad exercitum mittebantur, ſive pecuniam ad perſolvenda ſtipendia militi, ſive ſupplementum poſtulaſſet. Jam enim, praeter excitatos magnitudine rerum animos ad minuendam illius famam, ne periculoſa alequando libertati foret, etiam nova ſpes erat exorta Senatui populoque, poſſe cum Venetis pacem fidam boneſtamque componi, quoniam pars utraque ſatis gloriae, ſatis etiam cladium, & periculi in poſterum eadem haberet, qui bellorum omnium honeſtiſſimus eſt finis. Conſilii hujus auctores in Senatu praecipui erant Picinini duo, Nicolai filii, de cujus exitu demonſtratum eſt, qui paternarum inimicitiarum heredes removere ab exercitu Sfortiam conabantur. Atque hortantibus aſſidue eis, & ſua ſponte ad pacem inclinante Senatu, quae libertati non obſtaret, miſſis ultro citroque legatis, res ita agitabatur, ut Senatui Populoque Mediolanenſi cum Senatu Populoque Veneto pax eſſet: de praeſenti ſtatu & conditione partium nihil mutaretur. Haec ita pepigerant legati.

Sed quia rata eſſe non poterant, niſi prius in Concilio octingentorum relata, comprobataque eſſent, admonitus Sfortia per homines ſibi fidos, quos Mediolani habebat, id ſpatii habuit ad plebem concitandam, ut conſpernata pacem, ſeditioſo clamore bellum potius juberet. Jactabant ejus fautores, pacem fore ignominioſam, infidam, quovis bello triſtiorem, & alia, quae per litteras, aut nuntios idemtidem ipſe inculcabat tamquam Reipublicae cura: ſuberat dolus, ut exercitum ipſe haberet, & pars utraque bello fatigaretur, donec ad rem ſuo nomine gerendam matura omnia eſſent. Nam ubi Venetorum exercitum agro Mediolanenſi ſubmoviſſet, ſtatuerat, vel occaſione arrepta aliqua, vel ſi nulla daretur, ipſo adoptionis & matrimonii jure convertere ad recuperandum ſoceri imperium eadem arma, quae ad defendendam Reipublicae noſtrae libertatem accepiſſet.

Neque me fugit, eos, qui Sfortiae hujus geſta litteris mandavere, & propria cura res ejus ampleti ſunt, elevare iſta verbis, culpamque conferre omnem in Mediolanenſes ipſos, qui, tum diſſidiis inter ſe aeternis, tum implacabili erga Sfortiam invidia, perpetuaque infectatione gloriae ejus, coegerint ipſum conſulere ſuae ſaluti, & ſibi filiiſque ſuis debitam imperii hujus hereditatem vindicare. Sed commune quidem hoc eſt omnium, qui res alicujus, ſive Principis, ſive populi, gratia rogatuque aliquo ſumpſere excolendas, ut cuncta, quae minuant laudem, aut artificioſe declinent, aut in contrarium vertant. Alioqui, ſine fructu laborem, & fortaſſe damnum habebunt. Mihi, non excolere, ſed narrare vetera haec ſancte aggreſſo, procul abeſt ea cura, ſemperque vera ſpecioſis anteferemus.

Magnus utique bellator Franciſcus Sfortia, & omni reliqua laude par antiquis non caruit eo certe vitio mutabilis animi, quocumque ſpes aliqua fortunae augendae, & dominandi cupiditas vocaret. Etiam ſub ſocero Philippo Maria, tum antequam gener eſſet, tum poſt deductam maxime Blancam, nunc ab ipſo ad Venetos, & Florentinos, nunc a Florentinis & Venetis ad ipſum deſciverat haud alia inconſtantia & levitate, quam ſine qua ipſam conſtantiae virtutem, nudam atque inutilem venatrix ſuorum commodorum regia prudentia appellat. Jam inde a Sfortia patre didicerat has artes, atque mobilitatem transferendae fidei prudentiaeque in partem eam, ubi majora momenta utilitatum ſtarent. Nam etiam ille Neapolitanis antea bellis, nunc ab Ludovico Andegavenſi contra Reginam, nunc ab Regina contra Alfonſum ſteterat: & variatis tamen ita vicibus blandiſſimi ſcriptores officii nomen imponere potuerunt. Quae porro jura ſucceſſionis, quamve adoptionem, quodve matrimonium adverſus Mediolanenſium libertatem jactare poterat gener & filius ſoceri, & patris, cujus majores haud alio, quam communi nobiſcum jure nati in hac patria erant? Nimirum, etiam ipſe ſibi conſcius, quam tenui filio ſua haec jura attinerentur, premebat alto ſilentio rem totam, neque verbum adhuc ei excidebat ullum, unde ſuſpicandi minima anſa praeberetur, niſi multa, quae occulte agebat, intimos animi ſenſus, ipſo non ſuſpicante prodidiſſent apud eos, qui numquam deſierant ad conſilia illius ſpeculanda intenti eſſe. Poſtea, maturis jam negotiis, res ſimul & verba, & repentina armorum converſio, tranſlatique exercitus, & adſumti ad Metropolim invadendam hoſtes iidem, in quos pro Metropoli pugnarat, omnia uno tempore, ſicuti demonſtrabitur, & comprobavere, quas dixi, ſuſpiciones, & nimium ſero coarguere alios, qui vanum eſſe timorem volebant.

Nunc Sfortia, poſtquam arte conatuque omni pervicerat, ut ſpreta, quae jam convenerat, pace, Senatus bellum decerneret, ſimulatione quidem, & cunctarum apparatu rerum intentus erat in quamcumque partem, ſive Senatus cenſuiſſet, ſive laceſſiſſent hoſtes: animi vero ſui curis & occultiſſimo ſenſu ſpectabat urbem Brixiam, de qua urbe in conditionibus erat, ut ſi eam ipſe cepiſſet, potiretur, haberetque propriam & ſuam. Nondum id quidem ſuſpicione ulla attigerant Patres, ſed paulo poſt mirifice attigere: ac nihil aliud in praeſentia cogitantes, quam ut decreto bello, nulli rei deeſſent quae ad profligandos undique Venetos, imperiumque conſtituendum, pertineret, de Sfortiae ipſius fide animoque erga Rempublicam ita judicaturi erant, ſicuti ille deinceps egiſſet. Is nunc caſtra ad Cremonam habebat, acceptoque Senatuſconſulto, quo bellum ei, ſicut antea decernebatur, ad Caſſianum cum exercitu proficiſcitur, quam arcem, quodque municipium Suerii juris olim, poſtea ab dominatu altero ſicuti pleraque alia poſſeſſum, Veneti hoc tempore habebant. Eam recuperari arcem permagni ad rerum ſummam intererat, obtinente Veneto Laudem quoque Pompejam, & Meltium, & Trevilium, & pleraque agri Cremonenſis, ita ut neque ſupportari commeatus in majora caſtra, neque nuntii ſine diſcrimine commeare poſſent. Mittitur illue ab Senatu etiam Aſtor Faventinus cum iis copiis, quibus ipſe praerat. Hunc mandatum, ut pontem in Abdua faceret, qua Cremonenſem agrum alluit flumen. Facto ponte conjunctiſque exercitibus, decem dierum oppugnatione recuperavere arcem. Eo terrore, qui Meltium obtinebant, aufugerunt. Pandinum inde & Ripalta, & quae trans Abduam caſtella praeſidiis Venetorum tenebantur, capta, & direpta, vel ſi expedierat, munita & inſeſſa.

Veneti ad defendenda iſta ſegniores, Cremonam vi tota aggreſſuri erant: jamque inducta in id claſſe Padus inhorruerat. Tunc ſcilicet Sfortiae cura rerum ſuarum pugnare cum auctoritate Senatus: & non ſolum tuendae Cremonae ſtudium, quam urbem ei Philippus Maria aſſignarat, ſed etiam Brixiae adipiſcendae cupiditas, quam ſibi pepigerat in conditionibus, certamen cum publico conſenſu ducumque aliorum ſententia ad rerum ſummam inutile injecerunt. Volebat Sfortia, impoſito protinus in naves milite, totis aggredi viribus Venetorum claſſem, crebriſque ſuper ea re conciliis, gerendi

belli rationem hanc proponebat, ut defensa prius Cremona, ad Brixiam ducerent oppugnandam: ita fore, ut Veneti transgressu Ollii amnis prohiberentur, & bellum in suis finibus haberent. Patres censebant, Laudem Pompejam, primum omnium esse recuperandam: & cognita per legatos Sfortiae sententia, misere in castra, Oldratum Lampugnanum, & Joannem Casatum, qui voluntatem Senatus exponerent, atque hortarentur magnopere Sfortiam, ne ei rei quidquam praevertisse vellet. Ille tamen in sententia sua perstabat, & quamquam consensu ducum praefectorumque aliorum victus, castra in Laudensem agrum movisset, Cremonam tamen & Brixiam nisi collocatas in tuto haberet, nihil praeterea sit is quieto animo aggressurus esse videbatur. Opportuna consiliis cupiditatique ejus fuit repentina Venetorum impressio, qui duce Micheleto quodam transgressi Ollium, castella, quae nostri capta habebant, invasere. Casum, scilicet, periculumque jactando illud Sfortia denique pervicit, ut potestas sibi ab Senatu permitteretur agendi quidquid e Republica esse duxisset: ejusque potestatis & arbitrii tempus ita definivere: donec Patres aliud censuissent. Addidere collegam ei Gulielmum Montisferrati Demarchum, qui, cum in Venetorum castris diu militasset, hoc tempore stipendia ea reliquerat, & in parte nunc altera quaerere bona fide virtuti locum videbatur. Hunc Gulielmo partem exercitus eam attribuerunt, quae Barptolemaeo Bergomensi attributa prius fuerat, & honoris militiaeque gradum dedere eumdem, quem ille tenuisset. Namque Barptolemaeus ille notus adhuc, & per seria, per jocos ob militarem gloriam simul & cognomenti ludum frequens in ore famae, cum sub Philippo Maria ordines duxisset, dein ab eo, Mediolanensi arci, crimine, sive suspicione interposita traditus in custodiam, suspenso e pinnis fune delapsus ad ima aufugisset, mortuo Principe, ab Senatu restitutus honori pristino, nunc refugerat ad Venetos abieratque nocturnus e castris. In hujus locum Patres suffecere, quem dixi, Gulielmum, ac praeter eum additi speculatores simul adjutoresque Sfortiae clari bello viri praefectique singularum turmarum, Carolus Gonzaga, Christophorus Torellus, & Antonius Intimilien-sis, quorum ultimus ad Meltium in praesidio fuerat, & arce illic amissa profugus ad Mediolanenses, tanto magis fidus sperabatur adversus eos, unde abisset.

Accepta igitur in hunc modum potestate, & arbitrio gerendarum rerum, & copiis ducibusque auctus hisce, simul potestatis & arbitrii vinculo costodesque fidei circa se plures habens Sfortia, quam fortasse vellet, ad Cremonam pergit ire tuendam ab Venetae classis incursu, scilicet, ut ab ea parte firmatis opibus suis, opes deinde, Brixia etiam recepta, majores, iisdem Reipublicae armis tentaret, imperiumque ita trium magnarum urbium, jam inde a principio capta sibi Papia, habiturus erat. Veneta classis septuaginta navium Andrea Quirino duce constiterat juxta Casalensem arcem in eodem Padi amnis brachio, quod Metropolim afflixerat ingenti clade sub Philippo Maria, nomenque inde acceperat. Terrestrem alium exercitum sub Micheleto ad septimum inde milliare Veneti habebant. Sfortia, faucibus brachii obsessis, oppositoque ibi Ticinensium navium praesidio, ne quid effugii in medio diferimine hostibus pateret, ab altera parte bombardas in hostilem classem praecipue magnitudinis dirigi quatuor jubet, ictibusque continuis & ferrea procella Venetas naves everberari. Quod cum absque ulla intermissione fieret, ablati etiam rebus ita dispositis ea quae belli fortuna dicitur. Nam eodem tempore, & contortae e bombardis pilae ingentes cum foeda hominum laceratione, navium latera compagesque perfringebant, & collocatae in faucibus triremes, concitato repente cursu, Venetorum ex transverso supervenere navigiis, unde crebra in nostros tela accidebant, prosperaque pugna sagittarios inhibuere, & nullum interea subsidium ab Micheleto aderat: quae res haud dubie victoriam sine multo sanguine nostris dedit, despondente animos Quirino, cum nondum plane victus esset. Is enim, ubi iniqua simul omnia classi, & ex terrestribus castris auxilii spem elusam vidit, subducta raptim in vicinam arcem turba, quae superfuerat, navibus injici flammas jubet, ne integrae in manus hostium pervenirent. Ex Sforta, cum a praeda continere militem nequiret, veritus, ne supervenientе Micheleto, manus impeditae corrumperent victoriam, quae jam parta erat, latius porro spargi flammas easdem jubet, totamque classem incendio involvit, quam Veneti, haud sine gemitu, suo simul & hostili igne flagrantem ex arce conspexere. Nuntiata ea victoria Mediolanum, perinde ac debebat, laeta Patribus populoque fuit, honosque etiam ob rem bene gestam Deo immortali habitus est, & Sanctissima Virgo Deipara praesis custosque urbis adorata pretiosissimis donis, quorum nonnulla adhuc manent in Templo maximo & sub ejus titulo victoriae ab aedituis indicantur.

Caeterum, debilitatis ea navali clade hostium viribus, magnoque periculo liberata Metropoli, censuere Patres modum imponendum esse potestati, quam Sforiae summam liberamque permisissent, ac de ea re Senatusconsultum factum est in haec verba: *Quod Senatus Populusque Mediolanensis Francisco Sfortiae, rei bellicae arbitrium dedit, ut is ageret quidquid e Republica esse consuisset, eique arbitrio tempus quodcumque visum esset, finivit: nunc idem Senatus Populusque de ea re ita censet, ut Franciscus Sforsa, de rebus omnibus quas hoc bello acturas erat, ad Senatum referat, sententiamque Patrum, & populi justa expectet.* Adjecere Senatusconsulto, ut primo quoque tempore trajiceret cum exercitu flumen Abduam recuperandi Caravagii causa: Caravagio recepto, duceret ad Laudem Pompejam, & ei quoque urbi recuperandae insisteret.

Haec Senatus auctoritas perscripta & missa protinus in castra ad Sfortiam, animum ejus metu simul & indignatione confudit. Irascebatur, quia coarctatam sibi potestatem, imperiumque inhibitum videbat, eo maxime tempore, quo potius ad rei gestae praemium laxari amplificarique omnia par esset: timebat, ne detecta jam & nudata omni sua mente consilioque Brixiam eundi, Patres ad rem eam impediendam atque disturbandam cuncta semper excogitaturi essent, eoque nunc inhibuissent imperium. Jam enim ipse statuerat ad Brixiam ire oppugnandam, & consilio super ea re habito, facile omnibus in eamdem sententiam adductis, castra illuc movebantur, cum redditae sunt ei litterae Senatus, quae, circumscripta, sicut dixi, potestate, ad Caravagium ducem agmenque avertebant. Sfortia enimvero, dissimulans adhuc alte animi sui destinata & dolorem, ad Caravagium, sicuti imperatum erat, iter convertit, nihil aliud, uti fertur, effatus, quam obediendum esse illis, quorum periculo res gereretur. Quinto die quam ex Cremonensi agro moverat, dispositis locis idoneis exercitu id oppugnare castellum aggressus, ipse, & ceteri Mediolanensium duces, quibus jam aequatum fere imperium erat, in omnia incidere pericula & difficultates, quae in magnae cujuslibet oppugnatione urbis perferendae essent. Nam, & natura locus erat ad mille fere passus ob fossas & aquarum divortia prope invius equiti, & olim addita munimenta manu, novis auxerant artibus hostes: hique pridie, quam noster exercitus eo duceretur, magnis agminibus antecesserant, & majore etiam postea numero supervenere.

Itaque per mensis fere spatium, quotidiana praelia inter exercitum utrumque committebantur, & aversa omni ab arce moenibusque contentione, per agros & finitima loca dimicabatur, dum, aut qui jam praevenerant, prohibent accessu nostros, aut nostri reliqua succedentia agmina hostium arcere volunt. Ac sicuti eadem in utraque parte virtus, idemque fere numerus, & potiundi loci cura eadem erat, ita etiam neutri umquam ex acie laeti abibant. Quinto demum & trigesimo die, postquam eo ventum fuerat, cum Mediolanenses circumvallarum aegerrime oppidum haberent, ac promovendo ad moenia gradum, singulas prope glebas multo suo & hostium sanguine imfecissent, atque tunc etiam exercitus uterque paridefixus metu haereret, verentibus nostris,

ſtris, ne oppugnationi intentos Veneti a tergo aggrederentur, Veneto ſummae rei diſcrimen vitante: principium vincendi noſtris inde eſt datum, unde ſub victoriae ſpecie clades magna parabatur, nili caſus alius, ut pleraque in bello ſolent inania, & fortuita, ex manifeſto periculo ſalutem gloriamque dediſſet. Praerat arci Matthaeus Capitaneus, eo animo vir, ut neque conſtantiae ac fidei anteferret quidquam, neque inanem ejus gloriae titulum, ſuo aliorumque exitio quaeſitum vellet. Is, ubi circumfuſum oppido Mediolanenſem exercitum, & neceſſitatem adeſſe ultimam vidit, exitimans, dedita quam capta arce, meliorem fore ſuam, & praefidii conditionem, ſive fortaſſe etiam nihil adhuc tale agitans, ſed moram imminenti irruptioni nonnullam quaerens, miſſo ad Sfortiam caduceatore, inſtitit eum eo agere de conditionibus tradendae arcis, jamque ea res, & in Principum conventu, & totis caſtris magnopere agitabatur.

Interea, Venetorum duces qui feſſum pugnando exercitum habebant, & in collem caſtra contulerant, habito conſilio de ſumma rerum, dictiſque ſententiis, quid quiſque optimum factu cenſeret, ſententias eas, ad Senatum ſuum ordine perſcribunt: indicant praeſentem belli ſtatum, exhauſtas jam in unius caſtelli defenſione pugnas, & factam prope deditionem: abiceh inde agique alia, an ſubſidium ferri incluſis, & in rei non magnae diſcrimine periclitari univerſos velint, ecu parati in utrumque conſulunt. Senatores Veneti, penſatis, quae referebantur, brevi conſultatione, retinendum eſſe Caravagium ſtatuunt, idque propere ad exercitum perfertur. Una erat via, per quam penetrari ad caſtra Mediolanenſium poſſet, obſcuro per ſilvas tramite, quem Tibertus Brandolinus ducum illorum unus ſumpto lixae habitu ſpeculatum egreſſus notarat. Caetera, regionis ſitu, foſſisque & munimentis objectis, interciſa, abrupta, impedita, multiplex certamen, antequam perventum foret ad caſtra, denuntiabant.

Igitur accepto ſui Senatus mandato hoſtes hora diei ferme nona, cum noſtri maxime intenti in ſpem recipiendae per deditionem arcis, caetera remiſſius jam languidiuſque agerent, digreſſi colle abdunt ſeſe in ſilvas, & citato agmine properant ad opem obſeſſis quantocumque ſuo periculo ferendam. Et periculum ſtatim perniciemque invenere, latam foſſam, quam per vetera bella excavatam atque perductam toto quantum ſpatio in latum ſilva porrigebatur, Sfortia collocatis per intervalla militibus communierat, paſſimve ſtramento materiaque injecta alia occaecarat, & ſtipites alicubi tranſverſoſque cancellos defixerat, ut ſi hoſtis tranſire illac conaretur, praecipitatus, implicitiſque aut rejectus irritum id ſive etiam funeſtum incoeptum haberet. Neque ſpeculator Brandolinus ea munimenta vidierat, ſuſpicione fortaſſe aliqua & metu, ſive reperti tramitis laetitia propere ad ſuos regreſſus. Tumultuoſi nuntii de hoſtium adventu in noſtra caſtra perferuntur, rapitque illue Sfortia ſubito agmen: ubi, tum opportunitate foſſae, tum virtute militum deprehenſos ad iniqua Venetos ſudere Mediolanenſes ac caecidere, parta victoria, quae plena exemplorum etiam in hoſte miſerabilium fuit. Nam laqueis irretiti illi, captique & vincti trucidabantur, etiam honeſte moriendi facultate adempta, eum inter cippos, & anguſtias, non dirigere ictus, non ad pugnam aſſurgere ullam poſſent. Et noſtri impune ſeſe per adſtructos ſua manu ponticulos, ac per vada nota inſinuabant.

Haec prima procella pugnae fuit, quam caedis potius nomine appellavere ſcriptores nec amiciſſimi Mediolanenſium rebus, & inter pericula conſiliaque eadem verſati. Caedes inde alia facta fugientium eſt, ex qua qui evaſere, armis equiſque relictis, alius aho dilapſi, quacumque pervenerant, minime dubium fecere, quin tes Veneta perdita eo die, & in perpetuum afflicta eſſet. Capta etiam direptaque caſtris, & oppido recepto, opima ſpolia & nobiles captivi, Alvitio Boſſio & Petro Cottae ducendi Mediolanum traduntur. Legati hi populi Mediolanenſis in exercitu erant, nec ſine eorum auctoritate quidquam fiebat. Urbem inere triumphantes albentibus veſti equis, purpura auroque conſpicui. Parentem urbis Ambroſium, quomodo effigies ea Pontificali habitu e ſerico auroque, gemmis internitentibus publico ſumtu contexta, & per tot annos refecta ſemper manet, inſidentes equis publici ſervi pari inceſſu hinc inde ſuſtentanteis rite ac decore praeferebant. Captivorum longus ordo antecedebat: Dandulus & Rangonus, capita nuper exercitus Veneti, nunc legatorum noſtrorum fere calones, hic Cottae, ille Boſſio juxta pedes ducebantur. Ea magnae fortunae ludibria fert bellum. Sed, & vexilla Divi Marci, neſcio an honoris cauſa pompae huic immiſcebantur. Civitas tota, non praeſenti modo plauſu, quibuſve aliis laetitia declaratur victoriam triumphumque excepit: verum etiam ſecutis diebus adorabant gregatim ad omnia templa Numen, ob ejus victoriae beneficium idque more humano prope remunerantes, templa ipſi magnifice excolebant, & ſemper famelicam inter belli mala plebem, remittendo publice tributa, privatim nutriendo miſerrimum quemque cogebant agnoſcere ac venerari coeleſtem potentiam, quae, conſervata Republica imperioque Metropolitano infimis etiam benigne faceret eorum manu, qui Rempublicam imperiumque tenerent.

Verum, haec denique victoria novi belli principium fuit, cujus exitu Reſpublica Mediolanenſium erat ſub jugum reditura idem, quod Vicecomitum fine excuſſum putabunt: atque extracta in hanc diem diſſimulatione magni voti Franciſcus Sfortia, diuque cum multarum rerum neceſſitate luctatus, tandem pertinacia ſua, & injuriis, ut ferunt, alienis, ad id venit, ut hoſtium noſtrorum aperte amicus, & intenſiſſimus ipſe nobis hoſtis fieret, donec, & victor & Princeps, ſublata odiorum cauſa, paternae etiam in nos curae gloriam quaereret poſtea beneficiis, & miti juſtoque imperio etiam adſequeretur. Offenſiones autem, & injuriae, vel cauſſae, quae titulum aliquem praebuere honeſtum volenti jam Sfortiae deficere ad hoſtes, & bello perſequi aperto imperium, cujus tuendi cauſa exercitum armaque acceperat, partim ex conditione rerum ortae, partim in Hiſtoriam inductae a nonnullis, qui Sfortiarum nomini, poſtquam ea domus urbem tenebat, faverunt, hae quidem ſeruntur: Recepto Caravagio, defenſa Cremona, rebuſque aliis proſpere geſtis, rem atque conſilium de Brixia invadenda numquam omiſſum, ſaepe dilatum illud exſequi Sfortia tandem hoc tempore volebat. Si publico conſilio, & ſemper ad id moleſta ſibi Senatus auctoritate impediretur, ſtatuerat vi ſua, & eo quem habebat exercitu rem utcumque aggredi. Quia ſtudia militum, & populi favorem nomnis gloria conciliatum, & multiplici clade conterritos Venetos haberet, numquam tam opportunum fore tempus agendi aliquid, fortunamque tentandi ſuſpicabatur. Stimulabat etiam aſſidue animum & precibus, & querelis, paternae fortunae deſiderio multum anxia & importuna uxor. Non ſe ei traditam, ut laboris ſemper, & exſilii ſtipendiorumque alienorum comes foret. Alios etiam fuiſſe, ſplendidos & opulentos, e quibus Pater adiciſcere ſibi generum poſſet: praetuliſſe caeteris unum, de cujus virtute atque animo ſpem haberet, poſſe ab eo imperium retineri poſtquam ipſe deceſſiſſet. Proinde accingeretur ad opus, quod, & fama communis ab eo, & mortui foceri Manes, & nati jam, poſtve ſuſcipiendi liberi poſtularent, ne, ſcilicet, imperium, quod maternus avus ipſis maximum ampliſſimumque relinquere voluiſſet, Patris incuria ereptum ſibi cum dolore & ignominia viſuri eſſent, dedecuſque & damnum illud ad nepotes ipſi ſuos pudenda ſucceſſione tranſmiſſuri.

Talia repetentem animo Sfortiam, cum nondum ab Caravagio caſtra moviſſet, legati Mediolanenſium Theodorus Boſſius, & Franciſchinus Caſtillioneus adeunt: laudant verbis ampliſſimis virtutem fidemque hominis, eique Senatus nomine gratias agunt, quod rem adhuc ita geſſerit, ut ipſius opera Reſpublicam brevi fore conſtitutam, quieturos hoſtes, aut bellum domi habituros ſperare debeant. Petenti deinde, ut ad Brixianae expeditionis facultatem libera ſibi cuncta permitterentur, in praeſentia quidem annuerunt, poſtea vero

delata re ad Senatum, cenſuere, non eſſe e Republica, Sfortiam urbis ejus potiri: atque ad eam rem impediendam ſedulo comparanda eſſe omnia decreverunt. Id cum ſua ſponte Patres fecerant providentia & metu, ne nimium Sfortia invaleſceret, tum vero Piceninus uterque, aemulatione in ipſum, & jam inveterata apud Senatum gratia, jactando ſaepius eadem, adduxerant omneis in eam ſententiam, ut crederent, ne quidquam pro Republica & libertate fore dimicatum, ſi urbibus, ut coepiſſet, occupandis, tantopere creſcere Sfortiam paterentur. Peſtiferum eum in ſinu anguem nutrire ſibi Mediolanenſes, nec ſenſuros antequam bellua facta inexſuperabilis foret.

Ita, & proviſu ſuo, & conſiliis inſtincti alienis, ab Veneto Brixiam tenci, quam ſuccedere ibi Sfortiae quidquam malebant. Monebatur etiam ipſe litteris amicorum, miſſas ab Senatu Mediolanenſi ſunſſe litteras ad Principes ejus urbis, quibus eos hortarentur, ut in fide Venetorum manerent: cum Senatu Republicaque ea brevi pacata omnia Mediolanenſibus fore. Et litteras eodem tempore alias repererat Eraſmi Triviulti ad Vitalianum Borromaeum ſcriptas in hanc ſententiam: *Dandam eſſe operam, ut copiarum duces qui in exercitu praeſtantiſſimi eſſent, cum ſuo quiſque milite in varia loca dimitterentur, ne Sfortia Brixiam obſidere poſſet.* Mox Antonius Porrus miſſus ab Senatu in caſtra, quae jam moenibus urbis Brixiae ſubjiciebantur, mandata haec ferebat: *Duodi exercitum oportere, ut pars in Veronenſes duceretur, pars ad Laudem Pompejam tenderet. Urbium earum alteram infenſam eſſe Venetorum imperio, noſtrorumque armorum adſpectu facile illinc defecturam: altera niſi quamprimum recepta vindicataque eſſet, pernicioſi nimium exempli venominiam eam fore, cum adeo vicina Metropoli civitas ab hoſte teneretur.*

Haec ab Senatu mandata Porrus exponebat, & Sfortia eodem tempore jam penitus alienato a Mediolanenſibus animo ſpeque adipiſcendi imperii vehementius rapta, ob id ipſum agitandae eum Venetis paci intentus erat adjutoribus atque internuntiis Paſquale Malipiero Veneto, & Angelo Simoneta Mediolanenſi. Per horum utrumque ſermones commeabant, ſummaque conditionum erat: *Ut quae caſtella & arces & urbes Philippus Maria mortis ſuae tempore tenuiſſet, ea omnia una cum Metropoli, finito bello, Sfortiae huic cederent: Bergomum & Brixiam & Abduanae glareas caſtella praeter Pandinum obtinerem Venetis: per eos, quatuor millia equitum, bis mille pedites, quatuordecim millia florenorum nummum in menſes ſingulos gerendo bello ſuppeditarentur.* Quae, per eos, quos dixi interpretes, cum pacta jam & ſecreto conſtituta eſſent, credibile eſt, haud magnopere commotum fuiſſe Sfortiam ejuſmodi mandatis, licet alioqui nihil magis alienum inimicumve rationibus ipſius objici potuiſſet. Itaque, ne verbis quidem magnopere cum legato Metropolitano jurgatus, poſtquam is e caſtris abiit, apta ad id quod moliebatur oratione pertentatis militum animis, qui apud eum reliqui erant, ubi ex fauſtis clamoribus alacres, & ſibi ad omnia paratos ſenſit, poſtridie concionis ejus, ex Brixienſi per Soncinatem agrum tranſire in Laudenſes parabat. Civitas interim iſta dedidernt ſeſe Mediolanenſibus, & vehementer ea res initio novi belli Sfortiae animum turbavit. Nam ab ea parte ſtatuerat irrumpere in Mediolanenſem agrum, & aucto mox Venetorum auxilio exercitu ſuccedere vi tota ad moenia urbis.

Hanc Sfortiae defectionem Mediolanum nuntiavere primi, Petrus Cotta & Aluiſius Boſſius, qui Republicae legati exercitum aſſidue ſequebantur. Hi, concioni, quam ad milites ille habuiſſet, interfuerant: & ubi adverſus obfirmatum ejus animum aliquamdiu fruſtra tetendere, conſcenſis propere equis ad Senatum rem eam atrocem detulere. Non tamen ab Senatu quidquam temere tumultuoſeve actum. Sed miſſis ad Sfortiam Bartolomeo Morono, & Jacobo Cuſano duci haec jubent: "Valde miratos eſſe ipſos, quod tantis Reipublicae be„neficiis ornatus, arma in ipſam convertere ſuſtinuiſ„ſet, ſi nonnullorum facta diſplicuiſſent, eſſetque ali„qua re fortaſſe offenſus, debuiſſe potius oſtendere Se„natui quid doleret: & Senatum, pro ſua aequitate, „atque etiam pro ea opinione quam de ipſius virtute ha„bucrit, cognita cauſa fuiſſe fatisfacturum. Nunc quo„que ſi velit exponere alienati ſui animi cauſas, aequi„tatem Senatui manere eamdem, & daturos eſſe ope„ram, ut ſicuti ad nullum belli diſcrimen eſſe ſegnes „velint, ita ad communis vitae officia mites & juſti gra„tique reperiantur. Sin ille hoſtili erga Rempublicam „animo perſeverare mallet, aequum eſſe ſaltem, ut mi„litares copiae Mediolanenſium, quas ſecum trahat, „earumque duces Senatui reſtituantur: neque enim „arma illis in patriam data eſſe„.

Sfortia reſpondit: "Nimium fuiſſe gravia & intole„randa, quae per totum illud belli adminiſtrandi tempus „ab Senatu ſimul & Populo Mediolanenſi pertuliſſet, „tempuſque adeſſe ultionis, quemadmodum etiam vi„dere ipſos arbitraretur. Sed velle ſe quidem injuriarum „ſponte obliviſci omnium, neque quidquam acturum „impotentianimo, quamquam & praeſenti occaſione, „& dolore praeteritorum ſtimuletur: imperium vero „quod Philippi Mariae Vicecomitis fuerit, velle ſibi „vindicare, ne ingratus erga ſocerum, impius in libe„ros, uxoremque ſuam, & matrimonio proleque indi„gnus habitus ea cum damno dedecus ignominiamque „ferat. Quod ad militares copias earumque ductores at„tineat, neminem ſe morari, quo minus abierint e vesti„gio omneis quicumque Mediolanenſium adſint„. Nec plura in eo colloquio dicta.

Bellum, quod cum Franciſco Sfortia pro ſua libertate infeliciter geſſere Mediolanenſes initia haec habuit, ex quo bello victori imperium, victae civitati fortuna eadem parabatur quae ſeſe per Philippi Mariae mortem eſſe liberatam ſperarat. Quis autem poſtea crederet, Sfortiam ipſum, fundato per victoriam hanc Principatu, ſi poſt mortis tempora poſſet ſuorum intereſſe caſibus, longe praeoptaturum huic eſſe Principatui res privatas, & eum utique ſtatum, unde ſpes moliri tantas coepiſſet? Neque enim ad ſextum heredem perventura res erat: & quinque ſucceſſiones, per quas id imperium ivit, totidem tragica exempla dominantium fuere. Interfectus ob ſcelera & mores impudicos Galeacius conjuratione nobilium, inſpectante populo, ante aram, inter ſacra: mox urbs infecta conjuratorum caedibus: ſaevitia Ludovici in filios & patrui dolo datum Joanni Galeacio venenum: ipſe captus a Gallis & intra carcerem moerore abſumptus: filiorum hujus alter ſimilitudine paterni exitus, alter orba ſenecta domum imperiumque perdidere. Tanti fuerat capi urbem Mediolanum, & totam a Franciſco patre inter dolos, arma, eladeſque vitam agi!

Cum Sfortia bellum aperte Mediolanenſibus, & verbis, & re ipſa denuntaviſſet, idque Mediolanenſes, ut demonſtravi, accepiſſent, neutri parti ſatis eſſe virium videbatur adverſus imminens diſcrimen quod alteris ſervitutem, alteri exitium ultimum, & ſempiternam ex temeritate labem minitabatur, ſi clades accepta eſſet. Perterruerant enim etiam partem utramque ſtatim factae fortiſſimorum virorum tranſitiones & ab Senatu ad Sfortiam, & ab Sfortia ad Senatum, prout quoſque ad tanti diſcriminis initia objecta ſpes metuſve animo, ſive, prout affectus olim animus tenuerat nunc aut alienarat. Carolus Gonzaga cum mille ducentis equitibus, peditibus quingentis, deſerto Sfortia ſe ſe ad cauſam Senatus adjungendo fecerat aliis etiam exemplum caſtra ea relinquendi. Marchio Gulielmus & Aluiſius Vernus, & Sanſeverinates treis Rempublicam Senatumque deſeruerunt. Ex urbibus etiam ipſis aliquae nutabant ancipiti in hanc illamve partem fide: Placentinique nihil cunctati erant, quo minus dederent ſeſe Sfortiae, & ſequi fortunam illius mallent. Ob haec, aucta cura partibus, majorque effecta ſollicitudo, quam quanta fortaſſe praeſentem ſtatum, & ſuas per ſe vires aeſtumantibus initio fuiſſet. Sfortia, praeter exercitum, quem habebat, quemve ab Venetis ex foedere exſpectabat, Florentinorum etiam, Genuenſiumque & Principum aliorum, quos Reipublicae Mediolanenſium eſſe infenſos ſcuret, ten-

tentavit quaeſivitque auxilia, quae Principes genteſve eae ultro etiam mittere paratae erant.

Mediolanenſes, non jam Sfortiae, ſed auxiliorum, quae ad eum undique mittebantur, vim famamque metuentes, auxilia etiam ipſi externa quaeſivere, miſſis legatis ad Federicum Caeſarem, ad Regem Galliae Carolum, & Neapolim ad Alphonſum Regem. Aluiſius quoque Sabaudienſis & Burgundiae Dux Philippus rogati, ne urbi antiquiſſimae adverſus finitimorum conſpirationem, & adverſus unius novi hominis conflatam ex alieno potentiam deeſſe vellent. Dum aguntur tententurque iſta, viſum eſt Patribus, ut Sfortiae rurſus animum tentarent, ſi forte ad conditionem aliquam honeſtam adduci ille poſſet, qua conditione, ſalva Republica poſitis armis, tanto ſuperſederetur bello, quantum initia illa minitabantur. Facto hoc Senatuſconſulto, decretaque legatione, proficiſcuntur ad Sfortiam in caſtra, Jacobus Cuſinus, Georgius Lampugnanus, Thomas Moronus, & Petrus Cotta jam aſſueti homines ejuſmodi colloquiis, & quibuſcum libenter congredi Sfortiam animadverſum erat. Benigne in colloquium admiſſi dixere eadem, quae prior etiam legatio attulerat, de optima voluntate Senatus erga eum, publicoque ſtudio corrigendi ſi quid paucorum offendiſſet injuria: & quemadmodum magnopere mirati Patres eſſent, quod ex amico ac defenſore Reipublicae hoſtis repente exiſtiſſet: ſi maneret in ſententia, redderet ſaltem milites. Reſponſum tulere ſimile priori, niſi quod rei acerbitas, ſono magis quam ſenſu verborum, & flexo nonnihil ad placabilitatem ore mitigabatur.

Hi legati cum domum redirent excepti a militum globo & ſpoliati ſunt, quo latrocinio protinus ad Sfortiam delato, profectus ipſe e caſtris, aſſines ei flagitio omneis comprehendi & ſuſpendi juſſit: ſuſpendebanturque etiam innoxii ſuſpicione tantum modo objecta aliqua, donec legati ipſi impetravere ab Sfortia, ut finis fieret. Miſit deinde ſuam etiam ipſe legationem, cujus Princeps Benedictus quidam Reguardatus fuit. Is, dato Senatu, cum accurata oratione perſuadere conaretur, ut dederent Sfortiae urbem, eumque in Philippi Mariae locum acciperent, non deteriorem ſocero generum: adoptionis jure filium: patrem legitimae prolis ſanguiſque veri Vicecomitum: ſi ſucceſſionis ordo ſpectaretur, una cum uxore heredem: ſi vellent eligere, ob merita non indignum, & imperare aſſuetum, & obedire, neque amplius ſibi quidquam in libera urbe vindicaturum, quam ut Reipublicae caput eſſet. Haec & alia cum diceret vir diſertus, multorum haud dubie commoverat animos, quibus finiendarum patriae calamitatum exitus ille probabatur. Sed ſtatim ubi legatus ille perorarat, Georgius Lampugnanus ſuggeſtu conſcenſo eodem, omnia, quae pro libertate adverſus dominantes dici poſſunt, tanta vi & ardore vultus animique dixit, ut commutatis repente omnium animis multa graviſſima probra in Sfortiam jacerentur, atque praeſcriberetur etiam brevis hora legato, intra quam Mediolanenſium exiſſe finibus deberet.

Bellum inde ſumma vi, non parabatur utrimque ſolum, ſed etiam gerebatur. Patres, vocatis in Curiam Franciſco Picinino, & Carolo Gonzaga, quorum ille, ob veteres inimicitias ſpem ſuae ſalutis in Sfortiae exitio collocabat: hic periculorum inritio ſtatim eum deſeruerat ſuſpectatque Mediolanum: alterum creant exercituum Imperatorem: alteri Tribunatum plebis per ſuffragia populi conciliant: extollunt utrumque laudibus ob navatam ad eam diem Reipublicae operam, & magnopere hortantur, ut adverſus communem hoſtem pergant tueri urbem, quam ſibi per mutua beneficia patriam feciſſent. Conſcripto deinde paſſim milite, & habito per urbem ipſam delectu firmantur arces & oppida omnia praeſidiis: Modoetia & Novaria & Novocomum Comiti cuidam Intimilienſi tuenda attribuuntur. Majorem exercitum validioremque Sfortia, confluentibus ad eum undique auxiliis & manentibus in ea parte veteranis, habebat. Diviſo multifariam eo exercitu, velut excurſione capit una Derthonam, Novariam, Vigle-

A vanum, Briantaeos omnes & finitimos huic genti Larii lacus accolas, caſtellaque complura, Olegium, Trecatum, Gajatum, Romagnanum, partim vi, partim tradentibus qui in praeſidio erant. Et Comitis illius Intimilienſis perfidiam ſive ſegnitiem fuiſſe ajunt, quae tam felicem inoffenſo prope gradu curſum primis illis Sfortiae victoriis dediſſet. Nam, qua curabant alii, certamen anceps & egregia conſtantia defendentium fuit, donec vires, & munimenta ſuppeditavere: unumque ignobile caſtellum, Abiatum nomine, dum aggreſſus Sfortia ipſe oppugnat, prope momento uno bellum omne ibi finitum eſt, directa per filibulatorem Mediolanenſem in ipſius caput plumbea glande, quae ſin proximi
B armigeri pedem aberravit. Cujus ſin periculi memoria infenſus loco voluerat poſtea victor, cuncta illic diripienda dare militi, niſi ab uxore Blanca exoratus fuiſſet ob exactam ibi primam aetatem una cum Agnete matre. Derthonenſes publico antea conſenſu & una omneis mente proni in Sfortiam, nunc diviſi factionibus, magis etiam morati curſum ſunt, donec introducto per Gibellinos equitatu civitas etiam ea caperetur. Parma, caſu prius quodam, deinde civium fide retenta eſt, cum interceptae Rubei litterae paratam proditionem aperuiſſent, eaque repreſſa Picininus populo ipſo invitante praeſidium illuc duxiſſet.

C Caeterum, & impetus ardorque animi, quo bellum Sfortia aggreſſus erat, & ſucceſſus etiam animo pares, fecerant Mediolani motus eos, qui ſolent eſſe ubi ſuarum quiſque rerum exitum ſpectat periclitante publica: curaſque eas ancipites, atque nitantem urbis ſtatum Carolus Gonzaga conſpicatus, ſibi quoque enimvero ad ſpem augendae fortunae tentandum aliquid inter pericula illa aliena exiſtimavit. Fuerat Gonzaga iſte, quemadmodum demonſtravimus, in exercitu ductor auxiliorum tunc cum Sfortia palam a Senatu & Republica alienatus hoſtem ſeſe profiteretur: ac damnata ſpe novae militiae ejus, antehabitaque Republica hoc ipſo gratiſſimus apud Patres plebemque erat. Ea gratia favorque publicus audendi initium fuit, ſcilicet, ut imperium
D urbis Mediolani ipſe occuparet, populique clamoribus Princeps Dominuſve ſalutaretur. Largitione & epulis & comitate omni deterrimos quoſque ad id occulte praeparabat, neque Primores urbis fefellit. Obviam ire, Theodorus Boſſius, & Georgius Lampugnanus, aliique rem ſuſpicati ſicut erat. Hi pro ſe quiſque plebem hortabantur, ne pabulo objecto trahi ſeſe ſub externi hominis jugum ſineret. Si generum ultimi Principis Sfortiam ſtudio libertatis adſpernarentur, cur non alieni hujus pernicioſa blandimenta repudiarent? Gonzaga viciſſim ad populum accuſando criminatores ſuos, ajebat, bellum alere eos, non ut Sfortiam depellerent, ſed ut
E ipſi dominarentur. Ita corpus illud unum defendentium libertatem in duas partes dividitur. Hinc Gonzaga Tribunus plebis cum tota factione Guelforum, hinc Principes nobilitatis ſubnixi Gibellini nominis potentia, ſua conſilia ſeparatim inibant. Tribunus, quia obſepta ſibi ad Regnum via per Gibellinos erat, concitabat quotidie Guelfam ſuam plebem, ut dominatum urbis ipſa invaderet.

Gibellina nobilitas duplici metu anxia, & ab hoſte pariter, & ab cive, domeſtico periculo magis pene, quam bello externo angebatur. Quippe adverſus diffuſam illam tota urbe multitudinem, quae contemnitur ſemper, & terrere poteſt, in cujus manu artes & ſubſidia vitae communis, nihil valituram imperii majeſtatem,
F ubi ſemel ipſa contemnere imperitantes coepiſſet. Et jam haud dubie contemnebat. Neque conſilium & providentia regimenque temeritatis aberat vulgo, cum Gonzaga ſtimulator idem duxque, cuncta regnantium dolis & aſtu moderaretur. Imperium utique plebis aderat, cujus atrocia exempla, ne repetenda ex vetere memoria eſſent, ipſa ſibi urbs poterat eſſe exemplum.

In magno illo diſcrimine, majore metu, conjuravere Theodorus Boſſius, & Georgius Lampugnanus, aliique ut dederent Sfortiae urbem, qui conjuratorum eorum accitu ſtatim caſtra ad Landrianum decem millia paſſuum

paſſium ab urbe habebat. Picininus, cui res erat bellica mandata, cum certa jam ei conſtarent indicia conjurationis, hoſtemque propinquantem videret, excitabatur veteribus odiis, & privata aemulatione erga ipſum, ut ad Rempublicam tuendam fidus attentuſque eſſet. Nam ſi Sfortia urbem imperiumque haberet, captum ſe fore una proſpiciebat: uſuſque eſt dolo, quo nihil callidius, aut aſtutia Poenorum, aut quae Romanis honeſtiore vocabulo prudentia dicta eſt, ſtruere invicem potuit, dum fraude, ſive armis viciſſe decus idem putant. Simulans namque ſeſe deſperata Republica neceſſitati imminenti ſuccumbentem, tranſut ultro ad Sfortiam quaſi geſturus una bellum adverſus jam prope victos Mediolanenſes: revera, ut victoriae obſtaret, atque inclinatis utcumque hoſtium rebus, & cognito ibi quidquid parti alteri futurum utile eſſet, Mediolanum poſtea reverteretur. Benigne ab Sfortia acceptus, Jacobum quoque fratrem ei fraude eadem conciliat. Huic Druſiana Sfortiae filia deſponditur: dona amplad antur utrique: nec inter tanta pignora fidei ſecurus incautuſque Sfortia agebat.

Poſt utriuſque Picinini transfugium tanto magis conjurati ignari qua mente illi quove conſilio transfugiſſent, properabant dedere urbem, ut ſui muneris ac beneficii facerent id quod propediem Sfortia ſuo Marte lubituras eſſe videbatur. Sed per litteras, & nuntios, quos ſuper ea re occultiſſime in caſtra mittebant, conditiones ferebant eas, ut decernere bello, cum honeſtius ſibi, tum vero etiam tutius ille exiſtimaret, atque ita etiam reſponderet. Interim epiſtola una e caſtris in urbem ad Boſſios de rebus eis miſſa intercipitur atque perfertur ad ſummum Magiſtratum urbis, qui Guelfarum partium erat, valida jam plebe, & projecta vilique auctoritate Senatus, tum inſtinctu Gonzagae, tum credita defectione Picininorum, & ſemper inexſuperabili multitudinis impetu, ubi ſuas vires ipſa circumſpexit. Erat epiſtola ſcripta notis occultis & celantibus ſenſum, ut vana foret interpretatio praeterquam ei qui teſſeram apud ſe haberet. Ea ipſa res auxerat plebejo Magiſtratui ſuſpicionem atrocis alicujus doli, quod litteras non intelligebantur: ac propoſitis large praemiis exquirebant, qui nodos explicare eos poſſet. Repertus eſt homo mirifice callens ejus artificii, verſutus quidam & profundo ſolers, qui Principum omnium limina contriverat, ſcribendoque talia & interpretando diu operam venditarat. Is admirabilium earum notarum aliquas cognitas ſibi & familiares primo ſtatim adſpectu excepit: deinde harum indicio deprehendit alias: & rurſus haſce admovit aliis, quae latebant adhuc: ſimul intervalla ſignificantia nihil, & numeros expungendo inanes, ad liquidum certumque paulatim cuncta adducebat. Demum eo pervenit, ut ſententiam omnem fallacium litterarum extricatam, & apertam exhiberet Magiſtratui legendam, quomodo ſcripta etiam quotidiana leguntur. Inerant colloquia Sfortiae ipſius cum fratribus Boſſis Aluiſio & Theodoro: & ex iis, quae ſcripta erant, caetera etiam intelligebantur. Nomina conjuratorum in promtu: conditiones recuſatae vel acceptae: quomodo res convenire aequabilius poſſet: quomodo etiam populus ipſe eludi: & praecipue cognoſcebatur, agitatum eſſe illud, uti per portam Novam Sfortia in urbem induceretur. Namque regio erat ea plena Gibellinorum minimeque tunc opifices, & ſellularii parte in illa habitabant, ut abſque ullo plebejo tumultu, nobilium humeris Sfortia portari in urbem poſſet.

Detecta in hunc modum conjuratione, nihil dilata eſt poena, capitaque Procerum in roſtris collocata ſunt ad terrorem nobilitatis, tamquam eo ſpectaculo populare imperium firmaretur. Neque id plebejae ſaevitiae rudimentum caruit ulla arte, quam vel callidiſſimorum Regum aliquis ad principia rerum adhibere potuiſſet. Cum enim in capiendis conjuratis timuiſſent graviorem aliquem in urbe motum, ſi clariſſimi viri palam in vincula ducerentur, alium alia via quam occultiſſime circumvenere, Georgiuſque & Theodorus dimiſſi ſpecie legationis ùi Germaniam ad Caeſarem, & progreſſi Novocomum uſque, capti ſunt ibi & obtruncati, poſtquam inter tormenta conſcios edidere. Conſciorum deinde addita caedes ubi ſublatis auctoribus inhorruerant conciderantque omnium animi. Diſſimulata aliorum effugia, quibus parcere voluerant: alii relegati ultro, & proſcripti, quos, nec manere in civitate placebat, nec abſentes timebant. Bona omnium publicata, ſubſidioque deinde eo militare aerarium ſtetit. Civitas inde per Joannem Oſſonam inſtitorem viliſſimae mercis, & Joannem Appianum etiam viliori conditione ſcribam ſive Notarium regebatur. His aderant, praeter Carolum Gonzagum ex ipſa nobilitate nonnulli, qui deſerto & ejurato Gibellinorum nomine, fecerant ſe ſe Guelfos, & hoc ipſo quia deſciverant a ſuis, non minus fidi habebantur, quam ipſa ſibi erat plebes.

At Sfortia, ob conditiones, primo, ſicut ipſi videbantur, iniquas, deinde ob deprehenſum diſturbatamque conjurationem, amiſſa ſpe capiendae per dolum urbis penitus ad vim obſidionemque converſo jam animo, promotis ab Landriano in ſuburbia caſtris ad ipſa moenia ſaepe excurrebat. Si arcta ulla umquam & praecipitandis in deſperationem animis apta obſidio fuit, haec certe, & cingebat undique Mediolanenſes, & ſpem omnem ſubſidii abſcindebat, ita ut, vel frangi quamvis obſtinata pectora neceſſe eſſet, vel neceſſitate ultima erumpere ultro incluſos, & dare cuncta in unius horae diſcrimen. Pars militum ad Viboldoni Monaſterium, pars ad Melinianum ſtetere. Alii Piſcariam, quarto ab urbe lapide munitiſſimam per ea tempora arcem inſederunt: alii circa Bagienſe Monaſterium poſuerant caſtra, caſtriſque praerant iidem illi, quibus ob transfugia, Picininis exceptis, haud minus quam Sfortiae ipſi cordi erat capi ſubigique urbem, quam ipſi prodidiſſent. Sfortia cum veteranis ſuis medius inter copias fere omneis haud procul a Binaſco elegerat locum. Ad Monaſterium Creſciacenſe Joannem quemdam Hiſpanum, cum validiſſima peditatus parte collocarat. Ita ſex portae urbis obſeſſae, & praecluſae erant, ut aditus exituſque omneis in poteſtate hoſtium eſſent. Urbe in ipſa, dominante plebe, apta, & opportuna cuncta hoſti. Appianus & Oſſona: Mercator hic, ille Notarius, in ſummo Magiſtratu, moribus uterque ſuae ſortis adminiſtrabant rem. Et quoniam offenſis eorum indignitate animis, inſtitutum poſtea erat, ut novi ſubinde Magiſtratus crearentur, quibus bimeſtre imperium eſſet, viciſſitudine fiebat illa, ut ad homines etiam deteriores, quam erant illi Appianus & Oſſona, ſumma rerum rediret. Atque ad Calendas forte Martias inituri Magiſtratum erant ſordidiſſimi duo, macellarius, credo, aliquis, & piſtor: hominesque eos, in purpura & imperio conſpectura civitas, qui nondum infectam beſtiarum ſanguine, albentemve farina exomidem poſuiſſent.

Id ipſum indignabantur iidem illi, qui formam Reipublicae hanc inſtituerant, pudorque talis imperii erat idem, apud imperitantes juxta & parentes, neque his aut illis curae officium ſuum, ſed parti utrique verecundia praeſentis ſtatus, timor futuri, & mutua ſeſe intuentium, vel confuſio, vel ira. Quam urbis faciem, praeſentiaque & imminentia Carolus Gonzaga, quo propior interiorque erat, hoc magis intuens, ac, velut intraturo mox Sfortia, de ſalute ſua dubitans, quaerebat ſibi gratiae locum, & occultis eum nuntiis monebat, ſi ad portam Ticinenſem ſub Cal. ipſas Martias acceſſiſſet, fore, ut propter novi Magiſtratus indignitatem, & ſordes irritato populo, in urbem ipſe cum exercitu acciperetur: ſperaveratque id ita poſſe contingere Sfortia, & ne fortunae ſuae deeſſet, regione ſaepius ea fruſtra ſeſe oſtentarat.

Mirum ſane, tam diſcordem inter ſe civitatem, tam inviſos civitati Magiſtratus, & turbatam quodammodo Rempublicam importunaeque multitudinis eo tempore regnum, adverſus communem hoſtem in tam dura obſidione ſtare aliquamdiu potuiſſe, ſicuti ſtetit, & ulli conſtanti conſilio locum interea ibi fuiſſe. Non modo irritus ab ea Ticinenſi porta Sfortia dimittebatur, quotieſcumque ſucceſſerat, ſed, & vitae diſcrimen aliquando

do ipſe adiit, diſploſi in eum bombarda, cujus ictum haud ſine miraculo vitavit: & Gonzagam die quodam arrepta levi ſuſpicione pene interfecerunt. Confirmabantur animi Mediolanenſium exſpectatione ſubſidii, quod ab Sabaudiae Duce propediem adfuturum eſſe dicebatur, alente ſpem eam Maria filia Ducis illius, cui viduae poſt Philippi mortem, ob matrimonii modeſtiam & merita fedes & honor in urbe idem, tam ſaevis Reipublicae temporibus manebat, & verſa domo finitoque Principatu, ob miſericordiam caritas etiam major. Tam mites erga ſe animos in tali ſua fortuna remunerari aliquo modo volens mulier, ajebat idemtidem, non ultra dilaturum eſſe ſuppetias patrem: ſi ſuſtinuiſſent adhuc pauliſper, fore ut non poeniteret. Ac ſicuti dicebantur iſta, ita etiam Sabaudiis filiae rogatu re ipſa ferre obſeſſae urbi ſubſidium parabat. Interimque Sfortia, ſive ſuſpicatus de ea exſpectatione & apparatu nonnihil, ſive jam cernens, per ea ſtare ſubſidia quo minus domitam urbem captamque haberet, miſſo caduceatore monet hortaturque Mediolanenſes, ne pertinacia defendendae libertatis pati extrema velint. Ne Sabaudienſi nimium credant, nimiumve promiſſis ejus & ope ſubnitantur. Sibi Venetos & Florentinos & Genuenſes adeſſe, quarum Rerumpublicarum auxiliis, & multo magis aequitate cauſae fretus, haud ante ſoluturus obſidionem ſit, quam urbem imperiumque ſibi debitum recuperarit. Malle id quidem ſalva Metropoli, ſalvis tot inclytarum religionum templis, quae Metropolim Romanae Majeſtati fama jam dudum & praedicatione acquarint. Sed conſilia haec eſſe pietatis & modeſtiae, queis locus in pace, vel praeſenti, vel ſperata: ubi abrupta ſint omnia inter belli diſcrimen & victoriae neceſſitates, tunc nihil aliud ſpectari praeter victoriam & bellum: & ea etiam, quae, vel religione veneranda, vel natura cara ſint, ruere inter caetera, quae vincenti obſtent. Ita pulcherrimam, & antiquiſſimam urbem, quam conſervari, & manere incolumem ſua plurimum interſit, niſi quamprimum dedatur, eſſe clade omni pervaſtandam, atque, ſicut exiſtimare poſſent etiam ipſi, tot militum impetu diripiendam pejus juſtiuſque quam direpta Aenobarbi temporibus fuiſſet. Rurſus, facta deditione, non modo conſervaturos urbem, & ſua omnia Mediolanenſes, ſed ne libertatem quidem ipſam, cujus inane nomen cum exitio ſuo defendere conentur, eſſe defideraturos.

Haec Sfortiae dicta ferens legatus, eum Mediolanum veniſſet, data ſedulo opera eſt a Magiſtratu urbis, ut ne plures quam duodecim, in quorum praeterea manu Reſpublica erat, ejus orationi intereſſent, datoque atroci reſponſo, faceſſeret illico ex urbe juſſerunt, & extra portam a viatore legatus eſt deductus, ne cum ullo civium loquerctur. Spes deinde Sfortiae omnis in obſidione belloque erat, & quia, dum tentantur agunturque iſta, ſenſerat, nuntios, qui ab Sabaudienſe mitterentur, ingredi urbem ab ea parte, quae ſpectat Modoetiam verſus, poſſeque Regione eadem, tum copias etiam auxiliares, tum commeatus & annonae ſubſidia intromitti: ſtatuit oppidum aggredi illud, clauſa magis & abſciſſa Mediolanenſibus videns fore omnia, ſi aditum eum ipſe intercipiſſet. Interceperat autem ſtatim obtinueratque prope ſine certamine Modoetiam, niſi Picininus, quo animo ad Sfortiam, ut dixi, transfugerat, eo corripiſſet hanc ipſi occaſionem, & in hoſtili acie pro Mediolanenſibus ſtetiſſet. Caſtra hic ad Sanctam (abeſt is pagus ab Oppido Modoetia duo millia paſſium) poſuerat, tamquam ab eo latere impreſſionem facturus, cum ab aliis duces alii partibus ſuo quiſque agmine invaſuri eſſent. Caeterum, uti communicata & compoſita omnia cum noſtris ille habebat, monuerat occulte Magiſtratum, ſi obſeſſo Oppido ſubſidium ab urbe mitteretur, liberum illac perſua caſtra aditum fore, nec hoſtile quidquam in quacumque parte ageret ipſe, Mediolanenſes eſſe reperturos: eaque res haud dubie Sfortiam ex Modoetiae poſſeſſione detraxit. Nam, miſſi ab urbe milites, cum in Oppidum, ab ea parte tranſitum dante Picinino, penetraſſent, refecti modica deinde quiete ſub auroram erupere cum Oppidanis in Sfortianos alios, qui nihil tale exſpectantes effuſiſſime ſomno indulgebant, ac excitati vulneratorum vigilum clamoribus, poſt iniquam & infelicem denique pugnam, queis cordi ſalus fuit, aufugerunt. Noſtri, bombardas majoris formae aliquot, caeterumque caſtrorum apparatum, &, quod pluris aeſtimabatur, animos ea victoria nacti ingentes, longe plurimum animorum poſtea ſumſere, ubi Picinini duo, vel quia jam eſſe detectam, vel quia diutius non poſſe latere proditionem, ſatiſque ad id quod voluerant, effectum eſſe arbitrabantur, cum ſua utrique manu refugere Mediolanum.

His auctis copiis, & duorum Ducum ad ſe transfugio confirmati Mediolanenſes, Picininum minorem cum Carolo Gonzaga ſubſidium obſeſſis ferre Cremonenſibus jubent. Picininus & Gonzaga egreſſi cum idonea manu, ex itinere Melinianum capiunt, ac ſoluta obſidione, Meltium etiam in reditu expugnant, magna cura injecta hoſti, quam is callide, & curam, & animi dolorem apud exercitum ſuum tegere conaretur. Praecipue, amiſſi Meliniani damnum urebat. Id utique recuperare Oppidum Sfortia volens, infeſtum exercitum rapit illuc, primoque impetu, cuncta praeter arcem invaſit. Areis praefectus, ut circumſideri ſeſe, & cuncta ſibi in dies arctiora eſſe vidit, trium dierum inducias pactus, ut niſi intra eos auxilium ab urbe mitteretur, praeſidium inde deduceret abiretque, ſpatium civitati dedit ad ejus arcis oppidique defenſionem emittendi exercitum, quantum ſubitario intra muros delectu cogere maximum potuerunt. Locus enim ille permagni momenti ad ſummam rerum parti utrique habebatur, & in ultimum veluti diſcrimen proceſſere illuc. Fuere Mediolanenſium ad triginta millia, in quibus, equites ſex millium explebant numerum. Picininus alter praeerat his copiis, quem ſuper ſolitos inter contrariorum exercituum duces animos, ſtimulabat transfugii proditionisque conſcientia, quod Sfortiae caſtra ſecutus explorator, fallaci munere expleto, deſeruiſſet, collega fraudis fratre, ac nunc agmen uterque hoſtile ductarent, ne titulo quidem quaeſito ullo, cur exuiſſent fidem, niſi quod inter belli jura perfidiam cenſuit omnis aetas. Etiam in ipſo nunc procinctu, cum verecundia eſſe aliqua praeteritorum deberet, auſus eſt ductor ille Mediolanenſium Picininus Sfortiam inſidiis appetere tam manifeſtis, ut illudere potius & inſultare quam inſidiari videretur. Adeo ille, velut oblitus, oblitoſve alios putans, quinam ipſe eſſet, quidve egiſſet, perſeverabat eiſdem artibus hoſtem tentare palam: ac propinquo ſummae rei diſcrimine, per Leonem quemdam e ſuis dici Sfortiae haec jubet: Adeſſe cum ſexaginta armatorum millibus ſeſe, invicta manu, etiam ſi adverſus pareu numerum, & fidos inter ſe hoſtes exiret. Sed compertum eſſe ſibi, quod praefecti nonnulli cohortium alarumque illius in medio certamine tranſlaturi ſigna eſſent eumque deſerturi. Id pro amicitia monere voluiſſe.

Sfortia, gnarus, nec tantas eſſe Mediolanenſium copias, & de ſui exercitus fide ſatis ſecurus, intellecto dolo, qui ad ſeſe conterrendum nimis aperte intenderetur, viciſſim proditori inſultans, veniret: dixit: ſibi, quo plus hominum adverſa acies habuiſſet, eo nobiliorem victoriam fore. De alieni militis erga Imperatorem ſuum fide ſollicitus eſſe deſineret: ipſum eſſe viſurum, ut recte conſtituta & fida omnia circa ſe habeat. Et Imperatores quidem talia invicem jecerant: pugna vero illa tanti diſcriminis dilata eſt, ſive, quia pari uterque metu defugerint ultimam aleam, ſive quia detrectante certamen altero, pro victoria id alter habuerit. Sfortia certe tenuit arcem: & commoto acrius ad obſidendum urbem animo, ſegetes, quae jam prope maturae in agris erant, undique corrumpere immiſſo equitatu parabat, cum Viglevanenſium defectio, & ab Vercellis Novariam uſque progreſſi Sabaudienſes, a populatione ſimul ipſum & ab obſidione averterunt. Pro Mediolanenſibus utraque illa arma mota erant, & poſt multas ancipites pugnas varioſque caſus, recepto Viglevano, fuſo Sabaudienſe, victor ab ea parte Sfortio

properus ad vaſtandum agrum, unde fuerat duplici illo periculo repente avocatus, redit. Mediolanenſes interim etiam ipſi apud Soprium aliosque rebelles ſecuerant attriverantve ſita, ut famem ſolitudinemque Sforzianis facerent, & ubi rediiſſet Sforzia, exuſto omni ſuorum agro, non haberet, unde frumentaretur. Capit in reditu Caſtelleonenſem arcem, quam Brandus ex ea gente Cardinalis condiderat munieratque. Defectiones variae, vel ab Sforzia ad Metropolim, vel ab Metropoli ad Sforziam fiunt: in quibus, Varieſenſes, & Luganenſes, primo adſpernati quod ultro antea acceperant imperium, mox contempta patria ſub idem redierant. Intimulienſis, de quo, Mediolanenſium duce, dein proditore, demonſtratum eſt, ad Canturium hoc tempore agens, cum crebris & litteris & nuntiis ex urbe ſollicitaretur, ut deſerto Sforzia, ſeſe rurſus ad nutum auctoritatemque Mediolanenſium conferre vellet, comprehenſum hominem, qui noviſſime ſuper ea re ipſum adierat, ad Sforziam in caſtra miſit, ibique ille laqueo eſt exanimatus. In urbe, Appianus & Oſſuna, circumacto forte iterum ſui Magiſtratus tempore, inviſi vileſque nobilitati juxta & plebi conjiciuntur in vincula, aegre vitato periculo, quo minus populi impetu opprimerentur. Geſſerant enim flagitioſe Magiſtratum, & ſuae uterque fortunae moribus utendo inſultor & ſcriba, ſicuti erant, multis crudelibus avariſque factis irritaverant animos, etiam apud eos contempti, qui participes & miniſtri ſcelerum fuerant. Succeſſerant illis, Appiano & Oſſunae, Guarnerius Caſtelleoneus, Petrus Puſterula, Galeotus Tuſcanus, quorum modeſtiae ac virtuti contigerat, ut ſummam poteſtatem homines nobiles obtinerent in eo imperio quod jam haud dubie plebis eſſet. Magnopere hi cupierant perſuadere populo, ut Franciſco Sforziae dederent urbem, ſive manſuetis animis miſerati tot patriae clades, & lenitate inſita pertaeſi defenſionem libertatis, quae tanto civium ſanguine conſtarent: ſive qua alia de cauſa proni in hoſtem. Sed nequaquam auſi ad populum referre, ſecretis tantummodo inter ſe conſiliis & votis rem eam agitabant. Populus, neque inclinatione ulla rerum, neque novi Magiſtratus propenſione flectebatur, quo minus abominari & perſequi bello Sforziam pergeret, verboque in conciliis utebantur hujuſmodi: Si diutius tueri urbem nequirent, potius eam ipſos eſſe deſerturos, quam ut regnantem in ea Sforziam viderent.

Henricus Panicarola mercator erat Mediolanenſis, qui negotia forte magna Venetiis habebat, atque ibi aliquamdiu morabatur, & quamquam abſens, plebis reliquae praeſentis animos erga patriam gerebat. Hunc mandant, ut ab Veneto Senatu petat, ne in eo bello, quod geratur, ſtare cum Sforzia amplius velint. Sed cum Republica potius Mediolanenſi foedus jungant, quae Patres eos in parentum vere loco ſit habitura, ubi id impetrarit. Atque ille, ſemel iterumque in Senatum admiſſus, oſtendendo multa & promittendo tenuit, ut quatuor e Patribus darentur, cum quibus agere poſſet etiam alia, quae ſecreto agenda in mandatis haberet. Ea cujuſmodi fuerint, comperti nihil habemus. Illud minime dubium fuit, partim hujus legationis Panicarolae, partim occultioribus Veneti legati qui Sforziae caſtra ſequebatur ad Senatum ſuum litteris, eſſe perfectum, ut Patres, de relinquendo Sforzia, transferendoque ad Mediolanenſes foedere magnopere cogitarent. Scribebat legatus e caſtris, monebatque ſuos, inexplicabile ſibi videri bellum ob munimenta urbis Mediolani, & pertinaces ibi animos, inexhauſtamque multitudinem: ac ſi ſpes tamen aliqua eſſet prius finiendi belli, quam ipſorum Reſpublica exhauriretur, cogitandum utique eſſe Patribus, an deberent ſuis armis atque opibus facere Mediolani Ducem unum, qui ubi ſemel mea parte invaluiſſet, ſpes in perpetuum foret adempta Senatui Veneto conſequendae rei, quae neceſſaria eſſet, ut maximum ſuum in Italia imperium faceret. Numquam poſtea locum fore Venetorum armis ad Mediolanenſis agri glebam unam occupandam, ſi teneat eam urbem Sforzia ille, tam avidus potentiae, tam ſolers bellandi artium, tam gravis accola, tam metuendus. His itaque permoti Patres, diſſimulato conſilio, quo moverentur, tamquam haud alia, quam Reipublicae Mediolanenſis cura, Panicarolae dixerunt: ipſos brevi daturos eſſe reſponſum, quod hortus ad ſuos perferret, ac monuere, ut ejus reſponſi diem exſpectare ne gravaretur.

Nihil horum ſciebat Sforzia, & conjuncto cum Venetis adhuc exercitu animoque cum iis uno rem adverſus Mediolanenſes gerebat. Sancti Angeli municipium appoſitum Lambro fluminis Ticinum inter & Laudem Pompejam aggreſſus tertio die expugnat. Picatonenſem arcem in Abduae fluminis ripa Cribelli fratres, qui ibi in praeſidio erant, prodidere, idque poſtea Cribellis apud Sforziam initium fortunae amplioris fuit. Mox, direpta Marthefana, Vicomercato incenſo, rebellionem ejus regionis ultus, terrore ſubegit eo Meltrum, & Caſſanum & ſi qua in Briantaeis, vel circa Larium lacum adhuc nutabant. Quae omnia cum tenore uno fluerent in Sforziam, acceſſit etiam ad res Mediolanenſium aggravandas aliud civile malum, quo nihil utilius eſſe hoſti poterat.

Galeotus Tuſcanus & Petrus Puſterula, poſt Oſſunam & Appianum, ut dixi, tenuerant ſummum urbis Magiſtratum, homines nobiles & modeſti, ſed apud plebem ſuſpecti magno illo crimine, quaſi rem ad Sforziam inclinare voluiſſent. Hi, poſtquam abiere Magiſtratu, ſuſpicionibus irritata ſuis plebes, interficere utrumque voluerat, cumque Puſterula vim ſaevam fuga eluctatus evaſiſſet, Galeotus debilitate pedum, ſenioque tardior obtruncatur. Erat ſumma neceſſitudo Galeoto huic cum Carolo Gonzaga, qui, ſimul indigne ferens amici necem, ſimul Sforziae rebus commotus ſecundis & magnis, & converſo olim in eum animo, haud ultra cunctandum ratus, Capra quodam internuntio paciſcitur, ut dedita Laudenſi arce quam ipſe in poteſtate habebat, Dertho nam ab eo pro tanto beneficio accipiat vicinum, atque receptus inter principes amicorum in gradu militiae quam honeſtiſſimo collocetur. Ita, noſtri participem conſiliorum omnium miſere Gonzagam, & cum eo, paulo poſt, etiam urbem, quae horreum populi Mediolanenſis ob inchytae fertilitatis agrum haud dubie habebatur.

Harum tam fecundarum Sforziae rerum, quas breve ſpatium conjunxerat, ignari Veneti jam dederunt Panicarolae reſponſum, quale Mediolanenſes optabant: velle Senatum foedus inire cum Metropoli, daturoſque operam, ut ea ſalva ſit: arma diſſociaturos ab hoſte, qui nunc laceſſat. Haec dicta negotiatori Panicarolae: ſimul ad Sforziam in caſtra miſſa legatio, quae juberet ipſum a Mediolanenſium finibus abſtinere arma: ſi parum ad id Senatus auctoritas valeret, minae etiam adhiberentur. Verum, ubi belli fortunam & rerum earum, quas dixi, curſum ex legati ſui litteris cognovere, mollius rogabant eadem, ac ſi vellet etiam Sforzia inſiſtere coeptis, judicium ſe ejus utique ſecuturos eſſe ajebant. Nam antequam prioris truculentiae mandata peragerent legati, mitiora haec, cum adhuc eſſent in itinere, acceperunt. Sic Sforzia liberatus ingenti metu (forte enim de prima illa denuntiatione ſenſerat aliquid) oppugnare urbem aggreditur: cumque infauſta impreſſione ſubiſſet ad portam Orientalem, rejectus inde gravia per triduum ſuſtinuit certamina, queis haud multo plus intulit damni, quam accepit. Nactus inde ſpem aliquam irrumpendi per foſſas, quae ab Orientali ad Cumanum portam, neque admodum latae, neque fatis cuſtoditae excurrebant, de tertia fere vigilia nocturno impetu ſuggreſſus, pro negligentia & ſolitudine quam ſperarat, reperit ibi obſepta omnia armatis, ictuſque crebros edente bombarda, cruento & irrito conatu etiam inde abſceſſum eſt. Quod ubi Veneti Sforziam tam longe eſſe progreſſum, tam prope ad ſummae ſpei diſcrimen acceſſiſſe vident, tunc enimvero patriis ſuis artificiis, & nativae lenitudini, ſolitique temperamentis nullum jam eſſe locum rati, abrupta palam omni diſſimulatione & actu, legationem in caſtra hanc mittunt. Petenti pacem

&

& amicitiam ab ſe populo Reipublicaeque Mediolanenſi ipſos negare non potuiſſe, jamque ſocios & amicos Veneti Senatus eſſe Mediolanenſes. Pro ea pace, & amicitia & ſocietate, nefas jam eſſe Venetum ullum militem in iiſdem morari caſtris, belloque quod adverſus populum eum geratur, Veneta arma, opes, pecuniam, conſiliumve adeſſe. Si Sfortia quoque pacem velit, conditione hac habiturum, uti reſtituat cuncta Mediolanenſibus, quae ſub Philippi Mariae mortem habuiſſent. Alioquin, pro foederatis amiciſque ſuis Venetos ſtrenue arma eſſe capturos, ne quid detrimenti patiatur gens, quae ſuae fidei ſeſe permiſerit. At Sfortia re ſubita perculſus, queſtus primo pauca, deinde obteſtatus, ubi nihil profici verbis vidit, ad conſilia vertit animum profunda illa, ſcilicet atque quotidiana ſibi, etiam ubi nec damno nec dolore ſollicitaretur. Temporis ſpatio maxime indigebat, quo & abſumeretur, quidquid frumenti reliquum Mediolani eſſet, & duo omnino itinera, Bripienſe nimirum & Tritienſe, quibus itineribus ab Veneto mitti in urbem aliquid poterat, interciperentur eorum proditione, qui arcem utramque habebant.

Hac mente diſſimulans omneis turbati animi motus, legatos etiam ipſe ſuos Venetias mittit cum querelis & precibus iiſdem, queis ipſe Venetum legatum affatus paulo antea erat, petens ne deſereretur ab Senatu, cujus auſpiciis id bellum ſuſcepiſſet, invocans Patrum fidem, incuſans quoque & requirens quaſi per fiduciam & libertatem. Legati erant, Alexander Sfortia, Angelus Simonetta & Andreas Biragus: quorum ille Sfortiae frater, hi Mediolanenſium deſertores, cum mandata expoſuiſſent, ſive perterriti Senatus auctoritate, ſive ita inſtructi, pacem, in eas conditiones, quae antea jactatae fuerant, accepere. Induciarum interea exierat dies, per quas, Sfortia, corruptis clam ad Tritium Bripiumque praefectis, ne Veneto tranſitum ad Mediolanenſes darent, facta pace cum Sabaudiae Duce, clauſis undique commeatibus, ſpreta pace, quae per ſuos inita erat, in Mediolanenſes ſimul & Venetos, tamquam adverſus unum hoſtem parabat bellum. Nec in parte altera ceſſabatur, quamquam in faciem imaginemque pacis dimiſſa legatio eſſet. Forte pontem e navibus junctis ad Tritium facere Veneti inſtituerant, ut copias annonamque tranſmittere in Mediolanenſem agrum poſſent: & jam ad exitum prope perducta mole prohibant quotidie ad viſenda operis incrementa duces noſtri, queisea jungendi fluminis cura cum Venetorum ducibus communicata erat. Hanc Sfortiae gratificandi occaſionem ſpeculatus ille, qui pro noſtris praeerat arci, jam antea corruptus ab hoſte, ſicut demonſtravi, & occulte ei addictus, indicat poſſe capi curatores eos operis, ſi in vicina latebra occultentur armati qui repente proſiliant, & navalis fabricae contemplationi intentis ſtrenue injiciant manus. Id initium fuit violandae pacis, quae neutri parti rata erat, & integrandi belli, ad quod novo poſt irritum pacem impetu reſurgere parabant; Sfortia namque abditis in monſtratam latebram armatis, & comprehenſo Innocentio Cotta, qui forte unus ad viſendum opus prodierat, ejus captivitate hominis, tamquam oblato mirifice inſtrumento ſtatim eſt uſus ad captendam S. Columbani arcem, quae una efficiebat, ne Laudenſis agri poſſeſſione Mediolanenſes excidiſſent. Lucius Cotta, captivi fratercarcem eam cum valido praeſidio obtinebat, acervimus Sfortiae inſectator, & ab ea commendatione locatus ibi, quia noſtris magnopere cordi erat, ne qua proditione frumentarium id propugnaculum amitteretur. Sfortiae juſſu dicitur Innocentio, ni praefectus illico dedat arcem, ipſum protinus contra moenia illa oportere ſuſpendi, ut in fratris conſpectu nocturni furis more exſtinguatur: idque confeſtim Innocentius Lucio ſignificat. Non tulit fraternus animus vim doloris ex objecto ſpectaculo, & quaſi res ipſa jam ageretur, alienato penitus ab honeſtate fideque ſenſu, dedita arce hoſtem illuc admittit, tranſitque ipſe in caſtra hoſtium, velut ab ſcelere ad ſcelus.

His itaque initiis uſurpato belli jure Sfortia copias fe- A re omneis ad Bripium in Briantaeos contrahit, tranſitu Abduae prohibituros Venetos, qui nuper hoſtes, nunc ſocii Mediolanenſium, in ſocium modo, jam hoſtem armati Sfortiam, ſuperaverant flumen, infederantque collem, cui Geneſii Martyris Aedes, quae eſt in ſummo ejus vertice, nomen fecit. Eſt eo nomine collis in extremo Briantaeorum fine, quem tamen, collium aliorum cacumen verius, quam ipſum per ſe collem appellaveris. Namque colles noſtri, Barra monte avulſo, qui aſper fere incultuſque eſt, molliter ab radicibus exſpatiantur, deinde adſurgunt, ſpatianturque rurſus, donec, perpetuum & vario felicium arborum veſtitu fertile dorſum attollere incipiant. Ab dorſo dein ipſo leviter faſtigiati B alti vertices attolluntur, quos nominant incolae, prout, vel incola vetus, vel ſitus & natura tumuli, vel priſcorum aedificiorum veſtigia reliquiaeque docuerunt. Stat horrido ſupercilio Barra cautibus armatus ſuis, & ab caetera montium ſerie abruptus ille ſcilicet, cujus nomen atque parietinas, inter alia urbium deletarum funera Plinius refert. Proximus huic Bataviis eſt collis, credo ſic dictus, quia gentis ejus homines aliquando ibi conſtitere. Inde nudo faſtigio ſupra denſis undique ſilvas Apertus vertex, id ipſum ex nuditate nomen invenit. Ab Aperto vertice, per varios anfractus, montibus ſuis imminens ſilva excurrit, donec in S. Geneſii collem, qui C etiam ipſe nudus apertuſque eſt, deſinat. Imminet hic Abduae flumini, fronte quidem in Briantaeos occidentemque Solem, tergo autem in Bergomates atque in orientem obverſus: latera meridiem adſpiciunt. Ab ipſa Briantaeorum parte ſeries alia collium ſurgit, quorum Calchus eſt fere oppoſitus huic, nec longe inde mons Vetus abeſt, inclytus ob vina. Collem utrumque Geneſianum & Calchum ſtatuerat Sfortia occupare, exiſtimans, ſi ea munimenta haberet, diremptos ab omni Venetorum ope fore Mediolanenſes, tractuſque Briantaeorum illos univerſos, ob crebras arces naturamque regionis inter bellorum diſcrimina, ſemper munimentis urbis militari fama aequiparatos in poteſtate ſe habiturum. Verum, ubi Venetos in Geneſianum anteverriſſe cognovit, Calchumque ab iiſdem teneri, pene deſperaſſe de victoria dicitur, ac tanto magis, quia tempore eodem, in ulteriore ripa conſtiterant plures tranſitumque tentabant, & ex collibus ad Briantaeos occupandos magno impetu deſcendebatur. Pugnatur acriter, & ad colles & ad flumen, ne deſcendant illi, neve iſti tranſmittant. Pugna major in Geneſiano fuit, deſcendendique & prohibendi certamine extracti Sfortiani in ſaltus, diviſum aliquamdiu cum Venetis habuere collem. Veneti Sfortianos, altius enixi, qua Martyris ipſius eſt aedes, ſaxis haſtiſque detrudebant. Huic rerum diſcrimini egreſſus ab Modoetia Picininus cum ſuperveniſſet, montemque Veterem, & montem Calchum bifariam diviſo exercitu ſuccedens conjungere ſeſe Venetis tentaſſet, retro Mediolanum eſt ab Sfortia non ſine clade compulſus. Mox pari victoria Barram montem obtinuit, qui etiam ipſe ab Septemtrione praeceps in Abduam, ſubeuntes ab Olginato Venetos opportune prohibebat. Paulatim inde, & qui Calchum, & qui Geneſianum collem tenuerant, obtinente Regionem Sfortia, ſubacti fame, vel abire inde maturaverunt, vel ultro ad Sfortiam tranſiere. Ita auxiliares noſtri, cum nuſquam in Briantaeo tractu conſiſtere potuiſſent, Regioneque excluſi ea ſimul excluderentur facultate defendendae urbis Sfortiamque depellendi, ſtatue- F runt, capto per Larium lacum ambitu, Regionem eamdem ab tergo circumvenire. Quod Sfortia parari cum ſenſiſſet, mittit obviam e ſuis, qui ab illa etiam parte venientibus auxiliis obſiſtant, ne quid laxamenti & ſubſidii abeunde Mediolanenſibus detur. Ibi vero parumper dolus unus caſuſve militaris, & Sfortiae partes afflixit, & Mediolanenſes ſpe auxilii, ſicuti videbatur, appropinquante, ſed ad exitum irrita, ſublevavit.

Ductores copiarum ex noſtro exercitu quidam, ſive ad fallendum hoſtem re compoſita cum Imperatore Piciniano, ſive concepta vere animis tranſitione, deinde

mutato animo, quam occultiſſime nuncium ad Sfortiam mittunt: ipſos Imperatoris juſſu tendere Novocomum, ut venientibus ab ea parte Venetis ſeſe conjungant, quo facilior tutiorque aditus in Briantaeos auxilio pateat. Si velit Sfortia benigne accipere, ipſos ad eum cum agmine ſuo eſſe tranſituros. Haud contemnenda res viſa hoſti. Honeſtum apud ſe locum & larga prolixaque omnia pollicitus, mittit octo peditum cohortes, ducibus Salernitano & Iotimilenſi, qui manum eam transfugarum accipiant, & ad ſe deducant transfugae, & numero longe plures erant, & nominis ejus obtentu ſpecieque ſocietatis reſoluto in ſecuritatem hoſte, parati ipſi intentique ad rem gerendam. Ubi invicem propinquavere, Sfortiani quidem porrigunt dextras dantque ſeſe in amplexus, noſtri vero ſtringunt gladios, & attonitas repentino eo malo cohortes caedunt ſpoliantque, fugientibus inſiliunt, reſiſtentes paucos, & mortis honeſtae gloriam quaerentes, tanto infeſtius lacerant: quoſdam & abduxere. Sic Veneti auxiliareis Briantiae terras intrant, & primum omnium Barram montem corona oppugnare aggreſſi fruſtra id incoeptum habuere. Caeterum, oblidione mox eum capiunt, ac refecto ad Olginatum ponte, quem paulo antea fugientes ipſi intercideranr, captiſque aliquot in fluminis ripa caſtellis, ſumma Briantaeorum tenebant. Id Sfortia reſtis diuturnitate belli, pabuloque ad ſuſtentandum equitarum neceſſario jam prope defectus, parum curare coeperat, ſi montibus ſedet et hoſtis dumnodo ne ad plana urbem verſus deſcendere eos pateretur. Urbi ipſi ſumem admovebat extremam obſeſſumque Venetum inter cautes & ſaxa habebat. Jam Mediolani tanta erat penuria, ut vicenis aureis nummis hordei modius conſtaret. Ea ditiorum alimenta erant. At miſerrima egentium multitudo, omnia quae atteri dentibus poſſent, naturali deſiderio velut in rabiem acta carpebant paſſim: atque interim exempla omnia eſurientium edidere quaecumque umquam, vel obſeſſis accidere exercitibus, vel ad ſubjiciendas oculis miſerias obſeſſorum excogitare potuerunt ingenia, quae eos calamitatum humanarum & extremae patientiae annales condidere.

Ego in urbis noſtrae diariis hoc reperi relatu etiam horribile & foedum: equorum & aſinorum fruſta, feleſque, & mures, & canes, & animalia caetera, quae ne dici quidem inter cibos ac nominari fas eſt, venalia interim apud forum eſſe habita, pretuſque venumdata iiidem, queis alias legitima fercula parantur menſis

His nutrita dapibus multitudo fiebat quotidie contumacior, exſueratque obſequium paulatim omne erga eos, ſub quorum imperio ac regimine talia patiebantur. Magiſtratus, delegata exercitui ſuo auxiliaribuſque Venetis cura ſuppeditandi annonam expediendorumque commeatuum urbi, & precibus eos & querelis aſſidue urgebant. Illi, circa Briantiae colles pene obſeſſi conſultando terebant tempus: duneque res capitaliſſimae populo Mediolanenſi detectae ſunt tempore uno: defectionem ad Sfortiam parare Picininum Imperatorem exercitus noſtri, & maligne lenteque rem adminiſtrare Venetos, quia ſperarent, deductum ad extrema populum, odio Sfortiae, potius deditiirum ipſis eſſe urbem: idque Leonardus Venerius Reipublicae ejus legatus Mediolani tedens occulte moliebatur inter eos, qui, nec ab Sfortia capi patriam, nec liberam eſſe eamdem volebant. Sed Sfortiae deſtinatum imperium occulto Superûm impulſu ruebat in ejus humeros, ut domus denique illa, ſub infelice pondere, poſt aliquot annos, prioris fortunae quietem fruſtra exoptaret. Eſtque Sfortia in urbem imperiumque acceptus orto inter cives ipſos majore tumultu, ſicuti demonſtrabo.

Cum ex bello tam atroci, intoleranda fames, ex fame deſperatio ultima Civitatem invaſiſſet, & ſuper duo haec ſemper interſe connexa mala, fere gravius aliud in urbe malum ſaeviret, diſcordia civium & majora pene inter ipſos, quam in communem hoſtem eſſent odia, conventus habebantur tam contrarii & crebri, quam variae hominum voluntates, & quam diverſae calamitatum formae erant. In Scalenſi templo maxime congregabantur tuendae adhuc libertatis auctores, atque ibi in media fame conſilia aliqua imbant, vetuerantque Magiſtratus accedere eo, niſi quem ipſi nominatim excivilſent. Sed die quodam, portae Novae homines ad arma conſternati concitant caeteros, & eam publici Concilii ſedem irrumpunt rupto imperio terni quaternique prout quoique fortuita congreſſio, vel neceſſitudo aliqua conſociarat. A Petro Cotta, & Chriſtophoro Pagano praecipue ſtimulabantur, quorum utrique dedi urbem ac recipi Sfortiam placebat. Et jam plures cum Cotta & Pagano ſtabant in circumjecta templo area, quam cum principibus libertatis intra templum. Praefectus rerum capitalium ad coercendam eam licentiam cum lictoribus, & cohorte ſua progreſſus, facto in eum impetu protruditur, aegreque evaſit. Par diſcrimen adierat Lampugninus Biragus, quem ad tumultum eum inſpiciendum ſedandumque Magiſtratus ex Templo emiſerant. Dira fames, quae jam aderat, quaeve in dies adfutura ſaevior videbatur, divites quoque conterruerat, & ſimendi belli cupidine concitaverat etiam eos, qui oppetere cum patria ſtatuerant potius, quam ut ad ullam inimicam libertati conditionem adduci ſeſe paterentur. Itaque, creſcente in momenta numero coadſpernantium auctoritatem publicam, pars haec ipſa fit publici concilii inſtar: & quo plus virium auctoritatiſque haberent, duces ſibi duos fecere, Gaſparem Vicomercatum, & Petrum Cottam: Cotta ab auctoribus libertatis in vincula conjicitur, & irritatus collegae captivitate Vicomercatus, tanto promptius ardentiuſque confirmat ſuos, & rem ſuſceptam exſequi feſtinat. Circumgrediuntur, infeſto agmine Palatium, in quo ſedebant Magiſtratus urbis, & vidua uxor Philippi, Venetuſque legatus, & plerique alii ex tota illa nimium fortaſſe generoſa factione, quae libertatem urbis ſaluti anteponebat, nec poſſe ullam abſque libertate venire ſalutem arbitrabatur. In ea irruptione, Venetus legatus, ab Joanne Stampa interficitur, cum ille repentino excitus tumultu in Aulae forte limine ad increpandam irrumpentium licentiam, jure gentium, ut exiſtimabat ipſe, tutus conſtitiſſet. Diffugiunt Magiſtratus, totaque momento fere uno tribunitia poteſtas, & illud populare imperium diſſolvitur. Nobiles, diſpoſito ad portarum claſtra milite, Palatioque communito, in Scalenſe templum, ad conſultandum de ſumma rerum poſtero die ſuccedunt. Non facile inter ipſos convenirebat quid deinde optimum ſaluberrimumve factu cenſerent, cum varia in omnes partes itinera conſiliorum ottenderentur. Dixerat aliquis ejuſmodi ſententiam, ut perſiſterent in defenſione libertatis: ſed mutata gerendi belli ratione, & vitatis Imperii plebeji vitiis rem ſapientius cautiuſque militarem conſtituerent. Alius, nullum id eſſe conſilium demonſtrabat. Galliarum Regem accerſere non nemo: plures Regem Alphonſum: aliqui Sabaudiae Ducem: pars mitiſſima Senatus, nuſquam beatiorem fore patriam, quam ſub Chriſti Vicario ajebant, ideoque permittebant cuncta Apoſtolicae Sedi.

Sed cum ſubſidia conſiliaque haec in tali ſtatu, vel ſera & longinqua, vel infida & imbecilla reperirentur: illata forte mentio eſt de admittendo Sforza, qui filiam legitimi Principis in matrimonio haberet: qui victor prope inſtaret moenibus: quem ſi ante victoriam admiſiſſent, non accepiſſe coacti, ſed ultro feciſſe Principem viderentur: tantoque mitius ſperare imperium deberent. Mirifica voluntatum inclinatio, qua repente in eam ſententiam iere omneis, videri potuit prodigium, vel calamitatum ab Sfortiaco dominatu imminentium urbi, vel exitii, quod gentem eam dominatumque manebat. Principes, & legati Mediolanenſium profecti in caſtra dedidere Francisco Sfortiae ſeque, & urbem, & populum, novumque Principem Mediolanum in ipſam Imperii Sedem laeti deduxere. Ille magnum animi moderati ſpecimen in ipſo ſtatim ingreſſu dedit, quia adornato per Principes, & oblato curru quo ſublimis veheretur ad capeſſenda primordia dominationis, faſtum eum adſpernatus, umbella quoque repudiata, pari cum caeteris cultu ad Templum maximum ibi coronandus procedit.

L l.

LIBER VI.

IN Templo maximo Sforcia coronatus per omne deinde tempus liberaliter ac munifice tractavit Urbem Eccleſiamque ipſam: & quotieſcumque publica aliqua res ageretur, profiteri ſolitus fuit, debere ſe nomini huic Metropolitano pietatem, & honorem, cum etiam Ambroſiana in Sede ſolennia ſui Principatus, Principatumque ipſum accepiſſet. Viciſſim inter ſacra ſacroſque fuit ei deinceps honor, atque paratum ad omnia obſequium, quales juſto ac bene merenti Principi patere gratorum civium animos oporteret: ratoque ullus antea poſtve Ducum tam effuſa ſtudia Cleri Populive Mediolanenſis expertus in omni litterarum hominumve memoria reperietur. Habita eſt oratio de laudibus ejus & familiae ſplendore per Guarnerium Caſtelleoneum notae tunc facundiae virum ex Templi maximi Canonicis: qui ſemper Ordo, ſapientiae ſtudiis inclytus, per ea maxime tempora florebat hac laude: cumque ex Primoribus Urbis conſtaret id ferme Collegium, erat ſimul in eo communis quidam erga Principem favor, ſive quia annexi nonnulli eſſent exſurgenti tunc primum ad dominatum familiae, ſive quia pars haec traheret caeteros, ut unde potentiores oobilioreſque ſtabant, de more ſtarent omnes, atque ita ſignificatione voluntatum erga Sforciam hunc certaretur. Publicae gratulationis munus, & dicendi partes mandavere Caſtelleoneo, quia praeter aptos Principum animis mores & imbutam Aulae conſuetudine gravitatem, aderat viro dignitas oris accommodata negotio: & novae dominationi acceptiſſimum eſſe ipſum ſciebant. Orationis ejus ſententias ordinemque, aliquamdiu qui tunc erant homines, propter rei magnitudinem, & Oratoris famam, in ſermonibus habuere: deinde, una cum re ipſa, ſicuti cuncta mortalium habentur, dedere oblivioni. Levis & confuſa memoria duravit hoc litterarum beneficio, quae rerum illuſtrium aeterna una cuſtodia eſt, ſi quid in fluxa mortalitate poteſt eſſe aeternum.

Ego cenſeo non eſſe alienum ab hiſtorico noſtro opere, quo ſuper tempora & eventa Urbis, virorum, etiam illuſtrium memoriam ab interitu ſuo vindicare inſtituimus, concionem ſimul illam ab hominum oblivione vindicare, atque jam prope vaneſcentem ex annalium quoque monumentis, utcumque retinere, tamquam pro obliterata & fugiente ſcriptura certam claramque exhibendo.

Caſtelleoneus igitur in Templo maximo, cum Sforcia coronatus adeſſet, in hunc maxime modum eſſe locutus fertur: "Semper quidem antea, Princeps „Invicte, Populus hic Cleruſque Mediolanenſis, qui „triumphi tui & ſine felicitatis ſpectator, auguſtiſſimam „hanc molem hodie implet, pro certo habuit, Ur„bem Rempublicamque hanc curae eſſe Superis, & „magnum praecipue Parentem Ambroſium, ac Prae„ſides alios Divos, a quibus fundati & inſtituti ſumus, „ita velle, ut poſt Romanam majeſtatem ſit haec flo„rentiſſima Sedes Catholicae Religionis, rerumque alia„rum omnium expetendarum, quibus rebus incolu„mitas & gloria gentium continetur. Sed ſi ea ſpes ante „hunc diem incerta & obſcura animis fuiſſet, deſinere„mus hodie dubitare, cum Celſitudini tuae, noſtrum „omnium regimen ac tutelam imperiumque rei Medio„lanenſis a Deo Optimo Maximo, tam praeſenti Nu„mine, tam nobili victoria, tanta poſt victoriam vo„luntate conſenſuque omnium eſſe traditum videremus. „Nam Principes alii, qui nobis adhuc imperitavere, „naſcendi tantummodo ſorte venerant in hanc fortu„nam, ipſique fortuitum negotium erant, neque ultra „aeſtimabantur. Tu, quia probitate & juſtitia, omni„que alia Regia virtute merueras imperium, armis in„veniſti: & quia talis eras, aperuere tibi Superi viam, „ut in excelſam iſtam ſedem, domitis quae obſtabant, „pervenires: & nos, divino ſic munere datum adſci„tumque Ducem accipimus alacrioribus aliquanto ani„mis, quam ſi quilibet ille alius unico natalium & avo„rum jure tumens dominus imponeretur. Enimvero „Celſitudinem quoque tuam arbitramur, ei prudentia, „& magnitudine animi, qua res tantas geſſit, inven„tem, & coeleſte judicium, quo vocata electaque eſt, „& Populi hujus univerſi conſentientem laetitiam & hoſ„ce plauſus favoremque, & tantae multitudinis gratu„labunda ora, & Templi ipſius feſtum apparatum, a„gitare jam nunc Regalem illam curam, ut ad ea, quae „ſua ſponte large ac benigne & clementer factura fuit, „tantum ſcilicet adjiciat, quantum & expoſcere pro „divino in ipſam beneficio Tutelares urbis videntur, & „mereri eives ipſi poſtquam ad haec Veſtrae Celſitudi„nis initia conſurrexere ſic omnes atque apparuere. Vi„des ne, Princeps optime & maxime, quemadmodum „affluxere ad ſpectaculum innumerabili prope agmine „Mediolanenſes tui? Vides, ut conferto jam Templi „ſinu, tamquam ad novi ſplendoris exortum accedere „velint in ſinguli momenta plures, utque turbam un„dantem haec capaciſſima ſedes excludat? Victa & „triumphata civitas exſultat in victoriae faciem quaſi vi„ciſſet ipſa & triumpharet. Sexus etiam alter ille „ſpectaculis inſuetus adeſt: attollunt pignora ſua „matres ad Celſitudinis Veſtrae oculos, futurumque „populum oſtentant, & rudem illam aetatem agno„ſcere ac celebrare natalem hunc Patriae diem do„cent. Et promiſcuae quidem multitudinis haec tam „effuſa gaudia concurſumque Celſitudo Veſtra cerne„bat, etiamſi nemine perorante monſtrarentur. Nos „vero Cuſtodes Antiſtiteſque ſacrorum, qui ex prima „Urbis hujus Nobilitate jure noſtro gentilitio aſſumpti „Metropolim hanc tuemur, & ipſa oobiſcum tota No„bilitas, quae Urbem ipſam continet ac facit, licet „conjunctis omnes animis officioque concordi poſtquam „factiones & arma quievere, noſtram ex novo Princi„patu laetitiam, tum decernendo cuncta, quae fuere „publicae poteſtatis & arbitrii, tum adornando ſolen„nia haec, ut quam apparatiſſime celebrarentur, oſten„derimus ac declaraverimus: tamen exponere volumus „etiam altiores illas interioreſque cauſas, ob quas, Cel„ſitudinis Veſtrae imperio magnopere nobis eſſe laetan„dum arbitramur, Urbemque & Patriam hanc ſub tali „Duce fore feliciſſimam ſperemus. Namque primum „omnium, repetentes mirificam illam, & adhuc inſi„dentem animis Clariſſimi viri Patris tui memoriam, ſi„mul inclyta tua facta; ut Patris contubernio adultus „incomparabilem illius gloriam aequaveris, ut diviſa in „partes Italia, Pontificem Romanum, & ſacra de„fenderis, ut noſtrae huic urbi laboranti malis inteſti„nis ac laceratae ſeditionibus ſubſidio ſaepe fueris ac „ſaluti, ut hinc ſaepe arcueris hoſtem, ut victricia late „propugnator auxiliariſque noſter circumtuleris arma: „jam quanta lenitate egeris, ut tibi debitum Imperium „hoc ſine Mediolanenſium ſanguine recideres, quam „placide victoriam ipſam exercueris: haec, inquam, „recentiſſima omnia, & oculis obverſata noſtris intuen„tes, reliquum ad eamdem formam futurum eſſe Prin„cipatum ominamur, & merito laeti hilareſque ſumus: „Magnus Sforcia, Celſitudinis Veſtrae Pater, militari „virtute famam & vim aſſecutus, ut quamcumque in par„tem ipſe tranſierat, victorias & imperia tranſferret ſe„cum, dederat ademeratque Regna quibus ipſe voluiſ„ſet: Aragonenſem Alphonſum ex Neapolitani Regni „finibus prope retro compulerat domum: reſtituerat „extorrem Joannam: firmaverat adoptionis jura: fre„gerat alterum illud belli fulmen, cui Brachio nomen „fuit: Romanas opes, Pontificemque Martinum egre„gie propugnarat: ac tantarum denique fama rerum Vi„cecomitem ultimum commoverat, ut auxiliatorem „Imperatoremque ſibi eum adverſus bella, quae immi„nebant, invocaret. Poſtquam ille novae gloriae iter „tentans, in media pene victoria lapſu equi & vi fluminis „eſt interceptus, divina conſilia, quae felicitati noſtrae „viam ſtruebant, paternis inceptis dedere te ſucceſſo„rem, vimque ſimul & famam illius tranſtulere in tuum „caput. Ita ſpectatus clariſque Neapolitani belli reli„quiis Mediolanum ad res Vicecomitis afflictas veniſti: „Vicecomite defenſo, compreſſis Venetis, cum ubi-

„cumque bellum & periculum eſſet, ibi velut certiſſima laborantibus ſalus expeteretur, tuliſti pro Lucenſibus arma in Florentinos, ejuſque Reipublicae libertatem es tutatus. Mox domiti rebelles Eccleſiae: Picenum & Bononia reſtituta Pontifici, fuſae Anglorum copiae: cuncta peragrata victoriis. Ac ſi tot bellorum victori quaepiam mala gratia reddita fuerat ab iis, pro quorum imperio & ſalute dimicaras, iidem illi verſis in ipſos armis, juſtas ultrices iras ſenſere. Nec minor exceſſi animi laus perſequi ingratos amicos, quam vincere hoſtes; facileque mitem & largum adverſus obſequia ſperaverimus Principem, quem indignitates & injuriae tantopere angunt, & benignum erga minores, quem potentiorum injuſta facta ſic infenſum habent. Sed cum apud gentes fere omnes, quae regnantur, apud Regnatores ipſos, apud liberos etiam populos miſcueris ſic vim, terrorem, benignitatem, & eum praeclari iſtius animi exſtent ubique ſempiterna veſtigia & monumenta: terra haec noſtra maxime ſempiternum erit monumentum: imo, Hercule, nos ipſi erimus. Nam ſtatim, ubi, Vicecomite mortuo, res haec noſtra Mediolanenſis, ſine capite, ſine rectore, civilibus trahenda turbis in medio relicta erat, cum ſuper inteſtina iliſidia magnarum omnium urbium calamitatem, finitimi hoſtes inſtarent, rati finem adeſſe imperio: primum quidem advolaſti cum exercitu tuo victore, & ſpes vanas hoſtium effeciſti: deinde vero ſuccedere te in Principis fortunam aequum iluxiſti, cujus filiam in matrimonio, & ex ea liberos haberes, cujus etiam in mortis tempora propugnator exſtitiſſes. Uno rerum curſu, & uno victoriae tenore, Parmam, Placentiam, Brixiam, Ticinum, oppida caetera omnia, quae, vel deſtectabant imperium, vel ab hoſte inſeſſa erant, recepiſti, noſque & Metropolim hanc, donec vires ultimae ſuperſuere, cunctantes fatigare potius voluiſti quam capere, idque Celſitudini Veſtrae glorioſius fuit. Atque, ut cunctatione noſtra delectatum eſſe appareret magis aliquanto quam ſi nihil experti ſtatim ceſſiſſemus, honorem hunc habuiſti fortiſſimis civium tuorum comitibus, & ſpectatae virtuti, ut pacato agmine victor urbem ingrederere, & violari quidquam ab irato milite gravibus edictis vetares. Scilicet, illa ſegnis & aliter quam extrema neceſſitate facta deditio, degeneres animos argueret, & quamquam libenter acciperetur, contempta tamen & vilis apud Celſitudinis Veſtrae animum eſſe poſſet. Nunc experti invicem ſumus, & virtus eadem, quae morata victoriam eſt, colitur jam ſecreta deſtinatione atque amatur veluti magnum inſtrumentum rerum earum, quae deinde gerendae erunt. Haec igitur omnia ſuis momentis examinata Mediolanenſi nobilitati populoque Ambroſiano, & nobis praecipue, qui Templi hujus Antiſtites Clerum Nobilitatemque, vel Ordinis amplitudine, vel communione familiarum amplectimur, recreant atque confirmant animum noſtrum jucundiſſima illa cogitatione, quanta ſub tali Principe futura ſit hujus Patriae, vel gloria, vel fortuna, vel dignitas & amplitudo, vel ſecuritas & quies. Habemus praeterea, Princeps inclyte, magna pignora noſtrae futurae felicitatis, ſimul ex fama praedicationeque communi, ſimul ex certorum hominum ſermonibus, qui Celſitudinis Veſtrae mores, & animum, & quotidianae vitae tationem & leviores quoque virtutes, & intima omnia, unde res illae admirandae manavere, latere non ſinunt. Nuntiat aliique nobis omnia fama conſtans, eademque adfirmant graviſſimi viri militares, qui tecum una ſub pellibus, in caſtris, in acie, in agmine, in ſtativis, in hibernis, in activis, in claſſibus, in otio denique & aula aetatem egere. Indicant, animum eſſe Celſitudini Veſtrae ad cuncta minima maxima memorem divinarum legum, anxium alterius vitae curis, proferendae religionis cupidum, largum ad exſtruenda templa, vel ornanda, munificum erga Chriſti pauperes, ſacratarum omnium rerum acerrimum cuſtodem. Audimus, ut communem illam regnorum, & humanae vitae peſtem, pecuniam, contemnas, & adſpicias oculo irretorto, utque argentum, & aurum, & gemmarum ludibria ducas non in alia vilitate quam quae humo finguntur. Comitem hujus eſſe contemtionis aequabilitatem in jure gentibus reddendo ſine ulla imbecilla cura quae flectere animum poſſit: inopis & potentis nullum apud tua tribunalia valere diſcrimen, & ſtare ibi partem utramque ſtupore defixam, velut extra fortunae ſuae conditionem pari gradu. Peſſimas delatorum artes, & aulae veneficia, cuncta reperta civium exitio, ut oderis audimus: ut fidem ipſe colas, quam peſſimi magiſtri minime Regiam eſſe artem volunt, ut famam tueare, quae certiſſima eſt norma Principatus, ut faveas etiam ingenuis, & litterarum ſtudia praeſidia, religionis, & urbium decus amplectare narrat nobis publicus rumor & ſpem inde agitare optimam jubet. Etiam illa pertinere ad gloriam ſecuritatemque noſtram arbitramur, quae Principum quidem omnium laudatores ingenioſe confingunt, ſed in Celſitudine Veſtra ſevere ſpectata ſunt ab iiſdem illis, qui ſimul rem geſſere, quibuſve etiam in contraria nonnumquam acie, & parte ſtandum fuit. Referunt enim Imperatoriae artis mirifica quaedam, & poſt veterem Romanam militiam inaudita, quae ratione & providentia & altitudine conſilu victorias illas tantas tuas obtinuerunt, ut numquam in aciem duxeris exercitum, niſi cum proviſum eſſet, ut vincere cogeretur. Atque poſtquam haec nobis narravere milites hoſteſve tui, narrant ſimul infatigabile corpus armorum pondere, fame, ſiti, vigiliis, quarum rerum neceſſitatem Imperatoribus etiam belli fortuna nonnumquam imponit. Et acceptis ſaepe vulneribus manante cruore ſtetiſſe impavidum dicunt. Jam vilibus contentum eſſe cibis, ejuſque parcimoniae teſtes quamplurimos adhibere convivas, inter convivia vacare ſupplicum alloquiis, & in alia quadam rarione continenta ſuperiorem eſſe mortalitati, & ejus rei praebere caeteris exemplum, ſunt admiranda quidem, ſed & tot exercituum teſtimonio comprobantur, & optime congruunt ad eum animum, cujus virtute ac conſilio ſuperiora illa geri & adminiſtrari potuere. Congruunt etiam ad iſtam Regio honore gratam frontem quam ſpectamus nunc omneis praeſentemque habemus, congruunt ad ſerenitatem oris, ad florem denique virium, quem poſt tot labores temperantia cuſtode manere integrum atque illibatum videmus. Colitote Mediolanenſes, ut facitis, earumque habetote Principem hunc divino munere datum vobis, futurum huic Patriae mitiſſimi Parentis inſtar: ac ſi id fortaſſe etiam ad veſtri gaudii cumulum pertinere arbitraminii, daturum huic Imperio ſinceri ſanguinis ſtirpem ex eadem Domo, cui per ducentos amplius annos ſubjecti fuimus. Nec aliud hujuſmodi ſucceſſione optabilius erat nobis. Nam finita Vicecomitum virili ſtirpe, aut externam recipi dominationem oportuit, aut aliquam Reipublicae formam inſtitui domi, aut in Patris imperium adſciſci filiam, etiam ſi Sforzia hic non adeſſet Victor ſimul, & Maritus, & Gener, & Pater. Jugum externum, & vim peregrinam plerique adſperabamur. Coaleſcere in Reipublicae corpus, inſtabile, ſanguinarium truculentumque erat ob factiones, & partes, ob certamina potentum, ob urbis ipſius magnitudinem laborantem haud dubie mole ſua. Sforzia igitur libentiſſime recipiendus erat, cujus liberi nepotes erunt Principum, ſub quorum dominatu majores noſtri nullius alterius populi fortunam expetiverе„.

Cum haec a Guarnerio Caſtelleoneo perorata eſſent, nemini dubium fuit, quin nota laudantium arte cuncta ille in majus auxiſſet. Namque proſpera tantum attollendo reticuerat de adverſis, & affingendo felicia triſtibus, illata in Romanos fines arma, Eccleſiae propugnationem appellarat, neceſſitati Mediolanenſium obſequii nomen impoſuerat, & pro caetera Oratoris adulatione, mala, quae ipſi dum hoſtis inſtaret moenibus plurima perpeſſi erant, obverſabantur. Certatim tamen omnes, poſtquam dicendi finis eſt factus, acclamavere forti, & felici, ſummaque vocis contentione, uti mos vulgo eſt,

Sfor-

Sfortiarum nomini fausta cuncta precabantur: vivere diu, vivere laetum Principem jubebant. Haec in templo maximo acta erant. Singulae deinde Paroeciae nominavere singulos legatos, qui deferrent Principi obsequium & fidem, ac suae quisque vicinitatis nomine in ejus verba sacramentum dicerent.

Templi maximi Canonici, praeter solenne illud publicae gratulationis officium, quod a Castelleoneo peractum erat, decrevere duos e suo corpore, per quos Collegii verbis talia quaedam privatim exponerentur: Ecclesium Mediolanense, cui caput Metropolitana Aedes, a D. Bernaba Apostolo fundatam, a D. Ambrosio constitutam, per tantum aevi multa prospera vidisse, pleraque adversa, donec ab Othone Vicecomite res illius afflictae in certiorem aliquem stabilioremque statum redigi coepisse fuerint. Ab eo rursus tempore, post magna incrementa, retro esse sublapsam, & prout turbulentae, sive tranquillae Principum res, prout etiam Principes ipsi benigne adfecti, vel secus, ita Ecclesiam etiam in melius fuisse, vel in florente statu: obtinere magnas antiquitus immunitates, magnaque privilegia & munera concessu Pontificum aut Principum, qui, vel Ecclesiae magnitudini, vel nomini Parentum & Auctorum ipsius, vel Archiepiscoporum etiam aliorum deinde meritis honorem eum habuerint: sed partim intercepta esse, partim diminuta quae priores indulserint, & sacras veteris opulentiae reliquias tenues admodum manere. Esse hanc Insubriae totius Metropolim, & latius olim porrectam habuisse potestatem usque sacrorum. Ambrosianam Ecclesiam ideo nuncupari, quia descripteis ab illo Pontifice ritibus caeremoniisque seorsim ab caeterarum consuetudine Urbium utatur: & Romanum in eo discrimine auctoritatem nutumque adesse. Petere a Principe, ut Ambrosianum hoc nomen Ecclesiamque & Praesides Antistitesque ejus unice commendatos haberet, semperque tueretur. Id adeo ut ita fieret, & Metropolim, & ipsos praecipue mereri, vel quia Principes etiam Vicecomites, quorum ille nomen & genus propagandum atque continuandum susceperisset, plurima in eam & maxima ornamenta contulissent, quae deseri non oporteret, vel quia Collegium & Ordo Canonicorum Cleriusque universus omni sua pietate apud Deum, officio apud homines ad exordia novi Principatus adfuissent, adfuturique deinceps essent ad omnia, quae Principi placere posse arbitrarentur.

Respondit ad ea Princeps: Non esse sibi ignota quae de antiquitate & amplitudine casibusque Mediolanensis Ecclesiae egregii viri Canonici exposuissent. Parentes etiam illius Ecclesiae Barnabam Apostolum, & magni nominis Ambrosium colere se praecipua pietate, & res utriusque gestas in eo Pontificatu voluisse olim cognoscere, cum apud Socerum dominumque suum in hac urbe commoraretur. Favere Cleri totius Mediolanensis nomini ac famae, praesertimque Metropolitani Collegii amplitudini ac dignitati: vidisse omnium erga se studia amicosque animos, & magnopere esse delectatum. Scirent, cordi fore sibi, ut gratus vicissim amicusque reperiretur. Retinebantur inde Canonici paulisper in colloquio, percunctante Principe nonnulla de statu conditioneque Collegii, ac de Ecclesiae rebus: & cum eos dimitteret, velle se postea commodius colloqui cum ipsis, ajebat.

Quinque dies proximos ei diei, quo peracta caeremonia erat, justit festos esse Populo Mediolanensi: ac per eos dies ipse praebuit epulum, positoque in propatulo rerum omnium usu larga insuper munera data pauperibus, aut missa quibus in publico epulari ob sexum religionemque non licebat. Ob ea, maximum Sfortiae nomen apud omneis esse, celebrari sermonibus & litteris, & magnificentiae ac splendori veterum Regum acquiparari.

Una res erat, quae Mediolani publicam laetitiam impediret, eademque Principis ipsius magnopere sollicitaret animum, & ea ipsa res alioqui futura magnis malis initium, provido consilio discussa est, origoque sublata suspicionum mutuarum. Jovis arcem magna ex parte diruta atque collapsam reficere Princeps, ac novis firmare munimentis in animo habebat, ut eo premeret jugo urbem, si quando cupidine libertatis simulante civium animos, detrectare imperium coepissent. Anceps id erat ac difficile negotium, verebaturque magnopere Sfortia, ne turbarentur animi eo ipso quod parari praesidia adversus turbas viderent, atque rebellandi principium id fieret. Itaque anxius ea cura, vocatos ad se Parochos regavit uti popularibus quisque suis ostenderent, ad dignitatem & amplitudinem, & praesidium pertinere Civitatis, reficiquamprimum arcem & muniri, ideoque petendum esse ultro a Principe, uti fieri id imperaret. Facile Sacerdotes, & alii cum eis aptae prudentiae viri persuasere populo id quod quaerebatur, passimque per templa congregati Cives decernebant e sua quisque vicinitate legatos, qui Principem adirent, petentes, ne immunitam ac nudatam diutius esse Metropolim vellet, inchoaretque pulcherrimum opus, quod praesidio ipsis, terrori hostibus esse posset. In D. Georgii Aedem praecipue congregabantur. Ibi Georgius Plattus Jurisconsultus notae facundiae vir, prudentique idem & modestus atque vitae suae fama nactus auctoritatem inter cives, quanta maxima privato cuiquam contingere posset: is igitur existimans, ea, quae parabantur munimenta, damnosa fore urbi, arcemque ipsam, veluti sepulcrum omnis publicae libertatis interpretatus, adversus eam rem dixerit in hunc modum: *Veri Mediolanenses. Si Deus Opt. Max. aliquo singulari beneficio & indulgentia erga Patriam hanc, angusta mortalis aevi spatia Francisco Sfortiae prorogaturus esset, ita ut sperare possemus fore posteritatem nostram sub imperio tam justo, & aequabili, quam hodie nos experimur: esse sane supervacaneas haec oratio, quam ego pro salute publica adversus publici consilii auctoritatem suscepi. Sed cum vita Principum circumscripta sit isdem terminis, intra quos nostra quoque privatorum vita consistit, censeo lentius aliquanto consultandum esse de re, quae deliberata jam vobis & decreta est. Neque enim arbitror ignorare quemquam vestrum, quam calamitosae res sint omni liberae & honestae civitati impositae cervicibus arces, nimiumque multis, & aliorum, & nostris casibus id compertum habemus. Nescimus, quae maneat in posterum fortuna Civitatem hanc: sed superiorum temporum mala docuere, quanta sit dominantium potestas etiamsi castella non premant cives. Sed ita sumus experti, ut tradere generis hujus disciplinam aliis etiam possimus. Arcem autem hanc Jovis, tantum abest ut reges velle debeamus, ut potius ejus ruinas quasi fortunam nostram ingentem, & summum Dei beneficium intuere oporteat, & laetari, quod excidio data fuerit. Polliceatur quidem felicitatem nobis quaecumque perpetuam incyta justitia, sapientiaque & religio Sfortiae hujus: sed, dicite mihi, quamdiu Sfortiam inter vivos futurum putetis? At enim, dicat aliquis forte fortasse vestrum, exstincto eo, spem in ipsius prole fore non minorem: quis tandem praestare nobis possit istam prolem? Et ut ea contingat optima: quam diu optimos istos futuros esse nobiscum putatis? Nescimus quae rerum infortunia parentur ipsis quoque Principibus: & in magna atque opulenta civitate multa accidere possunt ejusmodi, qualia, neque conjectura nostrae mentis assequitur nunc, neque ferat animus cum aderunt. Arcem ipsam poterit ejusmodi Praefectus habere, qui, vel prodat externae tyrannidi, vel occupet sibi, aeternoque servitio affligat urbem, humilis fortasse, & abjectus homo, quales saepe multos extollere Principum favor amat. Firmissimae ac tutissimae sunt arces, quae fide & caritate populorum ponuntur: caetera munimenta, si fides absit, nihil aliud, quam populo Principique perniciem parant.*

Summa omnium attentione Plattus est auditus, ac vera esse quae diceret, fatebantur. Sed vicit paucorum auctoritas & gratia, quos Sfortia sibi in id praeparatos habebat, atque in eodem D. Georgii Templo decretum de reficienda arce est factum. Et res quidem ista exitum hunc suum habuit: Sfortiam interea Federicus Imperator, & Carolus Galliarum Rex, quo minus in tanta Civitatis adulatione tantisque Populi totius erga se officiis, sincero gaudio frueretur, exercebant. Ille exstinctam Philippi Mariae sobolem, versamque domum dictitans, antiqua Caesarum jura repetebat sibi: hic Au-

Aurelianenſem Regulum affinem ſirum certo gentilitatis obtentu ad ſpem eamdem producebat. In ejus litis moleſtia tanto graviora Principi erant ſtudia populi Clerique Mediolanenſis, & Eccleſiaſtica praeſertim auctoritate ſanciri ac firmari ſibi dominatum laetabatur. Fratrem inter caeteros habebat Carolum nomine, qui ab ineunte aetate, ſatis armorum ſatiſque gloriae militaris arbitratus eſſe domi, quieto inſuper ipſe ſpiritu animoque ſtudia divinarum litterarum adamarat, & cum in familiam Auguſtinianorum ultro nomen dediſſet, facile Princeps evaſerat ejus Ordinis non auctoritate tantum & fraterni ſplendoris fama, ſed multo magis ſeveritate vitae, & omnium laudandarum artium diſciplinis. Concionandi praeſertim laude excellebat, & per omnia ſui Ordinis munera magna cum approbatione pervagatus, animi quoque paſtoralis haud leve ſpecimen dederat. Hunc in tali tempore Princeps crediderat poſſe ſibi eſſe praeſidio & adjumento ad pleraque agenda & obtinenda, ſi Mediolanenſem Eccleſiam, quae Nicolai Amidani morte per eos forte menſes vacua relicta erat, ei demandandam curaret. Facile ab Nicolao V. (is tunc Romana ſacra tenebat) impetravit rem: atque ita uno tempore penes eamdem familiam uterque dominatus erat, ut indidem, & reſponſa divini juris peterentur populo Mediolanenſi, & vitae neciſque arbitrium immineret. Ipſi inter ſe fratres egregie concordes, poteſtatem eam, & ſpecie tituloque, & re ipſa tantopere disjunctam, ac ſaepe contrariam, ſtabiliendi Principatus cauſa conſociabant. Imperium & potentiam illam arbitram omnium rerum attemperare Princeps ad quotidianos Eccleſiae caſus: indulgere Archiepiſcopo quantumcumque ſacra negotia poſtularent ac ferrent. Viciſſim Archiepiſcopus, beneſaciendi ſimul & nocendi facultate major ita aliquanto quam per ſe eſſet, quidquid illud virium & facultatis habebat ex fratris aula, regerebat eodem, omnibus demerendo modis eos, queis, vel momenti aliquid in civitate eſſet, vel turbidi ac violenti in animo, dabanturque ultro crebrae occaſiones a Principe, per quas ingeniis & hominibus ejuſmodi ad Archiepiſcopum eundum eſſet. Saepe quin etiam Archiepiſcopus ipſe magnarum rerum controverſias, & longi ſubſellii negotia deliberationeſque, ſi modo minimum ullam anſam haberent, per quam in alterum tranſmitti forum poſſent, ad Magiſtratus illos rejiciebat, atque ibi ſupplices litigatoreſve ita tractabantur, ut officii concordiaeque certamen inter utraque judicia, & inter aulam dominumve utrumque agnoſcerent. Ita fiebat, ut neque commodior umquam ullus Civitati contingere poſſe ſtatus videretur, & verecundia quaedam etiam animis eſſet turbandi quidquam in tam miti, tam benefico erga omnes duorum fratrum certamine. Aderat enim Principibus digna viris interim providentia quaedam apta tegendae arti, in quam potentiae cauſa conſenſiſſent, ne ſcilicet per eum conſenſum eamve artem alterutra in parte ſieri ſordidum humileve aliquid quamvis attenti & callidi ad ſingula interpretanda nonnulli dicere illo modo poſſent. Et nota Pontificis probitas famaque illa, quam attulerat e clauſtris, dictis factisque omnibus addebat auctoritatem: ut quietis & modeſtiae nomen haberent ea, quae ſi fierent ab alio, proxima conſpirationi haud dubie haberentur. Nec fortaſſe debuit ille diverſo eſſe animi habitu ab fama quam obtineret, potuitque ſalvo officio ad firmandi Principatus opportunitates accommodare, ſi quid etiam alioqui ſua ſponte leniter ac dextere facturus erat.

Cum haec forma rerum Mediolani eſſet, peſtilentia eſt exorta, cujus mali originem, quia nullam aliam probabiliorem dicere medicae artis homines poterant, contulere in colluvionem varii generis mortalium, qui Jubilaei cauſa Romam hoc tempore peregrinantes Mediolani commorabantur. Ea tanta lues fuit, ut, quae rerum ſcriptoribus in hujuſmodi commemoranda calamitate ſolent eſſe communia dictu, ea vere ac proprie ſibi tempus id poſtularit. Intercederat namque ſortis humanae commercium vi morbi, qui poſtquam continua ſtrage conſpectus erat totas exhaurire domos, non modo quotidiana miniſteria potentioribus abſtulerat, ſed alienaverat etiam eos, qui ſanguinis caritate, vel pudore, vel ſpe hereditatis, ab monturo ſemper ultimi dilabuntur. Mortuorum numerus ex promiſcua plebe ac nobilitate ad triginta millia eſt relatus. Princeps & Archiepiſcopus, aulaque tota, & proximi faſtigio, & minores alii, ſed molliter affluentes, vitata urbe, amoeno circum ſalubria loca victu contagium effugerunt. Et quoſdam tamen etiam eorum deprehendit ibi peſtis, oppreſſitque inter ſymphoniam aut epulas, & oblectamenta caetera, quae ſibi circumdederant adverſus metum.

Caeterum, Princeps uterque, quamquam exitio praeſenti ſubducere ſeſe voluiſſent, tamen excuſata per litteras & edicta apud Populum neceſſitate, & quantum poterant, teſtati, fieri id ipſum Reipublicae cauſa, rebus etiam ipſis magnopere contenderunt, uti paſtoralis & civilis animi fidem facerent eam: & plane aſſequebantur. Exſtructa paſſim tuguria per exſpatiantes late campos: dirempti omnes ob mutuo contactu: dati qui circumferrent alimenta: dati alii qui procurarent divinis myſteriis animos: alii qui ſolatia & hortamenta futurae vitae morientibus ferrent: corporibus evehendis alii, & praeſentium poenarum opportuni terrores ad coercendam licentiam, ſi quos aſſidua illa mortis imago ſatis non coerceret. Denique proviſa, & inſtituta factaque omnia, quae fierent ac providerentur etiam in hac temporum noſtrorum diſciplina, poſtquam, & experimenta complura Pontifices ac Principes alios ad ejuſmodi caſus erudivere, & Pontificum etiam Principumque animi exſtitere majores aliquanto quam illi erant. Et peſtilentia quidem haec, ſive placato Numine, ſive purgata urbe, ſive circumacta & exhauſta gravitate & corruptione coeli, poſt menſes aliquot exſaevierat: alia ferme ſocia peſtilentiae clades ex incultis agris Populum Mediolanenſem invaſit. Cura eadem, hinc Principis, hinc Archiepiſcopi, in fame, quae fuerat in peſte, non ita potuit obviam ire malo, quo minus longe plures abſumerentur. Ad ſexaginta millia periiſſe, quidam annales habent, cum ab dira & ultima neceſſitate nulli rei parceretur, quae vorari aliquo modo poſſet.

Exhauſta in hunc modum & affecta urbe Eccleſiaque Mediolanenſi, tertia illa calamitas imminebat, quae ſacra & profana omnia permiſcet ſemper atque involvit, etiam ubi calamitate alia nulla res inſuper aggravatas eſſe contingat. Veneti, neque ullam cum Sfortia conditionem pacis admittebant, & caſtella nonnulla Mediolanenſis agri cum capta haberent, inſeduſſentque praeſidiis, quaſi appetentes ulteriora, & minitantes, reſumi coegere arma, quae parum feliciter etiam antea experti erant.

Die, qui fuit D. Georgio Martyri ſacer, habitis ad praecipua urbis Templa ſupplicationibus, & invocata Martyris ope, vexilla ſunt erecta gerendo adverſus Venetos bello, quod cum varia fortuna gereretur, totaque per id bellum Italia, his aut illis adhaereſcens in magna perturbatione eſſet, Calixtus Pontifex Max. (is namque Nicolao ſucceſſerat) ſuſcepta componendae pacis actione, propter duras hinc inde conditiones nihil magnopere explicabat. Subegerant interim damna Venetos, uti tranſigere quoquomodo optarent, & nacti Monachum quemdam idoneum ad id hominem (cujus Ordinis fuerit non traditur) hunc ſibi Mediolanum ad Sfortiam legavere. Vulgo Fratrem Leonem appellabant, de quo homine diverſa fama, variique ſermones erant, prout quique vitam & inſtituta ejus, benevole, vel ſecus interpretabantur. Nam, quia negotiis ſe Principum ultro immiſcere vellet, frequens in aula, coetibuſque nobilium, ab Odaeo autem trielinioque alienior, idem Ordinis ſui amictum & votiva tegmina flectens paulatim & mutans in molliorem amoenioremque formam, & legationis alicujus obtentu ſemper aliquo peregrinabundus: ideo quatiebant capita nonnulli, quaſi valere juſſiſſet clauſtra, nolleteque dediſſe nomen in eam familiam, ſic eum cum riſu facetiiſque, vel etiam cum indignatione ſeverio-

res

res adſpiciebant. Et erant, qui turbulentum ingenium appetentemque rixarum hominem eſſe ſuſpicarentur, qua forte vehementior commotiorque erat. Contra, faventes & mites ajebant, virum eſſe magnum & gravem & aptum ad res gerendas, cui cordi utilitas publica, qui neceſſarios in Eccleſia labores, & actiones ad ſtudia pietatis adjungere ſciret optimo temperamento, quales omnes eſſe ſacros homines oporteret. Non ultimam eſſe religioſae perfectionis laudem, tractare lutulenta mortalium negotia nec inquinari: Superbis ac delicatis Principum animis inſinuari communium commodorum & plerumque ſalutis etiam ipſorum cauſa: nec ſermone, nec habitu, nec moribus ad id eſſe horridum & incomptum: haec & alia in negotioſo hoc Monacho leniter & amice interpretantes admirabantur. Quodque acrior interdum videretur & avidus offenſionum, id ipſum, libertatem Apoſtolicam atque faſtidium erga multorum indignitates vocabant. Sed quae demum ejus hominis vitia, quaeve virtutes eſſent, divino judicio certius ac melius quam hominum aliorum interpretamentis diſcerni potuit. Venet plurimum eo utebantur, ſive perferenda Senatus mandata preceſve aliquo eſſent, ſive callide conſultandum ſcribendumve nonnihil: eratque idem utrique Sforziae, Archiepiſcopo ſcilicet & Principi perfamiliaris.

Ob ea, rebus afflictis Patres hunc ſuper impetranda pace legatum deſtinavere conditionibus iis, quas ipſorum fortuna praeſens ferret. Ille profectus Mediolanum, agendo varia, nunc apud Archiepiſcopum, nunc apud Principem, eo rem adduxit, ut Sforziae fratres, quamquam & viribus jam ſuis, & foederatorum ope, & multarum eventu rerum haud dubie ſuperiores, victoriaque propemodum explorata, ad ponenda arma pacemque cum Senatu Veneto faciendam conſentirent. Cum legatus aliquoties ab Mediolano Venetias, & rurſus inde Mediolanum excurriſſet: ad VIII. Idus Aprilis praeter omnium exſpectationem pax ea promulgatur. Ita, quod neque Pontifex Maximus auctoritate ſua, neque Principum aliorum legationes in id miſſae aſſequi potuerant, unius religioſi hominis dexteritate perfectum eſt, attonitis & erubeſcentibus pudoreque confuſis, ut credere licet, quicumque trepidantem in aula curſitantemque Monachum elato ſupercilio antea deſpiciebant, ſive cavillabantur.

Donatus Boſſius horum ferme temporum aequalis, qui Chronica gentium univerſarum & res omnis aevi per annorum gradus litteris mandavit, in hac referenda pace, Fratrem quemdam nominat Simonetam, quo internuntio & conciliatore, res apud Laudem Pompejam inter Sfortiam Principem & legatum Venetum convenerit. Inde ego ſum arbitratus, & Leonis nomen, quod Bernardinus Corius tradit, & Simonetae vocabulum, quod apud Boſſium exſtat, ad eumdem hominem pertinuiſſe, ut illa eſſet hominis ipſius appellatio, haec gentis. Cumque Boſſius idem Eremitam Auguſtinianum hunc fuiſſe Simonetam ſcribat, ſuſpicio etiam inde oritur mihi, familiaritatem, quam cum utroque Sforzia hunc habuiſſe legatum memoravi, ortam ex Archiepiſcopi contubernio, qui familiae olim ejuſdem gregalis fuiſſet. Sed ex diverſo, magnam huic noſtrae conjecturae perturbationem affert Joannes Simoneta, qui Ducis bella poſteris narravit. Is enim, neque Fratrem Leonem, ut Corius, neque Fratrem Simonetam, ut Boſſius, ſed Fratrem Simonem memorat, qui rudis litterarum, innocens vitae habilis ad negotia, Senatui Veneto fidus, Sforziae carus, ſuper pace aliquoties ultro citroque commearit. Apud eumdem porro Chronographum Simonetam, pro Caliſto Pontifice Maximo pacificator Nicolaus habetur: eum priore negotiatione, pacem, cui palam ſtudere videretur, ſecreto impediſſe, dictitantem, in periculo fore res Romanas quandocumque Infubria otium habere coepiſſet. Quas quidem ego varietates retuli, ut appareret, in magnis parviſque rebus id quod alias etiam monere non deſtitimus, quam fallax & fluxa ſcilicet haec ſit memoria veteris aevi, quippe cum ad proximas etiam temporibus ſuis aetates hallucinetur hiſtoria, & pro luce quam pollicita eſt, tenebras negotiis auctoribuſque negotiorum offundat.

Pace cum Venetis facta, refectoque Populo Mediolanenſi ex peſte ſimul & fame, deceſſerat publicis quoque rebus, & univerſae Metropoli ſtatus infelix, quem per mala illa invectum, ſtatim ubi coeperamus exuere, detinuerant & aggravarant mota repente in hoſtem hunc arma. Reperio in Boſſianis annalibus, Turcam hoc tempore, poſtquam aliquot caſtella Genuenſium repentina impreſſione occupaſſet, urbem quoque Albam invaſiſſe: caeſos fuſoſque barbaros ab Joanne Carvagiala Franciſcano, qui coactum adverſus Mahometana arma privato conſilio militem notis Crucis armarit immiſeritque, & ſimilem miraculi victoriam reportarit. Pontificem Maximum, ejus victoriae diem, qui D. Sixto Sacer dies eſſet, inſignem feciſſe majore celebritate myſterii illius, cum Chriſtus Liberator humanos ſuos vultus in divinos repente ſplendores figuraſſet atque induiſſet. Id referri pertinebat ad noſtrum hoc opus, ut quoniam dicata Sancto Pontifici Aedes Mediolani viſitur, ejuſque memoria nominis ibi celebratur ad VIII. Idus Sextileis, ſciretur etiam, quaenam cauſa fuiſſet alterius conferendae celebritatis in hunc diem. In iiſdem erat annalibus: Jubilaeum hoc tempore in Franciſcana Aede fuiſſe Mediolani, & tantam undique peregrinorum multitudinem confluxiſſe illuc, ut in turba quidam eliderentur. Ad centum millia conveniſſe tradunt praeter indigenam Urbis populum: in ipſo aditu Templi quindecim ingruente multitudine eſſe obtritos atque exanimatos.

Hoc etiam tempus illud fuit, quo Principis animum movit Numen, ut ſub Noſocomii ſive Hoſpitii nomine publicam domum inſtitueret aperiretque curandis & alendis utriuſque ſexus mortalibus, quos morbus & egeſtas id petere ſubſidium coegiſſent. Namque, per eos annos, cum lues & peſtilentia prius, deinde frugum, ob deſertos agros, inopia, vaſtarent affligerentque urbem, debuit multorum adſpectus eſſe miſerabilis, qui per compita omnia abſque ulla humana ope & ſolatio quiritantes aut inſepulti jacerent etiam in illa imperitantium cura & benignitate, quae declarata eſt. Eam ſpeciem, idque deforme ſpectaculum haud ſine magno miſericordiae ſenſu inſediſſe Principis animo credibile eſt, inde conſilium ortum aperiendi Xenodochii, ubi lares, ubi tecta deſtitutis, & altera quaſi patria eſſet. Neque dubitaverim ego affirmare praecipuas in eo conſilio fuiſſe Archiepiſcopi Sforziae partes, qui Pontificii ſui muneris cura, ob tale ſpectaculum, ſpectaculive memoriam anxius, fratrem hominem militarem altioribus imperii curis intentum ad paſtoralia haec invitarit. Dimenſa & aſſignata in id opus area juxta D. Nazarii aedem, in veteris arcis ſede, primus lapis poſitus eſt Id. Aprilis An. ſal. milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, quem tamen, & menſem, & annum, ut pleraque alia variare, incuria, ſive licentia ſcribentium potuit, etiam ubi recens memoria nullum ſolitae excuſationi locum dabat. Exſtructis aedibus tanta celeritate, quantam adhiberi par fuit, ubi ſacris ſimul & profanis opibus agebatur res, & ubi pars utraque contendebat, ut Mediolanenſes primo quoque tempore ſubſidium illud ornamentumque haberent, reliqua erat cura, ut praeter vectigalia & fundos qui deſtinati ſtatim in hunc uſum, aſſignatique eſſent, contribuerentur opes idoneae, alendo & curando quidquid aegrotantium mendicorum illuc affluxiſſet. Debuit namque creſcere & augeri Principum animus una cum operis mole, ut Metropoli urbique, & nomini Ambroſiano, opulentia & magnitudine reſponderet. Valetudinaria, Mediolani, atque etiam extra urbem pleraque alia erant non parvis inſtructa fructibus & emolumentis jam inde a Bernabove Vicecomite, qui praeter curandos alendoſque aegrotos, onera haec addidit: Certa cum dote certum ad numerum collocare in matrimonio pauperes puellas, quarum honeſtati diſcrimen imminueret. Statis diebus dividere panem ex aliquot tritici modiis. Facere quaedam anniverſaria ſacra Manibus mortuorum expiandis. Benigne fa-

Sf ecre

cere captivis pauperibus & cibaria mittere, prout egentiſſimi quique in vinculis haberentur. Haec onera Xenodochiis injuncta veteribus a Vicecomite fuerant, eum vectigalia & fundos iiſdem aſſignaret. Aſſignaverat autem Xenodochio D. Ambroſii, quod Broliense Xenodochium hodie nuncupatur: Xenodochio Divae Catharinae, & D. Antonii Xenodochio, & cuncta exemerat oneribus publicis, ne quid inde in fiſcum aerariumve exigeretur, ne hiberna vel aeſtiva militibus praeſtarent. Quae poſtea munera & immunitates Eugenius Pontifex Maximus, rogatu Decurionum urbis, dato in id diplomate, eſſe ratas juſſit anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto, ſicuti quidem clauſula diplomatis praefert.

Poſt annum inde tertium decimum Henricus Scotus Cardinalis Archiepiſcopus Mediolani, & Apoſtolicus idem legatus, favens Decurionum eorumdem precibus & piae volumtati, dederat etiam leges & inſtituta, queis Xenodochia illa regerentur, & conſtituerat hoſpitalem quamdam diſciplinam, cujus deinde diſciplinae quarumve legum & inſtitutorum Nicolaus V. Pontifex Maximus auctor eſt factus, iſque cuncta ſanxit auctoritate ſua & firmavit. Eae leges & inſtituta, ſummaque diſciplinae ejus ab Archiepiſcopo Henrico perſcripta, a Pontifice Nicolao confirmata, totam Xenodochiorum adminiſtrationem, & regimen dabant Archiepiſcopo, qui Mediolanenſem Eccleſiam per tempora obtineret, idque praecipue ſanciebatur, ut Archiepiſcopus ipſe per tempora deligeret ex nobilitate quaternos vicenos, qui praeeſſent Noſocomio, cunctaque adminiſtrarent. Vectigalia, & praedia, aedificiaque omnia, quae Princeps Bernabos Noſocomio donarat, aureorum nummûm ad viginti quinque millia annua efficiebant, quae ſumma amplior aliquanto majorque tunc debuit eſſe, quam nunc hic prae ſe ferat titulus poſtquam laſcivia temporum effecit ut etiam aurum vileſceret. Ad eam ſummam, donationemque Vicecomitis acceſſerant legata privatorum & quotidianae largitiones: & ſedulitate praefectorum, ex annuis reditibus incrementa nonnulla ceſſerant in annuos alios reditus, dum fortaſſe, ſicuti praepoſtera nonnumquam amat cura, patrimonio amplificando magis quam caritatis & juſtitiae legibus conſulitur. Sfortiae fratres, Archiepiſcopus nempe Carolus, & Dux Franciſcus, pulchrum exiſtimavere, ſi diſperſa & diſſipata illa ex pluribus hinc inde noſocomiis cogerent in unam ſedem, regimenque novum & aptiora temporibus inſtituta adhiberent. Id fore aptiſſimum conſtituendo valetudinario, quod publica pauperum omnium domus eſſet, quod urbe Metropolique dignum munus erga Chriſti Liberatoris viſcera illa & curam. Petiit a Pio II. Pontifice Max. Dux Franciſcus, ut noſocomia, quae Mediolani, quaeve extra urbem eſſent, auctoritate Apoſtolica contribuerentur in unum corpus unamque ſedem, ſub Magni Hoſpitalis nomine, quod paulo antea coeptum aedificari jam prope ad tectum faſtigiumque perduſtum eſſet. Recenti urbis clade, cum morbus & fames depopularentur Metropolim, repertam eſſe inutilem veterem illam diſperſi noſocomii formam, quae plus afferret incommodi, nec ſatis apte regeretur. Proceſſura omnia melius utiliusque, ſi corpus caputque unum fieret, unde in caetera regimen, ubi lares, & communium alimentorum domus. Petiit ſimul, ut quo jure, quave conditione, quibuſve legibus vetera noſocomia ſtetiſſent, id jus, & ea conditio, & eae leges tranſferentur in novam hanc formulam novumque regimen, & ut rata eſſent, ſi quae deinceps in conſtituenda nova familia, demi, mutari, addive, praeſens conditio rerum, aut hominum, aut denique temporum poſtularet. Et quoniam unius integri magnique populi domicilium id futurum erat, petebatur, ut eſſet ei domicilio jus omne ſacrorum animis quoque procurandis & adorando Numini: ſepulcra, ſacella, parochos, aras, aedituos, ut ibi haberi liceret, petebatur.

Indulſit atque conceſſit cuncta Pontifex Maximus cum ea praehitione & clauſula, ut ſacri & inviolati ſoli ſedes illa Hoſpitalis in poteſtate Archiepiſcopi eſſet, iſque adminiſtratores & praefectos ex nominatione civium daret. Contributis in unum Xenodochiis, corporeque uno facto ſic & conſtituto, crevere opes paulatim in eam amplitudinem, quae fortunae Principalis inſtar ſufficiat hodie magnificentiae ac liberalitati Domus, quae in tanta urbis frequentia, tantoque ad Metropolim hanc ex aliis urbibus concurſu, & in tantis infelicium hominum neceſſitatibus, nihil miſerabile apparere oculis ſint. Invitatus magnitudine operis Paulus III. Pontifex Max. attribuit huic Mediolanenſi Xenodochio Sacerdotium amplum, quae Abbatia Sexti nuncupatur, ex pago, cui nomen id circa Verbani lacus initia. Nec multo deinde poſt Pius IV. etiam largiore erga Patriae ſuae gloriam animo, praedia Mirabundi & praedia Ganae (Abbatiarum item ea ſunt vocabula) conceſſit. Ea conficiunt hodie vicena milla nummûm aureorum in ſingulos annos. Cenſus univerſus annuus ſexaginta millium explet ſummam: amplius centena millia neceſſariis uſibus inſumuntur: tantam eam lacunam explent collationes piorum, ſive qui magnitudinem ſumptuum intuentes congerunt illuc ripem, ſive qui damna occulta rependunt.

Forma regimenque negotii totius, ejuſmodi eſt, ut quemadmodum ex pluribus olim Xenodochiis in unam hanc ſedem coaluerat res, ita ex hac ſede in plura rurſus Xenodochia, tamquam in membra redeat, ac dividatur: his neceſſaria quotidie ſuppeditantur: illic arbitrium & ſumma rerum manet. Quot ſibi gignit admittitve calamitates hominum vita, quotque caſus & ludibria pati poteſt humanum corpus, tot fere ſubſidia, totve domus adverſus ea mala conſtitutae ſunt ex hoſpita hac magna domo: cum aegrotantium, & convaleſcentium, & aſſiduc morientium, & vagientium etiam in cunis ipſa ſit domus. Sed ad D. Celſi velut in ſuo tecto lactantur infantes, in quos nulla alia cura parentum fuit praeterquam procreandi & exponendi. Ibidem aluntur educantur que puellae ad nubiles uſque annos: poſtquam adolevere, maritantur. Si matrimonium odere, non deſunt honeſta munera, queis occupentur: & domi virgines conſeneſcunt. Tranſmittitur grandiuſcula puerorum aetas ad D. Dionyſii, ibique primis litterulis, & neceſſariis ad uſum Reipublicae artibus inſtruuntur. Si quos foeda capitis ſcabies turparit, his ad D. Lazari ſtant ſua domicilia ſeparatim. Qui aquae intercutis morbo tumuere, decumbunt ad D. Ambroſii. Qui contraxere Gallicam luem, ad D. Stephani curantur. Ad D. Simpliciani inſanabilium eſt domus: ad D. Vicentii ſunt cubila & ſepta miſerrimis mortalium, quibus accidit ultimum malorum ut e poteſtate mentis exirent.

Videor humile quiddam & ſupervacaneum fortaſſe facturus, ſi referam quotidiana etiam inſtituta, quibus haec non ultima pars publicae rei contingetur & adminiſtratur. Sed quaedam religio tenet animum meum, ne Hiſtorica hac cura indigna eſſe cenſeam ea, quae Pontifices Principeſque noſtri tractaverunt atque comprobarunt, litteriſque etiam & edictis & auctoritate pubblca ſanxere. Et ſicut alibi praefatus ſum, nihil eſt hodie tam vulgatum & manifeſtum, quin obſcurari poſſit ac vaneſcere niſi cuſtodia haec litterarum accedat. Fortaſſe etiam exteri homines cognoſcere avebunt haec ipſa, neque pigueit externs ſcripſiſſe, ſi faſtidita noſtratibus erunt. Jam primum igitur, ubi tempus advenit eligendi nobiles viros, qui rem univerſam hoſpitalem adminiſtrare debeant, conveniunt Decuriones urbis, atque una cum piorum locorum adminiſtratoribus nominant ex nobilitate ſex & triginta ſpectatae probitatis viros cum ea deſcriptione & aequabilitate, ut ex ſingulis urbis regionibus ſenos aſſumant. Et vocabula piorum locorum, ſive ſodalitatum, quibus ad nominationem eam jus eſt commune cum Decurionibus urbis, haec ſunt: Miſericordiae Sodalitium: Sodalitium Caritatis: Sodalitium Pietatis: Quatuor quoque Mariarum, & Divinitatis, & Humilitatis nota & benefica urbi loca ſive conventus, auctoritatem teſtimoniumque ſuum negotio inſerunt, nec aliter fieri nominationem oportet.

Poſt-

Poſtquam Praefecti Conventuum horum conjuncti cum Decurionibus urbis nominavere triguta ſex illos, quos eſſe regimini aptos credant, tunc e ſingulis conventibus deſecti bini, deſcripta nomina tradunt Archiepiſcopo, idque poſt diem, quem Eccleſia coeleſti ad Virginem Nuntio ſacrum colit. Inſpecta ſchedula, conſideratiſque nominibus, Archiepiſcopus eligit ex univerſo numero duodecim, ita, ut ex unaquaque urbis regione ſint bini; ſex alii retinentur ex veteribus Praefectis, qui notitia & uſu negotiorum imbuti, de omnibus rebus erudire novos poſſint. Hic orbis in ſingulos annos volvitur: niſi biennio interjecto reſici nemini licet. Et quo plus auctoritatis concilio adſit, additur ſemper octodecim huic Praefectis dominatus alterius nutu decimus nonus, quem participem & arbitrum rerum omnium ſtatuendarum eſſe oporteat: juſſeratque id Pontifex ipſe Maximus, cum Sforziae rogatu, Xenodochia omnia, ſicuti memoravi, contribuerat in hanc ſedem. Kalendae Maji praefecturae incundae ſolennes ſunt. Ea unita, principio conſiliorum actionumque omnium, ſtatuto die congregantur in ipſius Xenodochii templum Praefecti cum domeſticis Sacerdotibus & miniſterio toto, ſitque res divina cum ea precatione, ut cujus rei cauſa vocati divinitus electique ſint, eam rem ſancte integreque, & laudabiliter adminiſtrare queant ablque ullo ſenſu, qui flectere ab divinae gloriae & publicae utilitatis cura animum poſſit. Adorato ſic Numine, & quaeſito Sancti Spiritus auxilio, faciunt e ſuo corpore Praeſidem unum, qui concilii ſit univerſi caput & auctor. Creando Praeſidi ordo hic ſervatur, ut in ſingula paria Praefectorum circumagatur is Magiſtratus: ſpatium ei Magiſtratui bimenſis ſiet: ab altero ex Orientalis portae duobus inchoetur: per portas deinceps alias ad eumdem modum eat uſque ad Novae poſtremos binos. Munera Praeſidis & ejus officii leges ſcriptae in hunc modum exſtant: *Accedito quotidie ſtatus alsenſque horas, & inſpicito cuncta, & recognoſcito, & luſtrato. Cauſarum, controverſiarum, litium, ſtatum momentaque & progreſſus audito: cum patronis & judicibus agito: exponito Collegis omnia quae egerit, quaeve ſtatuerit agenda eſſe, ne pauperum res, & Chriſti patrimonium per eas lites & controverſias detrimenti quidquam patiatur. Decreta, quae de unaquaque re in conventu facta erunt, ut per ſcribas in acta referantur; operam dato. Si quid in alicujus rei deliberatione ſententia plurium improbarit, ejus quoque cuſtodiri memoriam jubeto, ut Praefecti futuri ſciant, quid aliquando prioribus non placuerit, quidve inutile aliquando repertum ſit. Comptionum faſtarum pretiis erogandis ipſe adeſto: nomina viciſſim pecuniaque omnes ut ad diem exigantur curato: Accepti tabulas & expenſi menſtruas inſpicito, & ſubſignato. Aegrotos in Noſocomia alta dividito prout apta cujuſque calamitati domus erit. Neminem autem retineto domi, niſi cujus ſanabile eſſe malum medici pronuntiarint. Haec omnia providenda ſunt & curanda ei, qui Collegarum ſuffragio Praefes appellatus erit. Collegae ipſi communiter inter ſe negotia provinciaſque partiuntur, ita ut bini, ternive, quaternive eamdem in unius rei curationem incumbant, & rurſus omera complura in ſingulos inclinentur, prout, vel habilitas ipſa, vel pondus & magnitudo rerum adminiſtrandarum habebitur.*

Cum exſequi cactera in hunc modum pararem, reperi editam vulgus omnia, curamque ſupervacaneam eſſe meam hanc putavi: atque ideo relicto valetudinario hoc negotio, magnos Urbis & Reipublicae caſus exſequi pergam.

Franciſcus Sforzia multis egregiis rebus geſtis, magno populi Mediolanenſi dolore moritur anno ſalutis milleſimo quadrageſimo ſexto: nec diu marito ſuperſtes uxor fuit. De ea muliere ſic tradunt. Appropinquantem extremis, cum ſancte religioſeque vixiſſet, perverſa medicorum adulatione contempſiſſe primo aegritudinem eam, & nullam Eccleſiae myſteriorum ad expiandum animum habuiſſe cogitationem. Cum morbus quotidie magis ingraveſceret, amicique & proximi, pari erga morientem adulatione, ſalubria omnia eſſe affirmarent, acceſſiſſe Michaelem Carcanum ex Franciſcanorum Ordine, acſevere denuntiaviſſe, quemadmodum finis ei properus inſtaret, eſſetque poſtridie moritura. Proinde conſuleret animae ſaluti, & amiſſa mortalis vitae ſpe, ſempiternam alteram meditaretur. Tunc eam, increpita adulantium amicorum levitate, protinuſque abdicata omni rerum humanarum cura procuraſſe divinis myſteriis animum, & cum magna ſignificatione pietatis exſpiraſſe. Non abfuit veneni ſuſpicio, & quidam Galeacii filii ſcelus ſuſpectavere. Cadaver ejus in D. Gothardi Aede collocatum biduo poſt in Templum maximum effertur, componturque ibi tumulo eodem, qui Franciſci Sforziae olim contegebat. Fuit eximiae religionis mulier, duoque inclyta Templa, D. Mariae Virgini Coronatae alterum, alterum D. Agneti Martyri poſuit. Virilis animi eadem, & regendis populis apta, unde initia ſuſpicionum, & cum filio diſſidium, inſidiaeque denum in matrem ortae creduntur. Inter haec Principum funera, Carolus etiam Archiepiſcopus mortuus erat, & in Deiparae Aede ſepultus, quam Aedem a Blanca, Mariae fratris uxore conſtructam, ipſe conſecrarat. Archiepiſcopum hunc Carolum annales alii appellare Gabrielem malunt, quod illi nomen inditum fuerit, cum in Auguſtinianos Eremitas, ſicuti memoravi, reciperetur. Nos natale nomen retinendum eſſe putavimus ideo, quia in Franciſci Sforziae litteris, quas ad fratrem Archiepiſcopum ipſe perſcriberet, reperimus id non eſſe mutatum.

Succeſſerat huic, ſive Carolo, ſive Gabrieli, Carolus alter Forolivienſis, quem Calixtus III. Pontifex Max. ex Celſiani Monaſterii Abbate, ob litterarum & prudentiae laudem Populo Mediolanenſi Pontificem dedit, ut famae quae ſecuta Sforziam erat, novus Archiepiſcopus, nomnis, & vitae dignitate reſponderet. Sed breve Pontificatus ſpatium hunc fuit. Stephanus Nardinus ab Paulo II. ſucceſſor datus, in tertium uſque & vigeſimum annum Pontificatum extendit, unde & major ei fama, curiſque rerum, & vivendi ſpatio plus etiam honoris venit. Namque ab Sixto IV. Cardinalis factus, auctuſque Sacerdotus, munificentiae inſtrumenta large habuit erga cives, & erga Metropolim, quae publicis operibus ab eo exornata memoriam ipſius inter nomina Ambroſiani conditores alios parenteſque conſervat. Exſtruxit ad D. Pauli compitum aedes, eamque juri inter Eccleſiaſticos homines dicundo aperuit ſedem. Alias extra portam Tonſam aedes una cum hortis emit, quae Archiepiſcopo Mediolanenſi ſuburbanum eſſent. Condidit Romae Collegium, ejuſque diſpenſationem & jus omne legavit eidem Archiepiſcopo, ut ejus nutu arbitrioque pauperes adoleſcentes eruditi litteris illuc admitterentur. Collegium Nardinum hodie nuncupatur, ex cognomine fundatoris, manetque jus Archiepiſcopo Mediolanenſi quemadmodum Cardinalis ille voluerat. Multum pretioſae veſtis idem ad ſacra faciendа, concluliatoſque tapetes, & aurea textilia Templo maximo donavit: detrita quidem uſu & obſoleta prope jam omnia, ſed titulus & gratia largitoris aeternum durat. Rituum quoque ſacrorum inſtaurator idem fuit, cum in Eccleſiae caeremonus magna labes facta eſſet ob ſuperiorum temporum incommoda, quae demonſtravi: & anniverſarias tridui ſupplicationes ab Archiepiſcopo Lazaro ſanctae memoriae viro olim inſtitutas renovavit, poſtquam pia illa conſuetudo, abſumptis etiam ſupplicationum ipſarum codicibus, intermitti coepta erat. Archiepiſcopus hic Cardinaliſque Nardinus Mediolani ſedebat, cum Galeacius Sforzia Franciſci F. exſtincto patre, imperium urbis, quod ille virtute partum amplificarat, regebat diſpari animo, ut mox una cum vita miſeriſſime amitteret.

Neque erit alienum explicare, quae vita, qui mores fuerint hujus Principi, quandoquidem nimis notum hoc manifeſtumque eſt, omnem Reipublicae formam atque conditionem ex eorum ſemper moribus & animi conditione pendere ſuſpenſam, qui profana moderantur ac tenent. Sic ſaepe, & juſtum pudicuſque Princeps florentem in Urbe noſtra Pontificatum dedit, & afflictae Pontificum res ad flagitia referri Principum potuere.

Fuit Galeacius hic intemperanter ac miſere deditus

libidini, qua multas illuſtres domos dehoneſtabat, alliciendo feminarum alias ipſa Principatus vi, ſpecieque, cui per dedecus etiam ſuum gratificari nobilitas aliquando amat, aliis flagitii mercedem offerendo, quantum acceptiſſe, ne ingenuae quidem illiberale ſibi fore arbitrarentur. Sed illud novae cujuſdam ac pene furioſae libidinis in hoc Principe fuit, quod feminas eaſdem, quas ipſe ſtupro vel adulterio temeraſſet, proſtituebat etiam libidini ſuorum, quo plus ignominiae domum referrent. Par huic intemperantiae crudelitas fuit, cujus exempla haec traduntur: Clericus Mediolani quidam erat, praedicere futura aſſuetus, ejuſque rei famam adeptus rerum aliquot eventu, quae forte ita acciderant ſicut ipſe vaticinatus fuiſſet. Hunc ad ſe accerſitum Galeacius interrogat, quae vitae ac imperii ſpatia manere ſibi adhuc putet? Vates enim vero nihil cunctatus undecimum annum canit, eumque menſibus aliquot fore diminutum affirmat. Pretium vaticinio fuit, ut carcere clauſum necaret fame, cogeretque uti foedis alimentis donec exhauſtum omni penitus humore corpus ea quoque denegavit. Alium quemdam leviter offenſus incluſit in capſam, ſepeliitque vivum: exſecuit aliis genitalia: & alium, qui intra ſepta obvium forte leporem ſuſtulerat, mandere praedam eam, & ſolidum vorare animal coegit: eaque funeſta ludibria fiebant hominum vitae. Sed & multae Regiae artes erant ei: ſtudia litterarum, liberalitas in Aulae ſplendore, pietas in ornandis templis, & niſi lubrica actas, facilisque ad offenſionem animus laceſſeretur, Mediolanenſes ſub eo Principe non peſſime agebant. Trigeſimum tertium aetatis annum ingrediebatur, cum viri nobiles conjuratione facta eum interfecere, caſumque referemus, etiam hoc ipſo notabilem, quod inter ſolennia auguſtiſſimi Sacri in Divi Stephani Protomartyris Aede Princeps interfectus eſt, & ſacri homines immixti fuere negotio, quo rem univerſam perturbari Mediolanenſem illa actas vidit. Cum igitur ille, ſublata per dolum, ſicuti creditum eſt, matre, diſponendis imperii rebus vagatus aliquamdiu per urbes eſſet, conſtituerat forte Viglevani: inde ad ſolennia Chriſti natalium celebranda venire Mediolanum in animo habebat. Sed prodigia deterrebant: ſtellae crinitae ſanguineus primo horror, deinde, intempeſta nocte accenſus intra cubiculum ignis, & interiore ſcenſu ferebatur interdum eo, ne Mediolanum veniret. Urgente hora, quae, poſt eventum, vana interpretatione vulgi fatalem neceſſitatem habuiſſe credita eſt, itineri tradit ſeſe, atque Mediolanum venire ad paratam ſibi necem pergit. Poſtquam aliquantum viae proceſſerat, foedum augurium ſupra caput apparuere treis corvi crocitantes, neque abſcedentes uſquam, permotuſque Princeps etiam in augurium illud ira, ballistam popoſcit, ac coepit vanos dirigere ictus in Coelum, quaſi confixurus immundas aves & quidquid augurio illo portenderetur. Suſtinuit inde equum abominans iter illud, ac retro vertebat curſum, niſi latens in occulto neceſſitas & fortuna conjuratorum, ſicuti nonnulli credidere, pergere utique coegiſſet. Ita praeceps Mediolanum actus ipſo D. Thomae pervigilio, primo ſtatim adventu ipſe ſibi funeſtum ac triſte augurium fecit. Cum enim muſicae artis homines magnis undique ſtipendiis conductos haberet ad triginta, cohortem eam delicias fere ſuas feſto Apoſtoli die juſſit in pulla veſte apparere ſibi: eaque divinatio quaedam inſuper animi praefagientis habita eſt, quod muſicis mandavit iſidem, ut arte ſua modularentur hunc verſiculum cuſerentque quotidie: MARIA MATER GRATIAE, MATER MISERICORDIAE, TU NOS AB HOSTE PROTEGE, ET HORA MORTIS SUSCIPE. Per haec ſui finis praefagia Galeacius tendebat in funeſtum ſibi diem, aliaque fecit etiam aut dixit, quae cum fierent aut dicerentur, temere accepta, ubi caſus advenit, cuncta illuc referebantur.

Namque, in Natalis Chriſti dies illuxit, ſummo mane, domeſticum ſacellum ingreſſus, quam religioſiſſime interfuit rei divinae, eaque triplici litatione peracta, coepit in amicorum congreſſu extollere ſuae Domus fortunam, & opes, & quemadmodum ea pluribus munimentis inſiſteret, paratique in ſaecula heredes eſſent. Eſſe in Domo ſex fratres egregia juventa, parvuloſque filios, & fuccunda matrimonia, quibus videns Franciſcus pater ſummopere laetaretur ſi tollere ab tumulo oculos, domumque conſpicere ſic florentem poſſet. Ea cum duxiſſet deſtinatus neci Galeacius, epulatus deinde hilare prodit in campum, accipitrumque volatu ſeſe oblectavit, ut extremum illud fruerctur ulura coeli. Die, qui Sancti Stephani memoriam recolebat, proditurus ad Protomartyris Aedem, thoraca popoſcit, & cum allatum induiſſet, abjecit, grave geſtamen adſperatus. Anteceſſerat Galeacii juſſu domeſticus Aedituus cum regali Sacrorum apparatu: rem divinam Branda Caſtelleoneus Epiſcopus Comi facturus erat. Is miſſo ad Principem nuntio, valetudinem, ſive quippiam aliud excuſavit, quo minus eum diem, idque munus obire poſſet. Princeps tamen nihil mutato conſilio prodit uti deſtinarat: annotatumque eſt, in egreſſu non potuiſſe ipſum ſatiari oſculando & amplectendo parvulos filios, quae ferme vaticinatio ultimi digreſſus habetur. Egreditur ex Jovis arce turbato confuſoque vultu, ſingentibus latera duobus legatis, Ferrarienſe & Mantuano, quorum uterque Mediolani tunc apud Sforzam agebant. Cum ad Petram, quae Petra Innocentum dicitur, perveniſſent, conjurati duo, Joannes Andreas, & Hieronymus, ad dextram ille Templi partem, hic ad ſiniſtram, conſtitere, quaeſitaque ſpecie tamquam ſum movere turbam vellent, propius ad Principem acceſſere. Prior Andreas impetum facit, duoſque lethales ictus direxit, in ventrem unum, alterum in guttur. Mox Hieronymus addit vulnera, exanimemque aggreſſi caeteri ſingulis plagis affecere. Nulla vox morientis audita eſt, niſi quod Deiparam Virginem, bis terve invocavit. Fit ad eum caſum toto Templo tumultus & clamor. Parricidae, ne quidquam effugio, comprehenſi, & meritis ſupplicus affecti ſunt. Andream Maurus quidam ex infimo Principis famulatu, in Templo ipſo adeptus obtruncavit. Secta in partes corpora ad portas urbis abjecta oſtentui: Andreae Lampugnani cadaver coeno lapidibuſque inceſſentes pueri raptavere per urbem. Hieronymus egregia conſtantia finem ſuum nobilitavit. Namque ſub carnificis manu, & carmina quaedam haud inconcinne eſt modulatus, & labantem ſibi animum increpuit. Is etiam omnia conjurationis conſilia caſuſque in eo negotio ſuos ſcriptis publice litteris intrepidus memoravit, earumque litterarum ſententia fuit hujuſmodi: Reputantem ſeſe libidines & ſcelera Galeacii Principis, ac de temporum calamitate cum Andrea Lampugnano ſaepe colloquentem, interficiendi illius conjurationem feciſſe. Ac primo quidem, ambigua quaedam & ſuſpenſa verba de ea re jacientes, ut fiduciam viciſſim indiderint animis, apertius mox atque liberius contuliſſe omnia, quae ad tanti facinoris exitum pertinerent. Aſſumpſiſſe in conſilii ſocietatem Carolum etiam Vicecomitem, praeſentis animi virum, & magnopere infenſum Galeacio, ob quaſdam cum Epiſcopo Comenſe lites, & rerum earum cauſa, quae res ſuper Miramundi Abbatia, ſive Sacerdotio in controverſiam vocabantur. Delectum fuiſſe patrandae neci ſacrum illum D. Stephano diem, vel ſi eo die non ſucceſſiſſet, quemlibet alium, prout occaſio Principem opportunum dediſſet. Juratum inter ipſos fuiſſe ſanctiſſimum jusjurandum, ut ſumma ope tegerent rem, auxilioque mutuo ad ſpiritum uſque extremum ad eam exſequendam adeſſent. Quererent ſibi ſocios gerendae rei quoſcumque poſſent, neque in eo parcerent pecuniae invitamentive ullis, quibus allici homines in pulcherrimi facinoris ſocietatem poſſent. Fuiſſe Andreae Lampugnani aedes receptaculum ſedemque conjurationi: ibi coetibus habitis conſilia omnia diſpoſita & agitata: incipiendae rei ac praeparandae ordinem hunc fuiſſe compoſitum, ut cum Princeps ipſe Mediolanum veniſſet, oblatis ei tribus aureorum millibus, ipſius auctoritate, Sacerdotii Miramundi poſſeſſionem adirent. Per ſpeciem ejus adeundae poſſeſſionis,

nis, comparata armatorum manu tamquam adversus Novocomensem Episcopum quicum lis & controversia erat, averterent omnem ab se suspicionem, & conditam facinori diem opperirentur. His ita constitutis, convenisse in Ambrosianos hortos, velut animi gratia, atque ibi novo inter se sacramento esse obligatos, ut qui iplorum a conjurationis side deciviſſet, sacrum ejus caput infameque esset, eumque caeteri pro patriae hoste haberent. Persequens inde caetera, scriptum ita edidit: *Ego, post firmatam in Ambrosianis hortis fidem ingressus Aedem ipsam Ambrosianam, ubi jam mecum ad Sanctos Pontificis effigiem, atque ibi sua precatus sit hunc modum: Magne Pater Ambrosi, cui nunquam urbis hujus, & spes, praesidiumque Populi Mediolanensis; si tibi, cordi est id quod deliberandae Patriae causam cruentabundi quo ingredimur, adsis propitio Numine ad magni facinoris periculaque, per quos cundum est nobis, ut Tyrannidem hanc, & impietatem, & monstra libidinum arceamus. Haec precatus, ad socios meos revertor, jubeoque bono animo esse omnes, affirmans factum esse me alacriorem postquam Tuae arcem Urbis in negotiis partem advocarim, atque laetissimi exitus auguicinium propono. Per aliquot inde dies exercebamur digladiando inter nos, & agilitatem corporum imaginemque periculi expersendo quod aditurs eramus. Septimo ante Christi Natalem die, novo & ultimo sacramento fidem obstrinximus in ea quae constituta prius inter nos erant, hocque amplius addidimus, ut si contingeret, aliquem nostrum ante conditam diem in morbum incidere, vel comprehendi, caeteri nihilominus destinata exsequerentur. Ab hoc sacramento seorsum egimus, alioque alio dilapsi ambulavimus per sora, per vias, eo consilio, eaque arte, ne si quis nostrorum antea fortasse coetus curiose notassent, iis etiam dissociatis corneremur, recordationemque illam ex hominum animis tolleremus. Vagatis in hunc modum urbe tota, & obversatis oculis eorum, quos nostrae societatis posse esse memores arbitraremur, ad sextam noctis horam, quae nox D. Stephani diem antecessit, congregamur tamquam haud amplius futuri una. In extremo illo conventu data rursus fide definivimus quam horam ingrediendi Templum observaremus, quamve ibi quisque partem caperemus, aliaque momenta peragendae rei, prout in ipso temporis articulo multa fortasse casus admonere possent. Summo mane Templum ingressi supplicavimus D. Stephano, ut pulcherrimo operi, quod in ipsius Aede patrandum foret, vellet adesse, neve indigneretur contaminari sua templa caedis ejus sanguine, quae urbem & patriam hanc liberatura esset. In id compesita precatio erat a Carolo Viscomite, quam recitavimus una cum precibus aliis, sicuti descriptae in ritualibus libris exstant Protomartyris invocando. Post eas precationes interfuimus etiam rei Divinae, quaperacta Barengonem Archipresbyterum Basilicae illius ego appellavi ut mihi claves aedium suarum daret, quibus acceptis ego versus abii domum meam, ut mox in Archipresbyteri aedes abderem me, atque ibi socios exspectarem. Archipresbyter autem Barengo, qui mihi claves dedit, neque quid paraverem interrogavit, neque antea fuerat in ulla parte consilii, nisi quod expostulantem aliquando me de conditione temporum animadvisset, & restringendo humeros comprobare querimoniam eae visus. Acceptis clavibus, & ordinatis domi meae quibusdam, Archipresbyteri domum ingredior. Mecum erant quatuor socii consilii. Mox Andreas & Carolus ingrediuntur. Cum ibi ante focum sederemus, sensimus venire Principem, ac protinus ingressi Templum edidimus in eum exempla, quae meditati eramus, jacetque nunc ille rerum humanarum exemplum ob facultatem & libidines suas. Interfecto Principe, & excitato tumultu, quantum rei atrocitas potuit excitare, caeteri quidem conjurati comprehensi sunt aut interfecti: ego vero elapsus ad paternas meas aedes aufugi. Saevus inhumanusque pater, quia dixeram interfectum esse Principem, neque interfectoribus, non quidem socium, sed amicum fuisse addideram, obtuto ingenitae ergastulis carnifici, increpitum verbis atrocibus expellit domo, ultimaque interminatur, si ibi consistere ausim. Tunc ego trepidus anxiusque proximo diverticulo in Dominici Calcaterrae aedes transgredior, atque ibi in summo aedium illarum cenaculum, tectum inter & laquearia perductum, a muliercultis & ancillis, quae sortem meam deflebant, aliquandiu delitui. Mox, pater, & Dominicus ipso Calcaterra, ut comperere essemus ibi absconditum, exturbant inde, atque convicis oneratum, suis ipsorum manibus interficiendum esse commonstrant, si eorum ea limina amplius deprehendar. At mater mea, Parocho nostrae vicinae accersito, rogat hominem, ut si quo pacho possit, abducat me & servet. Is allato confestim ornatu, qui Clericum ad sacra ministeria quotidianus est, me ea veste me domum suam abduxit, digressurque ipse ad negotia sua, ac me domi solum reliquit. Ibi ego variis sollicitudinibus affluans, sua animo habebam, proximae noctis silentio exsurgere, atque assumtis mecum aliquot idoneis hominibus, vocare plebem ad diripiendas aedes Simonettae, Joannis Botti, & Francisci Lucani, quos esse populo praecipue invisos sciebam. Tota hinc turbata & concitata civitate, consilium erat, spe dominationis ac libertatis erigere potentissimum quemque, ita rem facile fore effectam arbitrabar, cujus res causa ipsum interficiendi Principis facinus aggressi eramus. Postquam ea sententia stetit, coepi recensere animo omnes, quod ad eam rem posse mihi esse adjumento arbitrarer, & Barengonem praefectum Archipresbyterum sum scripto cohortatus, ut capesseret una mecum liberandae Patriae gloriam vellet, propterea quod esse mihi avidus famae & divitiarum videbatur. Sed cum penetrarent in Parochi domum ex via clamores eorum, qui Andreae Lampugnani lacerum corpus trahebant, perfusus horrore attonitusque steti, neque animus ultra mihi suppetebat. Autumn est mihi terror, quia Parocho absente, venere illuc satellites, & magno cum tumultu perfrunatres omnia, suspectam intutamque mihi latebram eam fecerunt, in qua Parochus ipse me collocarat. Ex eo die, pavens tremensque, & rerum omnium incertus, ad diem usque Sabbatum ego, eoque die, appetentibus tenebris compositus in bajuli formam sublata in humeros culcitra ad Philippi Maresconti aedes processi, qui consobrinam faciebat. Inde miseriter & contumelioſe ejectus: errabundo magis quam destinato gressu ad Gabrielem Florentium devem, qui me humanissime acceptum abdidit in occultissimam tecti sui partem, atque ibi fui dum cohors mihi exitialis adveniret. Nunc sanctissima Dei Mater, & te Princeps Bona, implore, ut animae meae salutem vestra clementia, & benignitate respicere velitis, tamamque vigoris hujus miserrimo corpori relinquere, quantum necesse erit, ut peccata mea rite confiteri possim.* Haec sententia litterarum fuit, quas Hieronymus ille nequidquam profugus in tristissimo illo ac pleno desperationis tempore scripsit Magistratuum jussu, nullo tam effusae confessionis pretio, nisi ut pie moriendi facultatem impetraret.

Caeterum, nos in referenda hujusmodi litterarum serie, barbariem quidem removimus eam, quae trepidantis in ultima necessitate auctoris fuit, subjecimus autem alia verba, quae nihil immutarent sententiam, & historico opere digna essent.

Lacerum vulneribus corpus Principis in vestibulo Templi collocatum est, eoque Bona uxor Babylonici operis vestem misit in qua humari ſe Galeacius mandarat si quis etiam repentinus casus ipsum abstulisset. Magnus hinc in urbe tumultus erat, & Itali Principes interfecto Sfortia, suas quique spes agitabant. Pontifex Maximus, audita nece: *Hodie*, inquit, *Italiae pacem amisimus.* Adeo commota esse omnia adparebat.

Mox tamen sedato per urbem tumultu, Galeacioque filio in Patris fortunam & nomen assumpto, factum est id quod in omni fere Principum mutatione fieri solet, ut nimirum de publici servitii conditione nihil mutaretur. Et exsequiae tam invisi Principis omnium ordinum frequentia celebratae cum doloris etiam imitamentis, corpusque in templum maximum tumulo majorum illatum. Ibi novus Princeps coronatur nemine omnium repugnante, & quasi remunerans meritum ille multos ex nobilitate Mediolanensi Equites appellavit. Venere Principum legati ad consolandum eum, ob casum Patris, ac Pontifex ipse Max. suum in id legationem misit. Erat postea puer Sfortia sub tutoribus, quorum inter ipsos dissidia populum Mediolanensem afflixere novis cladibus, sicuti memorabo: veteraque factionum certamina pars mihi Operis erunt. Erat inter tutores Bona, Principis mater fautrix acerrima Gibellinorum adversus Guelfos, quae prope jam oblitterata nomina muliebribus

ſtimulis rurſus excitabantur. Gibellinarum partium erat Coccus Simoneta, tutorum unus, magnopere infenſus Longhignanae illi, quem Franciſcus Sfortia praefecerat arci, juſſeratque, ſi ſummam habere poteſtatem omnium rerum. Hunc potentiae aemulum, & alioqui etiam inimicum exturbare Simoneta cum deſtinaret, facile perſuadet Bonae, ut dejecto eo, praefectus potius alius imponeretur arci, quod protinus factum dilcordiarum in urbe molem concivit, ſacraque & profana id malum ſenſere. Simoneta ipſe Longhignanae viciſſim artibus evertitur atque conjicitur in vincula plectiturque capite, quae magna clades Reipublicae totius fuit, amiſſo cuſtode ac defenſore, qualis ille per omne tempus fuerat. Et traxit illius calamitas omneis, qui conſiliis ipſius aliquo modo permixti fuerant: unde miſeranda inter eas turbas Reipublicae Mediolanenſis ſolitudo, cum ii, qui ſoliti erant eam protegere ac tueri, circumventi ipſi ab inimicis jacerent. Simonetae finem tradi noſtris litteris, poſtulant ingentia ipſius erga Urbem merita, & conſpiratio atrox, qua vir tantus cecidit.

Impoſitum vehiculo una cum fratre clariſſimo viro, Ticinum aſportavere quibus id negotii ab adverſa factione mandatum erat. Ibi per aliquot dies laeva cuſtodia eſt habitus, donec tollendi hominis conſilia inirentur, omnequin machinamentum in caput inſontis perfidia inimicorum expediret. Poſtquam matura parataque omnia fuere, mittitur ab Mediolano forenſe miniſterium, empti judices, teſteſque falſi, & apta meditato facinori ſcribarum manus: feriem quoque quaeſtionis, & reſponſa Rei meritura necem commenti ultro attulerant ſecum. Producto Simoneta & interrogato, ſpecies & forma judicii effingitur: nec ultra dolis opus fuit. Veneranda canitie ſenex, qui ſancte atque innocenter vixerat, cujus plurima & graviſſima merita in Urbem Principatumque exſtabant, capite plectitur, corpuſque tanti viri tamquam ob infandum ſcelus oſtentui abjectum piorum cura ſepelitur intra chauſtra Monaſterii D. Apollinaris: eique funeri maximum ornamentum publica moeſtitia fuit, & querelae quamvis premerentur, paſſim tamen erumpebant in eos, quorum dolo Simoneta everſus foret. Tempora non inerudita erant, ideoque carmina ſunt addita tumulo, quorum auctor incertus, ſententia haec fuit: Coccum Simonetam, ideo quia res Inſubrum juſte atque cum fide adminiſtraret, abſciſſo capite ibi eſſe ſepultum. Sibi quidem Cocco nomen fuiſſe: caeterum, dum viveret, vidiſſe multa, quae caeteri non vidiſſent: & patriam ipſo ablato coecam in poſterum fore. Se quidem extinctum eſſe ob fidem: ſed gloriam deberi nomini ſuo, quia maluerit vita carere, quam fide.

Poſt Simonetae hujus finem, Joannes frater magnae etiam ipſe religionis vir, & praecipuum afflictis Reipublicae rebus momentum, in exſilium pellitur. Archiepiſcopum Mediolanenſem hoc tempore reperio cum exercitu adverſus Sabaudiae Ducem exiſſe armatum eo conſilio, ut Sabaudum exueret omni imperio, idque totidem verbis Corius tradit. Capta Vercellarum urbe fuſum, ac fugatum refert. Id cujuſmodi ſit, explicare non poſſum. Quomodo enim haberet exercitum Archiepiſcopus in aliena urbe, manente Sfortiarum dominatu, amiſſa jam pridem potentia quae Pontifices hoſce, Principum & Regum prope inſtar olim armarat? Niſi ſi fortaſſe, Galeacio interfecto, pupillo dominante, inter rudimentum puerilis imperii, muliebremque tutelam Archiepiſcopus quoque fuit in parte Principatus, & bella geſſit alienis armis.

Exarſit deinde aliud longe atrocius bellum, quo tota Italia perturbata eſt, profanique ſimul & Eccleſiaſtici Principes in ea arma coorti pernicie ſibi mutuam quaerebant. Ab una parte Pontifex Max. Venetique & Genuenſes, ab altera Ferdinandus Caeſar, Sfortiaque & Reſpublica Florentinorum ſtetit. Cauſa belli fuit, quod Veneti offenſi variis modis ab Eſtenſe, ulciſci injurias voluere, totamque ſua ira in partes Italiam diduxerunt. Pro Galeacio puero rem Mediolanenſium Ludovicus, patruus illius adminiſtrabat ablegato Ferrariam Aſcanio fratre, qui deinde Cardinalis fuit. Poſt varias clades, pace cum Venetis facta, etiam inter Sfortias ſublatae ſimultates: Aſcaniuſque Mediolanum illuſtri fratris gratia reductus, cum rupta prius cuſtodia ſeſe ad Venetum hoſtem adjunxiſſet. Intuſtina ſimul & externa mala quieviſſe videbantur: nec unc Mediolani floridior unquam ſtatus omnium rerum: torque jam exhauſtae calamitates felicitatis cumulo compenſabantur. Principes omnium diſciplinarum viri excitati magnitudine praemiorum undique confluebant in hanc urbem. Latine pariter & Graecae litteme, velut ſua in ſede conſiſterant hic, carmineque & ſoluta oratione genus utrumque exercebatur, & ſuper omnia, muſici homines ſuavitate canendi coeleſtes choros praeferebant: civiliumque artium cultus etiam ad publicae rei diſciplinam redundabat, & valde jam erudita nobilitas Urbis majeſtatem tuebatur. Nimirum, ex magna perturbatione ad ſummum evecta ſic publica felicitas erat, ut more omnium humanarum rerum retro ſtatus ille volveretur, temporaque etiam functiones redirent. Ac ſicut tranquillitate Reipublicae, florentibuſque Principum rebus, Eccleſiae quoque ſecuritas & floreutiſſimae Pontificum res comprehenſae fuerant, ita bella rurſus & publicae clades Metropoli vaſtitatem attulere.

Quomodo rerum turbandarum initia ſint exorta, memorabo, prout temporum eorum monumenta prodidere.

Ludovicus Sfortia, Galeacii patruus, actate Principis, & Tutoris jure ſic abutebatur, ut nomen & umbra Mediolanenſis Imperii tantummodo penes Galeacium eſſet, vis & robur omne penes ipſum haberetur. Neque contentus eo, vir alioqui magnus & juſtus, adultum jam Principem redegerat in tantas anguſtias, ut etiam alimenta quotidiana ille deſideraret. Iſabella Alphonſi Neapolitani Regis filia, huic nupta Galeacio erat, femina ingentis animi, quae potius indignaretur, quod ex Regia in minorem domum enupſiſſet, quam ut in ea domo Imperium alterius pateretur aequo animo. Haec igitur minime ferens indignitates, quae ferendae erant, dum patrui violentia rem in ſe univerſam trahit, litteras dedit ad Patrem Regem, quarum ſententia fuit hujuſmodi: Aliquot jam eſſe annos, cum Galeacio Sfortiae nupſerit in eam ſpem, ut poſtquam ille adoleviſſet, haberet maritus ſui patris imperium, ipſaque Mediolani Ducis uxor diceretur, & viveret cum eo ſplendore, qui Regia ſtirpe ortam deceret. Sed maritum quidem, & virum jam eſſe, & patrem: Imperium vero penes eum manere, qui tutoris & patrui vocabulo premat indigno ſervitio legitimum heredem, ut ipſe dominetur. Jam eo deventum eſſe, ut etiam quotidiano cultui neceſſaria maligne ſuppeditentur: ſplendorem omnem in patrui autem commigraſſe: inde leges, inde etiam reſponſa divini juris peti. Magiſtratus omnes eum mandare quibus velit, theſauros, & fiſcum, & exercitus, & vitae neciſque poteſtatem illius arbitrii facta: Galeacium veluti ſervum in aliena domo cum uxore parviſque liberis degere. Quin etiam, Ludovicum hunc praeſenti dominatione minime contentum, in poſteros etiam ſuos eamdem velle transferre, ac ne id cuiquam poſſit eſſe dubium, filium, quem nuper ſuſcepernt, Ticini Comitem deſtinari manifeſta Imperii Mediolanenſis praerogativa. Puerperam, quae partum eum enixa ſit, omnibus publice privatimque cultum officiis, quae Reginam eam adulatione omnium facerent. Ad partus ſuos moveri neminem, tamquam ſi vernae naſcerentur. Et in tantis injuriis acerbiſſimum eſſe illud, quod inſidiarum metu aſſidue trepidet animus, variaeque ſollicitudinum formae ſemper obverſentur, quales exſpectatio mortis afferre conſuevit: *Non ſibi deeſſe Regias ſpiritus, & aptam dominationi indolem: ſtudia quoque populorum & favorem adeſſe, ſed caetera omnia reſpicere nutum arbitriumque illius cujus violentia opprimantur. Nunc te, pater*, inquit, *imploro, ut ſi quid erga me paterni ſenſus retines, ſi me tuo ſanguine ortam credis, ſortemi hanc meam unquam reſpiciat, neque eſſe me ultra ſinas ludibrio ſacvitiae alienae ludibrium ſinat. Adhuc ea ſpe ſuſtentati ſumus, quod fore tibi curae ſalutem noſtram crederemus: ſi ea ſpes nunc deficiat, potius manu noſtra finem vitae quaeramus, quam ut in perpetuo ſervitio dagamus vitam.*

Com-

Commoverant haec Alphonſi Regis animum, atque communicatis inter ſe conſiliis Aragonenſes, lenibus prius experiri remediis ſtatuerunt, quam bellorum diſcrimini committerent rem. Oratores duo Mediolanum illico diſtinati, privatim apud Aſcanium Cardinalem, in cujus manu & poteſtate res Metropolitana tunc poſita erat, multa de Iſabellae querimoniis egerunt, publice apud Ludovicum haec diſſeruiſſe feruntur: *Legati Regis Alphonſi venimus ad te, Ludovice Sfortia, primum ut gratias tibi ageremus, quod non prudenter atque integre modo Mediolanenſe imperium adminiſtraveris, ſed majeſtatem etiam ejus, quae erat omnis amiſſa, recuperaveris, ut Galeacio jam adulto majus id ac tuiſque traderetur. Res Metropolitana conſtituta tuis conſiliis florentior nunc ampliorque eſt quam olim fuit. Civilium rerum ſtatus fruitur alta pace, & pars utraque alterius viciſſim ope ſuſtentatur ac floret. Externa quoque & longinqua compoſuiſti. Helvetios domuiſti: Eſſenſem ab Venetorum injuria conatibuſque defendiſti: Genuenſes coegiſti quatenus optare ſub imperio, quod penè abnuebant: Caiharinam Sforziam in patriae fortunaeque ſedem reſtituiſti: Aſcanium fratrem ſplendore prudentiaque tua produxiſti ad ſacrum honorem, qui Majeſtati Regum aequiparatur. Tot templa a fundamentis erecta teſtantur pietatum liber alitaque tuam, alioque omni urbis ornatu & magnificentia publicorum operum veteres Romanos aequaſti. Atque ut Sforziarum nomen & fama per omnes terras cum immortali gloria propagaretur, ad tuendam Chriſti Liberatoris tumulum trecenta millia aureorum auxeorum attribuiſti religioſis hominibus, qui ibi inter barbaros degunt. Vere aeſtimantibus, conditor imperii Mediolanenſis, & Sforziadae familiae Princeps ac Parens in omne deinceps aevum nuncupabere qui tam gloriosa ac praeclare tutelam geſſeris. Sed ita demum gloria laudeſque conſequetur iſtam imperii adminiſtrationem & iſthaec inclyta facta, ſi extrema illa ignominia aberit, ut denegatum eſſe depoſitum dicatur, ſicuti quidem adhuc legitimi heredis querela eſt. Jam Galeacius robuſtis viribus animi corporiſque adolevit, & queritur ſub tutore adhuc ſe eſſe, neque tam ob dominandi cupidinem Regio animo inſitam, quam verecundia famae ſi deeſſe ei Regnum animumque paternae hereditatis capacem arbitrari homines poſſint. Jam enim ea optimo multorum animus inſedit ex eo, quod natu grandem in nulla parte dominationis videre. Non benevolentia tua paternaque cura, ſed tarditate illius id fieri exiſtimant. Quamobrem a te petit Rex, ut tradere Juveni imperium velis, lubricumque aetatis illius corrigere ſi qua in re labantem videbis. Id profecto glorioſus tibi erit, quam imperium ipſum tenuiſſe, meritoque Lycurgum populi Mediolanenſis ob uncitam juſtitiam famate omnis ferat.*

Ludovicus, audita legatione, pauca magis in ſpeciem compoſita & adornata reſpondit, quam detradendo imperio quidquam in animo habebat, coeperatque ſtatim parare omnia, quae ad bellum haud dubie immunens pertinerent. Et auxerat illi animos magna forte ſpes orta Pontificis Maximi obitu, cum ei ſucceſſorem Aſcanium Sforziam Cardinalem fama deſtinaret, quae circa magnum illud divinae providentiae arcanum tumultuari ſuis conſiliis atque inepture amat. Si conſentanea ſermonibus hominum eſſet res, creareturque Sforzia Pontifex Max. haud dubitaret Ludovicus, quin opes habiturus eſſet tantas, quantas neceſſe eſſet habere, ut ſeſe tueri adverſus Regem poſſet. Diviſa ſtudia erant inter Aſcanium hunc, & Cardinalem alium, qui Calixti fratris F. & treis deinde alios Pontifices Maximos varia fortuna emenſus, omnium Romanarum rerum uſu peritus callidusque erat. Is, ut aemulum Sforziam amoveret, offert ei grandem pecuniae ſummam, opulentum praeterea Vicecancellariae munus, & magna quaedam alia pretia quieſcendi. Sforzia quoque non incallidus erat: ac videns imparem ſe aemulo ad ſuffragiorum numerum fore, ſtatuit accipere quae offerebantur, & donare, quod erat amiſſurus. Scilicet opes eaſdem fore ſibi adjumento, quandocumque vacua rurſus Sede competitorem alium nanciſceretur, qui gratiae vel potentiae minus haberet. Ita divinum negotium tractans humanis conſiliis, omiſſa nunc ſpe atque negotiatione omni, favorem parteſque ſuas ultro ad Cardinalem Borgiam inclinarat, in quem ſtudia Patrum ferebantur. Mox tamen ſubierat animos, Hiſpani generis eſſe hominem, damnumque Italici nominis fore, ſi Romanae opes in id genus tranſlatae eſſent. Subita mutatione voluntatum alienaris omnibus, in Sforziam rurſus, vel in quemvis alium ibatur. Borgia enim vero circumire, prenſare ſingulos, polliceri quae cujuſque animo eſſe aptiſſima exiſtimaret: ac Sforziae ante alios ipſi ſupplex obteſtabatur, ne ſe ab ſumma ſpe praecipitem daret everteretque. Superatis in hunc modum difficultatibus, Borgia Princeps Sacrorum appellatur, novoque nomine Alexandrum VI. nuncupavere Patres, ignari, quem ille animum ſub eo magno nomine occultaret. Et Aſcanius quidem Sforzia Cardinalis, Ludoviciſque frater ex magna ſpe depulſi in hunc modum erant. Bellum, quod urbis Reipublicaeque ſtatum Mediolani turbaturum erat, ab hoſte Rege ſumma vi apparabatur.

Erat Neapoli Alexander Sforzia, Ludovici frater ex pellice natus, & profugus ob diffidia cum fratre dominante metumque potentiae illius. Is ab hoſte benigne acceptus in parte conſiliorum habebatur, inſtigator ſimul & inſtrumentum gerendi belli, docebatque immunita & incuſtodita omnia ſic eſſe Mediolani, ut bellum haberi pro confecto poſſet. Statim ubi Neapolitana ſigna conſpecta eſſent, concurſus ad Regem fore maximos: nobilitatem univerſam & ſacros homines, quae ſit pars non ſpernenda Civitatis, pro juvene Galeacio contra Ludovicum impigre omnia exſecuturos. Adeo, & odiſſe violentiam hujus, & afflicto ac prodito illi favere. Gnara cuncta Ludovico erant & ſua ſponte ſuſpicanti quid pararetur, & exploratoribus ſubinde indicantibus quidquid odorari ſive expiſcari poterant. Itaque, cum majorem aliquanto exſpectaret molem belli, quam quantam ſuſtinere ſe poſſe conſideret, Gallica in Italiam excire arma peſſimo conſilio decrevit. Ea poſtquam ſtetit ſententia, dat litteras ad Carolum Galliae Regem, & congruentia litteris mandata ſuo apud eum Oratori, quibus ille permotus haud cunctanter capeſſit bellum. Tracto in partes Gallo Ludovicus, ad majorem aliam curam adjecit animum, ut Maximiliani Caeſaris auctoritate Mediolani Dux appellaretur, Eraſmumque Sciibam ſuum intimum in id legavit. Quo facilius impetraret a Caeſare id quod volebat, Blancam Mariam fratris ſui filiam in matrimonium ei offert. Accepta conditione, & inito Caeſarem inter & Sforziam foedere, Ludovicus Mediolani Dux appellatur, Gallicaque arma ſuperfundebantur Italiae rebus allatura vaſtitatem Urbi, quanta vix antea fuiſſet umquam, ſive poſt futura videretur.

Anno milleſimo nongeſimo quarto ſupra quadringenteſimum, Carolus Galliae Rex magno exercitu Ticinum venit, ac prima ea calamitas Reipublicae Mediolanenſis fuit, quod Sforzia, ut Gallo gratificaretur, ejuſque animum ſibi conciliaret, matronas aliquot gratuſſimum juveni munus miſit, ac fama fuit, pulcherrimas earum ſtupro cognitas Regi: unde illuſtrium domorum nota, magnumque dehonestamentum, donec ſermones hominum conſeneſcerent, & aliquibus memoria dedecoris in longum manſit.

Id ego a ſcriptoribus eorum temporum relatum omittere non debui; ne viderer ſedulo occultare quidquid aliquando acciſſe nollemus, unde fides abrogaretur mihi quoties honeſta & glorioſa memorarem. Et alioqui memoria calamitatis in patriae annalibus exſtabat, quam exprobrare non poſſunt urbium aliarum cives in ipſorum reperturi monumentis etiam majora flagitia, quae licentia dominantium, cladeſve bellorum invexerint.

Galeacius interim lenta correptus febri decumbebat haud ſine occulta ſuſpicione, ſubeſſe patrui dolum, & paulo poſt in mortui corpore ſigna veneni apparuerunt. Sed Ludovicus ipſe avertendae ſuſpicioni, omnibus erga ſupremam illius memoriam officiis fingitur, exſequialeque celebrari quam apparatiſſime jubet, quas ipſe cohoneſtavit, & in funebri veſte pauperum agmen traxit ſecum. Ticini diem ſuum obierat. Inde cadaver Mediolanum deportatur atque in Templo maximo ſepelitur

ap-

apparatu & pompa, quae Principem deceret. Antequam mandaretur humi corpus, jacuit in feretro diem unum ſcilicet uti contrectaretur omnium oculis, atque ut ſuſpicio, quae multorum animis inſederat, opprimeretur cum non eſſe repente ſubductum viderent. Ea ipſa res praebuit ſermonibus materiem, & querelae audiebantur. Caetera deinde peraguntur horribili diſſimulatione, quam aulici, qui tunc erant homines Tiberii artibus aequavere. Nam ſimul atque peregit pietatis & moeſtitiae ſimulacra Ludovicus, civitatque ſuis erga mortuum Principem defuncta muneribus eſt, abdidit ille ſeſe in arcem, & per dies aliquot abſtinuit publico, tamquam adhuc moereret. Inde convocatis principibus Civitatis, in frequenti eorum conventu praefatus pauca de publica orbitate & moerore ſuo, dixit, erigendos eſſe animos ad Reipublicae curam, eligendumque ex Galeacii filiis, qui ſuccederet in Patris fortunam, ac ſi praerogativam aetatis ſequerentur, deberi Principatum Franciſco, qui ſtirpis maximus eſſet. Parati erant qui ſententiae huic adverſarentur, & dixere, nequaquam id eſſe Reipublicae tempus, ut committi pueris deberet. Quin ſuccederet ipſe imperitandi vetus, efflagitatus Reipublicae voce, ab ſtirpe quoque juſtus heres Imperii: ac ne recuſaret, obſecrabant. Ita ille nihil ſane cunctatus, in aurea veſte alboque equo invehitur in urbem, ac ſicuti priores uſurparant, in Templo maximo ſupplex ad aram adorato Numine, praebuit ſpeciem legitime adeuntis Imperium, & plauſit adulatio publica, Ducique acclamavit. Aes campanum ex aedium ſacrarum turribus perſonuit, ut non civium modo conſenſu, ſed Eccleſiae quoque gratulatione recipi Principem appareret. Non multo deinde poſt adfuere duo Caeſaris legati ferentes litteras & mandata, quorum auctoritate Mediolani Dux coronaretur. Caeremonia coronationis hujuſmodi fuit: Ad XIII. Kal. Junias, qui dies erat D. Feliciano ſacer, in Templo maximo Dux & legati rei divinae interfuerunt, qua peracta, ad Templi valvas in celſiſſimo pegmate diplomata Caeſaris recitantur. Inſignia deinde Principatus prolata, & Epiſcoporum manu, qui aderant, ornatus Princeps ſtetit, plaudentibus in ſpeciem cunctis, quamvis alte animis moererent, ob everſam Galeacii domum, & externis armis proditam Italiam, tantumque malorum ejus injuriae cauſa concitatum. Jaſon Mainus peritia Legum nactus famam, habituſque ea tempeſtate Juriſperitorum diſertiſſimus, pauca de Ludovici laudibus, & novi Principatus felicitate peroravit magis in ſpeciem ornata verbis, quam ut ſentire crederetur. Ea peracta caeremonia, Princeps ad D. Ambroſii Aedem, cum magno Principum aliorum agmine proceſſit, ibique ſupplicavit Tutelari Urbis: & ea ſimulacra pietatis, optima ipſe, ut in malis, confirmarant animos, fore ut ſancte ac religioſe Imperium ille adminiſtraret. Ab D. Ambroſii Aede Sfortia ſeſe contulit in Arcem, atque ibi laetitia celebrata eſt ludis & epulis, tantamque magnificentiam numquam antea conſpectam fuiſſe Mediolani, omneis fatebantur.

Sed aggravabat, ut dixi, deformabatque omnia triſtis Galeacii caſus, & profuga cum parvis liberis uxor, quae fugiens lucem, adſpectumque hominum, Ticini in obſcuro cubiculo clauſerat ſeſe violenta luctu & neſcia tolerandi. Neque vero calamitas erat ea, quam tolerare muliebris animus poſſet, cum ſuper mariti acerbam mortem, amiſſumque Principatum, Gallicis quoque armis, & intro adverſus avum patremque foedere Neapolitanum Regnum infeſtaretur. Sed & Ludovicum ipſum infeſtae res appetebant quarum praeſagium fuere nocturni ignes exorti ſupra arcem, ſtatimque ſecuta eſt interpretatio: Sforziarum genti exitium & finem imminere. Et coeperat ipſe nihil laeti fauſtique exſpectare, poſtquam Beatrix uxor exanimem partum enixa cum doloribus acerbiſſimis mortua eſt, eodemque tempore treis ipſius filii deceſſere continuatis funeribus, quae funera non ſecus atque venturae cladis vaticinium accepta ſunt. Sepulta eſt Beatrix in Templo Deiparae Virginis, cui cognomentum ex Gratiarum nomine: memoriaque exſtat, amplius quindecim millia nummûm aureorum in id funus inſumta eſſe. Per ſeptem continuos dies in eo Templo ſuper tumulum cecinere preces, actaeque ibi per totidem noctes excubiae. Dein dona ampla data, tum Templo ipſi D. Mariae Gratiarum, tum Templo Maximo cum ea precatione ac voto, ut mortuae Principis animae bene eſſet: poenaeque noxarum, ſi quas ipſa contraxiſſet, divina benignitate remitterentur. Dona autem ipſa quae data ſunt, exſtant deſcripta in annalibus quibuſdam, praecipue haec: *Templo maximo frontalia duo aurea conchyliati coloris cum familiae inſignibus: vaſa & pixides & alia ſacra faciundo. Ad ſingula ſubjectarum civitatum Templa, frontalia item bina ex holoſerico violaceo, magnuſque cerae numerus ad omnia Templa Urbis, ut per omneis exſequiarum dies plurimis luminibus arae collucerent, atque in reliquum deinde etiam tempus ad Sacrorum uſum cera ſuppeteret quibus parandi alioqui difficultas eſſet.*

In D. Mariae Gratiarum Aedem atratus Sforzia per eos exſequiarum dies venit, & una cum eo legati Principum aut Regum & Rerumpublicarum, Hiſpanus, Venetus, Florentinus, Ferrarienſis, Mantuanus, Urbinas, Bononienſis: & praeter legationes haſce, non minus ſplendida cohors Principum ac Dynaſtarum Imperii Mediolanenſis, qui beneficiario jure oppida pagoſve obtinerent. Ea cohors cum Principe Sforzia in Templo D. Mariae Gratiarum exſequias celebravit. Galeacius Sanſeverinas, qui Blancam Ludovici filiam in matrimonio habebat, proceſſit in Templum maximum, ubi tanto majore apparatu funebre ſacrum fiebat, quanto plus ibi majeſtatis & opum, & Metropolitani nominis ſplendor. Deduxere Sanſeverinatem alii Principes annexi Sforziarum domui, Magiſtratuſque urbis, & legati Civitatum, & aula fere tota: Juriſconſulti praeterea & Medici & collegium omne mercatorum, & ex ſingulis urbis regionibus duodeni viri nobiles, quos invitari Princeps juſſerat. Togae omnibus erant pullae, iſque funeſtus colos, Principis ſimtu, toto Templo praetentus erat. Die, quo mortua Princeps erat, jejunium in aula fuit, & per totum deinde annum Sforzia dedit hoc moerori ac deſiderio, ne accumberet umquam, ſed ſtans veſceretur, totoque hoc tempore atratus ſuit.

Aſcanius Sforzia Cardinalis hoc tempore, quae licentia fuit illius aevi, treis ſimul Eccleſias obtinebat: Mediolanenſem nimirum hanc noſtram, Ticinenſemque, & Cremonenſem, ingenti tunc potentia, quae nunc piaculum ſceluſque eſſet. Nimia ea potentia regnanti quoque Ludovico videbatur, ac coepit magnopere urgere Cardinalem, ut vel Mediolanenſis Eccleſiae gubernacula omitteret, vel Cremonenſem Ticinenſemve Pontificatum abdicaret. Id ita petebat rogabatque Princeps, ut ſatisfaciendum eſſe fratri Cardinalis videret, ac ſi cunctaretur, vetera diſſidia, & Ferrarienſe exſilium documento erant. Potius quam ut alterutra minorum illarum dejceretur, omittere Mediolanenſem hanc maluit, ac pro omiſſa Metropoli tradidit ei Pontifex Maximus Ambroſiana veſtigalia, quae ampla & opulenta quondam attributa Monachis, hoc tempore Cardinalibus aſſignari coepta erant, ut quae fuerant prius alimenta Monachorum, fierent Eccleſiae totius majeſtas & ſplendor. Id igitur Ambroſianum Sacerdotium Aſcanius adeptus, primum omnium hanc curam ſuſcepit, ut ipſius Monaſterii mores diſciplinamque conſtitueret, ſi quid forte corruptum ibi remiſſumve erat, atque impetrata in id a Pontifice Maximo facultate, inſtituit, ut in Monaſterio Clarae Vallis Abbas Monaſterii Mediolanenſis eligeretur. Is Abbas Monachos triginta duos haberet, qui cum reliquo Ciſtercienſi Ordine corpus unum efficerent. Monachorum Ambroſianorum viginti Sacerdotes eſſent: reliqui miniſtrarent, & uteretur Ordo ſimul uterque legibus & inſtitutis, quibus majores eorum uſi eſſent tunc, cum res Ambroſiana ſancta florenſque habita eſſet. Pecuniae, quae ſupereſſent Monachorum alimentis hoc ordine ac deſcriptione diſpenſarentur: Quaternae quotannis ingenuae virgines cum honeſtis hominibus

ex

ex ea pecunia collocarentur in matrimonio. Dos ſingulis eorum centeni floreni nummi eſſent. Panis & vini tantum in pauperes anniverſario die divideretur, quantum ducentis aureis nummis emi poſſet. Die Veneris in perpetuum aureï nummi ſinguli pauperibus ſingulis darentur. Anniverſario D. Ambroſii die pauperes dem donari ſingulis veſtimentis cum Abbate ipſo accumberent, largeque epulum daretur. Natali Chriſti Liberatoris die, qui pauperes ob aes alienum vinctis attinerentur cujus alieni aeris ſumma ducentarum librarum eſſet, ea ſumma Monaſterii ſumptibus diſſolveretur, captiviſque demerentur vincula. In Monaſterii aedificationem quotannis libras bis mille inſumerentur. Haec omnia qui exſequeretur, Joannes Tuſſignanus Abbas ab ipſo Cardinale datus eſt, ac deinde Abbates alii legibus ejuſmodi paruere, donec ſolita licentia quaedam obſitterarentur.

Et Cardinalis quidem Aſcanius ad haec opera religionis attentus pieſancteque erga Patriam agebat: Ludovicus vero frater illigatus atroci bello, varia fortuna conflictabatur, & omnes belli clades Italiam vaſtabant. Haud fuerit alienum referre caſum atrocem unius inclytae ſapientiae viri, quem tempora illa in perniciem traxere, licet ad Mediolanenſem Rempublicam ille communi tantum jure attinuerit ob rei magnitudinem, & novitatem.

Hieronymus Savonarola erat acerrimo ingenio, divinaeque Philoſophiae profunditate adeptus nomen tamquam humanae mentis captum longe ſupergrederetur. Vitae quoque ſanctimonia & ſeveritate famam eam ipſe adjuvabat, & cum in Sanctiſſimo Dominicano Ordine prope conſenuiſſet, ad Ordinis ejus diſciplinam & inſtituta privatis ſuis exemplis addiderat, ut non alibi plus rigoris eſſe vulgo omnes ferrent. Vates quoque ille habitus jam in tantum auctoritatis pervenerat, ut quae ille futura praedixiſſet, pro certis ac praeſentibus haberentur. Ibatur undique ad eum, nuncupabaturque Sanctus, quia ſorte multa contigerant haud ſecus, quam ille ventura eſſe fuerat e ſuperiore loco vaticinatus. Namque Gallorum in Italiam adventum, & Petri Medicaei ejectionem ab eo praedicta mala comprobaverat eventus, aliaque tum in publicis, tum in privatis rebus erant pleraque ſic geſta quemadmodum vaticinia Savonarolae hujus ferebantur. Ejecto Medicaeo, res Florentina per xx. ſelectos Viros adminiſtrabatur, idque regimen conſenſu Principum inſtitutum ſatis proſpere cadebat, cum Savonarola idem coepit publice denuntiare atque vaticinari, Reipublicae formam eam brevi tempore ad finem eſſe venturam, novumque Tyrannum parari: proinde ſi ſalvam eſſe patriam vellent, maturarent quam primum tollere imperium, quod publicae cladis ſemina originemque contineret. Haec aliaque vaticinando Savonarola pervicit, ut ſublato xx. Virorum dominatu res ad populi poteſtatem redigeretur, quo impetrato arbiter ipſe rerum omnium erat, nec aliter, quam ad nutum voluntatemque ejus, munera omnia magiſtratuſque demandabantur. Inde flagrantiſſima odiis materies, & unius hominis cauſa tota confeſtim civitas in duas factiones diſceſſit. Partus unius caput erat Savonarola ipſe, regebat alteram exortus Dominicano aemulus ex Franciſcana familia, haud minus acer ingenio promtuſque. Hominibus hiſce parebat Civitas, & utrumque ſequebantur ſui, veniebantque ad eos nocturnis temporibus ut conſultarent de Republica, & quidquid illi reſpondiſſent, tamquam ex oraculo quodam accipiebant. Certamen inter duos partium duces maximum erat, uter ſanctior acceptioque Divinitati haberetur, eoque certamine proceſſere in tantum vanitatis, ut Franciſcanus hanc Dominicano conditionem ferret: ut per flammas uterque tranſirent, atque ſanctimoniae laus penes eum deinde eſſet qui evaſiſſet intactus. Suberat illa tacita ſpes, fore ut prohibentibus ſuis, non timuiſſe periculum, ſed periculo exemptus crederetur admiratione virtutis. Ita Savonarolam quotidiano convitio laceſſebat timidum diffidentemque & male ſibi conſcium increpans, qui committere ſeſe diſcrimini non auderet. Savonarola, minime recuſabat ille quidem, ſed fore ajebat, ut ambo cremarentur. Aſſeclae interim urgebant inſtabantque ne cederet adverſario: fugam eam periculi, confeſſionem fore agnoſcentis falſa eſſe quae prius defendiſſet.

In eo diſcrimine, Savonarola diſtractus ancipiti cura, cum neque temere agere quidquam vellet, & defugiſſe experimentum, duceret famae ſui nominis alienum ac damnoſum, populi ſtudia ſumſit obtentu, tamquam intra Monaſterii ſui claustra incluſus obſeſſuſque teneretur, ne tale periculum adiret. Et fuere, qui ſimulationi huic inſervientes cingerent obſidione Templum Monaſteriumque, atque egredi Magiſtrum prohiberent. Res demum exceſſit eo, ut inſectantibus Savonarolam praecipue qui tamquam Ludovici Sforziae amicum eum oderant, Pontifex Max. hominem igni cremandum damnaret. Ita vir clariſſimus, & ante tumultus eos innocens habitus, non miſerabili ſolum, ſed etiam ignominioſo fine clauſit vitam.

LIBER VII.

POPULUM Rempublicamque Mediolanenſem interea ſuae calamitates lacerabant, verſis in Sforziam iiſdem armis, quae ipſe arma ad ſui defenſionem in Italiam acciverat. Cumque res Gallorum felicius quotidie procederent, & uno victoriarum tenore jam illi regionem eam, quae trans Padum eſt, ſubegiſſent, trepidus Sforzia, Principes urbis convocavit, ut quid in tali tempore agendum eſſet, ex eorum ſententia conſtitueret. Erant in eo conventu, praeter alios conſilio auctoritateque Principes viros, Cardinales treis: Aſcanius ipſe Ludovici frater, Suſeverinas, & Eſtenſis, qui Archiepiſcopus urbis hoc tempore erat, & propter intimam cum Sforziarum domo affinitatem, magnis etiam Imperii rebus miſcebatur. Suſeverinas pariter affinis intimuſque erat: Aſcanius infenſum ſibi Pontificem Romae expertus, relicta ea urbe concors agebat fratri, paribuſque cum eo conſiliis adminiſtrabat rem. Hi cum adeſſent, Ludovicus ſermonem eum eſt ingreſſus, ut diceret, ſe augentem bello rem Mediolanenſem, atque propulſantem aliena pericula ſuis armis, repente, a quibus minime debebat, fuiſſe deſtitutum. Si ſic pergant, haud dubitare, quin perdita profligataque omnia propediem in poteſtatem hoſtium ventura ſint, ipſeque cum tota domo profugus & extorris, humanarum rerum exemplum praebiturus. Urbem Mediolanum, & patriam communem hanc, & Metropolim Inſubriae, Nomenque Ambroſianum in manu fore Gallorum, qui crudelius inſeſtiuſque quam ulli barbari vaſtare terram Italiam parent. Proinde orare, ut ſi mite ſuum juſtumque imperium ſemper expertiſſerint, mitiuſque etiam & liberalius in poſterum ſperent, ab ea fide ne deſciſcant, quam jurejurando obſtrinxerint ſibi tunc, cum in Templi maximi celſiſſima Sede ſit Mediolani Dux appellatus. Affirmavere omnes, donec ſanguinis & virium quidquam ſupereſſet, impigre laturos opem, & pro ſalute imperioque tam bene meriti Principis ad extremum uſque ſpiritum eſſe dimicaturos. Id pro ſe quiſque oſtendebant atque profitebantur. Etiam fuere, qui deſcripta offerrent nomina paucorum, quibus ambigua fides, & prona in Gallum ſtudia eſſent: monebantque Principem, ut eos coercendo, ſtatueret exemplum vindicandae perfidiae, quo exemplo ſuſpenſi caeterorum animi res omittere novas cogerentur. Non tamen in eos animadverſum eſt, quod bonitate Ludovici factum credidere quidam: alii Fati vim occultam obſtitiſſe per levitatem ajebant.

Antonius erat quidam Landrianus praecipua apud Ludovicum gratia, idemque ſummo inter cives odio, propterea quod, exigendo acerbe vectigalia, fundos tectaque omnium, uſque ad publicae immunitatis violationem, immodice onerando, privatorum fortunas afflixiſſet. Sed cum eſſet ille Principi acceptiſſimus, exſecrabantur magis cum homines, quam violare audebant. Hunc Simon Rigonus Gallicarum partium homo, ratus impedimento eſſe quo minus Sforzia Mediolano ejiceretur, tollere agitavit, adſuitque facinori fortuna, &

interfectus ab Rigone Landrianus, abſque ulla funebri pompa poſt biduum in D. Petri templo, quod Benedictim Patres tuentur, eſt ſepultus. Ejus hominis nece concidere penitus Ludovico animi, neque dubitatum eſt, quin res ea Sfortiam profligarit. Namque ſalvo Landriano, aut ipſe Sfortia manſiſſet in arce, aut illum ibi conſtituiſſet, & varietates eae, quae verſantur in bello, fortaſſe aliquod interea ſalutare momentum attuliſſent. Poſtquam ille cecidit, pavens tremenſque Sfortia, convocatis Primoribus ex univerſa nobilitate populoque Mediolanenſi, praeſentem rerum ſtatum majore quam antea querimonia demonſtrat, obſecratque, ut debitam in omni fortuna Principi ſuo fidem tanto magis in eo rerum diſcrimine ad ultimum uſque praeſtare velint. Mox ipſe, compoſitis ad fugam rebus, ſublatiſque theſauris, & praemiſſis Comum filiis, proripere ſeſe ex Gallorum manibus in Germaniam ad Caeſarem parabat. In diſceſſu, cum patriam, & fortunae ſuae ſedem, Urbemque hanc relinqueret praedam hoſti, non defuit infelix, & nihil profuturа cura, qua diſponeret alieni jam imperii negotia tutelamque ultimam. IV. Viros, in quorum prudentia & fide plurimum ſpei haberet, elegit, qui urbis & Imperii ſtatum in media illa deſperatione regerent ac tuerentur. Hi fuere, Hieronymus Landrianus, univerſi Humiliatorum Ordinis Antiſtes: Joannes Jacobus Caſtelleoneus, Archiepiſcopus Barri: Antonius Trivultius, Epiſcopus Comi: Franciſcus Bernardinus, Vicecomes. Hi deinde ex principibus urbis eligere pari ſecum arbitrio & poteſtate octo alios debebant. In D. Mariae Aede, quae Roſa dicitur, pronuntiata ſunt eorum nomina, quos IV. Viri ad afflictae patriae tutelam aſſumerent ſecum, princepſque omnium fuit Gibertus Borromaeus, ille ad cujus nomen procumbere veneratione legentes velim, ſicut ſcribenti mihi procumbit inclinaturque pietate animus. Hic enim D. Caroli Avus fuit: ex hujus prodire ſtirpe poſt aliquot annos debebat unus homo, qui patriae noſtrae ſalus, Orbi terrarum univerſo miraculum eſſet.

Caeterum, plenus fugae trepidationiſque Sfortia, cum raptum hunc ex aliena injuria Principatum relinqueret, miſerabile exemplum praebuit omnium rerum, quae in tali fortuna ſpectari poſſent, quarumve ſpectaculum humanus animus eſſe conſuevit, ubi caligo deſperationis & divini Judicii horror inceſſere. Reſtituit Angleriam & Aronam & caſtella alia Borromaeis, quae licentia dominatus occuparat infenſus opibus & nobilitati Gentis, cujus gloriam in faſtigii ſui diminutionem acceperat. Aliis illuſtribus familiis illa damna compenſavit large & effuſe, nec tamen magna in vulgus fama, quia ruentis jam fortunae prodigus, & ſera illa velut ex alieno liberalitas dicebatur. Sacra praecipue ſenſere ejuſmodi munificentiam, miſſis raptim ad templa regalibus donis, & data pauperibus ſtipe, nec re omiſſa ulla, quae in tali tempore placamentum irae coeleſtis, blandimentumve eivibus foret. Tunc Galeacii quoque domum, & uxorem, & prolem reſpexiſſe clementer eſt viſus, tamquam calamitas ipſa eviciſſet animum ad miſericordiam ſui ſanguinis, quem in ſecundis rebus opprimendo & abolendo, ſe ipſum everterat. Namque multis cum lacrymis amplexus Iſabellam, rogare inſtitit, ut Franciſcum e filiis natu maximum adſportandum ſecum in Germaniam Gallorumque violentiae ſubducendum daret. Quod abnuebat illa excuſationibus variis: ſed revera metus erat, ne raptor Imperii patruus, etiam Imperio amiſſo, heredem odiſſet velut exprobrantem infelicis injuriae dedecus, & quacumque incederet extorre agmen, conmoturum iras adverſus auctorem calamitatis.

Ille teſtatus Superos, cordi ſemper fuiſſe ſibi Patriae hujus ſalutem, & commoda civium, & Metropolitani nominis dignitatem, nec habere, quod Civitatis Populiquemutuam erga ſe fidem, officiumve accuſaret, profiteri non deſiit & affirmare ultro, quemadmodum iratum ſibi Numen agnoſceret: ejus arcano judicio in illas miſerias incidiſſe.

Pridie Cal. Septembris, inclinato in veſperam die, egreſſis Arce ſpeciem praebuit, tamquam recta Novocomum tenderet: ac ſequente nobilium agmine cum aliquantum viae proceſſiſſet, converſus ad eos: *Satis*, inquit, *hactenus officii eſt, redite jam ad lares veſtros, & Patriam iſtam tuemini concordibus animis, ac eſtote memores noſtri.* Credidere qui ſequebantur, velle Principem vitata frequentia & celebritate properum expeditumque ire, ac nihil cunctati convertebant capita equorum, domumque abibant. Enim vero Sfortia, quamvis abeundi certus, tardabatur patrii ſoli dulcedine, cogitabatque idemtidem, quanti diſcriminis foret, ipſam Imperii ſedem reliquiſſe: latebras & effugia ſemper ſe inventurum: ubi ſemel exceſſiſſet, reditum ſore in poteſtate aliena, diſceſſuque illo cuncta hoſti in manum dari. Talia, ſicut exiſtimare licet, animo volvens, flexo ad laevam itinere (nam porta Comenſi exierat) ad Deiparae Aedem, quae Gratiarum dicitur, cum paucis adequitavit. Ibi flexis ad aram genibus aliquamdiu moratus, ac deinde collocutus cum Antiſtite Monaſterii primoribuſque Patrum, in Arcem, unde exierat, redit, plenus ſuae, plenus alienae moeſtitiae, quam in ſingula momenta, facies adſpectuſque locorum & hominum augebat. Namque Aedem illam D. Mariae Gratiarum, familiae ſuae opibus conditam ornatamque intuendo: Arcem deinde ipſam, patris ſui monumentum, & in ea ſede fidiſſimos amicorum, eeu numquam poſtea viſurus, ultimum illud oculis uſurpando, angebatur.

Tradunt, cum ex Templo in Arcem rediret, obverſante imagine tot ornamentorum ac munerum, quae per Sfortias collata in eam ſedem erant, ſimulque recurrente memoria fidelium ſibi illic hominum, quorum ſermonibus & conſiliis plurimum uti conſueſſet, converſa ter ſecie reſpexiſſe eo: idque ſignum aegerrime digredientis retulere qui ſimul ibant. Retulere inſuper iidem trepidarum illarum profectionum comites, cum ex Monaſterio digrederetur, Religioſos illos homines exiſſe una lacrimantes ubertim. Quae tam humilia & minuta reticenda non putavi, ut Principis hujus in tali tempore perturbatio animi, & Sanctiſſimi Ordinis in eum caritas cognoſceretur.

Noctem, quae inſecuta eſt, in Arcis mole inquietam egit: poſtero die in viam ſeſe dedit, Novocomum, ſicut antea deſtinaverat, iturus. In campo qui ſubjectus eſt, quive ab altera parte praejacet arci, ſtabant turmae cohorteſque deducturae fugitivum Principem, ad tria fere hominum armatorum millia, qui deinde numerus, dilabentibus quotidie multis, ad quingentos paulatim eſt redactus, tantaque cohors cum eo in Germaniam pervenit. Vix dle ſuburbano agro exceſſerat, eum pauci Gallicae factionis homines, Ducis nomen crebris acclamationibus tranſtulere illuc: & dubitavere Novocomenſes clauderentne venienti portas, an aperirent. Ibi quoque adjutus eſt Sacrorum ſtudiis, quae ſemper in omni Catholica Civitate Chriſtianoque populo maxima & potentiſſima pars rerum, ſicuti Mediolani Sfortiarum nomen extulerat auctoritate beneficiiſque ſuis, ita in parvam etiam illam Urbem porrecto erga familiam eamdem favore, inclinavit ad profugum hunc accipiendum animos. Epiſcopi aedes hoſpitio fuere: illuc evocati Decuriones Urbis fidem ſuam in omnes rerum eventus obligavere Ludovico: ipſeque profectionis ſuae cauſas explicavit, ut cedere potius quam fugere videretur.

Dum ibi colloquiis & ſacramentis teritur tempus, jam Galli ſucceſſerant ad moenia Urbis Mediolani totiſque ſuburbiis praedabantur impetu ac furore, quem ſecum afferret ea gens etiam ſi non licentia belli accenderetur. Quidquid ſacri fuit extra moenia, prima illa irruptione agebatur inter caeteram praedam, eumque nuntium Andreas Eccleſia, Sancti Laurentii Canonicus tremens pavenſque ad Principem attulerat. Is Canonicus, cum afferre ſe diceret cuae ad Principis ſalutem magnopere pertinerent, introductus expoſuit quidem audientibus etiam aliis captivitatem haud dubiam Urbis, & inſtantem moenibus hoſtem, ſed petito dein ſecreto, gravius atrociuſque quiddam indicavit, unde Ludovico ultimus horror, & conſiſtendi uſpiam finis. Oſtenderat enim docueratque Canonicus, compoſitum eſſe quemdam ordinem

dinem insidiarum, ut Novocomi comprehensus retentusque Sfortia Gallo traderetur ducendus in triumphum: agendae rei tempus, proditoresque domesticos, paratas operas, adiuturum his in tempore subsidium, caput auctoremque negotii, & momenta omnia indicarat. Ea cum ipse comperisset, facere non potuisse, quo minus deferret cuncta cum cura & fide, sicuti debitum tam bene merenti Principi officium postularet. Caeterum, quia rem tantam necessario officio adductus aperuerit, scire se, quanto suo cum periculo id fecerit, nisi per Principem adhibita sit quaedam ars & diligentia, ut alimde potius id manasse indicium etiam apud proximos increbesceret. Plena omnia esse proditorum & speculatorum, qui accedentes exeuntesque diligentissime observent, ipsosque certis inter se nutibus, ac significationibus, & ministris communicare, quidquid suspicentur fieri vel cogitari, ita ut temporis fere momento rem eamdem omnes sciant. Ad haec ipsa, Canonicus consilium quoque suum adjiciebat: ut, nimirum, quoniam sciri non posset, quid sincere & fidi, quidve secus esset in extorre illa & nutu vjam alienos respiciente aula, discederet occultus, falleretque discedendo fidissimos etiam, quo tutior ad caeteros fallacia esset.

His auditis, Sfortia, quamquam magnopere intus aestuaret, quietus ac securus in frontem, reliquum diei consumsit agendo quae instituerat, praetulitque quamdam ejusmodi speciem, tamquam in singula momenta fieret captantibus opportunior: ac nihilominus circumspicere quantum poterat omnia, ne interim caperetur. Appetente vesperâ, eum per eamdem imaginem securitatis, velut animi gratia ad naves descendisset, consensa repente praetoria, cujus neque militi, neque remigi diffidebat, innuit, ut quam celerrime & vehementissime navigium concitarent. Ac Princeps quidem ebuso in hunc modum & turbato insidiarum, quae sibi parabantur, ordine, per medium lacum ventis & remis ferebatur. Reliquae vero naves, aliae statim, aliae spatio interjecto sequebantur, partim integra fide, & nesciae quaenam subita res medisset, partim attonita perfidia, & inter se suspectae, quia detectam esse rem apparebat. Ita Ludovicus Belasium appulit, feliciter, ut in malis, vitato ludibrio, conservataque libertate cum Imperium amisisset. Eo Cardinalis Ascanius, duoque Cardinales alii, quod erat Ludovico intimum consilium, antecesserant, una cum parvis liberis educatoribusque eorum, & magistris, nobilium fere manu, & inerant praecipui quidam e Clero, quos ab vitae litterarumque commendatione Princeps in eam curam adsciverat. Illic igitur fretus praesidio & auctoritate trium Cardinalium, idque nomen pro maximo munimento existimans: simul cingentibus latera Proceribus urbis, qui Cardinales & liberos affectati, extra perfidiae suspicionem erant, dicitur velut ex magna defatigatione respirasse paulisper, dixque captivitatis imagine attonitum animum collegisse. Ingressus deinde mixtam quamdam ex indignatione simul & metu orationem, blandimenta, minasque & preces jaciebat. Comites exsilii sui, prosperarum adversarumque rerum socios, carissima sibi capita, & partem optimam civitatis, & firmamenta imperii appellavit promiscue omnes, qui adessent una & sequerentur. Nulla posse tam bene meritis civibus satis digna praemia reperiri: sed praemiorum omnium instar fore memorem semper animum & gratissimam erga tales amicos voluntatem, qui fide ac pietate erga se ipsum, abrumpere sese ab ipsa patria maluerint, omnemque subire fortunam, quam exspectare domi necessitatem eam, infidos socios, Barbarum hostem intra moenia urbis admittere cogerentur. Enim vero fortium virorum, & honestissimi comitatus universi meritum id gloriamque esse, quam tamen pauci dedecorarent, specie quidem & corpore sequentes Principem, animis vero spectantes Gallica arma, & favore hostium imbuti. Neque tamen hos ipsos peccare perfidia, sed errore quodam humano, propterea quod praesenti rerum motu perterriti, ad partem incliment eam, in quam vergere cuncta videantur. Sed scirent, exitum fore Gallo disparem longe ab ea spe-

A cie, quae caliginem nunc ipsis offundat, & spes vanas, terroresque falsos repraesentet. Se quidem in praesentia cedere tempori, quae non ultima pars Imperatoriae prudentiae semper habita sit, quodve summi Principum & Regum non sine laude facilitarint, quoties fortuna contra daret: & illam tantopere laudatam antiquitatem plenam ejusmodi exemplis esse. Caeterum, & hostes ipsos, & si qui depravati sint ab hostibus, brevi esse intellecturos, quantum interfit inter initia bellorum & finem, qui primorum eventuum laetitiam saepe funestam inanemve fecerit. Ire se ad Maximilianum Caesarem, tam arcto vinculo connexum sibi quam omnes scirent. Superesse studia populi, & urbem adhuc, & aream, & tanti

B exercitus robur. Concitarum externa arma, si domesticae vires, si auxilia proximorum labarent. Esse in domo stirpem egregiam liberorum, esse fratrem Ascanium praeditum ea dignitate, quam Reges ipsi sociam & aequalem suae Majestatis admittant: esse munimenta alia, quae Sforziarum generi ac nomini duraturam in saecula successionem promittant: & quantulum profectum fore hosti, si tollatur ipse vel cadat?

Talia fere Ludovicus ad familiares ducesque suos egerat, agnoscentibus plerisque artem, qua res suas profligatas attollere erat conatus: pauci spem ullam de ipso bonam habebant, laetive quidquam nominabantur. Cum

C Ascanio Cardinale sermo tristior fuit. Rogaverat ille primo statim congressu, quam curam loendae arci, quodve praesidium frater adhibuisset? Ubi est a Ludovico responsum, Arcis custodiam creditam esse Curtio, fido homini & probo, tunc Cardinalis Ascanius, vatis in modum: *Nos vero evolutis fumos* (inquit) *omni jure ac possessione Mediolanensis Imperii, jamque cuncta in Gallum cessere.* Haec ad Belasium acta dictaque erant. Ab Belasio, enavigato lacu, magnis itineribus, quanta per convagosa & aspera loca potuit adhiberi festinatio, Oenipontem pervenere: atque interim alii super alios nuntii perditarum rerum assequebantur agmen, vaticiniumque Cardinalis, exitu comprobatum in ore omnium

D erat. Oeniponte Maximilianus Caesar moerentem afflictumque Sfortiam erexit, cum caetera omni benignitate, tum hilare ac large pollicendo, fore quamprimum, ut in fortunae suae sedem, ipso adnitente restitueretur. Ita Ludovicus ab magnae fortunae culmine lapsus ad ima, rursus excitabatur, spemque inter miserias ingentem volvebat: & quia non satis impigre pro ardore iraque sua moveri Caesarem videt, rem aggreditur, futurum horror omnibus, qui Metropoli huic nomenique Mediolanensi eam impositam esse labem cognoscent. Ausus namque est Turcarum in Italiam vocare arma, quale flagitium in tanta colluvione ac varietate dominantium non viderat Urbs, quae secundis in Principatu Catholicae Religionis partes, & fundatorem Apostolum, fo-

E bolemque per tantum aevi Parente dignam praetert. Referam tristissimi negotii seriem & ordinem, ut hujus etiam abominandae rei memoriam praesenti felicitati temporum haec nostra cura repraesentet.

Postquam Sfortia lentam Caesaris opem, auxiliumque pertaesus, stimulante cupidine recuperandi imperii, in Gallum ira, in parvos liberos misericordia, metuque insidiarum, & pudore tam deformis fortunae nullum quietis locum inveniebat, vertit animum ad consilium illud infelix, uti Barbarum excirct in Italiam, & Mahometana vexilla ferret in Gallos, qui ipsi auxilio vocati ejecerant socium. Haec ubi tetra sententia stetit

F animo, Mediolanenses homines duos elegit, in quibus & fidei plurimum habebat, & satis esse calliditatis audaciaeque rebatur, quantum sufficet barbaricam terram aulamque adituris esse oporteret. Hos onerat promissis, & ubi assensere, mandatis instruit, legatioque ea Catholici hominis ad Turcam Nonis Novembris ivit. Legati, Ambrosius Mendax, & Martinus Casalis fuere, tamque justa fors fuit ad custodiendam indignissimi facinoris memoriam, ut litterae ipsae sint repertae, queis Princeps ipse duobus illis Ambrosio & Martino scripta mandata formamque legationis obeundae, edidit in hunc modum: *Martine, & Ambrosi, quos nobis ad Tur-*

carum Imperatorem legamus. Prudentia utriuſque veſtrum, & magnis rebus perſpecta erga nos fides ac benevolentia ſingularis facit ut arbitrio potius veſtro relinquamus ea, quae ad rem iſtam commode adminiſtrandam pertinere viſa erunt, quam ut auctoritate juſſuque noſtro compleCti ac definire ſingula velimus. Dedimus vobis litteras ad Turcarum Imperatorem ut fides legationis ſit, itemque noſtra manu ſubſignata pura folia etho. His utemini, prout dies tempuſque, & ratio rerum monebit. Quae autem exponi agique noſtro nomine apud Turcam velimus, haec ſunt, & ea ipſa judicio prudentiaque veſtra moderabimini. Primum omnium, ſi ita viſum erit, impetrato aditu reddetis Principi litteras, ut legatos vos eſſe noſtros ſciat, fidemque vobis habeat omnium rerum. Deinde perfunctis primae ſalutationis officio, demonſtrabitis, pulſos nos Imperio ſedeque noſtra, non alibi, quam in Turcico faſtigio ſpem habuiſſe collocatam, ad cujus Imperii magnitudinem ſpectet, ne qua injuria minoribus fiat. Cetera deinde, vel ſtatim, vel ſpatio interjecto, vel coram, vel per Baxas Portae proceres exponetis: cauſas nempe belli Gallorum & Venetorum Senatus impotentem cupiditatem, qui appetant Italiae dominatum, ut ſi prima proceſſerint, ad reliqua tranſgrediantur, & nonum quoque Mahometano terribiles ſint. Gallicae Regem imminentem urbi Genuae ut mare illud in poteſtate haberet, poſtquam per conditiones aſſequi nihil potuerit, hoſtem ex amico repente factum viſſe ad arma: Venetos eodem conſilio quo Gallus movertur, tentaſſe Piſarum urbem ob maritimas item opportunitates, & quia Mediolanenſibus armis ea ſpe fuerint dejecti, in noſtram perniciem conjuraſſe cum Gallo. Pontificem vero Romanum a quo reconciliari diſcordes oportuerat, praebuiſſe potius alimenta igni, & adjutorem fuiſſe conjuratis: aliosque Italiae Principes in nos eſſe armatos ob eam cauſam, quia armamentis ſe contra Mahometanum Imperium obſtiterimus. Haec omnia Turcarum Imperatori, ſi vobis ita viſum erit, exponetis, Ambroſi & Martine, prout res ipſa, vel reticenda vel addenda aliquid, conſilia vobis ſubjiciet. Ac ne indigna Turcico auxilio videatur calamitas noſtra, ſi forte illic exiſtimati erimus arcuiſſe ſegniter hoſtem & aperta immunitaque omnia prodidiſſe venienti: narrare poteritis quae vidiſtis etiam ipſi noſtros ad omnia defendenda conatus, munimenaque & praeſidia, & quidquid aliud adverſus hoſtilem impetum compararet faceretve quilibet providentiſſimus Imperator. Sed ita tuliſſe caſum infeſtum, & ſaeviſſimi belli procellam, ut cum ab pluribus ſimul partibus inſtaret ingrueretque hoſtis, qua potiſſimum parte irruperus eſſet, neſciretur, nec ad omnia itinera adituſque ſufficeret miles. Auxilia, quae promiſſa erant, in tempore venire non potuiſſe, cum Caeſar Helveticо bello implicitus teneretur: Florentinos Piſanares diſtineret. Claſſem vero, quam ab Genua in ſinum Hadriaticum mittere deſtinaramus, ut adverſus communes hoſtes cum Turcicaclaſſe conjungeretur, non tanta celeritate potuiſſe adornari, quan celerius ipſi abire cogeremur & una cum Imperii tuendi apparatu, imperium quoque ipſum omittere. Duas utique res fuiſſe, in quibus aliquid ſpei collocatum haberemus: alteram, ſi Mahometana armata urgerent Venetos, ut reſpectu rerum ſuarum ab Gallico foedere abſtraherentur: alteram, ſi Caeſar, facta cum Helvetiis pace mittere nobis copiarum aliquid poſſet. Utramque ſpem impetu ac celeritate hoſtium fuiſſe deluſam, propterea quod proviſu ac metu talium auxiliorum ſtimulati illi nihil reliqui fecerint ut exſpectationem illam noſtram anteverti opprimeremque. Poteritis quoque demonſtrare, quemadmodum, oppreſſo in Provinciae finibus praeſidio, acciderit hoc, ut repentina conſternatio praefidi ac cetera exercitumque univerſum invaderet, ac ſicut in bellis accidere conſuevit, parva illa res labefaceret cuncta & proſtigaret. Nos, cum exiguas infirmaſque copias haberemus, cumque urbium noſtrarum alias expugnaſſet jam hoſtis, alias oppugnaret: nec tantam duorum conjunctorum exercituum ſuſtinere poſſe multitudinem videremur, abeundi conſilium cepiſſe, ſciliceet ne manendo & cunctando, ludibrium fortaſſe dedeciſque aliquod conciperemus, qualia exempla in potentiſſimos etiam Reges aliquando fortuna belli edidit. Arcem Mediolani fuiſſe validiſſimam unam, quae ſi ſalva maneret, irrita omnia faceret hoſti, & nequidquam cum Veneto Summi Rex Galliae conſpiraſſet. Inſtructiſſimam hanc omnibus rebus in diſceſſu noſtro tuendam dediſſe homini, quem nobis ob beneficia fidiſſimum eſſe omnium arbitrati eramus. Ab eo nos homine proditos eſſe una cum Arce, mancipiisque fraudem unius, non virtutem fuiſſe Gallorum, quae Gentem imbellem in Imperii noſtri ſede collocarit. Ubi Rex Galliae, conjuratorum ope, ſolitudine noſtra, proditione praefecti, Mediolani fixerit pedem, ſtatim concurſus ingentes ad eum eſſe factos omnium, qui Turcicae majeſtatis hoſtem atque aemulum hunc valeſcere cuperent; caeterosinhorruiſſe ſucceſſu illo palamque novum Imperium averſari: voces audiri paſſim fauſtas in nomen familiamque noſtram: paratoscerni omnes in quemcumque motum ſpes aliqua objecta noſtri reditus poſtularis. Nunc ipſum Galliae Regem abuiſſe domum eo conſilio, ut primo quoque tempore reverteretur in Italiam, quam ſibi ſpe vana deſponderit univerſam cum vamore illo voto, ut Conſtantinopolim uſque victor eat. Nobis ad recuperandi Imperii ſpem haec adeſſe: Vacuum jam pace Helvetica Caeſarem, Florentinos item ab re Piſana jam ſolutores: ſtudia popalorum erga nos: par odium in Gallos, famamque communem adverſam Genti: & nos ipſos, ſi quis adjutor exiſtat, nec ſegnes ad pericula, nec infelices, quamvis hoſtibus adhuc proditoribuſque noſtris plus adfuiſſe felicitatis videri poſſit. Haec ipſa poſtquam Othomano demonſtraveritis, vel coram, ut dictum eſt, vel per ipſius intimos amicos, vel amplificata, vel diminuta prudentiae veſtrae conſilius & praeſentium rerum admonitu, vel denique omnia ſimul, vel ut erat is alloquius: tunc, Ambroſi, & Martine, rem ſuppliciter a Principe petetis ipſam, cujus ea cauſa mittimur vos & legamus. Petetis autem, ut acriter exercere bello Venetos velit, nec mare ſolum, ſed etiam circa urbes, quas in continente habent, mittendo copias in Italiam & juſtum ab hac parte bellum inferendo. Quod quidem ultro ipſe facturus fuerat, atque etiam ejus rei promiſſa ferentem legatum miſerat: ſed celeritate opus eſt, idque ipſum non ſine accuratiſſima gratiarum actione propter tam eximiam erga nos voluntatem, exponetis. Si celeriter adjuti erimus, & Turcica ope recuperaverimus Imperium: opes noſtras omnes animumque & fortunam, & floreutiſſimam illam Italiae partem, Urbemque Genuam & mare Lagufticum fore inſtrumenta rerum earum, quas ad ſempiternam Othomani nominis gloriam exceſſus illius animus moliatur. Sin autem reſponſum erit vobis, ipſive ſuſpicabimini, malle Turcarum Imperatorem pacem habere cum Veneto Senatu, quam bellum gerere, atque inclinatos in eam partem animos videritis: tunc, Ambroſi & Martine, mutata negotiatione, curam proceſque convertetis eo, ut ne pax alia fiat conditione, quam reſtituta nobis per Senatum cum Cremona, caſtellisque & locis aliis, quae bello hoc capta de nobis habent. Agetis item & petetis, ut inter pacis ejus conditiones excipiatur, ne Venetus cum Galliae Rege quidquam agant, neve foedera adverſus nos inire teneantur in poſterum, neve arma in nos ferant. Si dabit haec annueritque Princeps, vos vero, non pollicebimini praeterea quidquam, & omni vitata rerum aliarum mentione, toti eritis in eo, ut certiſſimam fidem auferatis fore ita omnia, ſicuti petita promiſſaque erunt. Sin eritis de re aliqua compellati, quam rem a nobis praeſtari nominatim Othomanus petat: cavetote, ne certi quidquam ac definiti noſtro nomine promittatis, atque hoc utemini verbo: quandocumque reſtituti in Imperium ſimus, facturos omnia quae velis, & ipſum fore arbitris domum, ac fortunam, & vitam, quam ipſe nobis dederit. Pecuniae ſumma ſi qua petita erit, ita ut nulla declinatio neceſſitatve ejus relinquatur: vos quidem videbitis, ut ea ſumma quamimo ſieri poterit, circumſcribatur atque coarctetur: caeterum, neque pecunia, neque quidquam aliud tanti erit, ut aliqua ſequatur animorum offenſio, ſive alienatio, quae negotium hoc, & ſpes noſtras inchoatas abrumpat turbetve. Cum his igitur mandatis, Ambroſi & Martine, proficiſcemini, mandataque ipſa, & univerſae legationis ordinem praeſentium rerum facies & forma gubernabit. Nos porro legatos alios alia via duos mittemus, ne ſi quid vobis in itinere acciderit, quo minus expedito curſu pervenire poſſitis in Aulam, res noſtra propter ejuſmodi caſum, detrimenti nihil patiatur. Quod ſi utraque legatio feliciter verit, id ipſum afferetis ad demonſtrandum, quamapere cordi nobis fuerit, ut ad Principem poſtulata noſtra perferrentur, & quantam in ea reſpem poſſimus habuerimus. Utri priores in Regium venerint, fungemini legationis officio, prout hominum illorum, Adaeque,

&

& Principis, & verum habitum formamque repereritis. Quo poſteriores aderunt, hac ſe nota & teſſera praebebunt prioribus agnoſcendos, ſi familiae noſtrae nomen in primo congreſſu ter enuntiarint: eaque inter vos arcana ſignificatio erit, ne qua forte fraus ſiat, neve ad conſilia noſtra excipienda & cognoſcenda, legati nomen ementitus aliquis ſeſe vobis immiſcere auſit. Legatione peracta, impetratiſque ſuppetiis & quoquo modo ad cauſam adjuncto Turcarum Imperatore, rem inter vos ita comparabitis atque partiemini: Excurret ſtatim e veſtro numero unus ad nos in Germaniam, ſive in quem alium locum delati erimus. Remanebit alius in Regia, nimirum, ad commenda illic & fovenda ſtudia, quae conciliata erunt, ne vaneſcant aut immutentur, neve res ipſa differatur, quod perinde eſſet ac ſi nihil foret impetratum. Placet autem, huic diligentiae & curae praeeſſe potiſſimum alterum e vobis, Ambroſi & Martine, ſcribentem ſubinde ad nos ea, quae dies feret. Tertius vero aliquis ire cum terreſtribus copiis debebit, & affectare eas ab Conſtantinopoli per totum iter, iſque de itineris progreſſu certiores nos faciet per litteras & nuntios quoties dandi & mittendi facultas erit. Epiſtolae porro omnes, quae, vel ex aula, vel ex itinere mittentur ad nos, erunt ſcriptae notis occultis, ne ſi fuerint interceptae ſpes ſimul omnis noſtra intercepta perierit. Dona Principi, praeter quae miſimus jam, vellemus quidem adhuc mittere, daremuſque vobis perferenda pro majeſtate ipſius, & munificentia noſtra: ſed praeſentis fortunae conditione impedimur: atque hac ipſa excuſatione utemur etiam apud Purpuratos, fidemque dabitis, fore, ut recuperato imperio, ſinguli eolantur donis, quae digna ipſorum ſaſtigio, & magnis erga nos meritis erunt. Nec praeſentis tantummodo munificentiae daturi ſumus dona: ſed aliquot etiam miſſa nummum aureorum, ſi nonnullis eorum in ſingulos annos noſtro nomine promittenda eſſe duxerimus, pactum promiſſumque ad ratum habebimus, annuaque tributa in Regium mittemus.

Haec monitis & mandatis, Ludovicus Sforzia, parto per ſcelus imperio, ſuperſtes & extorris Turcicam illam legationem inſtruebat, inexpiabile flagitium admittens erga Metropolim hanc, quae tot perpeſſa ſaevae ac irreligioſae dominationis calamitates, nihil tale viderat aut meminerat. Exciri Mahometem in Regna Catholicae Religionis ab Mediolani Duce? Adulationes, & preces, & munera, & tributa obſequimque infimum ultro verſa in communem hoſtem? iteratasque legationes hinc in Barbaram terram, in falſi Prophetae ſpurca domicilia, quo Chriſtiani Principes antea junctis exercitibus ibant, ut depellerent humani generis monſtrum & labem? At quo tanto pretio ſuſcepimus hanc labem, quidve docuit conſidere monſtro? vetus, atque jam pridem inſita mortalium animis ſuperbia, quae infatuat animos, ut in hac humanae vitae ſcena eminere ſupra alios velint, atque ad ludicrum illud & inane faſtigium etiam per ſcelera enitantur. Viderat urbs Mediolanum, atque haec Ambroſiana ſedes, pertuleratque violenta Tyrannorum ingenia, & armatas in Metropolim ſectas Haereticorum, obſeſſa templa, quaeſitos ad necem Archiepiſcopos, & quid quid aliud in Principatu impio, funeſtum, atrox, dirum accidere poteſt huic ſacrae & Apoſtolicae poteſtati. Etiam legitimi juſtique, ſed regnandi artibus importuni Principes attulere luctum Urbi, & ſicut glorioſi ac laeti plerique dies, ita infelices plurimi per omne tempus fuerunt. Nullum tamen, arbitror, acerbum magis ac triſte tempus inciderit, quam ubi ſolita Regiorum arcanorum vanitate, per ſuſurros primo, deinde apertius paullo & liberius, poſtremo palam & publice fama haec manavit: fugitivum Principem mittere legationes ad Turcam, & Mahometanae Aulae ſtipendiarium eſſe factum. Scilicet, quid deinde futurum, ſi felicſſime caderet res, annueretque poſtulatis Barbarus? feros auxiliares, truculentos ſocios, impia ſigna, rapacium copiarum ductores inhumanos, & uno verbo, Turcarum genus per ejuſmodi legationes in Italiam accire: quae colluvies acerbiorem omni clade victoriam datura eſſet, etiam ſi res tam incerta, pro explorata jam & praeſcita haberetur. Vincere talibus auxiliis, an vinci, calamitoſius foret? explicari non poſſe. Nam utram in partem Mars anceps belli exitum inclinaret, praedae ac direptioni Barbaris Italiam fore. Quid ſi Mahometanus hoc pactefacto aditu figere in Italia pedem deſtinaret? quantum id dedecus civitatis, unde cauſa, & initium hinc malo? Nuſquam eſſe gratuita Tyrannorum, ac ne Reguin quidem auxilia, mercedemque illam, quae perſolvitur auro vel argento, niſi magnitudine ſummae inter inſtrumenta bellica deſtinetur, ſpeciem tantummodo ac titulum eſſe conſiliis intimis, majora ſemper & diverſa quaedem ſpectari. Hiciviuin ſermones, querelaeque & curae erant, poſtquam miſſam eſſe legationem reſcivere.

Caeterum, ne Ludovico quidem ipſi libera religione animus erat: idque facile apparet in extrema litterarum earumdem clauſula, per quas mandata legatis dabat. Cum enim antea poſuiſſet, dari litteras ad Turcam, ut eſſet fides auctoritaſque legationi, ſubita poenitentia mutatum id reperitur: pro litteris ejuſmodi, pura folia ſe daturum ait, adſcripto nomine ſignoque impreſſo: his, prout occaſio ferret, uterentur. Scilicet, horror animum ſubierat, pudorque tanti dedecoris, idque diverticulum excogitarat. An vero, inter tantas fortunae minas, trepidus, anheluſque & confuſus, dum eas litteras dictaret, ſcriberetve, excogitabat primo aliquid, deinde damnabat, atque hinc illa varietas & inconſtantia potuit oriri? Sed non minus miſeranda facies in iiſdem expreſſa litteris cernitur egeſtatis, quae Regnatorem tot nuper opulentiſſimarum urbium circumſtaret, quamvis alioqui, largus promiſſis, annua tributa Mahometano polliceretur. Nam in attribuendo aſſignandoque ſumtu legatis, qui tam longum iter, aulamque tam opulentam ſimul & avaram, cum tantis promiſſis, de re tanta adirent, quingenti omnino aurei nummi perſcripti pronuntiatique exſtant, quantam hodie ſummam, ſemilixa, vel ſcriba paullo callidior, ex tam longinqua legatione ſeſe abliguriturum ſperaret. Nos, dum hanc Ludovici Sforziae fugam, cauſaſque & initia calamitatis, injuriam calamitatemque alienam, dejectum Imperio juſtum heredem, venena in fratris filium, quaeve tragicum hunc dominatum antecеſſere, quaeve ſecuta ſunt, exſequeremur: honeſtiora Pontificum negotia ſepoſita hinc habuimus, ne contagione ejuſmodi rerum inquinarentur, neve, ſi ſecus fieret, alterutra pars, haud perinde ad ſui memoriam valeret.

Stephani Nardini Pontificatum exceperat vir omni Pontificia laude minime diſpar, litteris etiam, & familiae ſplendore clarior: jamque non integre ſolum & ſancte, ſed magnifice & ſplendide per tales viros, quantum conditio temporum eorum ſinebat, Sacra adminiſtrabantur. Nomen ſucceſſori Joannes: origo ex Arcimbolda Gente, quae multa pacis decora tulerat etiam priore aevo, unde ad nepotes gloria, & ſtudium aemulandi, idque rurſus novae gloriae alimentum, & ad poſteros alios cura, veſtigia majorum ſequendi, magnaque hinc per Urbis Annales Arcimboldorum claritudo. Joannes ab adoleſcentia jus civile didicit, non ſicuti pleraque nobilitas ſolet, Academiae titulum ad licentiam luxumque referendo, ſed ex licentia luxuque juvenili aſſumendo id tantum, quo modeſtiae nomen grave inter laſcivientes temperaret. Ne ſtudia quidem ad communem illam formam fuere, quae ſyllabarum aucupes, praeconeſque formularum ipſo Juris prudentiae nomine indignos gignit alitque. Paullus, & Scaevola, caeterique diſciplinae ejus antiſtites & conditores in manibus erant juveni, ſicuti quidem inter gregales manavit primo fama, deinde etiam in Hiſtoriam venit. Traditum ita ſcriptumque eſt: praeter ipſos civilis prudentiae fontes, quos penitus animo comprehenſos haberet, omnis veteris memoriae notitiam, quae noſtris, quaeve Graecorum litteris contineretur, adfuiſſe ipſi: neque hanc abſque delectu, cum, & in tanta Chronographorum turba politiſſimum quemque rerum geſtarum explicatorem & in rebus ipſis, magnorum praeſertim Imperatorum, Senatorumve facta & dicta, converſiones Imperiorum, illuſtrium virorum exitus, & maximorum motuum minimas cauſas, aliaque digna Principe viro ſequeretur.

Etiam retulere conſcii ſtudiorum hujus Arcimboldi, curam oblectamentumque fuiſſe ei, cognoſcere Principum ſui temporis conſilia & vires, & ipſorum inter ſe diſſidia, & quidquid occultus pararent. Colloquendo cum peritis, & opportune mutando ſedem ſtudiorum, & multorum undique litteras curioſe lectitando, id aſſequebatur. Exactis per haec ſtudia compluribus annis, varieque peregrinatus Arcimboldus, cum domum reviſiſſet, facile de eo fama perveuit in aulam, & magnis ſtatim Imperii muneribus admovetur. Senator primo, deinde Quaeſtorum Praefes, tum Conſilarius intimus, poſtea Legatus, Florentiam, Venetias, in Galliam, in Germaniam, Romamque ſuper iis rebus, quae tunc Sfortiarum domum ac fortunam cum Rege, cum Caeſare, cum Pontifice Maximo, cum utroque Senatu implicitam tenebant. Romae cum ageret apud Sixtum IV. captus admiratione viri, Pontifex ille Cardinalem creat, primo quidem Sanctorum Achillis & Nerei, deinde vero Sanctae Praxedis: ea ſunt quaſi cognomenta Patrum: Romana conſuetudo Titulos appellat. Ferunt admodum aegre tuliſſe Sfortiam, quod vir ſibi talis ereptus foret. Ereptum namque interpretabatur, quem facer honos ſupra ſuum ipſius faſtigium extuliſſet. Et rarum eſt, ut Principes Regeſve talia ſuorum incrementa rectis oculis adſpiciant, niſi cum ipſi auctores exſtitere. Speciem tamen vultumque gratulantis induit, vel quia dignitas ea adulari jam cogebat, vel quia, tam ſpectatae virtuti proximus ad ſummum rerum humanarum apicem eſſe gradus videbatur. Fortaſſe etiam recordatio meritorum, & tantis expertarebus fides, ſubitos illos animi motus, quos in omnibus negotiis, malitia Principum ciet, ad ſincerum verumque gaudium mutarant. Novus Cardinalis, ea ſtatim opinione ſui commoverat omnium animos, ut Perufium & Umbria ei cum Imperio traderentur, quae provinciae, potentiorum inter ſe inimicitiis, quotidianiſque caedibus prope verſae in latrocinium ac rebellionem erant: nec Pontifici Maximo, nec hominibus ejus in ea parte magnopere obediebatur. Fuerant quin etiam interfecti nonnulli ex Pontificiis illis adminiſtris inter exercendae quaeſtionis apparatum, ſive dum prehendere quempiam tentarent, ſive dum mandata alia exſequerentur. Et ſatis conſtabat, inita fuiſſe conſilia in prioris legati caput, imbutoſque ſicarios inimicorum ſuorum ſanguine, ſacram etiam illam poteſtatem, veluti ſicarium inimicumque unum deſtinaſſe caedi, niſi paratas inſidias vimque imminentem, cautior ad fugam ſolertia Praeſidis evitaſſet.

Referam inhumanum & horribile dictu, quod in ea Provincia ante Arcimboldi adventum, leve quotidianumque habebatur. Hereditaria illa odia praepotentum provincialium, ac minus etiam potentum, ſed crudelitate inſigni, ardentibus ad vindictae dulcedinem ingeniis, eo excedebant, ut totae domus internecione delerentur: nec ante conquieſcebant, quam ex inimica ſtirpe, quidquid etiam ſexu, vel aetate invalidum, deleſſent ferro. Alluſerat aliquis ad parietem parvos liberos hominis inimici, gravidamque conjugem obtruncarat, & quomodo roſtra ungueſve feratum oſtentatione venatoria poſtibus affiguntur, ita ſtirpis invifae reliquum unum infantem rabies eadem ad fores confixerat. Atque palmaria haec demum, glorioſaeque inter illos faevitiae facinora erant: cruenta vero illa officina calebat aſſidue fervebatque, vel mandati ſemper in alicujus caput, vel conducendarum operarum, vel inſidias ſtruendi. Haec diſciplina juvenum erat, perſeverabant ſenes, cum ſucceſſor ſimul & ultor electus Arcimboldus ita coercuit gentem, ut nobile exemplum ſtatueret etiam in poſterum ad caeteros, ſi quos forte ſimilis inteſtinus furor aliquando lacerare coepiſſet. Namque pruſquam in Provinciam iret, diligentiſſime firmavit arces & caſtella praeſidiis, immiſſoque ſolutis ordinibus milite, mox ipſe ſubſecutus cum validis equitum turmis, ſanguinarios illos hominum repentino terrore conſudit. Truculenti altas & dirri trepidabant adſpectu Cardinalis, quem & gratiae imperium antecedens fama nuntiarat, & undique armatum videbant. Sed nihil magis exterruerat, quam quod, diſſimulatione mira, ſine ſtrepitu ullo firmatae arces, ſparſique per provinciam manipuli eſſent & communi omnes metu perculſi, factionum & certaminum, inimicitiarumque prope jam oblivi ſcebantur. Poſtquam ea caligo animis offuſa eſt, nihil quidem ab legato movebatur, unde conjectura aliqua poſſet oriri, quidnam ille acturus eſſet: appoſiti tamen ſpeculatores & homines idonei paſſim obſervabant quidquid partium duces agerent ac moverent: colloquiones atque congreſſus nocturni ſive diurni, commercia trajectioneſque pecuniarum, conſilia denique omnia referebantur in Aulam. Simul erant ad opportuna loca diſpoſitae ſtationes armatorum, ne elaberentur aliqui, quos & fugam meditari compertum erat, & comprehendi, retinerique domi tutius habebatur. Qui verſi in latrocinium globi aliquot, ad extremos provinciae fines conſiſteranr, globis erat majoribus imperatum, ut regione vagarentur eadem: ſimul admoniti praeſidiorum, & arcium praefecti, ut qui cuique proximum eſſet, cum ſuis in eos excurrerent: edictumque ſtatim: qui exſul, quive capite damnatus, exſulem alium interfeciſſet, is ut impunitatem haberet omnium, quae commiſiſſet antea, utique ac libere in patria commoraretur. Hac indagine Cardinalis legatuſque Arcimboldus, cum Provinciales illos ex caede viventes cinxiſſet, vulgoque exiſtimarent, fatis fore ei, ſi quietam haberet Provinciam, ac nullum novum in ejus imperio flagitium admitteretur, ipſe quidem, tamquam praeſenti tranquillitate ac modeſtia paceque contentus aliquantiſper quieſcebat. Mox, ſopita omnium fere exſpectatione, paucos inſignes duces factionum, & ſcelerum capita, quos evadere nolebat ne abſentes etiam Provinciae ſtatum ſollicitarent, unius horae momento omnes, unaque nocturna ſatellitum & militum impreſſione circumſcriptos, in latumias & caſtella ſeorſim miſit: jacebantque ibi per dies aliquot invicem ignari captivitatis alienae, ac ſe tantummodo quiſque eſſe captum arbitrabatur. Ita comprehenſis vinctiſque flagitiorum & faevitiae Proceribus, caeteri queis exſilium ſine publica noxa vel periculo perniciem egeſtatemque ultimam afferret, & edicto litteriſque quotidianis, & miſſo victore, & denuntiatione poenarum citabantur. Paruit bis fuga: cumque caput & vitam quiſque ſuam fortunis omnibus anteferret, abiere ſic multi cum vanis fugiendi artibus, nec ſine vanore laetitia quod Magiſtratum eluſiſſent. Legati erat artificium, ut ſine carnifice, & ſecuri purgaret Provinciam, nec locus interea relinquebatur infamiae vulgatae in multos Principes querelae: crimina reoſque conquiri, ut aerarium augeretur. Aufugiebant enim ultro, & capita devota poenis ultimis, voluntaria fortunarum amiſſione redimebant. Servitia, quorum manu atrociſſimum quodque facinus patratum erat, amiſſo pabulo, veſtigia dominorum ſequebantur: ſi qui horum fuere ſegniores ad fugam, de his ſumpta ſupplicia ſervilem in modum, & vili ſanguine ſatisfactum exemplo. Latronum & exſulum veteranae cohortes inſtrumenta faevientibus, & modeſtiae etiam calamitas, provinciaeque totius malum, primo ſtatim Cardinalis adventu, ſicut ad tepores ſolis nebulae dilabuntur, evanuerant. Namque promulgato edicto, quod occidenti ſocium, impunitatem praemiumque inſuper dabat, aut inter ipſa latrocinia latebraſque, decollabantur a gregalibus ſubinde aliqui, & quotidiana exempla diſſociabant caeteros, aut ab emiſſariis opprimebantur. Feroces Procerum animi, tabe carceris, & fortunae conditionem aggravante ſumtu, & audita demum in vinculis provinciae totius trepidatione, fugaque, vel captivitate, vel nece aliorum, ac ſuum inde periculum aeſtimantes conſenescebant ac frangebantur rabie, moerore, metu. Conticuerat atque deſerbuerat omnis repente furor, ac ſi quod imperium nutuſve Cardinalis in publicum foret, ſedulo cuncta atque obedienter fiebant tamquam a bene moratis, vel diſcipulis in magiſtrum, vel filius in parentem.

Tunc ille, perſtrictam & afflatam ceu fulguris ictu provinciam cerneus, ſatis jam eſſe terroris, ſatiſque minarum arbitratus, inſtitit etiam tradere quietis vias,

&

& fomenta adhibere animis, ut ferre concordiam vellent. Cognitis inimicitiarum causis, & origine factionum, quae familias jam inde a principio alienassent injuriis etiam & damnis, quae essent accepta, & illata vicissim, pacificatores ad reconciliandas eas familias adhibebat idoneos, & auctoritatem ipse suam interponendo, spem faciebat, tum honesti tutique reditus in patriam illis qui aufugissent, tum maturae libertatis ac salutis iis qui in custodia haberentur. Fortunae interim noxiorum aetherebantur. Corpora in vinculis degebant: & amicum alias patriae nomen exsulibus horrori erat. Sed cuncta, quae Arcimboldus in Romana illa legatione imperioque fecerit aut instituerit, persequi non operae habeo, cum ad ea, quae sunt hujus Metropolitani instituti, vix sufficiam.

Erat adhuc in provincia Cardinalis, cum Episcopus Novariae mortuus multos ejus Ecclesiae cupidos excitavit. Namque Novariensis Ecclesia, praeterquam quod late admodum patet, estque in amoena Insubriae parte vectigalibus instructa satis amplis, adjunctam etiam habet Dynastiam, imperiumque locorum aliquot haud ignobilium, & fertilissimi tractus. Ideo Pontificatum eum atque jurisdictionem haud obscuris in Ecclesia meritis homines, appetebant. Sed Pontifex Sixtus Arcimboldum praetulit. Sixto postea successit Innocentius VIII. isque vacuam Nardini morte Metropolim hanc eidem mandat Arcimboldo, quam triennio rexit absens. Nitebatur enim per ea tempora Romana res hujus praecipue consiliis & auctoritate, nec ei discedere ab urbe jam licebat, ibique est mortuus. Adoleverat ad omnem eximiae virtutis gloriam disciplina & imitatione Joannis Arcimboldi, frater ejus Guidus Antonius, non minus ingenii studiorumque similitudine quam natura frater. Quippe animadversum hoc in omni aevo compertumque est, ut corporum, in familiis, ita etiam animorum esse similitudines atque germanitates, & quomodo nacvum avi notamve aliam, post longum saeculorum ambitum retulit nepos aliquando unus, ita vitia virtutesque, & mores habitusve nepotum pravi sive honesti saepe regeneravere avos. In fratribus quidem id ipsum usu venire tanto magis potest, ut referant alterius alter animum corpusve, eaque naturae imitamenta passim spectantur. Caeterum Arcimboldis hisce fratribus etiam quae vano nomine dicitur fortuna vim suam immiscuisse vita est, ut eventis quoque rerum, & honoribus ac vitae cursu congruerent inter se, itineribusque iisdem fere irent.

Fuit in Guido Antonio praeter Juris civilis prudentiam studium illud litteraturae interioris, quod a Cardinale adhibitum fuisse retulimus, ut ipsum jus civile, temporum & hominum vitio Barbarum prope atque infuscatum expoliret. Fuit item animus ei, sicut fratri, gubernator quidam, & apte compositus ex modestia simul, & quidquid illud est, quod huic virtuti mansuetudinique diversum gubernatio populorum injungit. Ad tractanda Principum negotia par cum fratre habilitas, & quidquid illud item in moribus & sermone requiritur affine regnantium animis, ut minorum alloquia grate admittant. Ea, nimirum, habilitate & gratia, naturaeque munere Ludovico Principi placuerat, quoties inter illos nutantis fortunae motus, atque etiam antequam nutare inciperet, mittere voluerat de imperii rebus ad amicos Principes legatum. Ita Neapolim, in Pannoniam, in Hispaniam, ac denique Romam est missus. Sed & munera domi magistratusque gesserat eosdem fere, qui Cardinalis etiam animum in minore fortuna nobilitarant, quosve ille nobilitarat. Consiliarius intimus fuerat utriusque Sfortiae: jura pacis, arbitria belli, foedera & societates, & rem quoque familiarem Principis tractarat.

Per tot munera pervagatus cum esset, velut fluente atque continuante fortuna illum fraternae similitudinis tenorem in extremo quoque actu, evenerat, ut Romam a Principe legaretur sub idem fere tempus, quo tempore Cardinalis decessit. Ibi, sicuti antea frater, ex Sfortiae legato, Mediolani Archiepiscopus creatur. Et ut in simili re parique negotio, idem etiam Principis animus erga novam hominis sui dignitatem fuit. Torva reputabat mente Romanam indulgentiam erga domum hanc Arcimbolderum, in qua summus urbis honos, Ambrosianusque Pontificatus continuata per fratres successione retineretur. Amisso quoque ministro, & quod occasione legationis crevisset, angebatur. Sed postquam rediit ille Mediolanum, Metropolimque capessivit, fiebat artibus & lenitate novi Archiepiscopi, ut mansuefieret atque verteretur in bonum, quidquid asperi, sive injucundi erat. Super omnia commoverat animos splendor, & magnificentia viri, & projecta cura pecuniae, quae tabes ac venenum omnis honestae famae esse consuevit. Priores Archiepiscopi, sive incuria aedificandi, sive temporum ad eam rem insciti, sive etiam perturbatione ac varietate honeste ac laxe minus aliquanto habitarant, quam Urbis nomen, & amplitudo Metropolitana, tantaeque opes postularent. Sane voluerant subinde aliqui veterum Pontificum, ut cuique animus & otium obtigerat, dignitatis aliquid adjicere domicilio, atque dum id conantur, aliquoties etiam mutata transflataque Sedes erat. Nondum tamen, ut dixi, satis commode satisve decore ad hanc sacri Imperii majestatem habitabatur. Arcimboldus ei curae animum adjecit: & sicuti politior jam cultiorque aetas illa erat, impetrata etiam a Principe area, extulit aedes in amplitudinem eam, qua contenta esse possit etiam haec temporum nostrorum elegantia supergressa nimium & aspernata priores conatus. Templi maxumi cultus ut auctior majorque esset, ad veterem Sacricolarum numerum, tredecim adjecit alios, & pecuniam, unde res divina bis quotidie in perpetuum fieret, assignavit. Attribuit quoque pecuniae magnam vim ea conditione, ut perducendo ad fastigium operi insumeretur. Haec agentem mors oppressit, nono anno postquam Archiepiscopus creatus erat.

Successit deinde ei fratris filius, Octavianus nomine, cum trigesimum aetatis annum, vel, ut alii malunt, trigesimum alterum haud dum explesset. Tanta indoles virtutis fuit. Hujus animum, sive natura ipsius, sive parentis voluntas flexit in alia studia, quam quae majores adamarant. Namque cognita Philosophiae parte, quae versatur in subtilitate differendi, deinde ea, quae posita est in naturae obscuritate moribusque hominum, & vita, transgressus ad coelestia & divina, totum hunc maximarum scientiarum cursum ita confecit, ut non anteferretur solum aequalibus, sed esset etiam admirationi illis, qui in eo genere aetatem consumpsissent. Ea certe fama de juvene hoc manavit, atque ita nobis narravere seniores, qui ajebant, sese puerilibus suis annis audivisse grandaevos alios memorantes auditum id sibi cognitumque ex majoribus natu, cum ipsi adolescentes adhuc essent. Curricula illa utriusque Philosophiae feliciter emensus, sicuti fama eadem tenet, ac sicut etiam litteris traditum est, conquievit in studio quodam etiam politiore, unde nitor & auctoritas, ponduse litteris illis, quas antea sectatus erat. Voluit enim hoc assequi, ut praeter Latini sermonis elegantiam & copiam, quam semper ad studia illa severiora adjunxisset, Graecorum etiam Hebraeorumque litteris, tum ad monumenta utriusque linguae interpretanda, tum ad explicandos animi sui sensus, instructus expeditusque esset. Sequebatur jam eum fama, tamquam litterati gentium etiam illarum homines concederent ipsi tempestate ea linguae suae Principatum: atque cum publico hoc favore maturam capessendis honoribus juventam ferens, Romam est profectus. Juvenis erat tunc annorum fere quatuor & viginti, floremque illum aetatis, mite ingenium, & dignitas oris adjuvabant. Itaque, quamquam incideret in tempora non admodum amica virtuti, cumque Alexandri VI. Pontificatus, aliis potius hominibus & ingeniis favere videretur, omnia tamen est consecutus, quae gratuito contingere possent: ac sub Pontifice alio nihil fore ei impervium autumabat urbis rumor.

Pius III. Alexandro mortuo, regimen humani generis adeptus, id statim augurium animorum comprobavit, assumto in Patrui locum juvene: ac sperabantur caete-

cætera cum mors eripuit Urbi Archiepiſcopum, qui
A oſtenſis magis erat quam datus. In aliquot deinde annos
duravit hæc nobis calamitas, ut abſente Archiepiſcopo,
per Vicarios regeremur, Paſtorumque nomina audiremus magis quam ipſos videremus. Namque Principes Eſtenſes, Hippolytus primus, & Hippolytus ſecundus, tum ob fortunæ magnitudinem, in qua nati educatique erant, tum ob legationes ampliſſimas, aliaque Romana munera, quæ occupabantur, haud magnopere rem hanc Mediolanenſem curabant, inſpiciebantve. Ita, per eos annos, diſciplina ſolutior fuit, & ſqualebat Civitas, non Pontificum tantummodo deſiderio, ſed etiam importunitate novi, nec duraturi dominatus,
B cujus mala & turbas nulla commodius narratio repræſentaverit quam nomen ipſum Genus. Ac tanto major erat ex ea gente clades vaſtitaſque Mediolani, quia Rex ipſe redierat in Galliam, quo præſente vix contineretur exercitus illius licentia: adeo, per ſe furentes, contemtu etiam abſentis accendebantur. Imperator autem ipſe Gallicorum exercituum, cui diſcedens Rex ſummam reliquerat omnium rerum poteſtatem, ejuſmodi erat, ut ſi vel modeſtia exercitui, vel urbi otium maneret, poſſet ipſe partem utramque in furorem agere factionum ſtimulis, & magni nominis invidia, rabieque & inſtinctu multorum qui fovebant ejus viri potentiam, ſive detrectabant. Jacobus is erat Trivultius, animo exceſſo,
C ut inimici interpretabantur, inquieto, opibus nimis. Ludovico infenſus, Gallis ob multa belli pacisque decora invisus, neque aberat ſuſpicio quaſi pluſquam civilia agitaret. Inter Mediolanenſes fecerat ſeſe Guelfiorum partium caput, eamque ſectam dum ſævo favore effert, civilia certamina exercuerat, quomodo ne inter hoſtes quidem ſæviunt. Hinc dolor & ira Gibellinis adverſæ factioni, poſtquam arbitrio inimici ſe eſſe ſubjectos viderunt. Et animos ipſe aſperabat, exercendo per inimicorum injurias imperium, ejuſque vim univerſam ad opprimiendos adverſarios conferendo. Ad hæc, Civitas tota militaribus aliis injuriis ſoede lacerabatur, nuſquam prohibente Trivultio, niſi cum injuriæ
D pars ad Guelfos illos ſuos pertineret. Si citra nominis ejus damna dedecuſve ſtaret rapina vel libido, impune erat, & magnus alioqui vir Trivultius, imperiique ſeveri, partium ſtudio ſic auferebatur. Ita, dum inimicitias & odiis indulgetur, illuſtres etiam familiæ ſuſcepere labes, quæ vel inimiciſſimum animum aliquo ſenſu communis humanitatis movere poſſent, atque permiſſam eam Gallico exercitui licentiam ſacrata quoque clauſtra ſenſere.

Trivultius demum ipſe ardore animi progreſſus eo, ut quoſdam ob tributa tumultuantes medio in foro ſua manu obtruncarit, facinore hoc totam irritavit plebem,
E & ore vulgi Sforzia paſſim Gallis etiam audientibus poſcebatur, ſeditioſi ea vox rebellandi principium & novorum malorum cauſa erat. Cumque creſcerer quotidie, hinc intemperantia & ſævitia Gallici dominatus, hinc fremitus & conſternatio Gibellinorum, & in Sforziam favor: ea res accendit exſuli Principi animum ad tentandam Imperii recuperandi ſpem celeriorem aliquanto, quam quæ Cæſariana vel Mahometana ope inchoata erat. Non enim audiebat tantummodo voces adſpernantium Gallici Imperii formam, atque faventium ſibi: ſed etiam ob indignitatem rerum, quæ quotidie fiebant. Ultro relicta patria nobiliſſimus quiſque ad eum ibat, ac, ſi redire vellet, pecuniam & arma, & vitam
F ipſiſſimi pollicebantur.

His erectus Ludovicus una cum Aſcanio fratre, tumultuaria Helvetiorum & Belgarum manu, celeritate mira ſuperatis montibus, navibuſque conſcenſis, per Larium lacum urbi Novocomo ſucceſſit. Eadem ibi alienatio in Gallos erat, quam Mediolani conceperant rapacitas & libido, duo aptiſſima inſtrumenta demoliendis imperiis, etiam inveteratis, nedum, ut recens illud & paucorum inchoatum adverſus eam tabem impetum ve ſtare poſſet. Itaque nuncupes, ut adeſſe Sforziam ſenſerint, nihil ſane cunctati, cauſis vocibus, venire juſſum legitimumque Principem jubent: armis, & inſeſto clamore Gallos proturbant. Neque illi ſegniter ceſſere, ſtatimque Sforzia ſine ſanguine oppidum recepe-rat. Id Mediolani auditum, latis jam per ſe concitatam multitudinem armavit, imparque Trivultius abſente magna exercitus parte, cum ſe noctu in arcem abdidiſſet, poſtridie exceſſit. Mox Cardinalis Aſcanius & Ludovicus urbem intravere inſigni lætitiæ militaris, ad eripienda reſtituendaque imperia dominoſque commutandos. Sed non pari facilitate cæteras urbes, vel aliquam etiam Sforziæ violentiam olim expertas, vel eandem pro Gallo fortunæ commutationem ac levitatem meruentes, reducem Ludovicum admittebant. Jam ille Metropolim tenebat, & Gallicum adhuc retinere præſidium malebant Laus & Placentia, & quidquid terrarum in Tranſpadano tractu ſubjectum Metropoli eſſet. Velut ex rerum eventu capturæ conſilium cunctabantur, atque ſuſpenſos ex fortuna animos gerebant, ex iis, quæ poſt fugam repente Ludovico tribuiſſet, quam incerta eſſet, æſtimantes. Itali vero Principes, aut exſpectatione fluctuabant eadem, aut ſubſidia leviora pollicebantur, quam quæ præſens neceſſitas rerum, & imminens rurſus ex Gallia periculum poſtularet.

Inſtaurabatur ab Rege bellum apparatu majore: pudorque & dolor ob amiſſam Inſubriæ Metropolim, & iram in Mediolanenſes, quo majora erant incitamenta Gallo, tanto plus minarum, Sforziæ cæteriſque per Italiam dominationibus ea rerum facies oſtendebat. Et Cremonæ Epiſcopus miſſus ab Cardinale Aſcanio ad Venetos, triſte reſponſum retulerat: placere Senatui fœdus, quod cum Galliæ Rege ictum haberent, neque legationem præterea ullam eſſe admiſuros, quæ advertus initam eam ſocietatem mitteretur. Sanéverinas vero Cardinalis in Germaniam ad Cæſarem eodem terrore deſtinatus, ſpem illam tardi nimium lentique moliminis haud magnopere movebat. Genuenſes appellati precibus infimis, ut priſtina erga Sforziam obſequia fidemque reſumerent, præciſe abnuebant: itemque Florentini appellati de pecuniæ ſumma quam olim eorum Reipublicæ credidiſſet, prope inficiabantur. Gonzaga, cum in D. Michaelis ordinem ab Rege Galliæ cooptatus eſſet, Ordinis ejus religionem & inſignia excuſabat, quo minus ab Sforzia contra Regem ſuum ſtaret ferretve arma. Irritum in tanto diſcrimine ac prope contemtum auxilium erant, Mirandulanus, & Carpenſis, & Correggienſis, & Rubeus, & Verminæus, nobilium quidem Regulorum atque Dynaſtarum nomina, ſed nihil ad Gallici apparatus molem. Ne Senenſes quidem cum certo pecuniæ numero, momenti quidquam facerebant. Tanta vi Gallus ingruebat.

Sed quamquam erant arcta omnia Ludovico, non tamen ei deſuit miles: & bene geſſerat rem, pugnaveratque manibus æquis niſi proditio, malum ultimum acceſſiſſet. Cum enim in utroque exercitu magnus Helvetiorum numerus eſſet, æque copiæ ductores ſuæ gentis haberent, compoſita inter eos duces fraude, Sforziæ rerum humanarum ludibrium fuit, ac præbuit fœdius aliquanto ſpectaculum, quam cum antea fugitivus ab urbe proficiſceretur. Ad Novariam, inſtante hoſte, barbari ferocitate ac ſeditione flagitare ſtipendium incipiunt: ni perſolutum illico numeratumque ſit, ſeſe domum eſſe abituros minitantur. Non erat Principi ad manum, unde ſatisfieret, relicto ſuæ Mediolani Cardinalis Aſcanius in oppugnatione Arcis, anxie tentabat movebatque omnia, ut conficeret aliquid pecuniæ, quod mitteretur ad exercitum. Id ipſum exculans oſtendenſque Ludovicus, prolato argento omni, quod in militari ſuo inſtrumento domeſticaque ſupellectile haberet, vaſa illa tumultuantibus offert. Addebat preces, & lacrymas, haud minus efficaci ad humanum animum delinimento, ſi gens eſſet alia, vel niſi parata jam & meditata proditio penitus animos efferaſſet.

Accepto, quod dabatur, argento, cum Sforzia ducere in aciem vellet, ſummæ rei diſcrimen facturus, quod unicum eſſe remedium effugiumque malorum putabat, tunc vero Helvetii talia quædam dicere cœperunt:

runt: Eſſe in contraria acie fratres conſanguineoſque ſuos, quorum nollent foedari ſanguine: nec poſſe cum aliis ſuae nationis hominibus abſque Principum auctoritate dimicare: ſuperea re, quid mandari, quidve decreri ab domo afferretur, ipſis eſſe exſpectandum. Cum ejuſmodi dictis abibant, ut ſeſe ad Gallici exercitus Helvetios adjungerent, unoque agmine omnes irent domum. Tunc Ludovicus obſecrare inſtitit, ut quando ita decretum eſſet, ſinerent ſaltem ipſum quoque ire una, Helveticoque gregali cultu caeteris peditibus immiſtum abduceren ſecum atque conſervarent. Fortaſſe nihil aliud maluerant proditores ipſi, ſtatimque, annuentibus eis, Sfortia braccatus, & coeno foedatus inter calones, & lixas ibat deforme ſpectaculum fortunae Principalis. Per media Gallorum caſtra ducebatur, ut ipſe credebat, occultus & ignoratus: ut res docuit, monſtratus hoſti per eos ipſos qui tegentium & occultantium imagine ducebant. Ita comprehenſus repente & detracta larva in cuſtodiam datus, tam ignominioſo conſilio infelicis eventu confudit etiam hoſtium animos, quibus tantae reilaetitia ex inſperato oblata erat.

Neque Cardinalis Aſcanii fuga feliciot fuit. Is cognito fratris caſu, victori & irato, & mox adfuturo hoſti ſubducere ſeſe cum properaret, nocturno fatigatus curſu quieſcere pauliſper ad Ripaltam voluit, & ejus rei cauſa divertit ad Conradum Landum, hominem ſibi & vetuſtate amicitiae, & vero etiam affinitate conjunctum. Fugiebant illi cum Cardinale potentiſſimus, & clariſſimus quiſque Gibellinorum, itemque e Nobilitate Mediolanenſi viri graves, ſecuti Cardinalis aulam, & in varia miniſteria adſumpti, prout cuique, maximarum rerum uſus & oblectando Principi ſermo eruditus, & artes bonae. Ea cohors affectata Cardinalem, per domum illam inhoſpitam feſſa corpora ſtraverat, & ſecuri de ſua herilique ſalute partem quietis hauriebant. Sed proditori Placentino, rebus ſuis opportuna res viſa, dum ſopitos domi hoſpites haberet, gratiſſimum id munus exhibere Gallo. Nec mora: oblitus amicitiae, hoſpitumque & ſanguinis oblitus, accitis ab Placentia Carolo Urſino, & Soncino Benzono, qui in Veneto exercitu ordines ductabant, ſeſſam eam inermemque, & ſemiſomnem manum tradit. Varia inde & miſerrima conditio captivorum fratrum fuit, quorum olim nomen & famam res Italae cum admiratione reſpiciebant. Cardinalem primo Venetias duxere Benzonus & Urſinus, quibus a proditore traditus erat. Ibi aliquamdiu ſevere magis quam honeſte cuſtoditus, repetente dein Gallo deportatur Lugdunum, mox in Burgenſem arcem ablegatur, quae biennio ante cuſtodia Regis ipſius fuerat. Ludovicus ipſe protinus e caſtris in urbem eamdem Lugdunum cum valido praeſidio raptatus, ut in conſpectum Regis admitteretur, impetrare non potuit. Oſtentui civibus fuit: dein intra arcem incluſus extabuit moerore, vir alioqui magnus, & dignus utique Principatu, niſi hunc ipſum ſcelere partum habuiſſet, ex quo factum eſt, ut mala principia ſimiles eventus conſequerentur.

Mediolanenſes attoniti captivitate Sfortiarum, & exitio familiae, & alternantis fortunae ludis, Gallica vi, rebellione ſua, dolore hinc, poenitentiaque & metu, per ſupplices Oratores polliciti fidem & obſequium in poſterum, veniam in praeterita ab Rege impetravere. Sed haec ipſa fluxa irritaque erant, & quaedam ejuſmodi rerum feries parabatur, ut ab novo Principe venia eſſet petenda quod huic faviſſent. Namque dum Ludovicus in Gallia tubae carceris abſumitur, Maximilianus Caeſar in paternum imperium reſtituendi Maximiliani ſuſceperat actionem, eſtque reſtitutus, ut paulo poſt etiam ipſe caperetur, & paternae calamitatis ſimulacrum fieret. Anno tertio poſtquam erat ab Caeſare reſtitutus, capitur ab Galliae Rege, atque ſuper patris fere veſtigia ducitur in Galliam, attributo triginta trium millium aureorum nummûm vectigali in cultum & alimenta captivi Principis.

Hae viciſſitudines & haec, profecto, ſcena, circa hanc Inſubriae Metropolim ſpectabatur: ac ſicuti traditur clavo clavus, ita Sfortia Gallum, & Gallus Sfortiam invicem extrudebant. Parabantur enim turſus eae vices, eratque futurum adhuc, ut ab Sfortia Gallus pelleretur Caroli Caeſaris auxilio, atque hic ipſe peliceret primo illum, deinde reſtitueret. Neque finis certaminum & varietatum aharum, donec verſa Sfortiarum ſtirpe rediret Mediolanenſe imperium ad Caeſarem: atque ibi in conſervatrice ac praeſide Catholici nominis Domo diu illaceſſitum maneret.

Haec ipſa cum cauſis rerum atque conſiliis trahentia ſecum conditionem, & fortunas, ſtatumque Urbis, paulo poſt ordine cuncta exſequar.

Nunc, Ludovico capto, dominantibus Gallis, acciderat hoc, ut indicto adverſus Pontificem Maximum Concilio ſedes urbs ipſa Mediolanum deſtinaretur: eaque res geſta eſt in hunc modum: Poſtquam Julius II. Pontifex Max. ingenii vehementia verſo in arma Pontificatu, Majeſtatem illam galea thoraceque foedare viſus erat, ac novo ad eam diem exemplo miſcuerat ſeſe palam factionibus, & odiis, & caſtris, feceratque ſeſe quaſi caeterorum Principum unum, & publicarum cladium partem: tunc Principes & Reges alii, quorum ille meruerat conciveratque odia, ſive profanum adſpernati Pontificem, ſive ad ſua ipſorum utilitates traſve titulo hoc uſi, illam Concilii indicendi actionem movere atque ferre, clandeſtinis primo, deinde publicis conſiliis atque ſermonibus inſtiterunt. Ea ultima neceſſitas eſt Eccleſiae deſperatae: id vinculum, id frenum antiquitus repertum ſupremae poteſtati, quotieſcumque Pontificis ipſius culpa & vitio Catholica fides detrimenti aliquid accipiat, neque aliter umquam illuc deſcenditur. Sed Julium hunc praeter illam armorum atque certaminum invidiam gravabat etiam ſiniſtra Principum interpretatio, cum id ipſum, quod proferre fines Imperii, & amplificare Romanae Eccleſiae opes conaretur, ad privatae gloriae cupidinem referrent. Adeo, nimirum, in malam partem accipiuntur, tam bene quam male facta, ubi coepit aliquis eſſe invius, & ubi cenſura judiciumque rerum alienarum, cum aliqua etiam noſtra privata cura peragitur. Nam alioqui magna, & excelſa quaedam erat cura Pontificis, vindicare Patrimonium Apoſtolicum, repetere armis quae per vim aut fraudem olim eſſent intercepta loca: dum id ageret, objectare periculis caput, & ad bombardae etiam ictus aliquando expoſitum munere. Caeterum, ubi adverſus bellatorem Julium, telum illud acerrimum excogitavere Principes infenſi, palamque Concilii terribile nomen intentabant: ſtatim etiam inter Purpuratos erant ſtudia faventium ei actioni, ſive adverſantium, prout ſcilicet quemque Cardinalem, Principum illorum aliquis, Pontifexve ipſe addictum ſibi obſtrictumque haberet.

Varie agitata, & jactata res eo demum adducitur, ut Mediolani congregati treis legati Caeſaris, legati Regis Galliae, Principumque aliorum legati una cum factionis ejus Cardinalibus Concilio diem ſtatuerent Cal. ipſas Septembanni hujus, quimotu hoc praecipue inſignis a Chriſto nato milleſimus quingenteſimus undecimus agebatur. Ad eum diem convenirent Piſas jubebant, elegerantque prius conventui locum cum ob alias etiam opportunitates, ſed praeſertim ob memoriam proſperarum olim illic rerum cum de Pontificatu ambigeretur. Edixerant propoſuerantque locis omnibus, Pontifex ipſe Julius ut adeſſet: ni faceret, interminabantur atque denuntiabant ea, quae interminari ac denuntiare mos eſt etiam Apoſtolicae poteſtati, quoties edicta promulgat. Tanta conjuratorum audacia perculerat haud dubie Pontificem Maximum, confuderatque: ſed eodem ſpiritu ac fervore, quo arma tractabat, etiam ad jura exſequenda acer, indicto adverſus Piſana conventicula legitimo Lateranenſi Concilio, cauſam protinus adverſariorum actionemque jugularat. Simul poenis acer, potentiſſimum quemque Cardinalem ſeceſſionis auctores profanat Apoſtolicis notis exauguratque, & ſacro ſenatu movet in perpetuum, ordineque illo indignos declarat. Illi tamen cum aſſeclis fautoribuſque ſuis in Piſarum urbe perſeverabant, paria decreta, ſed non pari auctoritate facientes in Pontifi-

ficem Julium, donec parva dictu & fortuita res deturbaret eos inde, Mediolanumque cum inſana trepidatione compelleret, ut mox etiam hinc disjecto conventu diſſiparentur.

Cum enim ea civitas jam inde a principio haud umquam concoquere hoc potuiſſet, quod Romanae feceſſioni ſemper ipſa ſedes atque receptaculum fieret, ac propter eam cauſam tumultuari non deſineret: mulierculae unius impudicae adverſus Gallum militem clamor & quiritatio, paucos primo, deinde plures, poſtremo civitatem univerſam jam per ſe irritatam armavit. In eo tumultu, quidam etiam e familiaribus Cardinalium vulnerati ſunt, aut interfecti, & crudeſcente in ſingula momenta ſeditione, Patribus haud dubie ipſis periculum imminebat.

Itaque damnoſum nimis ad Concilii dignitatem & famam exiſtimantes, ſi quis e ſuo forte numero violaretur, poſtridie ejus diei, quo tumultuarum erat, altero ſuo congreſſu, quam ſecundam ipſi Seſſionem appellabant, decretum fecere, ut relicta infeſta urbe, Mediolanum inde tranſirent ad reliquas res conſultandas atque perpetrandas, quarum rerum cauſa Concilium eſſet indictum. Quinto decimo die, poſtquam venerant Piſas, ſublatis repente rebus Mediolanum inde abibant, eratque per totum agmen minime ſimplex habitus animorum. Cardinales, & capita rerum, egregie, ut in malis conſultum eſſe exiſtimationi ac ſaluti arbitrabantur, quod repente conſternatis ad arma Piſanis, violentia & ira populi neminem ipſorum attigiſſet. In urbem iri opulentiſſimam, tranquille ibi ac tuto cuncta peracturos in Metropoli totius Inſubriae, in Galliae Regis imperio, recentique dominatu, ubi flagrantiſſima erga novum Principem obſequia civium forent, ubi demum alterius Romae nomen & fama antiquitus foederet. Aliis terrori ad exitum rerum erat nota Urbis religio, ne Piſanos ibi quoque motus invenirent: aliis id ipſum inſpem trahebatur, ſi actio tam iniqua & irreligioſa conſiſtere poſſet nuſquam, ſemperque impediretur. Erant enim in eo numero plerique, quos, non ipſorum voluntas, ſed Galliae Regis imperium ad celebrandum ejuſmodi conventiculum adduxiſſet. Hi moras & impedimenta omnia ponebant in lucro: ac ſi Mediolani etiam, uti Piſis, tumultus nonnihil oriretur, diem fortaſſe allaturam aliquid ad ſanandos animos, reſque componendas autumabant.

Non ego ſubjiciam oculis, quaecumque adveniente impiorum coetu faceret omnis bene morata & Catholica Civitas: ſed transferam huc teſtimonium auctoritatemque Franciſci Guicciardini, apud quem de talium hominum in urbem noſtram adventu reperi ita fere ſcriptum: *Cardinales, ubi pervenere Mediolanum, contentionem ſui nominis, atque peragendae rei difficultates reperere eaſdem, quas in Piſarum urbe conflictati erant. Clerus namque Mediolanenſis, quaſi, non Purpurati Patres, ſed infanda capita & homines exſecrandi urbem intraſſent: ita repente cuncta divinarum rerum officia cultumque ſuo ſponte omiſit. Multitudo autem ipſa, quotieſcumque eorum aliquis egrederetur in publicum, non tacite praeterentes exſecrabatur, ſed contumelioſis alte vocibus perſonabat: terga paſſim obvertebant, & motu corporum indecoro, dignitatem illudebant eam, quam ſemper antea ceu divinum aliquid adorare ſolita fuiſſent. Cumque promiſcue univerſos, & ſibilis & probris inſectaretur, inſeſtiſſima irriſio Cardinalem Sanctae Crucis excipiebat, propterea quod ille, & ſupra caeteros eminaret magnitudine nominis, ac fama, & ultimo Piſano conſeſſu, caput Praeſeſque Concilio creatus eſſet.* Exſequendo inde caetera ſcriptor idem refert, querimonias etiam, quae populi Mediolanenſis indignatione jactatae aſſidue in Concilium actionemque totam, haud ſine magna gloria civitatis vulgarentur. Sed repreſſit aliquantiſper conſtantiam civium fregitque Gaſton Fois, qui pro Galliae Rege praeerat Urbi, armaque & exercitum habebat. Is etiam domuit vi ſua, & ſubegit praeſenti terrore Sacerdotes, Clerumque univerſum, uti repeterent priſtina ſacrorum munia, neque quidquam in ulla divini cultus parte deſideraretur. Hinc robur & fiducia Cardinalibus inſtaurando Concilio, cui ſedem circumſpicere novam coeperant, jamque ſi ſic res iret, poenituerat conſilii, quo Piſarum urbem reliquiſſent.

Cum ex inſperato quies auctoritaſque nonnulla rebus eorum obtigiſſet, congregabantur ſtatis diebus in Templum hujus urbis maximum, atque dedecus illud, ceu novum aliquam cladem crebro cum gemitu Mediolanenſes adpiciebant. Rurſus tamen factio viciſſim ipſa languebat, & obtorpuerant Cardinalibus animi, propterea, quod nullus ab Caeſare procurator, legatione nulla compareret quae momentum adderet decretis. Et dixerat quidem annueratque Caeſar, adfuturam in tempore ſuam ex Germania manum: ſed mutato nunc animo recedebat a cauſa ſenſim, & varias noctendo moras, varieque declinando, id agebat, ut negotium diffidiumque illud quam leniſſime relinqueret Gallo, caeteriſve, quibus agere & proſequi ea magis placeret: ac diſſolvendi Concilii principium id fuit.

Sed quomodo tandem haec parta de impiis victoria fuerit, utque Chriſti Vicarius, & diris, & armis, & vi tota Pontificatus animique ſui ad extremum uſque perſequi rebelleis inſtituerit, inter caeteras ejus aevi turbas, publici annales memoravere. Mediolani ſedes atque domicilium rebellibus illis erat, donec, pulſis Gallis, reſtituto Maximiliano, fugarentur hinc una cum Rege fautore Concilii, atque ſigna ſequentes victa in Galliam abirent. Neque Mediolani per eos acta ulla in patriae annalibus exſtant, niſi, quod ipſum Sanctae Crucis Cardinalem referunt, in Templo maximo Summum Pontificem eſſe appellatum, & Martini nomen ſumpſiſſe, cum antea Bernardinus Carvajalis vocaretur. Hunc, Ordo Columbinianus, qui D. Hieronymi Aedem in Urbe Monaſteriumque habet, hoſpitem fuiſſe ſuum contendit, quamdiu ille Mediolani Concilii factionisque ejus cauſa moraretur. Ipſos inter tumultus aeſtuſque tam infelicium curarum, atque in medio circumfrementis populi ſtrepitu, curam hanc fuiſſe Cardinali, ut templum illud, templique frontem piis imaginibus eximie picturatam, velut hoſpitii pretium exhuberet. Natione Hiſpanus hic fuerat Carvajalis, quod familiae nomen hodie inter primas ejus Gentis claret, ac tunc nihilo obſcurius humiliuſve agebant. Aderant viro litterae & artes, quae Principem decerent, & honeſta omnia, niſi deformarentur adipiſcendi ſummi honoris cupidine. Ea tranſverſum egit hominem, & dum primus eſſe mortalium tentat, ad infimos prope eſt delapſus. Non viderat fortaſſe Roma ab condito Pontificatu ludibrium tale ſuperbiae, quale poſtea ſpectatum ibi eſt tunc, cum Carvajalis hic, & facinoris collega Sanſeverinas, Pontificis Leonis indulgentia reſtituerentur in Ordinem, unde Julius utrumque dejeciſſet.

Scilicet, Principes olim & duo lumina Collegii, alter etiam ille, uſurpato ſacrorum Regno adoratus a ſuis, poſteaquam Pontificem exoraverant, noctu in urbem adniſſi, poſtero die, pro purpureo ſyrmate, nigra in tunica pileoque concolore, frequentiſſimis Vaticani locis per hominum ora traducentur. Cardinales in ſedem proceſſere ſuam. Pontifex Maximus Apoſtolico ſolio ſublimis eminebat: ſpectator, tantae Urbis populus & genus prope humanum aderat. Falſus ille Pontifex cum collega ſuo poſitis humi genibus ante ſolium procubuere, dum facinori damnando petendaeque veniae compoſitae preces recitantur. Sublevati dein, ad genua Cardinalium aliorum ſingulatim accedebant: ibi ſine motu voceque ulla excipiebantur, donec per tota ſubſellia circumducti Collegio redderentur, & ipſi quoque conſiderent. Id inter caetera, contumaciae ſeceſſionique piaculum fuit. Sed externa haec, & temporum etiam ordine diſſipata, temporum rerumque noſtrarum ordinem prope jam abrumpebant.

Cum Rex Galliae, Sfortiam utrumque, ſicut memoravi, alterum Helvetiorum fraude, perfidia Placentini proditoris alterum, in poteſtate vinculiſque haberet: urbemque Mediolanum, & Metropolim hanc ceu tutiſſimum adverſus hoſtilia tentamenta caſtellum praefectis & armis infeciſſet, coeperat eſſe negligentior ad con-

continendos atque demerendos animos eorum, qui prodito Sfortia victoriam ei simul in manum tradidissent. Ita gens, etiam si non irritaretur, facilis ad transferendam fidem, postquam contemptui se esse insuper videt, ad societatem cum Romano Pontifice meundam inclinat. Fixum, destinatumque Pontifici Julio erat ejicere Mediolano Gallos Italiaque tota, non tam odio in hostem Regem, quam gloriae cupidine, ut Italiae liberator ipse diceretur. Ideo gentem eam Helvetiorum inter caetera auxilia adjungere sibi saepe ne quidquam conatus, ubi offensos alienatosque ab Rege esse animos cognovit, usus inclinatione voluntatum, & legationibus, & promissis, & praesenti pretio tenuit rem, ut haberet eadem in Gallos arma, quibus armis Galli antea totam conterrefacere Italiam potuissent. Simul, cum Rege Catholico Venetisque adversus communem eumdem hostem icerat foedus. Ac primo quidem foederata illa arma infelices eventus habebant: magnoque ad Ravennam praelio victor Gallus, de summa rerum metum ingentem fecerat: Helvetiique etiam cunctabantur. Mox fortuna versa est, & cuncta pro Pontifice adversus Gallos erant, ut quam primum ejectio gentis fieret. Anglus & Aragonius, & Caesar ipse, suo quisque metu anxii si tantae Gallorum opes forent, in partem descendebant eam, quam, potentiae huic esse infestissimam, videbant. Et jam adcrant Helvetii, praecipuus Gallorum terror, praecipuaque spes Pontificis, at eae copiae digressae in Mediolanensem agrum & cum Veneto exercitu conjunctae circumfunderent Gallum a tergo pellerentque. Summum vero peragendae rei adjumentum ipsi Mediolanenses irritati Gallorum moribus, & imperium illud acerbissime perferentes, tamquam exercitus aliquis habebantur. Jam enim propter quotidianas injurias, eo processerant indignatione ac dolore, ut Regii Praefecti, nullum nisi per neces & supplicia jus obtinerent, saeviendique materiem assidue praebebat res illa Conventiculi, de cujus origine, & exitu antea demonstratum est. Nam cum ad finem usque Gallici dominatus, rebellium illorum secta Mediolani perseveraret: quamquam repressa, sicut memoravi, civium adversus eos libertas, per intervalla glisceba acrior infestiorque, nec ullis ab Clero populoque contumeliis in factionem totam abstinebatur. Rursus Cardinalem Medicaeum, Pontificis legatum, quem Rex ipse Mediolanum in custodiam miserat, colebant omnibus officiis, eaque erat universae civitatis pietas in captivum, ut contumelia inde in Regem appareret. Vulgo petebantur ab captivo illo Cardinale & legato piaculares absolutiones ad coelestem veniam, animaeque salutem, ut quisque, vel pro Galliae Rege tulisset adversus Pontificem Maximum impia arma, vel aliquo ministerio Concilii temeratus foret. Qui piacula ejusmodi contraxerant, neque fuerant absoluti, his, si interea morerentur, sacra sepultura denegabatur a populo Mediolanensi, omnesque in profano defodiebantur. Tradunt temporum eorum scriptores, tantum fuisse numerum eorum, qui absolutionis causa Legatum adirent, ut ad conficiendas patentes litteras non sufficerent homines, adsciti in id munus, ac subinde alios assumere scribas necesse esset.

Id Regis aegre tolerabatur, ac dum reprimere poenis ejusmodi concursus volunt: neque assequebantur, & civitatis animos asperabant magis, quae jam tota rebellionem spectabat. Sed nulla alia res magis erat apta & opportuna Gallis ejiciendis, quam Galli ipsi, discordes inter se: dissipati circa praesidia parvarum urbium: ad summam rerum, non quantum oporteret attenti: alienandis auxiliaribus faciles: conscribendis novis militum copiis avari, quam etiam ipsi culpam in medio discrimine rerum invicem objectavere. Et nutantem sic afflictamque eorum fortunam stravit penitus evertitque Maximilianus Caesar properis ad Germanicum peditatum litteris & mandatis, ut ab Gallico exercitu discederent protinus atque redirent domum. Tunc etiam ipsi Gallorum duces desperavere, posse ultra rem Mediolanensem ab se retineri ac defendi. Ingruebant enim magna vi foederatorum arma, & prope una eademque res fuit, excedere Mediolano Trivultium, caeterosque Regios Praefectos, & foedere sacro (hunc enim sibi titulum indiderant) junctas manus subire illuc. Cardinales capita Concilii ad primos perditarum rerum tumultus in Gallium aufugerunt. Medicaeum, Galli fugientes, cum rapido secum agmine ducerent, homines probi familiares ipsius, facta manu raptoribus eripuere, ipseque etiam vim adjuvit astu, & simulatione morbi, qua morari potuit agmen tantisper dum componeretur ordo peragendae rei. Quidam ipsum evasisse Mediolano, deceptis custodibus malunt, artificemque fugae Blasium Cribellum memorant.

Pulsis in hunc modum Gallis, recepto Mediolano, statum urbis Octavianus Sfortia, Episcopus Laudensis, regebat interea, dum Maximilianus, Ludovici filius, reduceretur, sicuti Caesari foederatisque placuerat. Jam enim Veronae erat Maximilianus, ibique Caesaris jussu & auctoritate, possessionem adibat imperii paterni, Mediolanum venturus, ubi primum Episcopus Gurgensis, quem Caesaris nomine oporteret interesse actioni, venisset ab Roma, quo Lateranensis Concilii causa, nomine ejusdem erat profectus. Ut ille adiit, deducitur Sfortia Mediolanum, accipiturque summa Civitatis laetitia, quamquam inesset timor & cura multorum animis, quos praesens potentia Gallorum externo imperio favere coegisset, quive etiam ultro illuc inclinassent. Cum ad portam urbis pompa pervenisset, paulisper dubitatum est inter Cardinalem Sedunensem & Catholici Regis Legatum, uter eorum, Portae claves Principi traderet, quae caeremonia rem ipsam continebat, utri etiam parti Sfortia, fortunam eum, in quam restituebatur, ferre acceptam deberet. Tandem acrius tendenti Sedunensi cessit Hispanus, ut Helvetiorum genti blandimentum id daretur. Cum Sfortia restitutus in hunc modum esset, deinde Mediolani per aliquot dies is habitus & ea facies rerum erat, quasi natale quoddam hujus patriae tempus Civitas tota concelebraret. Principem enim receperant nativum: & quamquam sublatus veneno alter, paternumque venefícium ante oculos adhuc obversaretur, magis tamen valebat in animis memoria Avi, in cujus mores abiturum esse juvenem sperabant. Neque Ludovicus scelere quaesitum imperium pessimis aboqui artibus exercuerat. Ac si nihil horum esset, laetabantur tamen, quod ex pristino servitio in qualemcumque statum evasissent. Adjuvabat vero ipse laetitiam hanc spemque communem pietate erga res divinas, comitate erga omnes, ac praesertim excelso dissimulans animo offensionem in eos, qui studuissent Gallis, ultroque necessitatem incusans, ne dissimulata ira in majus crederetur. Satis constitit, factionis Gallicae homines, tum ex Populo ipso, tum ex praecipua Nobilitate, quos conscientia praeteritarum rerum meditari fugam coegisset, perspecta novi Principis indulgentia, consilium id omisisse, ac domi esse retentos. Quidam etiam, cum vestigia secuti Gallorum abuissent, rediere, neque in cujusquam bona saevitum. Fiebant haec modestia quidem & probitate juvenis, sed Principum etiam ipsorum consilio, per quos in Imperii sedem erat deductus.

Subsitere namque Mediolani consiliis agitandis disponendisque rebus aliquamdiu, Catholici Regis legatus, & Sedunensis, & Gurgensis, grandes natu homines, & regendis mortalibus atque tractandis Regum negotiis inveterati. Horum igitur prudentia primis diebus Maximiliani animum regebat, ne in magna potentia magnisque hominum culpis, aetatis etium vitio quidquam fieret secus, atque tam lubricae res postularent. Non ille tamen effugit occultae conjurationis initia eruptura haud dubie in necem, nisi ante tempus indicium emanasset, ut reservaretur ad ludibrium idem humanarum rerum, quo pater ipsius hostili in terra contabescebat.

Sacramorus erat Vicecomes, partium Gallicarum acerrimus instinctor, & multa hostilia pro Rege in Sfortias ausus. Non credebat is totam ex vero & sincero clementiam esse, quam Princeps Maximilianus ad initia

tia rerum adhiberet: ſive credebat, & ſicuti ſunt animi quidam implacabiles, manebat infenſus & torvus. Aſſumptis in conſilii ſocietatem, quibus eumdem eſſe ſuſpicionem, eumdemve animum ſciret, corruptiſque in eumdem ſeritum nonnullis aliis, quorum ſolerti audacia ſpes facinoris patrandi indigeret, conjurationem interficiendi Principis fecit. Negotio fuit eventus, qualis eſſe conſpirationibus ſolet, eaque in ſuum caput deprehenſa machinatione Princeps, Urbem ipſam Mediolanum adipernabatur oderatque, ac ſuam ibi tam infeſtam eſſe vitam ſciens, Novariam hinc feceſſit. Sed Gallorum arma jam ipſum appetebant, momentis omnibus frementeRege, quod amiſſa per ſuorum negligentiam urbe Mediolano, Italiae poſſeſſione dejectus foret. Et ille quidem Rex Galliae Ludovicus, dum totas adverſus Maximilianum Regni vires ciet, in medio ſaeviſſimi belli apparatu mortuus, hunc etiam conatum una cum reliqua Regiarum curarum mole vanum reliquit. Caeterum ei ſucceſſit, Italiae potiundae appetentior, ingenioque ſervidiore Franciſcus, qui vel capi ipſe, vel capere Mediolanum certus, cum validiſſimo exercitu in Italiam deſcendit, auctus etiam Venetorum auxilus, quae Reſpublica pro Sforcia nuper adverſus Regem Ludovicum ſteterat. Mutabantur enim inter eas Italiae calamitates, foedera ſocietatesque Principum una cum rerum ipſarum ſtatu, & ſaevus ille hadus ſpectabatur, ut poſtquam alieno ſanguine vicerant alios alii, mox adverſus victorium ipſi ſuum idem pugnare vellent. Sic Veneti, cum pro Maximiliano conſociaviſſent nuper arma, nunc eum ibant, ut prioris foederis eventum abolerent foedere novo. Pugnatum eſt ad Melinianum decimo ab urbe lapide cruenta utrimque pugna: ſed vicere Galli. Rex Franciſcus in loco victoriae Monaſterium poſtea exſtruxit, attributque Fratribus Celeſtinis, quod monumento ad poſteros eſſet.

Miſera, & magna Civitas toties victa, totque tam brevi tempore ſortita dominos, ne nunc quidem ſtabile adeſſe quidquam videbat. Secuta tamen id quod adeſſe videbatur, legatos miſit ad victorem Regem, qui dederent urbem, & paratibus ipſum exſpectari portis nuntiarent: Populum Nobilitatemque Mediolanenſem exſpectare quid Regiae majeſtati placeret. Confeſtim ille ſequendo rerum curſum, Mediolanum venit, ibique Sforciam victoriae cumulum adeptus, cinctum eum militari cuſtodia ablegavit in Galliam, ne, vel interfectus, in ſaevitiae exemplum abiret, vel profugus obeſſet ſecuritati rerum, quae longe aberat Regi. Jam enim hoſtis major ei imminebat, ab longa Caeſarum ſtirpe procreatus, Caeſarque ipſe, paterna origine Germanarum alumnus, ab aviae dote ſeptemdecim provinciarum heres, materno jure Hiſpanias & tot ſecum regna trahens Carolus, cui vim geniumque victorem adverſus Gallum eum Regem adfuiſſe, poſt eventum credidimus.

LIBER VIII.

NOVA hinc & continua circa Metropolim bella exſequar, quorum pars minima erunt Sforciacae Domus reliquiae: reſque agetur inter maximos duos orbis terrarum Reges, interjecto ſuperſtite adhuc uno exſuleque Sforcia, dum reſtituitur ille, arceturve urbe, quae Caeſarum primo ſedes fuerat, deinde uſurpata libertate, rebellis eorum & inimica, dein, domeſticos inter tumultus, ſervacivium ſuorum, tum ab alienigena domino rapta & occupata, nunc demum egeſta paulatim Tyrannide redigebatur ad jura veteris Imperii, & magnitudine ſua Carolus Caeſar, hoc Inſubriae Regnum, parta nobis in perpetuum ſecuritate, Domui ſtirpique ſuae aſſignaturus erat. Ac veluti aequitatis etiam fama divinitus pararetur exſurgenti tunc ad Catholicae Religionis tutelam Imperio: Auſtriaca arma prius reduxere exterrem Sforciam: deinde, poſtquam orbitate ejus & ſenecta, res adhuc Mediolanenſis ad externa vel inteſtina pericula prolabebatur, inſuperque ſuſpecta fides, & ingratus erga tantum beneficium animus offendebat, quaſi perfidiam ulciſcerentur, in eumdem incubuere.

Gallus tamen etiam ipſe, ſua jura ſuaſque actiones & veterum matrimoniorum vocabula habebat, aliave firmamenta cauſae: quae numquam Regibus deſunt. Dabant & famas Rex uterque, patiebanturque divulgari tamquam arcanum, id quod potius tegere ipſi ac diſſimulare debuiſſent, ſi cauſa utique belli ea eſſet. Angi, ſcilicet, ipſos mutua invidia & aemulatione potentiae: ideo, quidquid gereret tentaretve alter, alteri id eſſe impediendum: tantaque iſta volentibus etiam ipſis, civilium ingeniorum, & aulae ſuſurris jactabatur. Re autem vera angebat animos nomen & magnitudo Urbis, civitatumque ſubjectarum, quae cum Metropoli ſua Imperium aliud omne comparatione opportunitatum elevare, ac minuere per ſe viderentur, etiam ſi nulla Imperitantibus aemulatio eſſet. Sed antequam certamina haec duorum Regum, & infeſtiora pene inter ipſos conſilia quam arma, ſtratoſque Gallorum acervis Inſubriae campos, Regias quoque captivitates, atque de urbe noſtra dum dimicatur, collatos in provinciam aetatemque unam, ſeculorum & terrarum prope omnium caſus: haec antequam narrare aggrediar, Sacrorum quoque ſtatum, qualis inter calamitates, vel exhauſtas jam, vel exhauriendas ille fuerit, repetam.

Caput regimenque jam inde ab Hippolyto Eſtenſe ſacris abfuerat rebus, & Eſtenſis ipſe, Gallica legatione, paternaeque fortunae ſuperbia ſemper abſens, per conductos aliunde miniſtros, totum id paſtorale munus obierat. Ita facta erat Urbs ceu profani populi coetus aliquis, populuſque ipſe peregrinitate infuſa colluvietn quodammodo barbararum referebat. Namque Bolbonius, & Odettus, & poſtea Lotrecus, & alii, qui pro Regibus ſuis res adminiſtravere Inſubrum, homines innutriti ferro, & militares violentias, omniaque exercituum flagitia ſpecioſo neceſſitatum nomine appellare ſolti, praedandi conſtuprandique licentiam, ceu ſtipendia praemiumve laborum militi dueibuſque & praefectis, & ſortaſſe ſibimet ipſis offerebant eadem licentia. Miles ex variarum colluvione gentium, procul ab domo, procul ab ſincerae religionis cultu, & longa egeſtate efferatus, etiam ſub ſevero imperio praeceps ad ſcelera, contumaxque adverſus omnia quae coercendis flagitiis excogitata ſunt. Terra profecto haec haud immemto flos dicta terrarum aliarum, & amoenus hic opulentuſque populus, atque per monaſteria, per templa, tantum pretioſae ſupellectilis, tantum ſacrati auri vel argenti, non leve incitamentum militaribus injuriis eſſe potuerant, etiam ſi tam crebrae illae mutationes ſtabileſque victoriae, & alius ex alio dominatus, haud perinde immitem avidumque hoſtem invexiſſent.

Quanta igitur materies injuriarum ſaevitiaeque in Metropoli erat, tot modis Barbari deſaeviere in urbem, quae ſi ſua arma haberet, poterat tremenda eſſe illis: tunc amiſſis una cum Principe armis, obtorpuerat metu, oderatque ſimul, & ſerviebat, & lacerabatur. Domus, & fortunae ſingulorum civium aliquamdiu ſuffecere furori: primiſque diebus, & rapiebatur inde quidquid ad ſplendorem uſumve penatibus adeſſe honeſtis ſolet, & poſtquam avaritiae ſatisfactum erat, libidinem aliam corpora explebant. Mox utriuſque libidinis cauſa, rerum, ſcilicet, corporumque ſacrata clauſtra perfringebantur. Virgines incolae, vitando dedecori omiſſa rerum cura petebant longinquos abditoſve receſſus: & pudoris olim ſanctimoniaeque domicilia turpis inquilinus profanabat. In re utique illa ſexus infirmioris, tanta petulantia ejus externae Tyrannidis fuit, ut quamquam ablatis, ſicut dixi, armis conciderant animi civium, egregia tamen facinora ediderint viri feminaeque vel in ipſa dedecoris patientia, vel ne dedecus paterentur, vel ut vindicarent, poſtquam paſſi erant. Nam, aut pater, fraterve, marituſve, cui filiam, vel ſororem, uxoremve temeraverat Barbarus, aut mulieres ipſae petitae ad flagitium verſo in rabiem dolore conſtupratores adulteroſque ſuos, vel dum concepta turpiter libidine aeſtuant, imminentque ſcelerl, vel ubi jam victrix impudicitia fruſtra reluctantes

ſtantes ipſas expugnarat, interfecere. Diripuit ab inſultantis latere pugionem una infelix puella, jugulumque ejuſdem hauſit, & ſimul, ab moribundo ipſa jugulata eſt. Tardior ad vindicandam injuriam, ſed felicior alia devolvit e fenestra grave pondus, ita ut ictu capite concideret ſtuprator in limine domus, cui recenti in labem intulerat, labeſque ſimul ipſa deleretur. Aliqua ſibi intulit vim examinisque collapſa horrore confudit impudicum. Inexſuperabili declinatione recuſabat alia, donec ab irato eodem, & impudico obtruncaretur. Et mulierum noſtrarum adverſus Barbaricas turpitudines facinora quidem hujuſmodi fuere. At viri, quos in commune calamitate proprius aliquis ejuſmodi injuriarum attingebat dolor, ſicuti viros, ſicuti Mediolanenſes decebat, egere, paſſimque in cloacis & ad loca ſpurciora reperiebantur examines Barbari, ſuo mandentes ore ea per quae peccarant. Quod foedum ac turpe dictu, retuli tamen ad omnis impudicitiae terrorem: exemplumque prodi ac memorari illud ipſa rei indignitas poſtulabat. Non enim homines illi amatoris ullis obſequiis artibuſve quaerebant ſibi aditum, ſi cujus forte formam adamaſſent: ſed qualia mulierum Tranſalpinarum ingenia ſub comitatus nomine aluntur, talem eum apud nos eſſe ſexum rati, pecudum ritu irruebant. Tantaque ea protervia fuit, ut juvenes noſtri, non ferentes ignominiam, irrumperent in Regiorum domos, uxoresque & filias eorum raperent viciſſim & mancipiis ſuis polluendas darent.

Hae vices reddebantur: unde irritatis dominantium animis, miſerior quotidie conditio ſervientium fiebat. Sed in eo inſolentiae libidinumque certamine, non aberat plebi diverſum aliud contrariumque malum, fames, quae apud perditam inteſtabilemque mulierculam in facetiae diu inauditae exemplum exceſſit.

Iſabella nomen fuit uni, quae vagos per vicinium infantes puerulosve excipiebat, & dilectos in fruſta conditoſque ſale vorabat eam abſque ullo feralis cibi horrore, ſicuti carnes aliae manducantur. Ea, nonnullas falſamenti ejus ollas, cum domi haberet, accidit forte hoc, ut felis, quod animal aviditſime uncta omnia perſequitur, extractam ex olla puerilem unam manum circumferret abſque flagitii intellectu, proximamque ei carnificinae domum intraret, ex qua domo ſubtractam paulo antes infantem ſecuerat Iſabella aſſervaratque. Et caeca omnis erat conjectura parentibus, quidnam factum de puella foret, quove per errorem delata eſſet. Inter querelas anxietatemque perquirendae infantis, conſpecta pecude, quae conceptam ore dextellam ferebat, indicium primo id arripuere, dein veſtigia beſtiolae obſervantes, dirum ſubiere tectum, atque ibi diverticula omnia perſcrutando reperere, quas dixi, ollas, & ſeparata in olla nondum plane concifam infantem ſuam. Conſulae adhuc oris notae cernebantur, & comprehenſa protinus venefica, nec ſine inficiata quidquam, in rotam agitur, deinde crematur. Catharinae Seronae (id puellae nomen) lacera membra compoſita pueruli tumulo, ad D. Mariae Secretae valvas in ſupero limine collocantur, atrocemque eaſum tabula ſubjecta narravit. Atrox namque viſum Gallico quoque magiſtratui, poenaſque cum expetiviſſent, memoriam etiam prodidere.

Caeterum, totn illo Gallici dominatus tempore, quod fuit annorum circiter duodecim: ſicuti jus omne vitae communis, ut demonſtravi, intercideratn ita Sacrorum quoque jura ſublata & oppreſſa erant: ac praecipua violentia Lotrecus adverſus Eccleſiae majeſtatem, omnia, quae continentur Apoſtolico imperio, Pontificumque nutu, ſumpſerat ſibi & uſurparat. Ille Sacerdotia demandare quibus vellet, injicere Sacerdotibus manus, fortunas & alimenta, & hereditates eorum arbitratu ſuo diſpenſare, contemptor divinarum legum, & irriſor ſi quid ab Roma denuntiaretur. Sed ne Clericorum quidem interim inſtituta & mores erant Mediolani ſecus atque tam importunae dominationis vi partem etiam corrumpi hanc neceſſe conſentaneumve erat. Non modeſtia coloreque veſtitus diſtinguebatur is Ordo a caeteris: ad Templa negligenter, & incondite agebant, ac ſi tecta eorum ingrederere, mariti parentesque vocitabantur. Nec multo plus litterarum in unoquoque reperires, quam in patrefamilias & opifice ſordidae artis. Quotus quiſque crederet, aut hunc illum eſſe Clerum, qui artium optimarum ſtudiis, & vitae ſanctimonia cunctis per Italiam gentibus ad Eccleſiaſticae diſciplinae perfectionem antea praeluxiſſet: aut Cleri famam ejuſdem ab majore mox gloria per terras omneis eſſe diffipandam? Tunc utique, vel ſua, vel temporis, vel imperitantium culpa miſer abſurduſque repente factus erat. Quis vero etiam crederet in tam perditis rebus, tamque proſtigato & deſperato urbis ſtatu, aut poſſe ulla mortalium pectora concipere ſpiritum ullum pietatis, aut ſi quae pietas hinc Coelum pulſaret, locum ibi aditumque eſſe iventuram? Attamen, ſive parante Deo praeſidia urbi ſalutemque rebus ex urbe ipſa, ſive hominibus ipſis, quemadmodum in periculo, vel metu conſuevere, propitiare annitentibus Numen, & quaerentibus placamenta aliqua divinae irae, conſtat pleraque per tempus illud funeſtum eſſe inſtituta Mediolani pie ac religioſe, qualia vel in florentiſſima pace fierent atque inſtituerentur. Nam primum omnium, cum ad D. Ambroſii ſubterraneum Aedem opis expoſcendae cauſa frequentiſſime a civibus iretur, & inter piacula alia, largae quotidie ſtipes egenis circum ea clauſtra certatim darentur: paulatim ea tumultuaria pietas in ordinem diſciplinamque adducta eſt, ac ſub ejus ſubterraneae Aedis nomine, factum aerarium, quod ſubſidio pauperibus eſſet. Ab eadem publica trepidatione, initiiſque iiſdem propagata ſunt alia ſublevandae egeſtati Societas ad clauſtra D. Marci, factaque Sodalitio ſedes ibi in Aedicula, quae Crucifixi dicitur. Creſcente dein fama & auctoritate Sodalitii ejus, cum Principes etiam urbis nomina illuc darent, Franciſcum quoque Regem cum Claudia uxore & filiis duobus adſcriptum inter caeteros lego. Namque Regi ei Franciſco, ſuper ornamenta caetera, queis inter alios urbis noſtrae Reges aut Duces eum bona recordatione coli nomen ejus poſſit, adfuerat etiam pietas generoſa, & ſincera, & digna Chriſtianiſſimo Rege, non callida & infelix illa, ancilla neceſſitatum Regni, ludibrium populis, ingrata Deo, fraudum comes, vel fraus potius ipſa.

Portenta, quae ſub brevi illius imperio viderat civitas, & calamitates infandae, quas eo per miniſtros hic imperitante pertuleramus, imputari debent bello, nec omnia Gallorum genti, ſed gentibus ſimul aliis, quae in expeditionem eam ſecutae Gallos, & victoriae imperiique participes, vagae per provinciam, immiſſae per urbem, Barbarica libidine ſimul & nuditate & violentia & contemtu religionum turpiter & crudeliter impieque latrocinabantur. Semper iſta quidem exercituum victoriarumque omnium fuere, nec miles poſtea Caeſaris in ſua victoria continentior fuit. Praefectorum quin etiam Ducumve Gallorum, ſicut impotentes & diſſoluti aliqui fuerant: ita nonnulli ſpecimen eximiae Religionis, vereque Catholici ſenſus edidere. Sed in recenti crebriſque mutationibus obnoxio imperio, in atrocibus bellis, in infida pace, in terra aliena miſtum ex pluribus gentibus exercitum, eumque aut exſultantem parta nuper victoria, aut mox educendum in aciem, coercere difficile fuerit etiam integro moderatoque Duci, qui, vel nullos, vel ſibi concordes Imperii collegas haberet. In Gallica multitudine, praeter turbae militaris effrenem intemperantiam diſcordia quoque & diſſimilitudo Ducum, & eorum inter ipſos, tum vitia, tum virtutes aggravabant rem, populuſque interim & Reſpublica Mediolanenſis plectebatur.

Caeterum, Jacobus Trivultius, & Gaſton, & Cardinalis Sedunenſis, & Octavianus Maria, Laudenſis Epiſcopus, qui, tenente Inſubriam Gallo, pro Regibus illis urbem exercitumque & Imperii ſummam apud nos aliquamdiu adminiſtravere, potuerant natalium quiſque ſuorum magnitudine, vel ſacri honoris verecundia, vel indole etiam animorum ita eſſe affecti, ut nihil indignitatis, nihilve injuriarum admitterent, admittive ab aliis paterentur. Gaſtonis certe, qui Galliae

Regi ſororis filius, & Trivultio particeps in adminiſtratione rerum fuit, tum reſtaurationis mirifice ac divinitus, & inſigni ad Ravennam victoria mors clarior, tum vero poſt mortem impenſa cura in monumentum ei Regali ſumptu faciendum, & ejus monumenti marmora irrita, quae apud D. Marthae virgines exſtant: haec omnia credere prohibent, ſordidum aut humile, irreligioſumve quidquam adfuiſſe ei, ut ad unſanda illa conniveret. At hujus patriae civis Trivultius, ob exortas ei cum Ludovico Sforzia inimicitias tranſgreſſus in Galliam, & ſumma ibi adeptus, indeque cum imperio redditus urbi, debuit caritate reſpicere aliqua nativam tellurem, ne externa militari violentia diripi ſic ac foedari eam pateretur, ſi utique ad tantos inhibendos impetus valeret ulla poteſtas, vel certe, ſi inhiberi eos poteſtati expediret, cujus firmamenta injuriae illae habebantur. Is origine Mediolanenſis, tranſitione Gallus, cum in novo imperio potens rerum ferme omnium eſſet, vicieſque cum hoſte pugnaſſet, & par fere numerus victoriarum ejus celebraretur, tactus ad extremum deſiderio patriae, quae naturalis cuique mollitudo eſt in ea Coemeterii Nazariani parte, quae Paradiſus dicitur, ſepulturae locum ſibi & poſteris elegit, ſicuti alte ſuſpenſa illic hodie ecnotaphia Trivultiorum cernuntur. Sacellum id dicavit Mariae Virgini victrici, teſtatus hoc ipſo, quod res proſpere geſtas ad eam referret: addiditque ſacrorum cultum praedia & pecuniae ſummam, & Myſtas ſeptem, & alia quorum hodie vix ulla pars manet.

Parum attinuerat exoluiſſe piis operibus in mortis tempora urbem, quae vivente ac praeſidente eo ingemuerat. Sed ne capita quidem beata praeſentium indigenarumque ſanctorum, vim arcuere, quae tunc Mediolani ſaeviebat. Habuit enim etiam actas illa coeleſteis animas, quae furente in Metropolim tempeſtate, latenteis in occultu, acceptae Numini, ignotae mortalibus, & ſeculo dignae meliore, exitium quidem ſuis meritis ab Republica prohibuere ultimum, non tamen ea, quae dixi, mala averterunt. Monaſterium, quod D. Marthae nuncupatur, eſt venerandae in urbe antiquitatis, etiam ob incorruptam ab origine ſui famam, & nullo unquam ſuſurro, nullave ſuſpicione violatos virginum earum honores longe venerabilius: ipſoque Gallicarum importunitatum tempore, cum nulla uſpiam ſatis tuta latebra honeſtati eſſet, nihil omnino labis intra claſtra illa fuiſſe illatum conſtat, nihilve triſtius cuiquam earum acciditſe, dum in agris quoque, ſicut ferebant tempora, morantur.

In eo Monaſterio fuit Veronica Nigrona, quam Leo X. Franciſci Regis rogatu rite Beatam appellavit, cum ſub Pontifice Regeque illo fama vitae ipſius, & aliud ex alio quotidie miraculum, quamvis occupatos longe diverſis negotiis animos, magnitudine rerum ac novitate perculiſſet. Namque ſtatim ubi exceſſit, ſecuta ſigna haec feruntur: Dariae cujuſdam virginis inſanabiles tumores depulſi ſolo cadaveris contactu: Chriſtophoro Laudenſi conſolidatus humerus, & ſanata hirtatio cum is quoque medicinam ab eodem contactu petiiſſet. Virgines duae Ordinis ejuſdem, amiſſo ob tumorem inceſſu, deportatae Mediolanum, impetravere ut admoverentur, & redire illico ad uſum crura. Gallorum etiam unus, qui Mediolanenſi praeerat arci, nuncupato ob filiae ſalutem voto, quam diuturna tabes abſumebat, filiaque ipſa delata illuc, ubi inſepultum adhuc Veronicae corpus concurſu civitatis frequentabatur, damnatus voti ſuſpendit in Templo D. Marthae pretioſam veſtem, & erogato in aliquot ſolemnia ſacra ſumtu, admirabilem in Sanctis ſuis divinam vim publice adoravit. Nec deinde ceſſatum ab miraculis aliis, quam diu corpus exſequiarum cauſa jacuit in ſepulchro, quod ſpatium quatridui fuit, ut publicae pietati deſiderioque ſatisfieret: interimque nobiles viri, qui munus ſibi illud ambitioſe efflagitarant, in Templo excubias egere. Jacobina quaedam, cui naturale vitium reſpirandi difficultas & pectoris anguſtiae lethaliter ingraveſcebant, affluente illuc populo ad ſpem erecta, ſimul atque in conſpectu cadaveris ſtetit, ſenſit meantem libere ſpiritum, & longo deinde vitae ſpatio perpetuum ipſa miraculum fuit. Maffeolae Gluſſianenſi contractum foede brachium, & clapſis in pravum artus, pari miraculo, motum, & decorem, vimque ſuam recepere cum inſelicia membra corpori beato applicuiſſet. Et ad intimos quoque ſenſus animoſque mortalium penetrante cadaveris ejus potentia, fratres duo, qui furiis accenſi odiis, alter alterius haurire ſanguinem parabant, condixerantque locum & diem quo ſtringerent gladios in mutuam necem, poſitis repente inimicitiis, deteſtati ſcelus in ſinceram & fraternam vere pacem coaluere, poſtquam ſoror eorum Luchina tragicam ſuae domus abominata calamitatem, flexo juxta exanime corpus poplite petierat, ut propulſatrix illa tot malorum, etiam huic imminenti flagitio remedium pararet. At ubi ſubductum oculis fuerat, humique mandatum id Veronicae corpus, nihilo leviora impetrabant quiſquis recenti adhuc talium rerum memoria ſpem opemque eamdem tentabat. Paulatim inde, uti nequitia & ſecordia mortalium eſt, impietas oblivionem, oblivio diffidentiam genuit, &, dum ſperare miracula non audent, obtinere deſierunt. Sed donec erga virginem admiratio calorque animorum vigebat, ſingulis civibus, ut cuique pia ſpes, & ſine remedio calamitas aliqua erat, Veronicae velut manu ſalus e Coelo mittebatur. Borela Comarchus hac ope repente convaluit e phtiſi, quae, cum medicos omnes fatigaſſet, pharmaca ſimul omnia conſumpſerat, & experimentis illis irritata inanibus quotidie ſaevior fiebat. Tunc invocata virgine, votiſque nuncupatis, conſpectus ſcilicet illico eſt ab lectulo proſiliens, & conſenſo hilare equo per urbem circumvectus eſſe ferebatur. Iſabella Crotta, Blancalucia Stanga, Blanca Marcellina, Camillus Falconius, & ingenti agmine alii, cum in malis quiſque ſuis Tutelarem ſibi Veronicam advocaſſent, exemplo etiam aliis fuere quo promptius eadem illa invocaretur. Captivo populo, miſerae civitati, aeciſis Eccleſiae rebus, hoc per ea Gallica tempora ſubſidium fuit. Quo quidem tempore, in eodem D. Marthae Monaſterio, praeter Veronicam hanc, claruere mirifico ſpiritu ac divino, Michelina inſuper, & Juſtina, & Thadea: & harum quoque enim vero diverſus ab mortalium conſuetudine animus, & in hac ipſa mortali vita affinitas cum coelo quaedam, poſtquam ab oculis abiere, intellecta eſt. Sed Veronicae majus nomen, & majora omnia, per quae nomen venit. Exſtant Apoſtolicae litterae Leonis X. per quas D. Marthae Monaſterio Pontifex ille conceſſit, ut Veronicam apud Ordinis ejus templa & aras, caeremoniis, & omni imaginum honore coli licitum eſſet, ejuſque conceſſionis diploma Martinus Epiſcopus Maconienſis, Franciſci Regis apud Pontificem Max. eo tempore Legatus abſtulit, cum haberet hoc ab Rege mandatum, ut negotium id inprimis Romae ageret. Nam & diplomati ipſi exordium id fuit, optaſſe illa Regem, & preces de ea re ſuas mandaſſe Legato. Scilicet, in maximi belli rerumque commutandarum deſtinatione & cura, quam coquebant Pontifex & Rex, in vaſtis conſiliis, inter mutuas ſuſpiciones, in profundo animorum aeſtu, qui paulo poſtea ad hoſtilem infectationem & foedera inimica eruperus erat, tractabantur inter eos iſta & curabantur.

Caeterum, imminente bello, cujus exitu, Gallorum ejectio, Galli Regis captivitas, & novum ac duraturum Mediolani Imperium parabatur, anteceſſere omnia, per quae Numinis indignatio, & rerum finis externo portenderetur. Nam praeter ea, quae jam demonſtrata ſunt, mala urbis, perſeverabat Mediolani publica fames, & intermiſſo per iram atque per ſolitudinem agrorum cultu, defenſum naturali neceſſitate erat ad animalia etiam ea, queis tamco abſtinetur cum ab legitimo cibatu ad alimenta damnata tranſire extrema illa calamitas coegit. Et epulis nutritos infelicibus mortales, languidoſque, ſicuti neceſſe erat, ad ſui defenſionem, lupi, fugitivum alias & ſilveſtre animal, tunc immiſcere ſe civibus auſi, corripiebant paſſim, & ſuo trepidantibus periculo qui debuerant feras propulſare, depaſcebant.

Die,

Die autem, qui Apoſtolorum martyrio ſacer fuit, accidit res, quae prodigium videri malorum imminentium poterat, niſi malum ipſa graviſſimum habita eſſet, ac ſi videretur atrocius exſpectari poſſe quidquam eo, quod caſus ille tulerat ſecum. Tranquilla, & ſerena coeli facies erat. Sol emenſus orbis noſtri iter, ad occaſum vergebat alteri mundo laturus facem. Pleraque nobilitas, & feſto die greges artificum ab operibus feriati ſui, Cleriei quoque, peracto quidquid ad templa peragendum erat, & pilentis vectae ſuis matronae ditiores cum ſobole alia comitatuque juvenili, multa noſtratibus alienigenarum paria, prout Mediolanenſibus junxerat Gallorum aliquem ſervitii neceſſitas, vel ſuperbia imperii, conſuetudoque diuturna, & familiare commercium etiam inter infenſos, cureti, ut fit, appetente veſpera egreſſi in campum, qui Jovis arci ab interiore parte ſubjectus, fruitur libero ac patente coelo, captabant auras, levamina caloris diurni, perque ſpatia illa ibant & redibant lente viam, conſederantve in herba, ſive alicubi corona ſtantium fiebat. Turba civium infelix, quae tantiſper fortaſſe a calamitatibus quieſcebat, dum ſuas ibi calamitates loquitur: hoſpites ſaevi qui tantiſper ceſſaverant ab injuriis, dum injuriae materiem circumſpectant ibi & proſpeculantur, omneis ſimul repentino coeleſti caſu percuſſi ſunt, ſive ut eximerentur malis, quae aſſidue multiplicia ſuſtinebant, ſive in terrorem aut poenam, aut in aliorum ſalutem, cum exemplo illo impiorum & fine, violentia minor reſtaret. Volitans coelo flamma fulminis in modum cecidit ante portam ipſam arcis, qua ſulphurei pulveris cadi complures ſtabant forte conſtipati, ut nocte illa plauſtris aveherentur. His illapſa cadis flamma comprehendit illico voracem ignis materiam, & reboatu ac fragore excitato ingenti trajecit in proximam turrim materiae plenam ejuſdem, atque ibi violentius inter anguſtias luctando ignes, molem eam a fundamentis repente convulſam longe ac late per aera diſſipaverunt, ita ut fervida ſaxa magni ponderis ultra quingenteſimum ab arce paſſum quaſi contorta balliſtis inciderent. Minores lapides longius etiam volitavere. Tunc enim vero, per totum campi ſpatium ſtrages facta eſt, qualem, non niſi ab Numine fieri appareret. Saxa ingruentia e coelo capitibus inciderant, priuſquam daretur cogitandi tempus undenam venirent. Et quia, e ſublimi veniebant, quo flammea vis ejaculata marmor erat, non fracto ſed aucto circa finem impetu, violentia ipſa properoque exitio moriendi ſenſum pleriſque auferebant. Triſtior conditio fuit eorum, qui minore aliquo ictu quaſſati adaperto & lacerato ad vitalia capite, per aliquot deinde horas nulla in ſpe animam trahebant. Ac ſaevientibus etiam equis terrore ſimul & lapidum vi, fugae e carpentis mulieres, & pari alienorum equorum conſternatione protritae, apertis quae tegenda erant, & dum ejulant humi, dum evolvuntur, eadem ſuperne peſte multae perierunt. Virorum quoſdam, intellecta eladis origine, trepidantes, in circumjecta tecta cadens nihilominus undique ſaevus imber, dum ſe putant evaſiſſe, oppreſſit. Totos & in circulis globos juvenum uti colloquentes ſtabant, non lapis unus, grandeve ſaxum, ſed integra pars ruinae, ſicut abrupta, & in altum projecta deciderat, involvit arietavitque in terram, & quibus citra mortem ruina illa acciderat, hi propter mutilata & inutilia membra caeteramque quaſſationem, ipſis poſtea mortuis invidere potuerunt. Periere intra arcem ad centum quinquaginta, Praefectuſque ipſe arcis, quam quidem ruinae continentes ab ea parte, ita mudaverant, ut niſi attonitis eo caſu Mediolanenſes plane animis concidiſſent, nihil negotii fuerit, etiam ex tum miſero aſſurgere ſtatu, & magis attonitos fluctuanteſque Gallos dejicere inde patriamque liberare. Sed pars utraque in id intenta, quod Numinis irae tanto principio ultionem aggreſſae minitarentur, prope deſierat perſequi vel timere alteram.

Non ſine ego nimium umquam incredibilia & prodigioſa ſecutus fuerim, ſatiſque habeam in tradenda hac memoria antiquitatis, ſi fraudes & miſerias ipſorum inter ſe hominum, vel ſi quid etiam homines cum laude egerunt, & magnos patriae caſus, qui, vel pace, vel bello evenere, memoraverim, ita ut cum fide accipiantur. Adverſus miracula quidem ſuperbi nimium ſaepe ſunt animi legentium: atque, ut noſtra facile ſimplicitas, & divinae magnitudinis gnara mens conqueſcat, non eadem manſuetudo ad credenda iſta civilibus ingeniis erit. Caeterum, approbatam rem aliam Pontificum auctoritate traditioneque communi, & hominibus ſpectatam illis, qui ad noſtram aetatem vixere cum pueri tunc fuiſſent, tranſiri atque omitti prohibet tenuitudo etiam illa, quam erga res omneis divinas habemus.

Canobii, qui locus eſt in Verbani lacus littore, frequenti mercatu, & vetere Borromeae Domus Comarchia inſignis, ibi in publico hoſpitio, imaginem Chriſti Salvatoris, quae ex pariete ſuſpenſa pendebat, ferunt, diebus iiſdem, quibus haec Mediolani clades acceptа erat, magno repente tremore fremituque horribili ultro eſſe concuſſam: dein ſacroſancti lateris hiatu vim ſanguinis effuſam, qui toto conclavi manaret & reſpergeretque adſtantes: poſtremo ab hiatu eodem parvam coſtam exciduſſe: Antiſtitem Canonicoſque loci & populum eum omnem, re nuntiata, advoluſſe illuc, ac poſtquam ſuxerint ſpongiis omnem diligentiſſime cruorem, ſolenni pompa ſpongias ipſas, tabulamque pictam, una cum coſta, quae inde profilierat, templo intuliſſe. Addunt inde miraculum aliud: cum ſpongiarum earum ſanguinisque contactu divinitus quotidie multa patrarentur, & petendae opis cauſa templum illud undique adiretur, mercatorem unum, die quodam, Sacerdoti, qui rem divinam in ea ara faciebat, argenteum nummum dediſſe ſpongiis coſtaeque admovendum, cumque ille admoviſſet, protinus eſſe occoecatum; haud dubie, quia myſteria illa tremenda circumforaneo aere profanarat. Haec, licet prope excedant fidem, firmantur tamen eorum teſtimonio, qui proximi temporibus illis fuerunt, & narrantes audivere eos, qui ipſi ſpectaculo affuerant, inhorruerantque. Et noſtra memoria D. Carolus, cum Dioceſim ſuo more luſtraret, interrogatis ejus oriae ſenioribus, & re comperta quae acciderat, cohortatus loci incolas, ut domum eam publice coemerent, aream templo deſignavit ibidem ubi ſanguis manarat.

Nunc, prodigiis omiſſis, cauſas & initia belli expediam, quod bellum geſſere inter ſe Reges, dum urbis Mediolani uterque imperium trahit: neque originem tantummodo exitumque contentionis, ſed jura ſimul, & momenta cauſae explicabo, ut intelligatur, quid aequi, quid iniqui fuerit in utraque parte, imperiumque hoc ipſum, utri duorum Regum, finita (quod propediem fore apparebat) Sfortiarum domo, deberetur, etiam ſi non rerum eventus inſtar judicis fuiſſet. Nam niſi jus in armis pars utraque Regio more collocatum haberent, ajebant Regi Franciſco homines ſui, ipſeque publice ajebat: aut rem Mediolanenſem, Inſubriaeque Principatum recuperandum eſſe ſibi, aut Galliae quoque Regnum omittendum, & parte hac uxoriae hereditatis poſſe indignum videri, niſi illam quoque vindicaſſet. Quippe Valentinam, Joannis Galeacii filiam aviam ſuae uxoris, cujus dote haberet Regnum, ea conditione datam fuiſſe Ludovico Aurelianenſi, ut proles, quae ex ipſa naſceretur, ſuccederet in Mediolanenſis Imperii jura, quandocumque, finita fratrum ſtirpe, finis ſucceſſioni Vicecomitum fieret. Conditionem eam, pactumque nuptiale illud, eſſe Pontificis Maximi auctoritate confirmatum. Id valere perinde, ac ſi Caeſar ipſe confirmaſſet, quandoquidem vacua tantiſper imperii ſede, ratum eſſe oporteret quidquid in ejuſmodi rebus a Pontifice decerneretur. Etiam alia Pontificum decreta, transferendo, ſive confirmando beneficiario juri, quod jus Caeſarum Imperatorumve eſſet, nuſquam in controverſiam vocata eſſe. Bona omnium pace ſtabiles & legitimos manere Principatus, quoſcumque ſuprema Sedis Apoſtolicae poteſtas, nullo Caeſare adjudicarit. Item, Valentinae ſanguini datum a parte, confirmatum a Pontifice munus, Deo hominibuſque approbantibus, ſe eſſe conſervaturum exemplo ma-

majorum ſuorum, Caroli, & Ludovici, quorum alter, poſt Philippi Mariae Vicecomitis exceſſum, maternam hereditatem, ſtrenue, licet improſpere vindicare ſit conatus, alter proſpere vindicarit, & capto, qui alienum Imperium tenebat, Sforza, fuerit etiam Apoſtolico diplomate reſtitutus in priſtina jura, ipſe poſterique ejus. Dicebatur contra: Philippi Mariae obitu, qui ſine ulla virili ſtirpe deceſſiſſet, redijſſe Metropolim in Romani Imperii arbitrium atque poteſtatem, unde olim alienata exciderat. Maximilianum Caeſarem, Caroli Caeſaris Avum diſerte clareque revocaſſe, reſcidiſſe, aboleſſe, quidquid exturbator pupilli Sforziae Ludovicus impetraſſet antea emiſſetve. Magna injuria violari Apoſtolicae Sedis famam, ac dedecorari ſupremum tribunal, ſi damna, & raptus, & alienae rei donationes inde exſpectentur atque referantur illuc, unde ſummi infimique mortalium praeſidium & opem adverſus talia petant. Ne Caeſarem quidem ipſum dignum fore Maximiliano Avo caeteriſque majoribus ſuis, ſi longo proviſu reſervatam ſibi ab eis Inſubriae hereditatem, cuncta ratione vel deſidia eſſe apud alienos ſineret. Reſervaſſe namque Avum nepoti terrae ejus imperium, & rite etiam de manu in manum tradidiſſe tunc ſcilicet, cum Gallo prius tradidiſſet ea conditione, ſi unica Infans illius Claudia, quemadmodum Infanti item Carolo pacta eſſet, matrimonio jungeretur. Eo protinus diſſoluto nuptiali foedere, Claudiaque deſponſa alteri, rem ſimul fuiſſe inanem, & Carolum ſtatim ab eodem Caeſare avoque Maximiliano coram Philippo patre in jura Mediolanenſis Imperii fuiſſe adſcitum. Haec igitur, & alia aſſidue audiendo, ſive dictitando cogitandoque exaſperabantur juvenum Regum fervida ingenia, alteri quidem ad tuendam, alteri vero ad recuperandam terrae poſſeſſionem, quam uterque relictam ſibi a majoribus crederet: ſive credi ab aliis vellet. Et magnae rei eventus accenderat inſuper auxeratque animos, hinc gloria, hinc ira, poſtquam mortuo Maximiliano, nomen Imperiumque Caeſaris tenuerat nepos, irrito omni Regis alterius tentamento, quem VII-Viri Electores repudiaverant, ut alienigenam & externae fidei, praetulerantque Carolum originis ſuae, ſanguinisque Caeſariam, & opum magnitudine tantae moli parem, vimque & famam Imperio ipſi ultro additurum.

Tertius annus Regi Franciſco erat parti per Inſubriam Imperii, compoſitarum, ut ipſe rebatur, Mediolani rerum, & illaceſſitae pacis, cum occultis agitata conſiliis, & diu incluſa pectoribus machinamenta denique eruperunt: junctiſque cum Pontifice Max. Caeſar exercitibus ad Gallos ejiciendos, Italiamque, ſicut ipſi ferebant, liberandam incubuere vitota. Namque Pontifex Leo, Mediceae nobilitatis natus in Domo, cujus nimia potentia, ne patriae quidem ſine ferre libertatem poſſet, impatiens ipſe otii, & magnitudine Pontificatus irritato magis quam expleto animo, ſtudiorum quoque genere pronus in ancipitia laceſſebat ultro magnas occaſiones, & apud eum conſilia novandarum rerum aſſidue agitabantur. Ac principio quidem, is animus, & pares animo opes ex Romano Imperio ſimul & Florentina Republica, quam Pontificis pater tenebat, conflatae, verſis in Galliam ſtudiis, ac prope inito illic foedere, cladem Caeſari Hiſpaniſque prope conflarant. Sed, dum occulti foederis arcanae conditiones in Gallia, Romaeve tractantur, controverſia, vel difficultate exorta aliqua, hinc diffidentia gliſcente inter partes, poſtremo irritatis palam alienatiſque animis, conſilia eadem, quae pro Gallo adverſus Caeſarem inclinarant, pro Caeſare adverſus Gallum ſtetere. Fueratque tanti ad ea, quae agitabantur, praeſidium Apoſtolicae Sedis adjunxiſſe ſibi, atque Pontificem habuiſſe conjuratum, ut abſque momento eo, rem torpere ipſam, & Regum haerere animos, atque a belli conſiliis avocari neceſſe eſſet. Non enim id virium alterutri Regi eo tempore erat, ut poſſet tuto laceſſere alterum: & Gallo ſocia ac propinqua Venetorum arma tegebant Inſubrum fines, ne nuda apertaque Hiſpanis exercitibus provincia Mediolanum eſſet: & Hiſpani viciſſim Neapolitanum Regnum vota altera ſollicitudinemque Gallorum, ſi nihil ab Pontifice moveretur, egregie munitum habebant. Helvetiorum mercenaria auxilia copiaeque venales, non huic, aut illi Regi addictae, ſed in partem eum pronae ſemper, quae praeſentis pecuniae vi acrius inſtaret. Caeteri per Italiam populi Principeſve, neque adeo per ſe tunc validi opibus aut armis, ut maximis duobus Regibus interjecti, dare vel adimere victoriam poſſent, neque ita affecti animis, ut unum magis, quam alterum invaleſcere Regem vellent. Hanc rerum aequalitatem faciendo bello alienum Apoſtolica arma Romanaeque opes parti alteri adjunctae disjecerant nunc, atque ex inutili illo torpore excitarant.

Caeterum, Pontifex Leo, quamquam initum jam haud dubie cum Caeſare foedus haberet, nec ſenſibus tantummodo intimis, ſed etiam negotiatione tota conſpiraſſet adverſus Gallum, voluerat tamen ejus foederis initio, vires potius & arma, quam nomen & famam ad Gallos ejiciendos commodare Caeſari, urbemque Mediolanum ita circumventi poſſe autumabat, ut tentata ſimul & patrata re, conatus exituſque negotii tempore uno ingrueret atque ab ſenſu foederis initi averteret animos. An fortaſſe, incerto adhuc eventu latitans, nihili faciebat hoc, ſi re denique perfecta in parte operis ipſe deprehenderetur: vel etiam, poſt eventum deprehendi ultro molitor & artifex Gallicae ejectionis volebat? Hujus autem repentinae irruptionis, quae callide inſtructa celaret apparatum ſuum, ut exitu prius quam motu aliquo ſentiretur, diſpoſita conſilia in hunc modum fuere: Nobiliſſimus quiſque Mediolanenſium, qui, vel in exſilium acti & proſcripti Gallicis edictis, vel ob indignitates quae perferendae quotidie erant, exſules ultro ac fugitivi avios receſſus in extremis patriae finibus quaeſierant, adhaerantve finitimas urbes, aut, in Tridentinis Alpibus circa extorrem Sforziam conſtipati motum deſperatae urbis aliquem exſpectabant, hi ſimul omnes repentino, qua quibuſque proximum eſſet, incurſu, diſperſos per varia Inſubrum loca obtruncare Gallos debebant: praeſertimque Mediolani ſtrages futura regnantium erat in ipſa injuriarum ſede & libidinum regno. Alios oportebat exſules ad Regium in Pontificum per ea tempora urbem congregari univerſos: partibus ibi vicibuſque deſcriptis, & aſſumta inſuper alia militum manu, diſcedere globos ad ſua quemque munia, deciungique caede Gallorum, & patriae malis imponere magnum diem. Reſpiciebant cuncti nutum auctoritatemque Hieronymi Moroni, qui Franciſci Sforziae continuus ipſum quoque regebat, & cognita Pontifex ac Caeſar prudentia viri ejus gratiaque, quam apud exſulem is teneret, cuncta cum eo compoſita, & communicata habebant: pleraque etiam reliquerant ipſius arbitrio & fidei gerenda, prout gnarus homo opportunitatum animorumque Provinciae & urbis maxime cenſuiſſet. Is inter caetera mandaverat Manfredo Palavicino, potentiorum exſulum uni, ut nocte quadam per Larium lacum ſurdo remigio delapſus cum idonea manu ſuccederet ad moenia urbis Novocomi: paratam ibi proditionem aditumque & cuncta in tempore affutura monſtrarat. Ab altera parte, tempore eodem, miſta ex Pontificiis Caeſarianiſque navibus claſſis contra Genuae portum objiciebatur in ſpem aut terrorem commovendis illic etiam rebus, ſicuti turbata factionibus inteſtinis Civitas auxilia aliqua externa circumſpectabat. Ordo inſidiarum hic fuit, quae nullum felicem exitum habituraе erant, credo, qua juſto potius bello debellari ejicique Gallos oporteret, ne tantus ille liberandae Italiae titulus, & actio tam praeclara turpi fraudum ulfarum nomine dehoneſtaretur.

Dum trepidant exſules, dum ad facinus accinguntur, excepere Galli indicia omnia rei, quae ſumma ope tegenda erat, ultroque Scudus, qui Mediolani Regia nomine provinciam tuebatur, obviam ivit, & auctis per omnia loca praeſidiis, erexit populares ad ſui cuſtodiam, atque ita illud tantae ſpei conſilium repente diſcuſſum eſt. Ad Novocomum vero facta eruptione inſidiatores oppreſſi, & Manfredus Palavicinus militari cuſtodia ductus in urbem obtruncatuſque eſt una cum Bartolomaeo Fer-

Ferrario, quem a Morono ſollicitatum fuiſſe conſtabat, ut pro ſalute patriae aliquid auderet, nequerem ad magiſtratum urbis ille detulerat. Adjicitur crimini, & ſuppletio patris filius, propter aetatem nullius conſilii particeps ille quidem: ſed ob detectas inſidias, impetus & ira Gallorum etiam fortuita pro crimine arripiebat. Ita motus omnis, & conjuratio exſulum irrita fuerat. At Genuenſes, ad foederatae claſſis adſpectum erectis ſubito animis, & coepta rebellione compreſſi ſunt ab Duce Fregoſo, qui, cognito civium motu, ſeſe & vim imperii ſtrenue objecit, atque in ea etiam parte ſpes eluſae. Spes deinde omnis in aperto Marte relinquebatur. Pontifex Leo, collata in violentiam manifeſtumque fervorem latendi arte, qua ad eam diem uſus fuerat, abrupta palam omni cum Galliae Rege amicitia, cujus manebat adhuc ſpecies, quaeſitaque nova ſpecie, quaſi tunc primum cum Hiſpano iniretur foedus, cauſando Gallorum in Apoſtolicam Sedem injurias, obſequium & beneficia Caeſaris, armorum ſocietatem, quae pacta & diſſimulata erat, finxit caeremonias, atque de ea re ſtatum in hanc ſententiam edicta promulgantur: Pontificem & Caeſarem ad pellendos urbe Mediolano, totaque Italia Gallos, arma, & imperium animoſque conjunxiſſe, quod eam rem Apoſtolicae Sedi Eccleſiaeque Catholicae, & nomini Italo ſalutarem atque glorioſam fore ſtatuerint: de ejus rei proſpero exitu, uti omneis, enixe Deum obſecrarent, foederiſque ipſius pro publica ſalute ſuſcepti ſanctum, & inviolabile nomen favore ac veneratione amplecterentur. Foederatorum deinde ipſorum nomini ac majeſtati, principio conſentanea cuncta erant, belli duces, equitatus robur, peditum cohortes, ſtipendia & commeatus: & quacumque exercitus incedebat, reverenteis animi erga agmen, quod Pontificis Leonis, & Caroli Caeſaris miſſu ad liberandum ire Inſubriam dicebatur. Summa copiarum fuit, equites quinque millia, peditum viginti millia & quingenti. Imperium & tota rei militaris poteſtas penes Mantuae Demarchum & Proſperum Columnam, ſed ille huc parere juſſus, moxque eodem imperii jure Davalus acceſſit. Unde poſtea acmulatio Ducum, & ſaepe diſcordia inter ipſos allatura exitium rebus, niſi in hoſtem iretur jam conſilio Superûm, jam mortalium ira ejectioni triumphoque deſtinatum.

Gallus tamen etiam ipſe viciſſim audito hoc rerum motu ſtrepituque foederis, totas Regni vires ad defenſionem Provinciae Mediolanenſis impigre ciebat: & exercitum aliquanto valdiorem habuiſſe fertur, Duces quoque nihilo deteriores noſtris, Lautrecum & Scudum germanos inter ſe fratres, concordes eo vinculo, & continendis caeteris efficaces. Si pecunia, & quae temere invocatur fortuna, adfuiſſet, pars contraria in ſuam ipſorum perniciem iuerat foedus, magnamque Pontifex & Caeſar cum ignominia cladem accepiſſent. Sed apud juvenem Regem infenſi fratrum gloriae Principes, & Regina Mater muliebribus angultiis ſubſidia belli vertens in alios uſus, fortes Lautreci conatus & magna coepta ſaepe turbaverunt, atque pene ad deſperationem adduxere ipſum: interimque, ſi qua data erat opportunitas, fugacia occaſionum momenta, e manibus elabebantur, admodum proclivi ad exitium itinere, cum Ducis culpae fortunam ſua ſponte vergentem aggravarent, fortuna quaſi laceſſeret culpas, quo celerior veniret clades.

Neque rurſus in foederato exercitu ludibria ſive vitia eadem defuere, qui, cum initio decorus tremenduſque omni Imperatoria & militari diſciplina inceſſiſſet, eique diſciplinae conſentaneus exitus communi omnium exſpectatione reſponderetur, paulatim deinde perturbatione exorta, confuſis attenuatiſve rebus, irritatis animis, infauſto etiam expeditionum aliquot eventu, eo eſt redactus, ut & Gallorum potius quam Sedis Apoſtolicae, vel Romani Imperii exercitus videretur, &c, qui Gallico exercitui finis fuit, eum queri ultro & provocari ab foederatis hiſce appareret. Cum enim in aggredienda Metropoli, ſtatuiſſent prius expugnare Parmam & Placentiam, ſcilicet, ut tuta ab tergo cuncta relinquerent, antequam negotio illo majore implicarentur: magnum id Imperatorumque conſilium, & ſua ſponte infelix fuit, & quo infelicius addita inſuper ignominia eſſet, errores & diſſidia Ducum fecere. Oppugnata per dies aliquot nequidquam Parma: diminutis exercitibus: abſceſſum a moenibus tunc, cum ſi pauliſper inſtitiſſent, capi urbs potuiſſet: flagitii ejus verecundia accenſi mutuis odiis Duces, cum alius in alium culpam conferrent, omneſque vetus deliquiſſent: prope alienatus a Caeſare Pontifex, foeduſque prope diſſolutum: facta apud populos Imperatoriae exiſtimationis jactura. Neque res alia ab foederato exercitu cladem ultimam prohibuit, quam Lautreci major infelicitas, & infortunia hoſtium majora, ſi nomine appellari licet iſto, quidquid illud inevitabili potentia arcanoque impulſu, & modis occultis incubuerat genti Gallorum, ut Mediolano, Italiaque pellerentur.

Poſtquam turbulente conſultando, miſere exſequendo, criminandoque invicem conſumpſere Duces tempora illa inutiliter, dum jurgantur adhuc, tentantve nonnihil, haerentve, aut trepidantium modo ſubinde ſtationem mutant, adfuere decem millia Helvetiorum exſpectatum ante auxilium, & praecipua cauſa trepidandi, quia incertum fuerat, an venirent. Venere per Bergomatum fines: adventuſque gentis & fortuita res etiam iter, quo minime ſperabatur initio & aditu victoriam dedit. Qua enim circa eos Bergomenſium fines conjungi exercitum utrumque oportebat, occaſio inde nata eſt tranſeundi flumen Abduam, cujus ulterior ripa Mediolanenſem agrum inchoat, finitve.

Proſper Columna erat, ut dixi, in foederato exercitu arbiter omnium rerum, de quo homine ſecunda pleraque ad finem, nonnulla ſecus prodidit anceps fere circa magnos viros hiſtoria memoriaque hominum adeo recens ut nondum exoleſcat. Is, non apud caeteros modo Duces militaremque turbam invidia laborabat, quod Parmae oppugnationem in propinqua ſpe ejus capiendae urbis ſolviſſet, verum etiam Romae atque in Hiſpania coeperat ea res eſſe infamis: indeque labor & inquietudo ipſi, ut conſilium illud ſuum ingenti aliquo facinore & felici exitu Principibus iratis & communi famae approbaret. Speculatus ad Vaprium facile trajectu flumen incuſtoditamque ripam, inconſultis Davalo & Gonzaga, ut famam gloriamque rei ſolus haberet, vitata etiam per obtrectationem omni Hiſpanorum militum ope, noſte intempeſta, cohortes aliquot Italici generis, praeparatis in id ipſum ante ſcaphis trajecit. Ut primi qui tranſierant, locum tenuere, alios ſubinde, atque alios Columna tranſmittebat, & orta luce, plenam milite ripam, ſeque operis auctorem Ducibus reliquis exercituique univerſo oſtendit. Tunc enim vero, felici invento acclamavere etiam qui invidebant, & mox flumini proſe quiſque varie inſultanteis veſtigia univerſi ibidem poſuere. Acre certamen in ripa fuit, dum Galli ſero ad dejiciendos qui primi tranſierant, accurrunt: & fratris miſſu Scudus ipſe cum quadringentis aderat. Sed majora deinceps agmina tranſvehente flumine, opprimebantur. Diverſo deinde tramite, tempore eodem, exercitus uterque, Gallus ad cuſtodienda moenia portaſque urbis, foederati ad ſpem conatumque irrumpendi tetendere. Gallus propero agmine ſuburbia vicoſque inſedit: noſtri capto longiore ambitu, Meliniano ab municipio in Clarae Vallis prata proceſſerunt. Ibi ſtativa habebant: melioreque jam fortuna, & ſpecie etiam auguſtiore ob Cardinales Legatos, Medicaeum, & Sedunenſem, queis Cruces argenteae praeferebantur, imminebant vicinae urbi foederata arma, cum res accidit, quam politica etiam ſubtilitate faſtidioſi ſcriptores quaſi crederent, retulere: referamque ego Francifci Guicciardini fere verbis pene admirabilem caſum.

Apud Claram Vallem, in prato, dum Legati Cardinales, caeteriique Principes exercitus federent ad inſpiciendas cohortes tendentium ordine Helvetiorum intenti, ſicut in eorum conſpectu quidam natu grandis: os habituſque plebeji hominis erat: & ab D. Satyri Pa-

roccia miſſum ſe eſſe vociferabatur. Pergerent, venirent: populum Mediolanenſem, conſpecto liberatore exercitu, protinus arma in Gallos eſſe capturum: id modo cum magna voce dixiſſet, abiit repente ex oculis, & quamvis acri poſtea Legatorum cura ad inveſtigandum quiſnam ille mortalium eſſet, nuſquam eſt repertus.

Caeterum, Cardinales Duceſque caeteri, nonnihil quidem etiam omine permoti eo, ſed multo magis conſilia ſequentes ſua, quae praeſens forma rerum, & ex vicino conſpecta euncta hoſtium dabant, motis ab Clara Valle caſtris, appetente nocte ſubiere ad foſſam, quae duabus portis, Tiberinenſi, & Romanae interjecta munichat vallum, & vallo regionique ei Veneti pedites cuſtodiae cauſa appoſiti erant. Hi, ſimul atque ſiſtulatores conſpexere Hiſpanos, quam de induſtria manum Davalus objecerat, dant impigre terga, valloque mutato, & ſtatione relicta, liberum ab ea parte aditum irrumpentibus dedere. Mox, & priorum veſtigia ſequentibus aliis novoſque ſibi aditus aperiente exercitu, & effuſa obviam ad accipiendos liberatores nobilitate, tumultuante populo, praefidiis labantibus, mutata omnium fide, plena omnia Caeſarianorum fuere. Pontificii, cum in extremo agmine fuiſſent, captam jam haud dubie urbem ovantium ſpecie intrabant. Gallis in tam repentina clade ſubſidium unicum erat fugere in arcem Jovis, cujus haud unquam neglecta, ſive interminſa cuſtodia fuerat. Inter tela, & gladios, & ingruentia etiam ſuperne ſaxa, proripiebant ſeſe eo milites, Duces, Magiſtratus ipſi, & dum evadere tendunt, vulnerabantur ab cive ſimul & ab hoſte velut hoſtes in aliena urbe deprehenſi. Sua nuper tribunalia ſuaſque domos reſpergebant ſanguine, ſi quos ibi cunctantes deprehenderat victor: atque tam improviſa res obſtupefecerat animos ab vulnerum pene ſenſu, cum omnia captivitatis exempla adeſſe viderent antequam captam eſſe urbem ſuſpicarentur. Nec minus obſtupefecerat tam laeta fortuna victores, quod abſque ſuo ſanguine, abſque difficultate ulla caput belli Metropolim prima irruptione cepiſſent.

Dederat autem foederatis tantam ex inſperato victoriam ille qui plurimum in rebus humanis poteſt caſus, quique in bello praeſertim res ſaepe magnas & admirandas effecit. Namque foedo imbribus tempore, verſis in coenum campis atque corruptis itineribus, non crediderant Galli, moturum hoſtem eo die caſtra, maxime propter bombardas, quae humido paludum, & profunda paſſim uligine, (ſicuti Regio eſt illa) tarde tranſveherentur, etiamſi coeleſtium aquarum proluvies illa non acceſſiſſet. Ea ſpe reſoluti in ſocordiam Galli, feſſique inſuper recenti ad urbem curſu, aut nocturno ad Vaprium praelio, ſegniter obibant munia ipſa ad quae accurrerant. Sed Davalus interim, monſtrata ſibi forte per agreſteis ſemita glareoſa quadam, ſubſtructaque, & marginata, atque ob id firma plauſtris, & expedita agmini, contemto pluviarum incommodo, traduxit repente tormenta, & exercitum, oppreſſitque inopinanteis. Capta in hunc modum, vel potius liberata, Metropoli, ſubjectae urbes capiuntur vi eadem, exemplumque ſecutae, caeſis paſſim Gallis, accepere noſtros, & cunctae fere Caeſaris nomen invocabant. Lotrecus & Scudus cum infelicibus reliquiis profugi ab urbe, vagati aliquamdiu per Bergomenſium fines, & petito inde ſupplemento, Cremonam poſtea aggreſſi, proſpero illic eventu, & fiducia Mediolanenſis arcis, locorumque nonnullorum, ſtrenue reparabant bellum.

Interea Pontifex Leo exſtinguitur haud ſine veneni fama, ſive corrupto pincerna, uti creditum eſt, miſcuere aliquid Galli: ſive lautior victus, aſſiduaeque curae invexere febriculam, & homines ſuo more interpretati ſunt. Morte ejus, atque perturbatione novorum comitiorum, Interpontificumque licentia, ſuſtulere Galli animos: deceſſit ingens Caeſari auxilium, & magnis ad reliqua belli perficienda conſiliis, atque apparatibus, nec pecuniae facultates, nec copiae militum eaedem ab Roma aderant. Itaque, in ea rerum inclinatione, cum quidem etiam Caeſar Tranſalpino alio adverſus Regem eumdem bello implicitus teneretur, metus ingens invaſerat omnes Inſubriae populos, ne fortaſſe deterrederint in Gallorum poteſtatem, & acrius deinde premerentur eo jugo, quod excutere conati eſſent, quove excuſſo omnium laetati.

Parmam Lotrecus acerrime oppugnabat, habebat Cremonam: Novaria & Alexandria, Tritium, & Domuſſola, & Arona, praeſidio Gallorum adhuc tenebantur: & praecipuus omnium terror ab Jovis arce Metropoli imminens hoſtis quaſi minitabatur, repentina illa & nimium felici irruptione nihil eſſe actum. Dux Ferrariae, qui Pontificis Leonis metu dubitarat, poſtquam ille exceſſit, nudato penitus animo, commodabat Gallis arma, ipſeque prodierat adverſus provinciae ſalutem armatus. Helvetii, decem millia ſuae gentis prius uegata Regi Franciſco conceſſerant nunc, eaeque copiae digreſſae Rheticis Alpibus in Orobios, & eodem uſue titulo, qui foederatis fuerat, ad liberandam Inſubriam, Hiſpanoſque pellendos ire ſeſe enim vero gloriabantur. Non res magis aliaſpem populis inchoatae ſalutis abſciderat, quam auxilia ea repente addita Regi Gallo: quem rerum bellicarum more, ex afflicta fortuna perditoque ſtatu, rurſus Mediolani eſſe regnaturum credebant. Ad haec, incertus exitus comitiorum, ancipiti exſpectatione diſtraxerat curas, cum tam Gallicae quam Hiſpanae factionis contingere Pontifex poſſet, ſicuti profane vaticinantes loquebantur. Qua vaticinatione & metu, Proſperus Columna, Cardinalem Eporedienſem per Mediolanenſis agri fines Romam ad comitia illa properantem, vi, ſeu dolis inhibuit: incertumque fuit, Caeſaris juſſu, an ſua diligentia, rem eam atrocem auſus fuiſſet. Nec minus ipſi inter ſe Cardinales id coeleſte negotium intra Conclave ſtudiis humanis fruſtra impediebant, dum principes partium & factioſiſſimus quique, in Gallum, aut Hiſpanum proni, Pontificem, qui huic, aut illi cordi foret, anteponunt, ad momenta maxime belli hujus certamina ipſi ſua contentionemque dirigentes, atque ita gratificantes Regibus. Sed hominum nequitias altitudine ſua contemnens Deus, vertenſque ſaepe in bonum, eo certe comitiorum tempore, ſi unquam alias, eluſit ſimul, & coegit inſtrumentum eſſe rei, quam nemo futurum unquam exiſtimaſſet.

Dum enim Medicaeus, & Columna, Primores Patrum, aut habere ipſi, aut arbitratu ſuo collocare ſummum honorem volunt, magnique conatibus & artificiis ad ſua nituntur uterque vota, & plena artium earumdem caeteri Cardinales, hunc, aut illum ſequuntur, die quodam ad ſcrenda ſuffragia more congregati, de Adriano Cardinale mentionem forte injecerunt. Erat natione Belga, homo moris antiqui, expers Italicae conſuetudinis: & ſimplicitatem ejus, rudemque ad fraudes aulicas animum plerique adſpernanteis, Barbarum appellabant. Fuerat pueruli Caeſaris magiſter, & in ejus gratiam creatus a Leone Cardinalis, Hiſpaniae regna, hoc tempore, Caeſare ipſo abſente, adminiſtrabat. Cum nullo alio conſilio, quam extrahendi temporis cauſa agi de eo homine coeptum eſſet, laudeſque viri, litterae, & apertus animus, & Apoſtolica innocentia memorarentur in ſpeciem tantummodo, caeterum ſecuro aemulatu, quia de abſente, & abnuente, omnibuſque ignoto & viciſſim ignorante omneis, agebatur, incaluere repente univerſi, ac regente animos Deo, Pontificem eum fecere, cum ne ipſi quidem, ſententiae judiciique ſui rationem intelligerent, cur tam dubiis Reipubbicae temporibus, tam praeſenti neceſſitate, petiiſſent regimen ab homine, qui nec vidiſſet unquam Italiam, & tanto maris terrarumque ſpatio diſcretus maneret. Pontifice renuntiato hoc, & ex Hiſpania accerſito, irrita machinatio fuerat eorum, qui ſedis Apoſtolicae opes atque praeſidium ad Gallos potius inclinare voluiſſent, Caeſarque rem Mediolanenſem majore animo amplexus, ante omnia id agebat, ut Franciſcum Sfortiam ab Tridento reduceret Mediolanum, ſiſteretque Urbi, cujus aſſidue voce expoſcebatur. Verum ea reductio

ductio quomodo facta fuerit, & quibus etiam ea res adversus prohibentes Gallos indiguerit artificiis, paullo post explicabo.

Nunc erecti Galli Leonis obitu, perturbatione Comitiorum, ac deinde spe novi Pontificatus cluſa, cum eis, quae dixi, Helvetiorum auxilius, ad recuperandam Metropolim incubuerant, ac poſitis caſtris Vercellenſem inter Cumanamque portas, vi tota Lotrecus obſidebat oppugnabatque urbem miſeranda rerum facie, cum Caeſariani intra urbem a Gallis, Galli intra arcem a Caeſarianis obſiderentur, atque duobus exercitibus interjecti cives malorum extrema ſuſtinerent. Attamen, tanta erant Populi Mediolanenſis in Gallos odia, tam jucunda exſpectatio flagranſque deſiderium propediem adfuturi Ducis, ut neque tumultuarentur ob calamitates, & cuncta pro defenſione urbis ſtrenue exſequerentur. Ultro quin etiam deſcripto per ſingulas Paroecias octiatim milite, Ducibuſque regionatim electis, ibant ad loca omnia, ubi plurimum laboris ac periculi oſtenderetur, & voluntario illo deleſtu, praeſia ſtationeſve ipſi excipiebant, ut quies ſeſſo Caeſarianorum exercitui eſſet.

Refert Guiciardinus, idque ego in aliis Patriae monumentis reperi: fuiſſe eo tempore in urbe Andream Barbatum, hominem Auguſtinianum, plauſibili concionum eloquentia, quem audire, populo Mediolanenſi vacaret etiam inter eas miſerias: cujus oratio lenimen quaſi coeleſte miſeriarum haberetur. Namque magna vitae auctoritate Concionator Auguſtinianus, ſolidaque doctrina, & verborum vi, tum acer & ſeverus, tum blandus & mitis, adipectu quoque venerando, & ob jejunia torvo, Gallorum gentem aſſidue infectabatur, qui ſaevitia, & libidine, & moribus ſuis amoenam & piam, & ob merita ſaepe felicem, inclytamque Metropolim, facere Babylonem alteram tentaſſent. Liberatricia Caeſaris arma, brachium excelſum ac forte Leonis, Pharaonem & Aegyptum, & promiſſae telluris bona jam in vicino: Aenobarbi quoque tempora, & ſementem inhumanam ſalis, eoque diro myſterio damnandam iterum aeternae ſolitudini patriam hanc, aliaque profana & ſacra, vetera & recentiora, crebris concionibus arte ſua miſcebat Eccleſiaſticus Orator, attollens partam urbi ſalutem ejectione Gallorum, deplorans atrocia dictu, quae ſub imperio illo paſſi eſſemus, quaeve paſſuri etiam atrociora, niſi longius ejicerentur. Ad haec, Parmae & Placentiae parvarum Urbium noviſſima exempla referebat: quae ſi depellendae tyrannidi pertuliſſent obſeſſae vaſtationem agrorum, famem & caedes, quanto magis adverſus eadem mala durare Metropolim oporteret? His accenſi cives, quibus ſatis per ſe odii, ſatiſque patientiae adverſus imminentem urbi hoſtem eſſet, nihil recuſabant perferre incommodi, nulla munia detrectabant. Conferebant ex privato quidquid pecuniae priori latrocinio ſubtractum adhuc occultarent. Inde ſtipendia exercitui aliquamdiu ſuppeditabantur, dum a Caeſare, non quantum neceſſe eſſet, venit. Cumque aquarias molas, Lotrecus & Scudus circa urbem demoliti eſſent, manuarias invenere ſibi, quarum arte, injuria illa boſtium cluſa, frumenta terebant.

Urbis interim moenia quatiebantur & volitantes ab arce globi majore tamen terrore quam damno ferebantur, credo, quia incluſi illic, & obſeſſi Galli, aut timerent irritare noſtros, aut parcere ſe crederent urbi, cujus nondum tota poſſeſſione excidiſſent. Erumpere enim etiam, accepto in arcem, ab exteriore parte, majore ſuorum numero, parabant, ſpe certa, pellendi Caeſarianos urbiſque capiundae, ſi utraque reſex animi ſententia cecidiſſet, ut & intro accipere ſuos, & una cum eis facere eruptionem poſſent. Quod ipſum, in tempore ſuſpicatus Columna, ab utroque arcis latere per totam hortorum latitudinem, duas ingenteis moles, hinc ad Cumanam, hinc ad Vercellenſem portam opere ſubitario, & nocturno perduxit, & in molis utriuſque capite propugnaculum excitavit. Ibi diſpoſita tormenta cohorteſque ſiſtulatorum prohibere poterant, ne qua in arcem ſubſidia reciperentur, ac ne qua etiam eruptio ex arce fieret: opuſque fuit illud, tum ſubtilitate inventi, tum uſu ipſo praeclarum & militari fama celebratum diu: quod quidem etiam caſus opportunus mirifice adjuvit. Cum enim ea ipſa nocte, quae faciendo operi deſtinata erat, plurima e coelo cecidiſſet nix, uſus Columna beneficio illo, prototypa molium ex nive raptim inſtituit, ſimul ad facilitatem atque deſcriptionem perficiendi operis, ſimul ad tutelam operarum, ut exemplaris objecti mollities ipſa frangeret ictus, ſi qua in foſſores ab arce tormenta diſploderentur.

In hoc ſtatures bellicae Mediolanenſium erant, cum, Leone Pontifice mortuo, ſuffectus ei Adrianus, nondum into Pontificatu, abiens, nomine ipſo factionis, & terrae, unde erat, noſtris animum, hoſti dolorem & ſtimulos addidiſſet. Mox Sfortia ipſe ab Tridento aderat, maximum, ut dixi, levamen civitati, quae defenſores inter & hoſtes adflicta, & oppreſſa, ſub Principe denique nativo, & Caeſaris ipſius auctoritate conſtituto, eſſe reſpiraturam ſperabat. Diſtulerat autem Sfortiae adventum pudenda dictu res, pecuniae difficultas, dum exſuli, propter quem tot millia in armis erant, modicus & neceſſarius ille ſumptus ad familiam fortaſſe inſtruendam, itemve faciendum deeſſet: liberalitaſque Caeſaris adverſus id incommodum fruſtra invocabatur. Scilicet, potentiſſimi Reges, ac Domini terrarum, quibus genus humanum ſervit, quorum gloriae ac cupiditati nationes armantur, queis auriferi amnes fluunt & montium doria perpetuo vehunt argenteas glebas, qui margaritarum denique piſcatu provincias fatigant: hi parvam ſaepe pecuniam in theſauris ſuis fruſtra quaeſiere: ridetque interea cum ſordido ſuo marſupio collybiſta & mercator dives. Sic nimirum etiam Sfortiae huic ad breve iter exiguae ſummae non ſuppeditabatur a Caeſare, qui, ut reduceret eum in patriam, tam grave ex longinquo bellum gerebat. Cardinalis denique Medicaeus, qui Sedis Apoſtolicae nomine bello ei praeerat, adſpernatus in re tanta ridiculum id ac miſerabile impedimentum, procraſtinationeſque Regiorum, depromptit ultro aureos nummos ad novem millia, miſitque exſuli, conditione hac magnifica & prolixa, ut ne aliter quam melioribus poſtea ſuis rebus ille reſtituendi cogitatione ſollicitaretur.

Ad id ſubſidium allevato animo, & laxatis utcumque rerum privaturum anguſtiis, Sfortia profectus ab Tridento, per Veronenſem agrum, Mantuam, inde Placentiam venit. Ab Placentia Ticinum uſque progreditur: ab Ticino Mediolanum ſine mora iturus erat. Id modo inter Duces, praecipuoſque amicorum ambigebatur, ex duobus itineribus, breve, & expeditum, an longius, eoque Gallis inexcogitatum ſequeretur. Nam licet ſex millia Germanorum peditum, equites trecenti, & valida exſulum manus, tenderent una praeſidioque eſſent, placebat tamen reditus incruentus in patriam, & intentos ad prohibendum pugnandumque Gallos fallere cupiebant. Delecta tutiore via, per calles invios, per tranſverſa, per directa, per nemoroſa, per aperta, in pagum, qui, quoniam ſex millia paſſuum ab urbe diſtat, Sextus ex eo dicitur, pervenere. Averſiſſima ab hoſte via haec erat, egreſſuſque Columna obviam novum Ducem, ab Sexto pago tranquilliſſime in Urbem deduxit. Fertur Lotrecus, poſt amiſſum Caeſariani exercitus irruptione Mediolanum, nulli magis rei ingemuiſſe, quam ei, vel errori, vel calamitati, cum furto quodam itineris Sfortia introductus illuc foret: id quod aſſidue proſpiciens ac timens, obſederat ipſe quidem ab Ticino diverticula pleraque & egreſſus fere omneis: ſed uti fit, ad caetera ſolers, in uno coecus aperuerat occaſioni viam, errore, qui tunc demum intelligeretur, cum jam id ipſum intelligere, moeſtum inutileque eſſet. Caetera deinde ad eumdem modum fruſtrabantur Gallorum Duces, neque Lotreco, & Scudo, quidquam magis defuit quam fortuna, cum rebus aliis haud ſane contemnendi eſſent, ita ut plerique Numen inane belli vetere verbo uſurpantes, iniquum Martem eſſe illis dicerent: eaque de fratribus fama in utroque exercitu eſſet. Potius autem infenſa providentia veri Numinis fuit, quae per ea Gallorum infortunia ſtruebat

bat imperio alteri iter, ut reducto exſule, firmatoque Principatu, poſt ejus finem, Provincia Catholicae magnitudini accederet, augeretque eam, & viciſſim ibi exhaurito, quidquid perferendum erat, denique trueretur pace.

Sic abſente Scudo Lotrecus, cum excluſis urbe cuncta camporum teneret, aditum exſuli redeunti in urbem, damno irreparabili dedit, & poſtquam ille cum militaribus pecuniis ex Gallia rediret: intercepto per noſtros, atque ad Aronam obſeſſo argento, irritus fratri jungitur. Mox uterque ad Bicoccam, obſcurum prius, & nobilem poſtea ſemper Gallica clade pagum, cum exercitus pene internecione dimicavere. Quo praelio perditas res, dum Lotrecus ad Regem exculaturus vadit, ſummum Scudi opus fuit, deditis ad quae defendenda relictus erat, pepigiſſe ut redire in patriam poſſet. Rediit cum exercitu, qui ad Bicoccam ſuperſuerat cladi, & Regi jam Gallo ex tota Provincia treis tantummodo arces, Cremonenſis, & Novarienſis & maximum utique, ſed breve momentum, Metropolitana haec, manebant. Quae ultima, ſepulcrum potius buiusmve Gallorum, quam arx diceretur, ſi emortuum jam pene praeſidium, & quotidie immorientes reliqui, ſi pallores etiam luctuſque vivorum, & deſperatio, & rerum omnium penuria quae clauſa ibi & ſecreta ab noſtrorum oculis latebant, in aperto eſſent, qualia, cum deditio poſtea fieret, apparuere. Sed demerſa profunde moles, alte imminens civium tectis, cincta lato foſſarum ambitu, undique armata tormentis, fama etiam & ſuperiorum temporum caſibus ingens, intacta conditionibus, veluti inexpugnabile quiddam, relicta eſt, cum quid intus miſeriarum eſſet, a noſtris ignoraretur.

Ut autem cum exercitu ſuo Scudus in Galliam rediit, tunc, qui ibi relicti in praeſidio fuerant, ſive quia non poſſent ſuſtinere deditius, ſive etiam moerore victi, quod in aliena terra ſe eſſe deſtitutos viderent, nudavere ultro miſerias ſuas, pactique, ut cum veſtimentis, & armis abire ſibi liceret, arcem permiſere Caeſarianis: annuitque Caeſar, ut ea Sforziae traderetur. Id ſolum Duci defuerat, ad ſolidi Principatus ſpeciem, & ut majorum ſuorum fortunam vere recuperaſſet. Ac res magna quidem, ingenſque opus, haud ſine praeſenti Numinis ope effectum ita erat: ſcilicet, dejectis ex confirmata propemodum Inſubriae poſſeſſione Gallis: reſtituta Metropoli ſub imperium, quod pro nativo & domeſtico jam expetebatur: Sforzia poſt graves exſilii ſui aerumnas collocato in ſede, ex qua avus ipſius & pater magnitudini Regum comparati eſſent: Cives tamen ipſi malis fere premebantur iiſdem: & niſi quod barbaricae libidinis ſaevitiaeque exempla depulerant, nihil magnopere erat ex priſtini ſtatus calamitate diminutum. Non enim, vel temporum miſeria, vel aulae miniſtrorumque vitio, aera militaria procedebant, atque id ipſum pecuniae, quod ex Hiſpania, ſive ab Neapoli ad exercitum mittebatur, lentum & inancum fere compilatumque veniebat, ut pene quaſi veniens ex longinquo viator peregrinationis labore conſumtus, ſic pecunia illa multorum lacerata manibus in itineris fine exſpiraret. Et magnanimitate ſua Caeſar tardus remiſſuſque ad cognoſcenda illa & vindicanda, ſtrandi intervertendique licentiam alebat inter ſuos. Hinc licentia major, inſuperque irae victoris & egentis exercitus, ſtipendiaque multorum menſium aſſidue requirens miles, rapere, ſpoliare, aſſueverat, ita ut accepta ab Hiſpanis ſalute, Mediolanenſes praeda iiſdem manerent.

Conſtat, Caeſarianum cum exercitum aliquando ob ſtipendia tumultuantem, cum in hiberna dimitteretur, iviſſe populabundos, ut niſi purpureae cruces (namque id inſigne Caeſarianis) diſtinguerent gentem, manipulos adeſſe Gallorum municipia, & pagi arbitrarentur. Nec abſtinebatur ſacris, quae, religione populi, poſt Gallorum injurias inſtaurata ſtatim & refecta, rurſus militari violentiae ſufficiebant, atque trahebantur ab iiſdem, a quibus defendi & conſervari talia oporteret: majeſtaſque interim erat nulla quae prohiberet vim. Nam Sforziae novo Duci etiam ſua ſponte mitis animus, tum vero mollior fiebat recentis exſilii recordatione & verecundia quadam, velut in alieno imperio, quod armis recuperatum alienis, aliena manu datum ſibi eſſet. Reliqui Duces exercitus, & Praefecti copiarum, obſtricti legionibus, quarum virtute vicerant, cum nihil dare poſſent aliud, hanc fortaſſe praedandi veniam, ubicumque praeda eſſet aliqua, ſicuti ſaepe mos Imperatorius fuit, dabant. Caeſar ipſe nimium abſens: & abſente, ſicuti dictum eſt, adhuc Archiepiſcopo, Sacra per miniſtros regebantur, queis id Paſtorale munus alienigenis, Paſtor etiam alienigena delegarat.

Caeterum, ea populo Mediolanenſi tolerabantur etiam jucunde, ut in malis, quia ſpoliatores circumſpiciendo ipſos, non jam amplius cernebant Gallica illa ora, & petulanti rubore armatos vultus, quorum ipſe adſpectus civitati toti loco calamitatis antea erat. Decem millia nummûm aureorum pronuntiavere Reipublicae nomine exercitui quae darentur, eoque blandimento mitigatus miles deſierat velut in hoſtico agere, & victoriae fructus aliquo modo ſentiebatur, nondum tamen verus ille, & duraturus. Vix totus ab ejectione Gallorum annus exierat, cum varii primum rumores, certi deinde nuntii attulere, Galliam omnem ſtrepere novo armorum apparatu, jam jamque adhore exercitum, cujus inceſſu terram Italiam contremiſcere oporteret. Vocabat Rex Franciſcus ad arma omneis, dictitans palam, ad recipiendam Urbem Mediolanum eſſe mittendos, praeparanſque exercitui itinera & commeatus, rei etiam gerendae conſilia diſponens cum Imperatore novo, qui Bonivetus Galliae Almirarchus fuit. Interiore ſenſu tacitoque conſilio ſtatuerat in Italiam ipſe tranſire, exiſtimans, ducibus ſuis ad eam diem, non tam fortunam defuiſſe, quam curam: idque animi ſui arcanum premebat alte ob diſcordem in ea re matrem Reginam, quae filii caput objectari caſibus nolebat. Verum, & ea, quae aperte moliebatur Rex, & id quod occulte parabat, fuere ſimul in ore famae: commotique Principes & Reges alii, quorum intererat, rem Mediolanenſem, Italiamque totam, in eo manere ſtatu, quo tunc eſſet: adverſus Gallica arma cum Caeſare confirmavere foedus, pecunias, arma, exercitus, tormenta & naves contulere in unum, ut, ſive terra, ſive mari veniret Rex, communi animo obviam irent.

Haec ipſa dum agitantur, & dum Mediolani, ex turbulenta illa pace, triſtique ob militum inſolentiam victoria, bellum etiam quam ſuperiora omnia atrocius exſpectatur, Bonifacius Vicecomes Mediolanenſis occidere Sforziam eſt conatus, ob iram interfecti ejus juſſu Hectoris Vicecomitis, queni ipſe propinquo ſanguine attingebat: & juvenem vulgo Monſignorinum appellabant. De ea caede, in Hectorem patrata, in Sforziam tentata, pauca ſupra repetam, non ſolum, quia res utraque inſignis ad memoriam fuit, ſed etiam, quia caedes illa Monſignorini unde minime crederetur, exorto maximarum rerum motu, Sforziani ipſum rurſus in diſcrimen de ſumma imperii totius adduxit, indeque varietatum humanarum portenta exſtitere, ut, & privatus homo cum Mediolani Duce bellum gereret, & reconciliatus poſtea Caeſari, inſereret Principum famae nomen domumque ſuam, ac ex domo eadem, fratres duo, alter ſummum militiae decus, alter ſummum Orbis regimen obtinerent.

Hector, Vicecomes, cui Monſignorini cognomentum, ſumta fortaſſe prius, dein omiſſa toga, & Eccleſiae honorum rudimenta, tentata primis annis indiderunt, fuit ex Ducis Bernabovis ſanguine, quem ille, ſicut in ipſius Principatu memoravi, ob crebros mulierum amores late diffuſum reliquit. Ex ea ſpuriorum ſtirpe procreatus hic, gloriabatur potius origine, quam erubeſcebat, ſumſeratque inde ultro ſpiritus nimios ac feroces. Aderant divitiae, & magnae propinquitates, & catervae affectarum: hominesque affluenti caedibus ipſius ſumtu, multi palam, alii occulte, in urbe, in domo, foris etiam apud amicos ad nutum intenti herilem alebantur. Vaſtus animus, promtum ingenium, & capiendo conſilio matura celeritas, fermo blandus, obvia munifi-

nificentia in omnes, miraque miſtura, varius, iracundus, injuſtus, inconſtans, idem exorabilis, clemens, miſericors, excelſus, glorioſus, humilis, ferox, cautus, & omnia pariter, ubi res, ubi tempus poſtularet. Inde, Principum etiam externorum amicitia, veneratio populi in eum, & publicus favor, neque abnueret ei quiſquam, juſta, ſive injuſta ingrederetur. Magna ejus merita fuerant in Sforţiam domo Principatuque extorrem, ac toto illo exſilii tempore, tum apud exſules alios, auctoritate, tum apud Principem ipſum, conſilio, ad eos qui domi remanſerant, litteris & nutu, cum Principibus Italis, gratia & familiaritate, Gallorum quoque nulli contemtus aut rejectus, varie ſic adjuverat rem quo maturius exſul in urbem Principatumque reſtitueretur. Ut ceſſere Galli, priſtinaque cum Principe ſuo rediit aula, tunc Monſignorinus ille enim vero apud reducem velut ſuo beneficio Sforţiam, ſtare ante omneis, regnare ſeſe gratia & auctoritate aequum cenſebat. Volebat in primis regere judicia & magiſtratus arbitratu ſuo, facinoroſi ſemper alicujus fautor, ſemperque aliquem eripiens capitali ſupplicio, petens etiam praemia ſibi & honores, ac volens utique anteire Moronum, a quo anteiri ſc. è turpe arbitrabatur. Potiebatur enim aula Moronus, & in novo Principatu cuncta nutu illius fiebant. Cum neſcio quid abſurdi ac violenti die quodam apud eum tentaret, abnuenſque Moronus, ſubnecteret etiam cauſas, quamobrem id fieri non poſſet, excidit hoc Monſignorino verbum: fore ſe aliquando apud ejuſmodi Herum, cui non ſemper Magiſter ab tergo iret: addiditque; telam, quam ipſe texuiſſet, eſſe retexturum eadem manu. Quid poſtea ſermonis, quidve conſiliorum ſuper ea re fuerit Sforţiam inter & Moronum, neſcitur. Monſignorinus certe paulo poſt mandato Moroni occiditur ab Jacobo Medicaeo, qui digredientem cum arcto comitatu alicunde eum ſpeculatus, direxit vulnera, & patrata caede evaſit.

Jacobus Medicaeus, prima juventa ferox, inquies, iratuſque natalium ſuorum fortunae, ex qua nihil niſi inopem nobilitatem, & magnae ſtirpis inane nomen haberet, contractis olim in urbe inimicitiis, & aemulo interfecto, profugus, adjuncta ſibi exſulum manu, qui pulſi dominantium Gallorum injuriis, circa Larium lacum praedabundi vagabantur, caput ſeſe fecerat ad Gallos ipſos quacumque poſſet ope infectandos, rempore ſcilicet eo, eum Sforţia rerum exitum exſpectans apud Tridentum ſederet. Ita, aperto ſibi magnarum rerum itinere, cum juvenum ſuorum globo, die quodam ingreſſus urbem, tabellarium, qui ex Gallia litteras ad Regios miniſtros ferebat, obtruncarat luce palam, quo facinore, omnia Gallorum arcana Caeſarianis & Sforţiae innotuiſſe ferebantur. Ad facinora deinde miniſteriaque cuncta, ubi praeſentia & vigore animi opus eſſet, eum fere adhiberetur, tum vero poſt jactam illam temere ab Monſignorino vocem, potior nemo eſt repertus, cujus manu, Sforţia, & Moronus, ſuſpectum ſibi quidem ſemper antea, nunc ſcilicet etiam aperte minitantem eum tolli poſſe exiſtimarent. Sublato in hunc modum Monſignorino, cum & miniſter caedis, & qui juſſerat caedem, pariter anxii ſollicitique eſſent, obſequique, & mandati conſcientia invicem animos inquietaret, hinc ſuſpicione, ne prodito arcano, potentior quam hodie gens illa Vicecomitum ad arma iret, hinc metu, ne qui prodere poterat rem, ipſe tolleretur: Medicaeus ita procul ab coetu colloquiiſque urbanis ablegatur in Muſſenſem arcem, quae ad radices montis in Lurii lacus littore ſita eſt. Ibi quid paratum interfectori eſſet, anceps opinio interpretantium fuit. Sed ille in tali tempore audendum ratus, data forte occaſione, inſedit firmavitque ſibi arcem: atque ab eo principio, quae fortuna viri fuerit, in tradenda deinceps fortuna Sforţiae caſibuſque urbis exponemus. Nunc novos aneip teſque caſus, & incredibile bellum, quod ab miniſtro magnae caedis Medicaeo hoc imminebat, portendere Duci viſa eſt nova item ac pene incredibilis audacia Bonifacii Vicecomitis, ex cujus domo Monſignorinus fuit. Is namque, deſiderio conſobrini violentus, & avidus petendae ultionis, neque ambigens unde ea petenda eſſet, redeuntem ab Modoetia Principem ſtricto pugione aggreſſus, jugulum primo ipſum appetivit: deinde, cum ictus ille in irritum ceciderit, educto longiore gladio, laevum ejus humerum vulnerat, & quia circumfundebatur a Praetoria ſtatim ipſe cohorte, proripit ſeſe praeceps, ac celeritate barbari equi quo vehebatur, inter tot armatos evaſit intactus. Abiiſſe in Subalpinos ad Sabaudiae Ducem memorant: ibi ſalvum fuiſſe tub Principis tutela, per cujus fines, adfuturo mox Gallorum exercitui iter parabatur. Sforţiam ex tanto periculo ſervarat minima dictu res, humilitas nempe parvulae mulae, quam ad illud ſuburbanum iter forte popoſciſſet. Ea ſcilicet, equi pariter equitisque aſſultu, & micante ante oculos ferro contremefacta ſubduxit conſternatione ſua vulneri ſeſſorem, qui ipſe humilior, venientes in caput alte ictus fefellit proceritate vulnerantis & leviter humero caeſimque excepit. Magnus inde metus erat veluti per miraculum vivo & ſalvo Principi, ne conjuratio civium ea potius quam furor hominis unius fuiſſet: ac vitata urbe Modoetiam reverſus pavebat etiam ibi umbras, ſuſpectaque cuncta habebat. Moronus & Columna, ad ejus rei nuntios, protinus excitato ſatellitio turbavere quaeſtionibus urbem: judiceſque & ſcribae, importuno ſun more confecere volumina, queis confeſſiones, & indicia multorum inerant, quaſi genus omne Vicecomitum, & eis adnexi alii manifeſtae conjurationis tenerentur. Tormentis enim & carcerum vi, fraudibuſque ſuis cogebant homines ea de ſe confiteri, quae ne cogitaſſent quidem: adeo non moliti eſſent. Re autem vera fuit nihil aliud, quam impetus, & ira Bonifacii illius, privatumve conſilium, quo vitae ſuae diſcrimen contempſit, dum ulciſcenda conſanguinei nece, ſolatium animo praeſens, gloriam nomini apud poſteros quaereret. In eo fervore judiciorum, Epiſcopus Alexandriae, frater interfecti Monſignorini, ſentiens in ſe quoque ire diligentiam & deſtinata Judicum, antevertit ultro, ſeque in quaeſtionem obtulit, ne fortaſſe violentius duceretur. Nec ideo effugit injurias ac ludibria fori: & poſtquam profani Magiſtratus Epiſcopum rite interrogavere, lictor etiam injecit manum, atque in Cremonenſi deinceps arce captivus ille erat. Et Mediolani quidem ob temeritatem hominis unius caſumque Principis, bellum hoc in fortunas & capita civium gerebatur: hoſtes vero Galli, jam occupato Alpium tranſitu, bellum urbi aliud ferebant, ipſi quoque detecta in Regem ſuum conjuratione turbati inter ſe & paventes, quatenus ille exerceret iras. Quae conjuratio, non ficta calumniis & adulatione magiſtratuum, ſed magnis, & infelicibus Borbonii conſiliis inſtructa tenuerat nunc domi Regem eum, ipſumque Borbonium rebecta patria fugientem manifeſtae rebellionis poenas adjunxerat Caeſari, & inter noſtros poſtea Duces ille fuit: nec tamen exitu meliore, quam qui fere transfugas & proditores Principum ſuorum, etiam apud eos, quos antepoſuere, ſequi conſuevit.

Galli, ſuperatis Alpibus, ſolita felicitate gentis circa initia rerum, primo ſtatim incurſu cuncta trans Ticinum amnem tenuere, mox ipſius quoque trajectu amnis, ingenteis & fortunati nimium, ac prope incruenta expeditione, ſi extrema primis reſpondiſſent, ac niſi coeciſſet eos violentia & altitudo cauſarum inexſuperabilium, quae ſolidam ullam umquam in hac terra contingere Gallo victoriam prohibebant. Nam alioqui tempore eo aperta ad urbem & obvia cuncta venientibus fuere. Princeps ipſe vulnere licet levi debilitatus ob metum, & ſuſpecta conjuratione, animo magis quam corpore aeger. Offenſa, & pavida, & irata pleraque nobilitas terrore & acerbitate quaeſtionis, cum ob facinus unius, univerſi inquietarentur. Moenia quoque urbis quaſſata paſſim & fracta ſuperioribus bellis per crebros hiatus ruinaſque pate ſcenteis aditum hoſti praebebant. Columna morbo implicitus jacebat, qui, ſive fortuitus, ſive inſectus, ut creditum eſt, veneno, ultimus certe ei fuit. Reliqui Duces eum ob valetudinem adſpernabantur, ob ſummum belli regimen oderant. Igitur ipſe tantum

tum praeſidii deprehenſis in eo ſtatu rebus afferebat, quantum poterat & natura cunctator ac lentus & moriturus brevi. Circa lectulum hujus, habito conſilio de ſumma rerum, ad caetera diſcordes, & mutuis odiis infenſi, communi animo ſententiam hanc dixerant, ut relicta Metropoli, ad Novocomum, ſive ad Ticinum evaderent fuga, prout hoc, ſive illud iter, alterutro venientes Galli vacuum opportunumque reliquiſſent.

In tali diſcrimine ſervavit urbem cunctatio hoſtium prope fatalis, qui tranſgreſſi celerrime Ticinum, morati deinde circa flumen, poſt aliquot dies ad Clarae Vallis Monaſterium tranſtulere ſegniter caſtra. Ibi, triginta millibus armatorum, occupatis late campis, & circummiſſo ad Modoetiam quoque minore exercitu, ne quid commeatuum alicunde veniret, decreverunt expugnare lenta fame urbem, quam ſine mora ulla capere potuerant, ſi, quemadmodum a Caeſarianis factum antea erat, quo venerant die, intrare apertam deſperatamque voluiſſent. Obſidionis mala cito vertere in ipſos, ita ut Mediolani tum ex antepraeparato ſuppeteret annona, tum equites noſtri egreſſi praeſidio ad ea, quae ſupportabantur, ſecundis etiam aliquot certaminibus affligerent Gallorum equitatum: ejuſque detrimenti fama Gallum Imperatorem inter ſuos vexabat. Simul Helvetii, qui in eo exercitu erant, ob frigora tumultuantes, perpulere, ut caſtra retro Ticinum verſus moveret, aegre cohibitis noſtris, quo minus terga abeuntium laceſſerent: quod ſi factum eſſet, non dubitant, quin torpida, & rigentia membra aegre moventes, atque profectionis etiam ejus ignominia conſternatos (& erat nivalis forte dies) opprimere Caeſarianus exercitus potuiſſet, recens nimirum ab urbanis hoſpitiis, unde ſpe optima & ignium tepore alacer in pugnam iret. Sed Columna, praeterquam quod cautus natura & lentus tuta conſilia ex ratione, quam proſpera ex eventu ſemper maluerat, etiam tabe morbi, & pavore ſupremorum alienatus fere a communi ſenſu abnuit diſcrimen, & ſicuti vocibus poterat intermortuis, diſſeruit pauca in eam ſententiam: contentos ipſos eſſe debere, quod cunctando & ſedendo abire prope a moenibus hoſtem coegiſſent. Galli, quacumque irent, ferro & igni cuncta permiſcenteis, incenſo Roſato municipio, praedati quidquid obvium fuerat, ad Abiatum conſtitere, qui locus quatuordecim millia paſſuum ab urbe eſt: & quia ſatis validam, uti tunc erant munimenta, arcem habebat, idoneus viſus, ubi nova auxilia Helvetiorum, quae mittebantur ab Rege, exſpectarent.

Ferme ſub id tempus, quo Gallus Imperator reducto ab Clara Valle caeteriſque ſuburbanis locis exercitu, & amiſſa occaſione capiendae urbis, nullum niſi triſtem de tota expeditione nuntium mittere ad Regem poterat: Cardinalis Medicaeus, qui ipſe in parte foederis adverſus Gallos inti, Leoniſque animorum heres fuerat, Pontifex Max. renuntiatur. Id accidit quinquageſimo die, poſtquam Adriano mortuo, Patres intra Conclave abditi, ſtudia ſua, & altercationes, & aſtus conſumſerant in eare, quae divino ſemper nutu peragitur: & mores negotiationemque mortalium excelſa Numinis benignitas ac providentia admittit illuc, unde tamen mortalitas tota arcetur. Nec ſine Cardinales antea in ullo alio Pontifice tam intentis animis altercati erant. Creatus hic, Clementem VII. dici ſe voluit, vel appropinquante celebritate Divi ejus, vel, ut nominis manſuetudine ſpem omnibus faceret, nullius offenſae, nullarum ſeſe inimicitiarum memorem, paterno in genus humanum ſpiritu nova incuntem itinera vitae, capeſſere faſtigium illud. Nota tamen erant, & celebrata ſermonibus, in Caeſarem favor, in Gallos alienatio, ſtudium rei Mediolanenſis, & foederis neceſſitudo, quo ſeſe olim urbis ejus cauſa illigaſſet. Ea Mediolanenſibus, & defenſori Mediolanenſium Hiſpano ſpem animoſque addiderant, Gallorum genti incuſſerant ſollicitudinem atque invidiam, & moerorem, ſi ſemper infenſum ſibi, ſemper Hiſpanae factionis Pontificem habituri eſſent. Super omnia urebat animos recordatio Leonis odio-

A ſa genti, quod eo ſcilicet Pontifice adverſus Regem Franciſcum ineunte foedera, Pontificatus opes ad arma conferente Hiſpanorum, ejecti Mediolano eſſent, quam nunc fruſtra repetentes urbem, in hoſtili terra conflicturentur. Pontificis nempe ejus conſanguineum, gentilem, heredem, ſpiritus animoique retuliſſe eoſdem, imbutum eſſe conſilis illius, & pari cupidine tollendi in perpetuum ex Italia Gallicum nomen, ne ad recuperandam urbem Mediolanum adſpirare umquam poſſint. Eadem apud Regem Franciſcum quamquam falſa agitabantur. Hunc etiam angebat conſcientia dati per ipſum veneni, vel certe, credito, tamquam dediſſet. Succeſſorem ſimul & ultorem adeſſe.

B Mediolani moritur iiſdem diebus Proſper Columna, veneno amatorio, ſicuti creditum eſt, illigatus, manſitque inter annalium monumenta Clariae meretricis nomen, quae depererit virum. Eam Bonivieto uſque eo cordi fuiſſe, adeo, ut cum ab Clara Valle moturus caſtra eſſet, miſerit in urbem Galeacium quemdam, qui viſeret feminam, ac de inclyta pulchritudine ejus comperta & ſpectata oculis referret. Columnae morte, ſumma rei militaris redierat ad Carolum Lanojam, qui Neapoli pro Rege erat: jamque ille ob Gallorum adventum & Columnae valetudinem provinciae metuens, delegata Regni cura aliis, profectus inde cum valida equitum peditumque manu adventabat, ita moderans iter, ut

C ne prius ingrederetur urbem, quam Columna, qui jam nulla in ſpe trahebat animam, exſpiraſſet. Id bonori hominis dederat, caveratque laudabili modeſtia, ne propere intrando praecepiſſe imperium, & viventi quodammodo ducere voluiſſe funus videretur. Paulo poſt Borbonius ipſe aderat transfuga Regis Gallae, ſicuti dictum eſt, novus Caeſaris amicus, anxia ſedulitate ad probandam oſtentandamque fidem, ne intentis in ſe totius aulae oculis & ſuſurris, ulla, vel actione, vel voce, vel motu vacillans ambiguſve reperiretur, utque probaret omnibus hoc ipſum, quod a priori aula, non ingenii vitio, ſed coactus invituſque deſciviſſet. Vicifſim Caeſar abſens, & occulto ejus nutu Sforzia, & Lanojus & Davalus, caeterique intenti, ne proditor ob-

D ſervari ſeſe intelligeret, neve intelligere ipſi, aut meminiſſe viderentur illud, quod ſui Regis defertorem in exercitu baberent. Inde, liberalitatis & diligentiae certamen, qualia ſolent initia eſſe omnibus, qui tranſiere ad hoſtem. Borbonii tranſitione hujus, adventu Lanojae, foederatorum auxiliis, exercitus noſter, cum, & ducibus, & milite inſtructus egregie eſſet, dividitur bifariam, & parte relicta una ad cuſtodiam praeſidiumque urbis, caeteri Ticinum tranſeunt ad ea recuperanda, quae hoſtes ab repentino Alpium tranſitu tenuerant: ipſi ſtatim ad eadem defendenda concurrunt: pugnabaturque levibus praeliis, quorum taedio, &

E damno Bonivetus ad univerſam rei dimicationem venire concupivit. Sed detrectavere noſtri, non, quod animis, aut ulla virium parte inferiores eſſent, ſed quia ferociam imitari Gallorum nolebant, quos fatigari & diſſolvi, compellique domum poſſe cunctando ſpes erat, ſicuti etiam evenit. Bonivetus ingentia de ſe principio pollicitus Regi, ipſo etiam expeditionis initio non infelix, mox occaſione felici improvide abuſus, ſeſſus poſtea rebus ambiguis, ſive infauſtis, relinquendae Italiae conſilium cepit, redienſque in Galliam, nullius bene geſtae rei gloriam ad Regem ex provincia Mediolanenſi tulit, niſi quod quatuordecim millia nummûm aureorum, quae Caeſar ad exercitum mittebat, inter-

F cepiſſet. Abeuntes Subalpina Regione Gallos, qua etiam irruperant via, Eporoediam uſque perſecuti noſtri, partem impedimentorum, & pleraſque bombardas relinquere coegerunt. Quo minus etiam convertere agmen, atque in aciem adſiſtere cogerent, ea res obſtitit, quia, nec totus exercitus ductus erat ad perſequendum, & Venetorum auxilia, ſimul atque fines Sabaudiae Ducis attigerant, negaverunt habere ſe id ab Senatu ſuo mandatum, ut in ea terra veſtigium ponerent: ideoque progredi ulterius recuſavere. Bonivetanae expeditionis in Mediolanenſes exitus hic fuit, cujus infortunio Rex

Gal-

Gallus irritatus, abruptis quae obſtabant, venire ipſe Mediolanum, & fortunam experiri decrevit. Quod decretum atque conſilium optimi & generoſi quidem, ſed in re iſta Mediolanenſi ſemper infelicis Regis, qualia rerum humanarum, & fatigii Regalis ludibria exhiberit, poſtea narrabitur. Juvenemque Regem, poſt priſtinos infelices conatus, toto nunc potentiae ſuae molimine ingreſſum feliciter Italiae fines, capta ſtatim urbe Mediolano, caetera obſidentem, & Neapolitani quoque Regni jam prope Dominum, mox, dum ſuo corpore miſcet certamina, ſternitque hoſtes, in medio fervore pugnae, ſuffoſſo equo ſtratum humi, captivum inde, & per alium aliumque carcerem ductum in victoris Caeſaris aulam, cum vetere novoque Regno factum alieni juris, vitam denique & ſpiritum ab hoſte deprecantem exhalabo.

Sed prius exponam Urbis noſtrae caſum longe foediorem etiam, quam ille hoſtis Regis fuit, exorta ſcilicet interim peſtilentia, quae, dum Rex ille ab domo exercitum movet, dum tranſit Alpes, dum expedito agmine adventat, ſine telo, ſine ſanguine, tabe funeribuſque debellaverat urbem, & vementi infeſto Gallorum exercitui, reliquias civium quaſi devinctas & ligatas, pateſactis mnenibus, ac remoto omni portarum, obice obtulit. Initia mali ad Abiatum, quo Bonivetus ab Clarae Vallis Monaſterio cum exercitu ſeſe contulerat, extitere. Inde, brevi confinio, facilique trajectu pervenere in urbem, & corripuere cuncta, manante ſcilicet paulatim per corpora, per domos contagione rerum earum, quas ſordidi, & marcidi putreſque Galli, cum inde pellerentur, reliquerant. Ac primo quidem, milites noſtri, rerum earum contactu, & aegri erant, & moriebantur. Poſtea, qui curant eos, quive inviſunt, aut miniſterio aliquo contrectant, propinqui, familiares, amici, etiamſi nihil aliud, quam ſpiritum habitumve communicarant, commercio illo trahebant lucm, atque ad alios deinde perferebant. Hi rurſus, alloquio vel adſpectu contaminabant plures, & a pluribus ad univerſos permeanre morbo, citius quam credi poſſet, urbs tota exhauriebatur, populuſque morientium erat, jacente paſſim alio mortuorum populo, cum ne ſolita quidem ſepeliendi cura maneret erga id, quod ſemper ab ſuperſtitum oculis & communi luce ſubmovetur. Haec ipſa injuria cumulus alimentumque mali erat. Jacebant enim ſtrata per vias, perque vacuas domos cadavera, & ſimilem exitum exſpectantes eos, qui ſupererant, peſtifero odore, nec minus triſtitia, & praeſentis imagine mortis, ut in eoſdem ruere acervos quamprimum cuperent, quod unicum remedium calamitas ipſa afferebat. Sublata ſenſus humani conſuetudo: & quos tabes illa infecerat, aut neglecti deſertique moriebantur, aut, ſi quis aſſidere voluerat, fiebat ipſe caeteris exemplum ne cunctaretur adſidere quiſquis mori, & finire miſerias vellet. Neque ſolita effugia dabantur in villas amoenoſ ſeceſſus, cum etiam illi qui rure agebant, conditioni urbanorum inviderent, ac proripere ſeſe eodem conantes, caderent in itinere ipſo, & cadavera ſua, ceu fugae veſtigia infelicis ſpargerent. Moriendi tamen celeritas, agreſtibus juxta, & urbanis, levamento erat adverſus rerum omnium egeſtatem, cum tota civitas, & vicina pariter ac longinqua rura, per aliquot jam annos, inter maximorum exercituum, lingua moribuſque diſſonas, licentia & rapacitate ſimillimas gentes, ſpoliata, & exhauſta, & vaſtata, ne vulgaribus quidem & quotidianis alimentis ſufficerent, adeo pharmaca, hauſtuſque delicati, & mollior aegrotantium victus deeſſet. Vix ampli negotiatores, & olim opulenta nobilitas, ob recentium bellorum injurias deſerto agrorum cultu, reque coarctata familiari, peſtilenti illo tempore propulſabant famem. Egens vero ſemper populus, & miſerrima pauperum multitudo contabuerat fame niſi velocius aliud malum remedio eſſet. Et miſerabilis adſpectus interea erat manducare volentium inimica palato, & in ipſo manducandi conatu ob peſtem alteram exeunte vita. Sed & aliae triſtiores formae mortis traduntur, quas referam, ut ex comparatione temporis ejus agnoſcat omnis populi Mediolanenſis aetas, quanto mitius in ſe agat Numen. Neque enim talia exempla coeleſtium irarum, vel rediiſſe unquam, vel in poſterum rediturа eſſe arbitrabamur.

Una, nec inhoneſta, domus fuit, quae ante illam peſtilentiae calamitatem, ab Gallo violentus & rapinis, ab Hiſpano tributis, & immodico exactionum pondere afflicta, nuditatem & famem aegre tolerabat. Ubi graſſari morbus totamque depopulari urbem coepit, domum etiam hanc irruit inter primas, ſcilicet affectis jam corporibus animiſque, & parvo illo ſordidulogue grege conferto intra anguſtias humilis tecti. Omnes ibi exanimes ab iis, qui forte ingreſſi erant, reperti ſunt, ſed alius alia facie lethi melioreque poſtea civitatis ſtatu celebrata ſermonibus res digna eſt viſa pictoribus, qua certatim exprimenda ſpecimen gloriamque artis oſtentarent. Collapſa repente retro mater iregerat illiſum pavimento caput, & fuſa per plagam viſcera eernebantur. Duo lactentes adhuc infantes, nullo materni caſus intellectu adrepſerant ad notas ſibi papillas, & emortuo illic lacte irriti mordebant alimenta ſua ſiccatoſque fontes, & ſpiritum ultimum morſu exhalabant: caetera grandioſcula, & propter aetatem tamen ſecura proles circumfuſa mortuae parenti, aut mandendo ſimplicieter terendoque dentibus aliquid exſpiraraat, aut incertum relinquebant in adſpicientium animis, contagio, an fame, exſpiraſſent. Ac deforme dictu: liberorum pater, mulieris maritus, victo nihs animo, cunctantem mortem ultro accerſierat, vitaeque ſuae attulerat vim, & pendentem ab jugulo nodum notavere, quo ſeſe examinarat. Talia viderat retuleratque vicinorum aliquis, funeſtam eam forte domum ingreſſus: caſuſque ille aſſuetudine quotidiana horribilium ſpectaculorum, quamdiu manebat peſtis, in levi habitus, ubi haec abierat, ſalute urbi reddita, in novo deinde populo, materies, ut dixi, artificum etiam ingeniis fuit. Pleraque alia generis ejus, & narrabantur ab iis, qui publicae cladi ſuperfuerant, & inde audita ſcriptores etiam litteris mandavere. Vigiles, qui excubias in arce agerent, examines in foſſam eſſe delapſos: Praefectum ipſum arcis, dum circuit muros, cuſtodiaſque obit, repentino peſtilentiae ictu praecipitatum, abſumptum illic praeſidii robur, ut niſi propugnacula, & bombardae, & turres, & portae cataractae conſpicerentur, nihil fere arcendo & deterrendo hoſti ibi eſſet. Senatores, & Principes urbis, quoſve alios, in tanto ſine vitae diſcrimine cura aliqua publicarum rerum attingebat, dum congregantur utique conſultandi cauſa: dum ſententias dicunt: dumve ab inconſulto illo conſilio redeunt domum, infimae plebis ſorte corruentes, ſive domi manſerant, pari exitu, reliquerant fere abſque regimine urbem, & quibus ſaevitia morbi peperecerat, confuſo jam nobilium ignobiliumque diſcrimine, auctoritas nulla eis, & providendi jubendive quidquam irritus labor. Dum cadunt atque coacervantur promiſcue clari ſimul & obſcuri, virorumque & feminarum cadavera ſine ullo intuentium pudore jacent paſſim ita uti naturae ſimplicitas & miſeria ſeſe habet, ipſi etiam inter ſe vivi nihilo plus pudoris ac verecundiae retinebant. Tamquam mox amiſſuri vitam, ad id quod aderat praeſenſque erat, deſperate & inverecunde plerique ferebantur: & certa ante oculos mors, quae ſuprenii judicii terrore flagitia inhibere debuerat, eadem erat velut illico moriturіs incitamentum, ne ſcilicet uſurpare cunctarentur laſcivias, a quibus in perpetuum abirent. Valuit apud alios objecta oculis animoque ſpecies diſſolvendae mortalitatis, futurae vermibus alimento, & abiturae in vermes, quodque longe terribilius, os immane Orci, praeſens Tartarus, ſempiternae flammae, & ex diverſo, beatioris vitae praemia, quorum ſpe ac meditatione multi innoxie ſancteque agebant: taliumque pia facta & mortes ipſae nobilitavere deformem eum annum. Nam divino vere Spiritu feminae virique, pedibus nudis, cincti funibus colla, & voluntario frequenti verbere fundentes ab humeris ſanguinem, expoſcentcis flebili voce coeleſtem veniam adibant templa, interimque tamen urente intus

peſte

peſte abſumti nonnulli eorum cadebant, teſtati ſplendoreotis, quod ejuſmodi morte vitae poenis eximerentur in coelum, nec poena ſed praemium ipſa eſſet mors. Jam inclytae animae ſubſidia urbis, apud ſuum pars utraque ſexum, functae erant Apoſtolico munere: cibos & hortamina egenis tulerant: quid poſt mortalem hunc ſpiritum reliquieſſet, docuerant ignaros, ſive nihil tale cogitantibus injecerant alterius vitae curas, ſpemque aut metum. Jam veteris quoque Tobiae erga inſepultos ſtudio & caritate, quantum potuerant in tanta ſtrage aſſequi, per ſe, per alios, adlaborarant, ne corpora exanima in publico & aperto putreſcerent, & Paſtores iſti haud dubie Urbis in tali tempore fuerant. Nam abſente, ſicuti dictum eſt, Pontifice Urbis, mercenarii miniſtri, quibus interim Civitas commendata erat, minime movebantur animarum clade: ac ſicuti lupo ſuperveniente, cuſtos alieni gregis dat impigre terga, deſeritque nihil ad ſe pertinentes oviculas: ita conductitii illi curatores, nulla alia quam farcinarum & peculii ſui ſollicitudine ad prima peſtilentiae ſigna, ſublatis callide rebus, abierant domum.

LIBER IX.

PLACATO tandem Numine, annoque circumacto peſtilenti (is fuit humanae ſalutis milleſimus quingenteſimus vigeſimus quartus) Populus & Reſpublica Mediolanenſis, ignobili parvae urbis populo, quam Metropolitanae Majeſtati ſimilior erat: & ſicuti corpora momento uno diſſolvuntur, tardis incrementis augeſcunt, lente ab nova ſtirpe renaſcebatur. Rari & attoniti qui fieri parentes poſſent: vacuae pleraeque domus: inania Procerum etiam tecta: parvi magnique penates juxta deſerti: compita, & viae, & fora illa calcata tantae quondam multitudini herbeſcebant agreſti ſimillima ſolo: & ſinguli civium velut attollentes ab tumulo caput, itatam adhuc fuſcumque lucem adſpicere ſeſe putabant. Manſueviſſe coelum, inhibita eſſe peſtilentiae tela, tutam eſſe ſibi vitam, vix fides. Et erant iſtatamen, licebatque jam creſcere, & novam ſobolem reparare urbi, cui Rex Gallus imminebat, ut ſtatim victor, poſtea captivus eladem ignominiamque inde aegre elapſus vincula, referret domum. Incitaverant deſtinata ejus Caeſariani ipſi, illato in Regni fines bello, Maſſiliaque per quadraginta dies diverberata, & quaſſata, non tamen capta: quae oppugnatio poſtquam irrita fuit, confirmato ob eam rem animo, & ad veterem impetum addita recenti ira, parem eis animis offenſionique exercitum celeritate mira in Italiam rapit. Simul Duces noſtri, cognita profectione Regis, timentes urbi Mediolano, quam, & relicti illic praeſidii tenuitate, & eo ipſo quantulocunque praeſidio, ſicuti demonſtratum eſt, abſumto, apertam fore hoſti proſpiciebant, concitato ab Maſſilia navium curſu legentes oram proſpera velificatione Monoeci portum tenuere. Ibi expoſito exercitu, tormentiſque membratim in jumenta impoſitis, pari fere cum hoſtibus gradu, diverſo itinere procedebant, ita, ut eodem die Galli Vercellas, noſtri Albam pervenirent. Inde, & hoſtes, nemine prohibente, trajecto Ticino, Mediolanum verſus recta contenderunt: & Caeſariani praemiſſo jam ad providenda quae tempus moneret, Hieronymo Morono, quanta maxima poterant celeritate ſubſequentes, antevenire ſeſe poſſe Gallum ſperaverant. Sed Moronus, ubi ſolitudinem urbis, vaſtaque & ſqualentia cuncta vidit, relato etiam mortuorum numero (centum quadraginta millia periiſſe conſtabat) ſqualens ipſe & confuſus, deſperata deſenſione, ultro rogare & hortari cives inſtitit, ut ſaevienti fortunae ſubmitterent capita, neve Gallo venienti ſaeviendi inſuper materiem praeberent. Acciperent exercitum Imperiumque cui fruſtra reſiſteretur: Id Sforziae, id Caeſari gratius fore, quam ſi pauci & invalidi tot armatorum millibus offerrent ſeſe trucidandos. Satis ſpectatam eſſe populi Mediolanenſis virtutem: nunc ſaluti conſulendum: generoſa pectora melioribus ſuis & Reipublicae temporibus reſervarent: memorem Sforziam fidei civium optimorum: ſi cedendo tempori conſervare eos potuerit, adnixurum, ut priſtina quoque ipſorum gloria recuperetur: vindicem fore Deum, nec homines vitio daturos, quod in manifeſto diſcrimine cauta conſilia temerariis antetuliſſent. Haec & alia praeſentium miſeriarum ſolatia & hortamenta, ſuadente deſperatione Moronus admovebat civium animis, qui adventantium fama Gallorum undique exciti, concionis more circumſteterant virum, & in tam dubia re, quidnam ille afferret, ſuſpenſi ab ipſius ore exſpectabant. Ac caetera quidem ejus miſerae conſolationis peregit Moronus apud Populum Mediolanenſem, quomodo quilibet etiam alius orator, deſperatarum rerum ignominiam & pudorem elevare verborum arte potuiſſet. Illud vero novum & ſingulare, & ad Chriſtianos animos maxime efficax attuliſſe eſtwiſus, quod in excuſanda deferendae urbis neceſſitate, tenerrimam illam Evangelii vocem uſurpavit, qua Salvatorem in extremis ſuis rebus mortalitate ſuccumbente eſſe uſum tradunt. Praefatus enim, ut in paribus animi tormentis, verbum uſurpare idem licitum ſibi eſſet: *ſpiritus quidem promtus eſt*, inquit, *caro autem infirma*: & reliqua deinde, ſicut expoſui, ſubjecit.

Ab ea concione, datis quibuſdam propere mandatis, & firmata, ſicuti potuerat, arce, Mediolano egreditur: ac vitata militaris viae celebritate ſeſe Ticinum confert, qua in urbe Caeſariani duces cum Franciſco Sforzia exercituque toto ſubſiterant. Sub ipſa urbis ejus moenia Sforziam reperit egreſſum impatientia diutius exſpectandi quid ipſe renuntiaret. Ubi, perditas res, jamque tenentem Metropolitana moenia Gallum accepit, pauca cum Morono eodem ſecreto colloquitur: deinde recipiunt ſeſe una intro ad Caeſarianos, ipſos quoque intentos in nuntium, unde cuncta pendebant. Quidnam illud ſecreti ſermonis, quaeve ſuſpicandi cauſa Caeſarianis fuerit, neſcitur. Ex eo certe die, Sforzia & Moronus in Caeſariano exercitu haud ſecus adſpiciebantur, quam ſi Gallis Metropolim ipſi prodidiſſent. Et eae deinde ſuſpiciones ab qualicumque ortae principio, caetera addita offenſione animorum, ſive, per artem & calumniam arrepto quolibet obtentu, in tantum exceſſere, ut apud Caeſarem graviſſimo rebellionis & ingrati animi crimine Sforzia accuſatus inſeſtam inter miſerias & pericula vitam ageret, atque parta de Gallis victoria, pro hoſte ipſe haberetur: quas Principis infeliciſſimi calamitates, & ejus negotii exitum reliquoſque Sforziae caſus ad finem uſque vitae ſimul & imperii, in ſequentibus libris demonſtrandi locus erit.

Nunc, perculſis repentino caſu Caeſarianis, Rex Franciſcus ſine certamine victor Metropoli inſtabat adeo non repugnanti, ut imperium accipere ejus, cum bona prioris domini venia, communi ob recentem peſtilentiam approbatione famae, Superûm etiam quaſi juſſu parati illic cuncti eſſent. Ille enim vero, neque ingreſſus urbem, neque ingredi paſſus quemquam ſuorum, tantum collocato circa moenia praeſidio & conſtituta obſidione arcis, gravi propoſito edicto, ne quiſquam Mediolanenſium ulla injuria violaretur, inſeſta ad Ticinum ſigna repente convertit, ne urbem ſcilicet eam ab tergo relinqueret, idque caput eſſe belli dictitabat. Caeſariani Duces, jam oppido probe communito, circa urbes diviſi alias, in rei Ticinenſis eventum intenti, ſeſe ad Metropolim denuo recuperandam accingebant. Miſerant Borbonium in Germaniam ad conducenda gentis ejus aliquot millia. Sforziam & Moronum interim, neque ut palam irati tractabant, ne alieno tempore exaſperarentur, neque ut incauti, ne ſuſpecta jam eorum fide, locum novae fraudi aperirent. Angebantur difficultate pecuniarum, exiguis, ut ſemper, ac lentis ab Caeſare ſubſidiis, & mutata Pontificis voluntate, qui in minore ſua fortuna, arcendis Italia Gallis, ut demonſtravi, foederatus, abnuebat nunc omnem armorum ſocietatem, Apoſtolicoque nomini indecoram eſſe profitebatur. Florentini item antea foederati & moniti jam ex foedere, quibus auxiliis Metropolitana res indigeret, conſentanea quaedam alienationi Pontificis reſpondebant. Paria re-

referebantur ab Venetorum Senatu, qui prudentiae ſuae genere, conſilium ex inclinatione rerum capere ſoliti, poſtquam cum magno exercitu prope victorem in Inſubria ſenſere Gallum, jam amicitiam armaque illius ſpectantes, non teneri ſeſe arbitrabantur foedere, quod fortuna inutile feciſſet, & haud dubie immutati verba pro rebus dabant. Alienatis ita multorum animis, & ob res adverſas, utri ſit, quotidie magis detecta mutatione voluntatum, res una tamen exercitu noſtro ducibuſque Caeſarianis adjumento erat, quod, mirum, Rex Franciſcus aggreſſus magno impetu Ticinenſis urbis moenia, & praeſidii robore, & oppidanorum virtute inde repelleretur. Atque dum Gallus ibi tempus terit, & nunc dimovendo avertendoque amni, nunc agendis cuniculis operibuſque fruſtra fatigat militem, interim confirmati noſtri Helvetiorum auxiliis, quae Borbonius adduxerat, & animorum fiducia, minime dubitabant, quin recepturi Metropolim brevi tempore eſſent, & excitata ſic priore fortuna, dejectum Italiae finibus Gallos. Spem quidem illam, ut Rex etiam ipſe caperetur, utque tantum munus in Hiſpaniam ad Caeſarem poſſent mittere, nondum credo agitabant.

Cum noſtra hoſtiumque negotia in hoc ſtatu eſſent, & Gallus, quia Mediolanum haberet in poteſtate, mox caetera ſeſe habiturum ſperaret, Hiſpani, quia oppidi unius irrita oppugnatione detinerentur, frangerenturque hoſtes, propediem crederent fore debellatum: tempus id opportunum tentandae pacis inter Reges viſum eſt Pontifici Clementi, dum ſcilicet ſpes utraque victoriae pignora manibus teneret, dum Rex etiam uterque vinci ſeſe poſſe arbitrari poſſet. Sane Pontificis ejus animus initio fuerat, ne ſeſe immiſceret Regum armis, & diſpari quondam ſtudio molitus bella, factiones foederaque amplexus, famam nunc ingentem illam & Apoſtolicae majeſtati conſentaneam adamarat, ut Pater humani generis, publicae pacis cupidus, turbarum inimicus omnium haberetur. Caeterum, ſecuritatis etiam ipſe ſuae cauſa, dederat hanc occulte Gallo fidem: cum bona ſua pace Mediolanenſem expeditionem eum ſemper eſſe obiturum, neque ab Roma quidquam umquam ad eam rem ei fore impedimento. Pollen, Gallicas quoque copias cunteis ad Neapolitani Regni damna tranſmiſerat per Eccleſiae fines, cauſatus apud Hiſpanos hoc ipſum, quod niſi exercitui infeſto praebuiſſet iter, averſurus in ſe bellum fuiſſet. Demum haud procul jam aberat ab eo, ut Gallicae potius quam Hiſpanae factionis diceretur, indueratque in communem ſeſe laqueum, nec ferme ſentiebat. Implicatus ita & haerens, ſuſpectanſque multa & viciſſim ipſe ſuſpectus mittebat crebras de pace legationes, in Inſubres quidem, ad Galium Regem, ad Lanojam, ad Davalum: in Hiſpaniam vero, ad Caeſarem ipſum, eiſque legationibus miſcebat conſilia, preces, & Apoſtolicos hortatus, & quidquid a Pontifice Maximo communis otii cauſa dici Regibus poſſet. Reputarent incerta belli, & longinquam ab domo militiam, & ancipites caſus, & tot infidas ab utraque parte victorias, & tantum Chriſtiani ſanguinis hauſtum jam & hauriendum. Conditiones quoque proponebat, utiles utrique parti, ſicut arbitrabatur ipſe & honeſtas: ut Regis Franciſci filius natu maximus, ab Caeſare Dux Mediolani appellaretur: pro eo munere Caeſar ipſe pecuniae ſummam acciperet quantamcunque dari juſtum foret. Ita rem Mediolanenſem, extra Gallici Regni corpus, & Caeſarem, ejus dandi, vel adimendi Principatus auctorem fore.

Nuſquam ea ſecundis auribus accepta ſunt. Negabant Hiſpani, glebam unam Italici ſoli Gallis umquam eſſe relicturos, inſuperque tacitis indignabantur, quod conſilia pacis & hortamenta ſibi mitterentur ab eo Pontifice, qui relicta foederis fide, ſeſe manifeſte feciſſet hoſtem, hoſtiliaque jam coepiſſet. Rex Gallus, capta jam Metroppli, & Neapolitanae conquiſitionis vanitate vitioque nativo inflatus nihilo acquiorem ſeſe ad Pontificis monita acciſpienda praebebat. Ea pertinacia Regibus, iſque utriuſque aulae conſenſus ad dirimendum hanc ferro litem, quaſi, non Inſubriam in eo diſcrimine, ſed Regnum pars utraque ſuum, & omnem ad reliqua famam agi cenſerent. Lanoja fuit unus in Hiſpana parte, qui, poſtequam circumſundi Neapolitano etiam Regno Gallos ſenſerat, provinciae ſuae metuens, inclinaret nonnihil ad pacem animum, vel certe ſummam virium illuc transferre conaretur. Inde pugna ſententiarum cum Davalo, contendente, ſi abiceſſum Mediolano eſſet, Inſubriaque relicta Gallis, etiam Neapolitani Regni paſſam irritamve fore deſeriionem, & nulla alia ſpe minueri Neapolitanis rebus Gallum, quam ut exercitum noſtrum ab Metropoli abſtraheret. Simanerent in Inſubria, poſſe utrumque ſuccedere, ut & dejicerent Mediolano hoſtem, & Neapolim, eo, qui ibi eſſet, milite tuerentur. Inſubria deſerta, hanc ſimul Regnumque amitti, & profectione ipſa ſieri famae militaris irreparabile damnum, quod triſtius foret etiam, quam Regna & provincias amiſiſſe. Potiora haec viſa Concilio, ipſeque Lanoja, damnata priore ſententia vinci ſeſe paſſus, proviſis quibuſdam ad firmanda praeſidia Regni, totas huc vires animumque intendebat. Jam exercitus erat noſter Gallico exercitu, nulla virium parte minor, fortaſſe etiam, Germanica auxilia, quae cum Borbonio & Franſpergo, & Marco Sitico venerant, non aequaverant modo, ſed exceſſerant hoſtium numerum. Decem millia pedituin, duo equitum millia fuere veterani fere militis, quod robur fidi Caeſari pars Germanus, & Ferdinandus ejus frater, accuratiſſimo delectu miſerat, neceſſitate ſimul tam diſcriminis, & gloria elatus, ut Germanicae militiae vim intentis in rei Mediolanenſis exitum Principibus gentibuſque omnibus oſtentaret. Haec ad veterem exercitum addita ſubſidia, ſpem haud dubiam attulerant, ſi duae contrariae acies libero campo adiſterent, poſſe victoriam eſſe Caeſarianorum, Galloſque profligari. Non minus virtutis in exercitu Gallorum erat, ducéque ibi, vel animi fortitudine, vel armorum uſu, nominiſque etiam gloria pares noſtris. Sed apud juvenem Regem, Anna Momoranſius & Philippus Ciabotus, ob amoena ingenia gratoſque mores anteſtabant. Inde torvitas, & indignatio caeterorum, quibus ſaepe iratis, plerique in excretur negligebantur. Rex ipſe Franciſcus, acer ſane bellator, ſed numquam ita ad negotia intentus, ut voluptates obliviceretur. Dum Ticinenſibus adſidet muris: dum corona cingit urbem: dum admoventur ſcalae, ſcandereque fruſtra conatur miles: cum illis Anna & Philippo abditus Auguſtali, inter ludicra ſermonibuſque vagis terebat tempus. Laborabant adhuc uri ſemper pecuniae difficultate noſtri: ſed apud hoſtem, ſtipendia militum intercipiebantur avaritia quorumdam & fraude nequaquam ibi tantum facinora, dum ſcilicet, mentito militum numero, redundantia aera praefectis cedunt. Abduxerat etiam ex Galheo exercitu ſex millia Rhaetorum inſigni facinore Jacobus Medicaeus, de cujus audacia inſtiuſque fortunae antea demonſtravi. Is, patrata caede Monſignorini, praemium ejus navatae operae malum aliquod timens, eoque metu factus audacior, ac pericula ipſa magno diſcrimini remedium quaerens, ab ſua illa ſolitaria Muſſenſi arce, quam ſibi in tam ancipiti fortuna, proſpere, ſive ſecus corandi aliquid, ſedem initiumque deſtinarat, perſcribit ſignificatque Davalo, poſſe ipſum, Clavenenſi arce capta, efficere, ut Rhaetorum Proceres, qui miſerint auxilia Gallo, in metum ingentem de ſumma rerum ſuarum adducantur. Sic auxilia illa domum eſſe revocaturos: de ea re, quid ſibi mandatum ſit, exſpectare. Haud diſplicet Davalo res, hudatoque conſilio viri, & miſſa ad eum pecunia, quo promtius libentiuſque exſequeretur, monet dicta factis comprobare. Si ſuccedat, honori atque emolumento id ei apud Caeſarem etiam fore promittit. Exibat matutinis horis ab arce quotidie Rhaetus, & ibi ante portam aliquamdiu inambulabat. Ea quotidiana conſuetudo Praefecti nota Medicaeo: poſuitque in vicina latebra inſidias, ac profiliens inde ipſe repente comprehendit hominem & malae ſimul injectae manus. Ad quem caſum trepida captivi conjunx, cum reddi ſibi maritum ex arce conclamaret, fuga repente in ejus

oculis erecta, Medicaeus ſtrangulari laqueo injecto ipſum jubebat, niſi porta patefacta illico eſſet. Ita, capta per Medicaeum arce, timentes Rhaeti, ne initium ad belli eſſet adverſus libertatem ſuam exortientis, quo exardeſcente mox bello, depellerentur univerſo Viſpiranae Vallis tractu, ſcivere ſuo more, ut Tecanus, qui dux popularium in exercitu noſtro erat, illico rediret domum, ſeque & copias illas patriae periclitanti reſtituere ne cunctaretur. Ea non parva lacuna facta erat in Gallorum exercitu: machinatorque fraudis Medicaeus, ab ea primum commendatione, innotuit Caeſari ſimul, & incuſſit aliquam ducibus ſollicitudinem, ſi hominis tam promto ad facinora, minitarique rebellionem auſo, tantum etiam providentiae ad militaria opera eſſet.

Caeterum, ita, ſicuti demonſtravimus, aucti confirmatique noſtri, ab Laude Pompeja, qua in urbe ſeſe recollegerant, numero copiarum imo ad Melinianum proceſſere. Inde Ticinum vadunt, & caſtris prope noſtra caſtra poſitis tantulo intervallo, ut partis utriuſque ſtillatores invicem ſeſe laceſſere poſſent, plumbeaeque glandes hinc inde certo ac deſtinato ictu adigerentur, parvis illis certaminibus ſummae rei ſpecimen auguriumque captabant. Caſtra Regis Galli in eum modum ſita fuere, ut pars militum tenderet intra ferarum ſepta, quae veterum Viceconitum oblectamenta, ſexdecim milliaria campi peramoeni includunt, pars latius ab exteriore parte porrigeretur, diruerantque murum interjectum quanto neceſſe erat hiatu, ne ab ope mutua dirimerentur. His caſtris, uti dictum eſt, appropinquavere Caeſariani, partim, conſpecto per campos & prata exercitu, partim abdito nemoribus, ad D. Juſtinae, ad D. Lazari, ſicuti planities tunc ea pateſcebat, obſcurabaturve. Interfluebat dirimebatque munimenta flumen ſatis profundo alveo praecipitibuſque ripis, cujus fons ex ſepto ipſo manat. Accolae Vernaculam dicunt. Circa eum amnem crebra certamina erant, tranſire conantibus noſtris, prohibente Gallo. Et munitiones alioqui caeterae caſtrorum, aggereſque, & foſſae, & bellica arte reperta cuncta militum ſecuritati, intra ſuum vallum partem utramque defendebant, ut neutri alteros ad pugnam compellere poſſent. Atque compertum poſtea eſt, ſecreto monitum fuiſſe Regem a Pontifice Clemente, ne pugnae diſcrimen adiret multis jam rebus impar: daret Hiſpanorum exercitui ſpatium, quo ſeneſcerent pauliſper atque debilitarentur: non poſſe diutius eos ob pecuniae anguſtias in eo loco ſuſtentari. Nec utique poterant, & ideo cupiebant quamprimum praelio defungi. Ad X. Cal. Martias nocte, quam ſacer Apoſtolo Matthiae dies, idemque natalis Caeſari ſequebatur, Davalus, & Borbonius, & Lanoja, mandant caeteris ordine praefectis, ut ſingulos milites tunica alba ſuper extimam veſtem injecta jubeant eſſe amictos. Id ſignum, & quaſi teſſera debebat eſſe, per quam inter ſe dignoſcerentur, ne obſcurum noctis & gladiorum agitatio anceps, vulnera & ictus ab hoſte in ipſos averteret. Ita praeconium miſſum: temporiſque fere momento, ſicut imperatum erat, ſtetere omneis ad nutum intenti Ducis. Tum de tertia fere vigilia adſultatum eſt hoſtium caſtris, atque ab diverſa parte praelio oſtentato pars ſeptum irrumpunt, alii Regiam ſtationem aggrediuntur. Et Rex ipſe, audito ſtrepitu, ſentiens adeſſe diſcrimen, prodierat ultro ab ſtatione illa, eduxeratque ſuos in liberiorem campum, ſperans equitatu ſuperiorem ſe eſſe. Pepulere primo Galli noſtros, quia necdum univerſi irruperant & equeſtris procella vehementius ab latere incubuerat. Mox Lanoja cum Germanico peditatu ſupervenit, inclamante Davalo, ut opem ferre properaret. Ejus adventu ceſſere noſtris Germanis peditibus Gallorum Helvetii, qui primo impetu feroces aegre antea ſuſtinebantur. Pugna erat atrox, magnumque diſcrimen etiam iis qui deinde vicerunt. Rex ipſe ante alios terrorem & caedem eximio bellatore equo, & victrice per aliquod tempus machaera animoque elato circumferebat. Straverat humi multorum corpora equoſque abſciſſis a brachiis manus, abſciſſaque brachia, & detruncatas ab reliquo corpore cervices: ſuorum quoque nonnullos coecus ſua & noctis caligine obtruncarat. Demum ipſe lapſu ſuum morientis equi in foſſam effunditur. Tectus humeros fuerat argentea clamyde vincente tenebras noctis ſplendore ſuo: caetera ignotus quisnam homo eſſet. Spe praedae treis gregarii milites illico circumſiſtunt, recuſantemque dedere ſeſe & obluctantem interfecturi erant, ni Regem ſe eſſe dixiſſet. Tanto magis tenent inhibentque attoniti magnitudine ſuae ſortis & ſubita reverentia in captivum. Accerſebant deinde Borbonium, ut is exciperet Regem: qui, proditorem contumaci ore abominatus, etiamnum imperitans, venire potius Lanojam jubet. Ali eo excepto, & cum omni honore, qui captivo Regi haberi poſſet, ductus in Hiſpaniam, quae deinde, libertate adepta, ob rem Mediolanenſem hoſtilia, & infauſta adhuc tentarit, in tempore exponemus.

Captivitate Regis, conſternato & fuſo diſſipatoque omni Gallorum exercitu, diei inſequentis lux populo Mediolanenſi victoriam aperuerat, & diſlapſis repente etiam qui obſidebant arcem, nocte ſeſe ima potuiſſe liberari admirabantur. Galli, qui praelio affuerant, quive circa praeſidia diſpoſiti celerem acceperant famam cladis, catervatim, ſive ſolutis ordinibus abeunteis, haud prius conſtitere quam relictas ſibi ab tergo Alpes cernebant. Mediolani, pulſo in hunc modum hoſte, nullus in praeſentia fructus tantae victoriae erat, inanemque laetitiam fecere populo ea quae ſecuta ſunt. Jam Rex ille, qui Metropoli provinciaeque bellum intulerat, ductus in Hiſpaniam ad Caeſarem, Madriti in arce cuſtodiebatur humanarum rerum & Regiae fortunae miſerabile exemplum, cum Caeſar victor ne adſpicere quidem eum voluiſſet: unde moeror captivo, & ex moerore morbus, qua denique miſeria impetravit, ut benigne inviſeretur ab eo, quem armis ipſe laceſſiverat. Jam Regina Mater prius etiam abominata infauſtum illud in Italiam iter filii, tanto nunc magis conſilia belli conſiliorumque auctores oderat. Et Gallia tota, caeſo inſuper, aut calibus aliis amiſſo nobilitatis flore, omnique propemodum amiſſa militari ſobole, poterat lugere magis, quam vindicare caſum Regis: ac diſcordiis & moerore utique occupata deſierat jam reparare vel minitari nobis bellum. Urbs tamen ipſa, quaſi nocturna illa victoria, ſtrageque hoſtium, & captivitate Regis nihil actum eſſet, oneribus adhuc exactionibuſque immodicis, & quod omni onere acerbius, victricium legionum licentia & rapacitate vexabatur. Ab gregario egenoque milite ſimul, & ab ducibus opulentis, exhauriebantur civium juxta & agreſtium, dites pariter & vacuae jam domus. Carebant adhuc Paſtore Mediolanenſes, ſicuti deinde etiam caruere uſque ad Joannem Angelum Arcimboldum, cui poſtea Cardinalis ille Hippolytus ſua ſeſſus abſentia, & conſcientiae credo ſtimulis ictus, Eccleſiam hanc auctore Pontifice Maximo tradidit, cum Ambroſiana emolumenta curis ſemper intentus alienis diu ipſe percepiſſet. Facile quilibet ex eo conjecta verit ſacrarum rerum adhuc nuditatem, & miſerias, quae in tanta militari protervia & turba male propulſarentur, etiam ſi ſuus Pontifex Metropoli praeſens intentuſque eſſet. Sfortia porro ipſe, quem illa arma defenderant, quive unus defendere nunc urbem, ac tueri ſuos deberet, miſerrimus vere mortalium erat, ac miſerationem ſui moerorem publicum augebat. Namque Ducibus Caeſarianis, jam antea, quomodo narravi, ſuſpectus, ceu prodidiſſet ipſe Gallo urbem, ſive innocens ab ea parte & aemulatione forte aliqua invisus, indeque apud Caeſarem accuſatus falſo, perfidus amicus, occultus hoſtis habebatur: & velut in alieno adhuc imperio cuncta ſervientium mala ſuſtinebat. Nec Caeſari tantum erat obnoxius, cujus beneficio reduſſet in urbem, cujus etiam armis & praeſidio ad reliqua pericula caſuſque indigeret, ſed mancipia ejus erant ipſi Regum inſtar: incredibileque dictu, Dux Mediolanenſium regnantium antea ſecundus, regiorum hodie unus ſupercilioque regebatur. Suſpicatus et iam erat ipſe, & ſicuti ſcriptum lego, compererat, habuiſſe Lanojam illud a Caeſare mandatum, ut, ſi fieri poſſet abſque tumultu, ſeſe detinerent abde-

derentque aliquo, ubi movendi quidquam adempta facultate vacuum relinqueret imperii ſedem ad ea quae parārentur.

Quae ludibria, atque tam infeſtam Principatus & vitae conditionem effugere volens, agitaſſe fertur, de Hiſpanis, qui Mediolani erant, interficiendis, atque de ea re cum Galliae Proceribus pernicioſe inita conſilia habuiſſe. Nec ego de ea conjuratione certi quidquam affirmaverim, cum temporum etiam eorum ſcriptores, quibus notiora cuncta eſſe potuerunt, negotium illud omne haeſitanter & ambigue tetigerint. Sed neque omittam eaquae ſcriptores iidem potuere procertis, dum conjurationis crimen adverſus Caeſarem inter Sfortiam, & Davalum, & Moronum dividunt trahunturque, & ipſum adeo Pontificem, Venetoſque Senatores ſuſpicione nonnulla adſpergunt, univerſi ſcilicet facinoris auctore & quaſi proxeneta Morono, de cujus hominis apud Sfortiam gratia & potentia nonnihil etiam antea demonſtravi. Is Gallicarum irruptionum tempore profugus una cum Sfortia, calamitatum omnium exſilique comes, dein exorta apud Caeſarianos ſuſpicione, ſocius criminis, poſt victoriam hoc tempore non contentus victoriae fructu, ſua Principiſque conditione inquietus, coquebat moliebaturque aſſidue multa animo, & molientibus nova aliis aptus opportunuſque erat. Ingenium ei cum magnis virtutibus, nec extra vitia, quae ab virtutum ferme confinio oriuntur. Animus ingens cum ſuperbia & faſtu: belli pacisque artes cum fraude ac dolo: fides & obſequium erga Principem haud ſine adulatione emolumentiſque quotidianis: apud pares, apud ſuperiores, modeſtia, & ſubmiſſio: comitas erga infimos: juſtitia in omneis: ſed cuncta potentiam ſpectabant. Etiam patientia rerum adverſarum, atque quotidianas inter offenſiones, tenor ſemper idem oris, eorum interpretatione, qui talia intelligebant, ad vindictae cupidinem & expetitum inde ſolatium referebantur. Hunc, magnae cogitationis, per haec indicia compertum ſibi Davalus, ſive Davalum ipſe pares animo fluctus volventem ſagaciſſime odoratus, poſt colloquia nonnulla, poſt captos varie ambitus ad aegrum animum, ubi tuta res viſa, ſocium ſibi aſſumit ad ea, quae ſortis uterque ſuae contemtu nova, & praecipitia experiri ſtatuerant. Id modo incertum fuit, uter eorum jecerit prior tam periculoſi ſermonis aleam, auſuſque fuerit emittere primam illam funeſtam vocem, quam etiam audiviſſe, capitale foret. Sed, ſive Moronus incoepit, ſive Davalus: prodidit certe Regnicola hic homo Mediolanenſem illum, & noſtrati ſimplicitati Neapolitana fides illuſit: apparuitque noſtrorum hominum aſtutias fraudibus cedere externis, etiam ubi palmam in eo genere non nemo fortaſſe eſt aſſecutus: quae certe palma Morono illi tribuebatur. Regnicola igitur Davalus, primo quidem communicaverat conſilia cum Morono, ut bona fide proderet abſentem Caeſarem, utque Hiſpanorum caede, firmaret Sfortiae Principatu, eo deinde adnitente, Neapolitanum Regnum ipſe adipiſceretur. Verum, ubi gerendae rei difficultates, & pericula horrenda, ſummumque diſcrimen, inter conſultandum primo, deinde inter moliendum, occurrere animo, ne nihil plane lucratus eſſet, impedimenta ipſa, & vecordem jam fatali prope calamitate animum Moroni pro lucro arripuit. Ceu fidiſſimus homo Caeſari, defert ultro per celeres nuntios ad eum, quam deprehenderit Moroni mentem: quid ſecum ille communicare auſus: qua adhuc ſpe & deſtinatione ſuſtentetur. Nec unius eſſe Moroni flagitium illud, ſed Sfortiam, interprete mancipio, deprompſiſſe quae ingrato adverſus liberatorem ſuum animo concepiſſet. Ut autem auderent uterque depromere, effectum eſſe arte ſua, & proviſu, quo ſpeculatus inquietam utriuſque mentem, tumultuantemque perfidiam, fingendo ſe quoque aegrum animi, & fortuna ſua male contentum, illexerit ut portenta ſecum illa communicarent. Cognoviſſe etiam, parari adverſus rem Hiſpanam Sfortiae ipſius inſtinctu novum foedus, eique foederi Pontificem Romanum addere arma & opes ſuas. Rem eſſe in magno diſcrimine, fruſtraque captivum teneri Gallum Regem, fruſtra partam eſſe de Gallis victoriam, ſi Dux Mediolani ſinatur ille, qui per ſatellites ſuos id agat, ne Caeſaris nomen audiatur in Italia, utque ſaturetur ipſe caede eorum, quorum ſanguine patriam atque Principatum ex miſerrimo exſilio recuperarit.

Contexta in hunc modum accuſatione, Davalus, qui ipſe maxime accuſandus foret, miſſoque in Hiſpaniam Joanne Baptiſta Caſtaldo, familiari ſuo, qui Caeſari cuncta ordine demonſtraret, dum ille proficiſcitur, proſpiciebat deinde agebatque omnia, ut Sfortiam & Moronum publice atque teſtato arguere conjurationis poſſet. Cumque Sfortiam ipſum interim in colloquia eadem traxiſſet, mirifica inſuper tentavit obtinuitque fraude, ut certus ab Roma cum Pontificiis litteris ſibi mitteretur homo ſuper iis rebus, quae adverſus Caeſarem foederis lege agendae eſſent. Ita, & teſtibus jam, & indiciis illigatos improvidos homines tenebat Davalus: jam res nota Caeſari erat, & quotidie tamen Sfortia & Moronus cum ſocio eodem & preditore ſuo tamquam de re arcana ſecreto conſultabant, fallacia atque errore etiam apud animum noſtrum miſerabili, niſi fraudulenti machinatoris exitus, qui propediem inſecuturus erat, ex imagine moeſta & triſti laetam jucundamque aliam offerret. Davalus enim ipſe, dum irati Caeſaris mandata in Sfortiam & Moronum poſtea exſequitur, mortuus eſt e phtiſi, & marcidum illud livore ac malignitate pectus concepta fallaciarum labore tabes abſumſit. Nunc laetus Caſtaldi reditu, & Caeſaris mandato, rebellioni punendae rebellis ipſe ſtrenue intentus erat. Mandaverat autem Caeſar, ut propter irritatos victoria recenti ſua Principum Italorum timores: qui velle ipſum oppreſſo etiam Sfortia Italiam occupare totam ſuſpicabantur, atque ob id inter ſe conjurabant, ea qua inſtituiſſet ſimulatione Sfortiam Moronumque detineret. Sic poſſe conſilia melius hoſtium cognoſci, & ſecuritate injecta illis, ſpatium interea ſeſe habituros, ad providenda & comparanda cuncta, quae adverſus novi foederis pericula opponerentur. Maſcrat vero interim etiam diplomata, queis Sfortiam Mediolani Ducem creabat auctoritate ſua, ſive ad diſſimulandam animi offenſionem, indiciumque tegendum, ſive, ut tumentem illius animum hoc dato blandimento placaret: eaque mollior interpretatio fuit.

Mox Davalus, incertum, Caeſaris juſſu, an ſponte ſua privatoque conſilio diverſa quaedam orditur. Volebat adimere Sfortiae Metropolim, arcem, urbeſque ſubjectas, & imperium hoc omne Mediolanenſe invadere Caeſaris nomine, quaſi priſtinus poſſeſſor manifeſto perduellis, ob id crimen omni jure excidiſſet. O pportune ad id etiam valetudo Sfortiae ipſi acciderat, anceps adeo & gravis, ut vulgo actum de ejus vita exiſtimarent. Unus obſtare poſſe Moronus videbatur, quia feſſum animum Principis ille conſilio & ſpe optima ſuſtentaret, ne rebus ſuccumberet adverſis, neve frangeretur metu. Hunc ad ſe accerſitum, & quam benigniſſime exceptum artifex doli, per ſpeciem colloquii ſecretioris cubiculo inducit, obi Antonius Leva, periſtromata inter & parietem, obſcuro in angulo compoſitus occultabatur, ut ſuis ipſe auribus ea, quae ab Morono dicerentur, audire poſſet: audivitque cuncta & excepit, quaſi res jam ipſa gereretur. Namque ſimpliciſſime Moronus ignarus adhuc fraudis, illato per duplicem illum proditorem ſermone, aſſentiri interdum & laudare hanc illamve conſilii viam: interdum addere de ſuo, & exponere tutiora, ſive expeditiora quae ſibi viſa eſſent: ambigere nonnumquam: ſciſcitari modo aliquid, & ſuper omnia, inſtare ne rerum dies verbis amplius & ſegni conſultatione abſumerentur. Interimque Leva Davali manibus in turpi illa collocatus latebra, voces etiam audierat, queis ipſe deſtinabatur neci. Nam inter caetera convenerat hoc, ut ille occideretur. Ab ſcena deinde illa fallaciique colloquio mittitur Moronus in Ticinenſem arcem, & Davalus eo conſeſtim ſubit ad quaeſtionem de ſcelere habendam, cujus particeps auctorve ipſe erat. Scilicet, impudentia & malignitate Tiberianis quoque tem-

poribus fortaſſe intolerabili, certe ab temporibus moribuſque ducta iiſdem, interrogabat reum, pariter reus ſocialisque conjurationis, & ex reo ac ſocio, repente inimicus, acculator, judex. Reſpondebatque Moronus, non ſicuti ira & deſperatione deberet: plura ſcire Judicem, quam alios omneis, ſed qualia verba miſtus fiducia pavor gignit: adhibebatque temperamentum, ut ſi qua reliqua eſſet ſalus, eam ne ſibi libertate intempeſtiva abrumperet. Reperio quin etiam, ſcripſiſſe ſua manu eum ſericm univerſam conjurationis, prima poſtrema omnia, & quemadmodum muto adverſus Caeſarem foedere Sfortia, paratiſque inſidiis exercitui Hiſpano, nihil aliud quam idoneum gerendae rei tempus exſpectaret. Reticuit de Davalo ipſo, quod unum tacitum atque diſſimulatum prodeſſe ſibi poterat. Debuerat namque placari Davalus facta ſignificatione tam reverentis animi erga ipſum: atque ea modeſtia apud quemlibet alium utilis futura reo fuit. Sed callidus homo, ex Hiſpania oriundus, Neapoli natus, jam inde a puero ſtipendiis ſemper nutritus alienis, domi dives, potentiae majoris avidus, nihil praeterea curabat aliud: non humanitatis jura, non famam ad poſteros: & jam eo proceſſerat, ut ne parcere quidem aut elevare crimen poſſet. Interrogato reo, & extorta quam voluerat confeſſione, ipſum quidem in vinculis relinquit, augetque cuſtodias, tamquam ſceleri infenſus, ac ne elaberetur. Sforiam vero ipſum, ne quis gravior in urbe motus exiſteret, haud quaquam pari violentia ſtatim aggredi auſus, rogat primo, ut publicae ſalutis atque ſecuritatis cauſa tradi ſibi jubeat arces quaſdam Caeſaris nomine cuſtodiendas: deinde etiam, ut circumvallari arcem Jovis ſineret, petit. Petebat ſimul uti dederet ſibi Joannem Angelum Riciam, & Angelum Politianum, quorum uterque ſcriba intimus, hic Moroni, ille ipſius fuiſſet. Oportere utrumque interrogari de rebus iis, quas ipſe adverſus Caeſarem molitus eſſe argueretur.

Sforiia adhuc morbo implicitus, & multo magis ob ejuſmodi rerum ſtatum detectamque conjurationem animo aeger, conſilio praeſidioque nudatus omni, neque negare audebat, & concedere omnia flagitioſum rebatur. Tritium, Leucum, Piciicatonem, has in Abduae fluminis ripa poſitas arces, ſicuti petitae erant, conceſſit: Jovis arcem, ipſum eſſe Caeſari conſervaturum ajebat: Ricii opera miniſterioque quotidiano indigere: velle apud ſe detinere Politianum, ut in tempore teſtem hunc Caeſari exhiberet earum rerum, quas Moronus ſe inſcio atque aegrotante egiſſet. Non enim eumdem eſſe ſuam & Moroni cauſam: & qua vixiſſet erga Caeſarem fide, cum ea ſeſe moriturum. Haec ab Sforiia reſpondebantur, litterisque etiam & libellis agebatur res: queis Davalus haud dubie vincebatur: ſed vincebat ipſe manifeſta jam in eum quoque violentia, ſparſoque per urbem & agros late exercitu: rurſuſque divinae juſtitiae telo eſt victus. Namque, dum adverſus Jovis arcem pergit excuare munimenta quae deſtinarat, dum obſeſſum ibi Sforiiam tenet, dum etiam adacto in Caeſaris verba populo Mediolanenſi, omnique vetere dejecto magiſtratu, Caeſarianos magiſtratus imponit, atque ita ceu patrator ingentium rerum, praemium hoc a Caeſare promittit ſibi, ut ne provinciae unquam hujus imperio & adminiſtratione dimoveretur, mors eum, quae jam eſt repraeſentata, dimovit. Cujus tamen viri manibus detur etiam narratione hac noſtra elogium, quod dedere ſcriptores alii: neque perfidia magis infamem neque bello clariorem ullum per ea tempora fuiſſe. Et Davalo quidem finis Mediolani obtigerat ille, mitior etiam, quam proditori Caeſaris, proditori ſociorum ſuorum obtingere debuiſſet: Metropolis autem, ab eo conatu, in quo cum vita deſtituerat, nullum, exſtincto quamquam auctore, calamitatibus invenebat finem, atque converſis in unam urbem Regum gentiumque fere omnium armis, tempore uno, ſicuti aliquando etiam alias, ab ſuo hoſtilique exercitu eadem patiebatur: & facti erant hoſtium loco, qui defendebant: populique adeo para inermis, dum adverſus defenſores ſuos, ob atroces injurias armatur, graviora quotidie mala inlidem provocabat.

Pontifex Maximus, & cum Galliae Rege Veneti, Sforiia Princeps, & Caeſar ipſe, finitimi longinquive alii, quos ira, quos dolor & invidia, eurave aliqua, & ex aliena felicitate damnum, & generi humano infeſtae regnantium neceſſitates ſtimulabant, omneis uno conglobati armorum turbine, Urbem atque Provinciam, de qua dimicabant inter ſe, vaſtaverunt, & amens ob talia populus, ſui vaſtator fuit. Id erat foedus, quod Caeſaris metu ſollicitati Principes, poſt victorium ad Ticinum captivitatemque Regis agitare inter ſe coeperant, & liberato nunc Rege, objectoque intra arcem Sforiia, tanto magis inire properabant, ne Caeſar, addito ad Neapolitanum Regnum imperio Mediolanenſi, appeteret etiam reliqua, & totius Italiae arbiter foret. Dilata autem in hanc diem confirmatio foederis ejus fuerat ob plures & diverſas inter ſe cauſas, neceſſitate rerum, diffidentia partium, fraudeque aliqua minime ſociali, cunctatione etiam innoxia, & proviſu, & ſpe, timoreque nonnullo: & ſuper caetera, tardaverat rem idem qui nunc incitabat Sforiiae Moronique caſus injectus proditione Davali, pateſactis quae ſecreto agebantur, & poſtquam detecta erant, celeritate aſſumta ſubſidio. Cumque cunctarentur adhuc & ipſa deſtinatione celeritatis, Gallo quidem Regi moram injecerat multis etiamnum vinculis illigata libertas: ut ſe carcere eximeret, proles data obſidio, & relicta apud Hiſpanum cariſſima pars ſui, & pacta viciſſim ipſi Caeſaris ſoror: Pontifici autem Senatuque Veneto obſtaret imperii utriuſque natura, & Rex Anglus (is quoque enim inibat foedus) lente ut ex longinquo moveretur: abrupit impedimenta eis cuncta res Mediolanenſis in ultimum jam adducta diſcrimen, quae ſi apud Hiſpanum maneret, haud dubitabant, quin Italicis externiſque imperiis periculum ab eadem potentia, ut dixi, immineret. Mittebat ad eos incluſus obſeſſuſque Sforiia crebras ex arce litteras plenas ultimae deſperationis, quae litterae, partim per intermiſſa cuſtodiis loca, fida manu & occulto itinere perveniebant eo, quo deſtinabantur, partim ab iiſdem, qua ferebant, proditae, vel quo alio caſu interceptae nudabant arcis miſerias, & ea, quae ſemper ab obſeſſis teguntur. Vix menſis unius alimenta eſſe ſibi: ex octingentis peditibus, quos ſecum initio habuerat, partem abiiſſe fame, & paucos qui ſuperſint, fieri quotidie inutiliores: nimiumque multos eſſe prae annonae modo: ſi ſubſidium ultra dilatum ſit, minimum malorum fore deditionem: dedita arce, videre ipſos, quantulum Caeſari ad opprimendum ſervitio Italiam reſtet. Maturando foederi, quod multa ſimul diſtulerant, haec fiere. Sed & Mediolani propter intolerandas exactiones, cum hoſtilia cuncta Caeſarianos inter populumque eſſent, ſpem prope certam foederatis inter ſe hoſtibus ea res fecerat: ſi ad urbis moenia ſucceſſum eſſet, poſſe obſidione eximi Sforiiam, Caeſarianoſque depelli. Namque abdito & obſeſſo intra arcem Sforiia, verſaque Metropoli in Caeſaris ditionem, pecuniae fere nihil in militum ſtipendia a Caeſare mittebatur, & Davalo ſucceſſerat in re militaris adminiſtratione Antonius Leva bellica laude ei par: magnae fortunae vitiis, & prodiga rapacitate damnoſior etiam urbi. Tricenos aureos nummos ſingulis diebus publice exigentem ſibi, ampliuſque quotidie effundentem, non interea caruiſſe coacervandi ſeponendique cura ajunt. Et quota pars calamitatum unus homo tot inter duces legionum, quae capto Rege triumpharant Gallos, quae, cum Regem eſſe ſibi Caeſarem gloriari poſſent, poſt tantae victoriae faſtum, nitebantur abſentis Caeſaris indulgentia, ducum ſuorum exemplo, & licentia in urbem, quam praedae ſibi datam eſſe interpretabantur? Quotidiana tributa exercitui hunc alendo, quinum millium aureorum ſummam explebant: & ſparſi per domos manipuli occupabant fortunas unde ſumma illa reficeretur. Itaque populus Mediolanenſis, ob injurias & damna vimque ſibi illatam, ſemel atque iterum concitato tumultu arripuerat arma, pugnaveratque in hoſpites ſuos & direpta praefecti rerum capitalium domo, mutati fuerant haud dubiam a Caeſare ipſo defectionem,

niſi

niſi nobilium precibus & auctoritate placati inhibitique
eſſent. Popularis igitur ille tumultus Principum inter-
ventu ſedatus in praeſentia, cum ſaepius deinde renova-
retur, opportuna res vitâ foederatis ad coepta proſe-
quenda Metropolimque Hiſpano adimendam, qua libe-
rata, non Sfortiae tantummodo Principatum, ſed im-
peria omnia libera & conſtituta fore ajebant.

At Caeſar, poſteaquam videt, Regem Gallum, non
modo ſpreta pactorum fide, quibus pactis liberatus ab
ſe dimiſſuſque eſſet, verum etiam hoſtili poſt mutua pi-
gnora animo, negleĉtuque pignorum ipſorum, non re-
ĉtae prolis, non deſponſae Eleonorae memorem, rur-
ſus ad arma ire, hoſtes aſſumere alios, caputque fieri
foederis, nimium quantum etiam ipſe turbatus, tenta-
to ne quidquam, ſi forte disjicere foedus illud poſſet,
ubi vana ea ſpes erat, parare ac providere cuncta inſti-
cit, ut negotio illo infeſtiſſimo quam minime laederetur. Atque, ne in ipſo quidem belli apparatu, quo
Caeſaris interim Regna perſtrepebant, deſiterat ultro
compellare, nunc Regem, nunc Pontificem, ut amabiliter, & clementer, fraterneque vellent agere, po-
tius quam ut bello ſecum aeterno implicarentur. In
eam rem Ugo Moncada Romam a Caeſare proficiſcens
cum Mediolanum ex itinere divertiſſet, petito Sfortiae
ipſius colloquio, in arcem una cum Martino Carracio-
lo, qui Romanae dignitatis vocabulo Protonotarius vo-
cabatur, admiſſus, egit dixitque multa, ut Principem
obſeſſum, cujus gratia foedus hoſtile imbatur, Caeſari
reconciliaret. Si permitteret ejus fefe fidei ac benignita-
ti, fore, ajebat, ut perduellionis crimen, cujus inſimu-
laretur, compendiario judicio cognoſceret dijudicaret-
que Carraciolus, de cujus erga ſe animo dubitare
ille non poſſet. Et erat ſane ſumma neceſſitudo Sfortiae
Principi cum Carraciolo hoc: unuſque jam iſte Caeſa-
rianorum manebat, qui, vel caſum fortunamque illius
reſpiceret miti aliquo ſenſu, vel ab ipſo ſine offenſione
animi adſpiceretur: poteratque ſperare judice ab illo
exitum cauſae fortaſſe meliorem, quam ſi res decernen-
da ferro permitteretur. Affirmabat etiam Monacada
multumque teſtabatur: non judicium illud, ſed imagi-
nem & umbram fore judicii, ut ea, quae acciditſſent,
ſimulacro ſaltem aliquo tegerentur, & in reſtituendo
imperio reſcindendaque Davali actione, majeſtas & ju-
ſtitia Caeſaris aliqua emineret. Monacada deinde Romam
ire pergit, ibique apud Pontificem Clementem multa
de pace eſt locutus. Summa ſermonum fuit: Mandaſſe
Carraciolo Protonotario Caeſarem, ut cognoſceret
quam breviſſime de iis, quae Franciſcus Sfortia adver-
ſus imperii ſui ſtatum egiſſe argueretur: ab ea cognitio-
ne relinquereretur in eo ſtatu, quo ante perfidiae crimen
fuiſſet. Ob eam rem, eamque cauſam, nihil opus eſſe
extiabili bello, & prope civilibus inter Chriſtianos Prin-
cipes armis. Reſponſum a Pontifice eſt: jam rem in eum
locum eſſe deductam, ut arbitrii ſui nihil amplius foret.
Si ſibi eſſet integrum, factorum omnia libenter, quae
Caeſari grata, & unilla poſſe eſſe arbitraretur. Ad bel-
lum inde haud dubie atrox res ſpectabat, parato etiam
utrimque exercitu, quantae partium opes, & quanta
diſcriminis magnitudo erat: & ſpatium comparandi
cunctis habuerant, dum ea, quae demonſtravi, aguntur.

Sed apud Caeſarianos infeſtiſſima una & capitaliſſima
res manebat, quae ſi relinqueretur abſque remedio, ſi-
cuti confirmaverat magna ipſe jam inde a principio foe-
deratorum hoſtium animos, ita victoriam illis eſſe datu-
ra videbatur, niſi plaga ſanata illa foret. Et remediis
exulcerabatur ipſis, gravioremque vim mali eam fecere
Hiſpani dum curant. De qua quidem ſeditione bellove
inteſtino ſic tradunt. Populus Mediolanenſis, patiendo
quotidie graviora, & injurias ab Hiſpano milite vorando
aſſiduas, ſe ipſo contumacior factus jam eo proceſſerat
mutuis injuriis, ut viciſſim timeretur. Non modo
ullum habere domi militem, hoſpitiaque & alimenta
praeſtare exercitui abnuebant: ſed ſi quis in ulla urbis
parte ſolitarius miles, binive, & terni deprehenſi erant,
ab juvenum noſtrorum globo ſtrenue interficiebantur.
Atque irritati illi manipolarium ſuorum nece, multo-
rumque jam caſibus & exitio cautiores facti, nuſquam
fere niſi gregatim incedebant adoriebanturque noſtros,
qui item agmina cogentes majora prodibant ultro, &
per compita quaerebant pugnam. Multae paſſim acies
dimicabant in urbe nuſquam alias adeo incerta, domi-
nos, an hoſtem intra muros haberet, quippe cum,
& facerent hoſtilia, & paterentur iidem, qui Metropo-
lim tenebant. Tunc Antonius Leva, propinquante ma-
jore cum hoſtibus alio diſcrimine, proſcribit edicto
quos capita eſſe populi comperiſſet, finita die, intra
quam exiſſe portis deberent. Ob id edictum, tanto vio-
lentius armari plebes ſtationemque aggreſſi Hiſpanorum
magno impetu ſtragem dedere. Leva etiam ipſe facto
eo magis irritatur, & diripiendam dare exercitui cum
promiſcua caede urbem parat. Titius id inter belli im-
minentis pericula meliuſque fore, quam ſi Hiſpanus ex-
ercitus, pro amico & ſubjecto populo hoſtium gentem
circa ſe habiturus eſſet tunc, cum adverſus undique cir-
cumfuſos foederatorum exercitus rem geri oporteret.
Igitur, concitandae multitudinis ultro initium quae-
rens Leva, arripi repente e foro negotiatorem unum
obtruncarique jubet, ideo, quia ſedens mapotheĉae ſuae
limine, tranſeunti forte ſibi illae, neque aperuerat caput,
neque aſſurrexerat, contumacique inſuper ore, & pro-
tervo obtutu contempſiſſe ipſum videbatur. Trans deinde alii, qui ad eum caſum tumultuoſe vociferantes
commovere ſeſe voluerant, arrepti ſtatim & occiſi. Ea
tumultuandi materies principio oblata multitudini erat.
Mox Germanicae cohortes praedabundae per omnes
urbis vias, de induſtria occaſionem dedere ad arma con-
clamandi. Satis ſciebat Leva, promtum ad talia popu-
lum fore illico in armis, ideoque partem exercitus, quae
in ſuburbiis aeſtiva agebat, juſſerat ſilentio ſuccedere
ad moenia, ſignoque accepto, gradum inferre & facere
uti caeteros vidiſſent. Populus, ad primos Germanica-
rum cohortium inſultus, momento pene uno, in multa
agmina multaſque acies tota urbe adfixit, exiſtimans
eum urbano tantum milite eſſe pugnandum: alium ad
portas ſtare exercitum neſciebant. Praetorium, & tur-
rim juxta Archiepiſcopi aedes primo impetu tenuere,
ac neutro inclinata ſpe, cum caderent e noſtris plurimi,
nihilo minor ſtrages fiebat in parte, quae tumultum
eum optarat. Mox Germani, ex compoſito tectis injiĉe-
re ignes coeperunt, & dato ſigno, ſuburbana alia
acies accerſebatur. Jam fumabat incendiis urbs, & ma-
jore ſuperveniente exercitu, noſtri opprimebantur. Hinc
ferrum, hinc flammae, & vagitu miſtus puerili, femina-
rum ſenumque ululatus, improvidam ad belli opera
multitudinem, & potius dolore animorum, quam ulla
militari ratione & arte ſeſe regentem ſubegere ut placare
quacumque conditione Levam repente averent. Miſſo
ad eum caduceatore conditiones haſce pacis ferebant:
Abituros urbe principes plebis, ipſos, aſſeĉlaſque eo-
rum, & quoſcumque praeterea Hiſpanus vellet. Tradere
protinus arma, & polliceri, quod nuſquam amplius
tributa detrectarent, neque eorum cauſa tumultuaren-
tur. Leva enim vero, quamquam periculoſi ingenii po-
pulum excido deſtinaſſet, agitabat animo tamen inte-
rim etiam pericula & damna, quae direptionem eam cla-
riſſimae urbis ſequi neceſſe eſſet. Nam, & ditatum prae-
da militem, poſſe contumacia, & luxu corrumpi lan-
gueſcereque autumabat, & in vaſto ac nudo poſſeſſo ſolo
fruſtra requiſiturum aliquid eorum, quae nunc recon-
ciliatis animis & ſedato tumultu, ad tolerandas belli ne-
ceſſitates, multa & magna ſuppeditarent. Ita pax data
populo Mediolanenſi, ſuppreſſique ignes, & in ſua qui-
que tecta, non poſitis modo, ſed etiam abjectis armis,
rediere: fidaque deinceps aliquamdiu hoſpitia militibus
erant, qui nuper incendere voluerant eaſdem domos,
& cum hoſpite ipſo conſeruerant manum.

Compoſitis in hunc modum utcumque rebus, & ex
quotidianis fere praeliis, noviſſimoque cruento tumul-
tu, redacta in aliquem tolerabilem ſtatum urbe, ſpes
haud dubie magna foederatis deceſſerat, qui Mediola-
nenſium ipſorum manibus vinci poſſe Caeſarianos exiſti-
mabant. Nec ſane aliunde res eorum ſatis ex animi ſen-

tentia procedebat, orta etiam inter ipſos haud levi ſuſpicione, quia Dux Urbini, qui Venetum exercitum ducebat, eratque rerum ipſe ferme caput, cum trajecto ſtatim Abdua flumine, debuiſſet copias admovere urbi, Sfortiaeque obſeſſo, & ad famem jam prope redacto, ſubſidio ferre nonnihil, cunctabatur in ripa, ſive traducto ad Melinianum agmine progreſſus inde circuibat declinabatque urbem, pro ſubſidio diu exſpectato ſpem vanam ollentans arci. Sane ille, cunctationis ſuae cauſam in concilio hanc afferebat, quod nollet exercitum committere diſcrimini antequam mercenaria auxilia Helvetiorum, ad quae conducenda, Jacobus Medicaeus, & Epiſcopus Laudenſis fuerant miſſi, adveniſſent. Sed qui rem eam altius conjectavere, exiſtimarunt, Urbinatem, vel occulto Veneti Senatus admonitu, vel ſua vetere recentique erga Pontificem Clementem offenſione, ſic eſſe poeraltinatum, ſive, ut auctoritatem animumque hujus affligeret, ſive, ut Veneti ab ultima Sfortiae neceſſitate Cremonam Urbem extorquere poſſent. Et auxerat ipſe ſuſpicionem, poſteaquam ducto denique ad urbis moenia exercitu, coeptaque Romanam inter & Tonſam portas acri oppugnatione, retulit ſubito caſtra ad Melinianum, obnuntiante multa, multumque reclamante Pontificis Legato, iratis Gallis, & Leva admirante ipſo, undenam ſibi tam laeta repente fortuna acciduiſſet. Ita Caeſariani liberati erant ingenti metu, Sfortiae ſpes cluſae atque ex eo terribile antea foederis nomen evaneſcere paulatim contemnique & elevari: ac ſimul, Mediolanenſium calamitates non renovatae ſolum, verum etiam ad tragica pene & cum horrore abominanda exempla evectae, quis repreſſerat lenieratque formidata apud Hiſpanum eadem quae nunc hoſtium fama contemnebatur. Atque univerſos Patriae caſus ego jam inde ab initio operis apud monumenta requirens ea, quae ad veteris memoriae cuſtodiam fidiſſima eſſe exiſtimavi, referenſque ſingula, prout narrator iſte ſermo vulgo uſurpatur, portenta referam ea Scriptoris alieni verbis, qui aequalis ferme aevi ejus, debuit audiens talia commoveri miſericordiae ſenſu erga tam indigna exempla, vel etiam debuit indignatione eſſe commotus adverſus eos, qui Metropoli tam proterve, tam inhumane inſultarent.

De ea Mediolanenſium calamitate per mutuos timores repreſſa, per Caeſarianorum elationem aucta, Franciſcus Guiciardinus ita inſit: *Diviſa militum civium domos, non copioſe tantum, & opipare, delicateque propter faſtidium & violentiam alendi erant, ſed libidinibus eorum inſuper explendis pecuniae ab hoſpite ſuppeditari oportebat. Adverſus quod intolerabile malum, nihil remedii praeterquam in fuga relinquebatur. Sed eo deprehenſo ſubſidio, miles Hiſpanus vinctos hoſpites: feminas, parvoſque pueros, ne poſſent abire, ligabant: & triſtiora his ſilentur. Tabernae clauſae omnes: nihil uſquam venale proſtabat. Defoſſa ornamenta templorum, & quidquid aliud ſinguli occultarant, tormentis admotis proferebant eadem manus. Moeſtitia, & pallor, & deſperatio in ſingulorum vultu eminebant: veri feminaeque elegans alias mundique cultu, nunc ſqualore & illuvie deformes in pauperrima veſte conſpiciebantur. Exemplum incredibile varietatis humanarum rerum: urbem, quae olim divitiis & frequentia incolarum, artificum ingeniis, finitimorum, externorumque commercio, religione, luxu, bello, diſciplinaſque ſcientiarum, & omni, vel publica, vel privata amoenitate, floremiſſima Italiae totius fuiſſet: eam nunc exhauſtam peſte & fuga, & hoſpitum injuriis, deſertam oppreſſamque jacere, & fortitudinem incitam gentis roburque virorum humilitate ſervili ſic eſſe deformatum.* Haec ferme Guiciardinus, alienigena, tamquam de ſua urbe, deploranti ſimilior, quam narranti, refert.

Caeterum, urbem ita affectam recreaverat pauliſper Borbonii ex Hiſpania adventus, quem, & magnis pecuniae facultatibus ad refovendam Provinciam ſtipendiaque perſolvenda militi, inſtructum a Caeſare eſſe, & fieri Mediolani Ducem, miſcens falſa veris, ſive divulgans majora vero fama nuntiarat. Attulerat autem ille in ſyngraphis, nihil amplius quam centum millia nummum aureorum, ingens privatis fortaſſe rebus laxamentum, inutilem bello ſummam, quae voragine exercitus neceſſitatumque aliarum abſorpta foret prius quam exacta & depromta. Dux Mediolani, neque fiebat ille, neque ſi fieret, attinuerat ſperare quidquam miſericordiae vel humanitatis ab homine transfuga, & Gallo, & proditore Regis ſui, Mediolanenſes tamen, ut in perditis rebus adſolet, faciles ad credenda & tentanda, quae, tempore alio, ſicuti ſtolida & vana adſpernarentur, facto nobilium coetu, & jactatis inter ſe quae novo Principi dicenda eſſent, ſupplices ad eum acceſſere ſpe ipſa maxime miſerandi, cum qua ad traditorem accedebant. Quae dixerit electus caeterorum conſenſu orator, minime neceſſe fuit probabiliter & accommodate excogitari, ſicuti fieri aliquando in hiſtoriis ſolet. Nam, qui tunc in Italia ſcriptores rerum erant, attentiad hoſce Mediolanenſium caſus, ſicuti civitates totae attentae ſimul erant, excepere capita infauſtae orationis & prodidere. Summa haec fuit: Populum Rempublicamque Mediolanenſem, adventu Borbonii, quem dari ſibi novum a Caeſare Ducem audirent, pro eo ac debuerat, fuiſſe gaviſuram, & ſolenni etiam pompa triumphoque teſtaturam id gaudium, ſi calamitates infundae, quibus oppreſſi tenerentur omneis, alium ullum quam doloris & moeſtitiae ſenſum, pompam aliam ullam quam lacrymarum, Populo Civitatique jam reliquiſſent. Omnia, quae captis unquam urbibus accidere ab irato hoſte potuerint, ſeſe ab Caeſariano exercitu eſſe perpeſſos: & cum nihil fieri crudelius potuerit, illud tamen ſibi eſſe longe acerbiſſimum, quod propter civitatis erga Caeſarem perfidiam, licentia permiſſa militi dicatur velut in rebelleis. Atque non fuiſſe rebellium ea, quae facta ab ſeſe memorare poſſint. Namque tenente urbem Gallo, coortos ad arma ipſos, fauſtis in Caeſarem clamoribus animos turbaſſe hoſtium, & res eorum profligaſſe. Bis deinde hoſte ab illo obſeſſos, ut Caeſari conſervarent urbem, pertuliſſe omnia, quae Caeſar etiam ipſe, ſi intra moenia eadem obſideretur, gloriae imperique ſui cauſa perferre paratus eſſet. Cum nulla interim ab Caeſare ſtipendia exercitui mitterentur, fortunas ſuas, muliebremque mundum ultro in ſtipendium obtuliſſe. Singulorum civium domos benigne apertas fuiſſe militi: corpora, non die, non nocte, ſtationibus, excubiis, periculis ullis extra teli jactum: magno illo ad Bicocam praelio, quo Gallorum arma fracta in perpetuum, aut debilitata ſint, ſi vere aeſtimetur, populum Mediolanenſem fuiſſe inter victoriae cauſas, ejusque rei teſtimonium datum Metropoli prolixe ab Davalo & Columna: & Borbonium vidiſſe ipſum, qualem pro Caeſare pugnam ediderit gens, quae nunc deleatur ut rebellis. Ultimos profecto tumultus, quae una deſperatae plebis noxa objici poſſit, ab nobilitate eſſe ſedatos: nobilitatem perſuaſiſſe plebi, ut concitores ſuos ab ſeſe ablegaret, & traditis armis cum modeſtia, & quiete clementiam Caeſaris opperiretur. Sed oratorem cum, per quem iſta dicerentur, ſcribunt, longius etiam dolore motuque animi provectum alia quaedam ſubjeciſſe propiora confidentiae & libertati, quam modeſtiae vel abjectioni ſupplicum. *Direram*, inquit, *Aenobarbi manus, urbem hanc, idque ſaevitiae hoſtilis furioſae exemplum viderat majorum noſtrorum aetas. Saevitum in nos eſt magis: Caeſarisque militum crudeliora auſi ſeſe nobis facere Aenobarbos. Et illum utcumque furorem veteris Aenobarbi, dies unus, alterve, tertiuſve conſumſit: nova haec militum infamia inſanabilis aeterna eſt: pauliſper mitigata ſurgit infeſtior: & quemodo flagrantibus aſſidue damnatis deſperatio ipſa ſit poena: ſic nos, iſti ne optare quidem malorum exitum volunt. En Mediolanenſes clari victoriis quondam, & Caeſaris ipſius teſtimonio laudata gens, certe defenſa totius imperii viribus, & tanto impendio expetita illis inter ſubjectos: Metropolitanus populus imperii effector hujus, domitorque finitimarum urbium, verberum vibices & catenarum veſtigia oſtentare poſſumus, quae dedecora, non hoſtes aliqui impoſuere captivis, ſed hoſpites enim vero noſtri imponunt, dum per-*

peti

peti iſta, quam exſtuere fidem placet. To, Princeps, obſecramus, ut, aut abire nos hinc ſinas quocunque in eaterra, in qua quieſcere nos velis: aut ſtatuas aliquem hiſce miſeriis modum: aut, ſi neutrum horum placuerit: age ſane: dic praefectis militibuſque tuis, ut bombardas, & tela, & quidquid armorum ad conficiendas reliquas belli pronum habent, expediant in populum hunc, ſcilicet, ut uno tandem ictu tollamur rebelles. Quidquid virorum eſt cum uxoribus liberiſque noſtris procedemus in campum, & immota acies ibi exſpectabimus quidquid iſtud imperii ſecuritas requirit.

Non erat Borbonio ingenium ſenſuſve ullus, quem flectere miſerabilia haec poſſent: ſed ne irritatus quidem feritatis exprobratione, quae verbis meſſe ultimis videbatur, ſive irritatus, & alte amareque diſſimulans, dixit, facta quae eſſent, infecta reddi non poſſe, & cordi fore Caeſari, ſibique, ut omnia deinceps recte adminiſtrentur. Secutis poſtea diebus, accerſendo ad ſe Principes eoſdem civitatis, talia quaedam ajebat: *Incommoda, quae acciderunt, non Caeſaris erga fideles amicos negligentia, non Praefectorum Hiſpanaeque nationis vitio, ſed ob pecuniae inopiam accidiſſe. Frequens id in re militari malum & Catholicae Regiae propria temporibus hiſce labes coegit*, inquit, *& facere militem ea quae nollem, & diſſimulare Caeſarem ea, quae punire vellet, & pati vos interim quae nuper haud ſine magno noſtro non dolore ſolum, ſed pudore etiam aboraverit veſtro deplorabantur. Nunc id agimus, idque molimur, ut nobiliſſima civitas redeat in priſtinum ſtatum, & ſublata militum neceſſitate, ſimul obruatur quidquid antea licentiae, & injuriarum fuit. Atque ad ſanandā & tollendā quae oportet, eſt nobis quidem proviſa pecuniae ſumma, quantam implicitis tot uno tempore negotiis Regis curatores tranſcribere huc potuerunt. Sed nequaquam ea lacunas explere omneis poteſt. Ad centum millia ſummum aureorum, quae ſunt nobis in promtu, ſi triginta alia vos adjicere vultis, ſpes eſt, brevi calamitates & lamenta procul hinc fore. Ego certe exercitum educam hunc, & materies ablata malis erit. Si fallam: tunc ut hoc mihi caput ab reliquo corpore auferatur, ſive, cum in aliquo diſcrimine belli rem geram, igni plumboque abſumar.*

Talia dixerat Borbonius ut exitu poſtea ſuo nobile documentum caeteris etiam ipſe ducibus fieret, ne perjurio populos fallant. Quem Borbonii caſum ludibriumque vecordiae ſpectavere Romani homines, haud ſine riſu etiam in media clade, tunc ſcilicet cum Hiſpanogallus, ad moenia urbis, in ipſo petendae coronae muralis fervore, devolutus retro moribundus amenſque per ſcalas rueret, & brachiis ludens, & crure, ranae inſtar, cujuſmodi mortis facies Homeri carminibus ineſt. Sed Caeſarianus quoque exercitus interim riſit, quia Galli Regis transfuga & proditor, in eo quoque Caeſarem prodiderat, ut arma, quae pro ſalute & libertate Italiae acceperat, iis armis ad invadendam urbem Romam ſtolide abuteretur. Verum haec aliquanto poſterius acciderunt. Mediolanenſes autem, fallaci promiſſo decepti, luctati cum tenuitate quiſque ſua, & exhauſtis omnibus loculis, ut ſummam eam triginta millium conficerent, protulere ipſi quidem id quod poſſebatur: ſed nihilominus manebat unicuique miles in domo, non modeſtior interea, non mitior factus: nec facultas ulli jam eadem alendi militis manebat. Borbonii ea fuerat fides. Conſtat, ab hac fruſtratione proditoris, eum fuiſſe Mediolani cumulum aerumnarum, ut plerique, ne inter aſſidua tormenta animi agerent vitam, vel jacto in praeceps corpore, vel injecto ſibi in fauces laqueo, informe aliquod ejuſmodi mortis genus eligerent: qui finire honeſtius voluerant, occubuere ferro. Deſperatio eadem in arce erat, niſi quod unicum ibi malum fames. Cui levandae, turbam inutilem, fere ad trecentos, ab ea parte, quae in hortos ſpectat, expoſuere, tantaque negligentia obſidentium fuit, ut ineacti omnes evaſerint, & per media munimenta exeuntibus obſtiterit nemo. Pueri erant, femineaque, & imbecilli ſenes, qui humanae ſocietatis vinculo aliquo validioribus adjuncti, poſtquam ultima neceſſitas ea vincula diſſolvebat, coacti abire aſſus, vieriſſim poſito omni ſuorum deſiderio abiere. Famelicum id atque miſerabile agmen ad Meliniaum in foederatorum caſtra proceſſit, accenditque ibi multa indignatione militum animos, tum adſpectus eorum, tum vero pudor ipſe, ſi multitudo imbellis erumpere ab obſeſſa arce potuiſſet, ipſi ſubſidium illuc intromittere nullum poſſent. Itaque, clamore, & ſtrepitu, qualis eſſe tumultuantium ſolet, pervicere, ut ſingulorum ordinum ductores adirent Tribunos: & Tribuni Urbinatem, demonſtrato ſeditionis periculo, referre rurſus caſtra coegere Mediolanum verſus: quatridioque proximo, circum ſuburbana rura Caſoretum & Lambratum, & inde uſque ad D. Gregorii & Sancti Angeli Aedem miſti Veneti Galli, & in utroque exercitu Romanae legiones ibetere tamquam haud ultra dilaturae quin irrum perent, in arcem & neceſſaria tolerandae obſidioni intro ferrent. Urbinati tamen, cui, ſicuti dictum eſt, cuncta obediebant, mens eadem quae jam inde a principio fuit, manebat, ut ſcilicet, pro ſubſidio & opeque tantis quaeſita apparatibus fuerat, ſpeciem ſemper inanem arci oſtentaret. Conſultando cum Tribunis, agitando multiplices vias aggrediendae rei, docendo in quae pericula iretur, de induſtria extrahebat tempus. Duces caeteri exercitus illius, videbant quidem cunctationem jam pene infamem Imperatoris Veneti, & cunctandi fortaſſe cauſas artemque ſuſpicabantur, ſed propter auctoritatem & opes, ingeniumque viri, arguere nemo unus audebat. Sfortia interim incluſus, non modo angebatur ſuorum fame, ſed ipſe quoque (rarum Principibus) experiri ac ſentire coeperat, quid mali eſſet fames: additoque ad tormentum id dolore, quod ſine exitu ullo ſpe mauxilii propinquam videret, agitare coeperat, uti permitteret ſeſe Borbonio, arcemque Caeſari dederet moeſtus ſimul & infenſus & animo corporeque languens. Jam ſuper ea deditione emiſſus ab arce Jacobus Philippus Saccus, qui Senatus poſtea princeps fuit, aliquotics commearat, & vicifſim a Borbonio miſſi in arcem fuerant, qui ſolarentur aegrum animi Sfortiam: larga ei apud Caeſarem & benigna cuncta pollicerentur.

Cum in eo ſtatu res eſſet, & concilia quotidie inter foederatos, de auxilio ferendo arci, reque tentanda, ſive omittenda quotidie haberentur: Jacobus Medicaeus, ille jam in abrupta progreſſus & ex ancipiti mutatione fortunae pendens, voluit tentare nonnihil, & non ſine magno ſuo periculo etiam tentavit. Cum enim arce per dolum occupata Muſſenſi, neque receptum ſibi ad Sfortiam reliquiſſet, & adjungendo ſeſe foederatis, a Caeſare etiam poſt magna merita defeciſſet, nec ſegni tutus eſſe quiete poterat, nec ad rem ullam ſuo Marte gerendam habebat opes, interimque omnes ipſius motus & dicta omnia ſuſpecta erant, apud eos etiam, quibus ſeſe tradiderat. Pecuniae quoque partem, nuper in Helvetios ad conducendas inde copias, cum Epiſcopo Laudenſi miſſus intervertiſſe inſimulabatur. Volens igitur in tam lubrica fortuna ad ſeſe confirmandum conari & efficere aliquid, perſuadet Helvetiis, qui jam in exercitu erant, & ab ipſo regebantur, ut ab Urbini Duce depoſcant ſibi periculum penetrandi in arcem, ſubſidiaque inferendi. Pulcrum ei genti videbatur tantae rei gloriam occupaſſe, & cujus negotii cauſa, treis maximi exercitus conſociati eſſent, id Helveticis armis eſſe confectum. Ipſum conſilii auctorem rogant, ut legionis nomine verba faciat: & nihil ille cunctatus, ut qui legationem eam ultro quaeſiviſſet, extollit in concilio avidum periculi gentem, ſeque Ducem ei fore periculo profitetur, & poſſe ita eximi arce Sfortiam, quod majus etiam foret, quam commeatum ſubſidiave alia intuliſſe illuc. Cum in eam ſententiam pleraque militariter a Medicaeo perorata eſſent, Urbinatem, ferunt, mota animo ira exarſiſſe, velut in diſturbantem ſic atque evertentem ea, quae ipſe deſtinaſſet. Diſſimulata ad praeſens indignatione, paulo poſt parata habuiſſe vincla Medicaeo & ipſum, in tentorio, cum daretur aqua manibus, notaſſe turbati oris argumenta malignaeque cogitationis indices vultus, atque diſſimulato intellectu, quaſi neceſſitatis alicujus cauſa egreſſum inde, dum Principes ordine accumberent, innuiſſe

Digitized by Google

innuiſſe ſuorum uni, ut ſiſteret ſibi equum, eoque raptum conſcenſo funeſtam eam coenam mutaſſe felici fuga, neque ulpiam conſtitiſſe, donec Muſſenſi arce ruphuſque ſuis tegeretur. Et ille quidem cum tanto ſuo periculo rem eam infenſo Urbinate tentarat: Sforzia vero deſtitutus omnibus vitae alimentis, cum ne diem quidem jam unum durare poſſet, pactus ſibi cum Borbonio nonnulla, quae irrita fuerunt, arce exceſſit, eratque deinde ad Laudem Pompejam, quam urbem foederati habebant, eique attribuerunt.

Deditio arcis facta eſt ad x. Cal. Sextilis, Anno ſalutis ↀↃ Ↄ xxvi. qui annus Hiſpani Imperii principium Metropoli, non tamen finem ullum malorum afferebat. Nam, & antea ſine arce imperium id male inchoabatur, &, ut in novo lubricoque adhuc dominatu, militaris injuriae multae & magnae perferendae erant. Levamenti nonnihil dedit averſum paulliper alio bellum: & res eae, quae genus humanum moeſtitia ac terrore compleverunt, ſubſidio nobis fuere, ducto per Borbonium exercitu ad diripiendam urbem Romam capiendumque Pontificem, & agendos in vincla Cardinales, quo facinore inhorruere animi, & Caeſar ipſe, dolore & ira contraxiſſe morbum dicebatur. Quod niſi auctorem tanti ſceleris Borbonium vindex Deus in medio ſcelere oppreſſiſſet, erodidere gnari cogitationum Caeſaris, facturum fuiſſe eum, ut ſuae religionis famam, edito magno aliquo in id rebelle caput documento ſunciret. Sed, ut demonſtravi, juſtitia Numinis anteverit: portentumque illud hominis, ut omni deinceps aevo memorabile exemplum fieret, per ſcalarum gradus praecipitavit plumbo abſumtum & igni, ſicuti devoverat ipſe ſeſe tunc, cum populum Mediolanenſem perjurio impudenti fallebat. Is igitur annus, captivitate Romana, bellorum externorum caſibus, ambiguaque etiam foederatorum inter ipſos & jam prope diſſoluta ſocietate, varius apud alios, turbidus, inſtarque prodigii cujuſdam, modica nobis quiete poſt receptam arcem agebatur: ac niſi per milites in praeſidio urbis relictos ſtaret, tota ad breve tempus parta quies urbi erat.

Interea Medicaeus, quem, obminaces in Urbinatis ſupercilio notas, contemta ferali coena elapſum repente tentorio caſtra fugiſſe foederatorum, memoravi, coeperat ab Muſſenſi ſua arce altius attollere animos & nihil jam mediocre meditabatur. Neque Caeſarem jam, neque Principes alios a quibus aberat, ſed fortunam qualemcumque ſuam reſpiciebat anceps & paratus ſequi quocumque ea vocaret. Hac mente deſpectans caetera, Venetos legatos proficiſcentes in Galliam, aggredi intercipereque auſus, detinuit apud Muſſum in arce, donec pecuniae ſummam repraeſentatam ere quam poſcebat. Ajebat, tantam ſe pecuniam erogaſſe de ſuo, cum in Helvetios auxiliorum cauſa mitteretur, atque id ipſum poſtea miſſis Venetias ad Senatum litteris exculſiv it. Rupe deinde arceque minime contentus ea quam periculorum ſuorum initio occupaſſet, munitiora quaedam & Principali cultu magis digna domicilia exquirens ſibi, ne in latebra ſemper ille, ferae ignobilis ritu occultaretur, ad Montis Acuti arcem animum adjecit. Eſt eo nomine collis in Mediolanenſi agro, medius fere Brianteos inter & Orobios, multa frugifera arbore, viteque conſitus: in ſummo vertice, tecta capacia quamvis amplae nobiliique familiae in arcis emunita modum habet. Tunc habebat eam arcem idque domicilium una cum ſubjecto colle Alexander Bentivolus Joannis filius, quae familia dominata Bononienſibus olim, Principatu amiſſo, fuerat ob propinquum genus a Franciſco Sforzia collocata ibi, priuſquam hic quoque Principatum amitteret. Medicaeus, poſteaquam loci opportunitates ingeniumque adamavit, per litteras ſimul, & per amicos coram, Sforziae ipſi demonſtrat, ſegniter & incurioſe Montem Acutum a Bentivolo cuſtodiri: ſi Caeſariani oculos eo adjiciant, poſſe ipſos nullo negotio & expellere inde Bentivolum, & munimenta inexſuperabilia addere arci, quam ubi in poteſtate haberent, circumjecta ſimul omnia habituros, atque ita de amoeniſſimo tractu actum fore. Si fides ſibi habita ſit, non ſolum poſſe ſua cura & vigilantia inde ſummoveri Hiſpanos, ſed ſtationem quoque Leucenſem ex propugnaculo eo infeſtam genti ipſum eſſe effecturum. Ingenium, credo, Medicaei nondum ſatis cuiquam innotuerat, & quidvis fortaſſe aliud Sforzia ſuſpicabatur hoc tempore quam ex interfectore Monſignorini novum hunc ſibi parari hoſtem, cum quo homine geſturus aliquando eſſet bellum, ubi pacem, fortunamque priſtinam a Caeſare impetraſſet. Sive ille, amiſſa Metropoli, de ſumma rerum anxius imperioque ſuperſtes, & iterum jam prope exſul, Montis Acuti fortaſſe ne meminerat quidem. Utcumque ſeſe ea res habuit, ſcripſit certe Sforzia ad Bentivolum, ut ei qui epiſtolam ferret, tradita arce, abire inde ne eunctaretur. Epiſtolam Medicaeus ipſe ferendam acceperat. Sed exiſtimans poſſe etiam accidere, ut apud Bentivolum loci amor plus quam verecundia Principis valeret, nocturnus eo cum militum manu acceſſit, & excitato Bentivolo armatas ei obtulit litteras, ita, ut ille Sforziae mandata ſimul & parendi praeſentem neceſſitatem intueretur.

Arce in hunc modum occupata illa, Medicaeus exercet in vicina rura populoſque Brianteorum quidquid juris & imperii juſtus alius legitimuſque Princeps in magna aliqua ſua neceſſitate ad cogendas pecunias, exercitumque ſupplendum uſurpare poſſet. Statim ei tribunalia & magiſtratus, & forenſe miniſterium, carceres quoque & carnifices, & multis locis erecta patibula erant, ne quis detrectare novum imperium auderet. Milites, & veteranos pleroſque habebat, qui fortunae minoris olim periculorumque ſocii, tanto promtius nunc ad grandiora ſeſe attollentem ſequebantur, & ex tota illa circumjecta regione conſcribebat novos, qui ipſi a veteranis ad omnia belli opera exercebantur. Ipſe, obvia comitate in omneis alloquioque ſincero, nec minus effuſus beneficiis, quam poenis acer, caritate ſimul & metu ſuxerat terrarum earum obſequium erga ſe & fidem. Nobiles Brianteos, prout ingenio promti, vel ſtol da opulentia inutiles erant, varie etiam tractabat. Illi curationibus arcaniſque conſiliis admovebantur: hos ſaevo ad Montem Acutum carcere cogebat indicare quid ubi defodiſſent, nec dimittebantur, antequam acciſerant ab domo pretia redemptionis pro captu ſuae quiſque fortunae, & infortunas conditionemque ſingulorum accuratiſſime inquirebatur. Quibus rebus conſtituta aliqua tyrannidis forma, juſtoque propemodum exercitu coacto, Medicaeus, magna quotidie inferebat detrimenta Caeſarianis, adeo quidem, ut Antonius Leva dicere ſolitus fuerit, plus negotii ſibi exhibuiſſe tumultuarias illius cohortes, quam ipſa foederatorum arma. Quas enim arces in Abduae fluminis ripa Venetorum terris objectas ad Bripium praeſertim, Tritiumque Hiſpani habebant, has ille crebris incurſionibus acerrime infeſtabat, & obſidendo itinera effecerat, ne quid ab Leuco Mediolanum, ſive hinc illue liberi & aperti eſſet: ac ultro citroque commeandi facultate erepta haud dubie illam magni momenti arcem erepturus eſſe Hiſpano videbatur.

Adverſus hunc hoſtem Leva, vi ſimul doloque connixus, ab utraque parte infelix fuit. Martinus erat quidam ex ignobili Brianteorum pago (Mondonacum vocant) idque Martino etiam cognomen. Aſper homo & violentus, infidus, nulla bona arte, ſed in alienam pecuniam diligentia probatus Medicaeo electuſque ad tributa exigenda, tanto capitalior erat in eo magiſtratu, quo plus utilitatis pervenire inde ad ſe ſimul videt. Sicuti fit, pari gradu procedebant, favor & benevolentia heri in ſervum, & mancipii erga herum diligentia magis quam fides, cumque ditaret quotidie Principem exactor, viciſſim ab illo iſte ditabatur. Poſſe hunc miniſtrum eſſe Medicaei interficiendi Leva arbitratus, & praeſenti pretio, & majoribus in poſterum promiſſis per homines idoneos cum corrumpit. Non recuſat agre ſtis publicanus: ſed callide reputans ipſe ſecum, quod interfecto hero transfuga proditorque vilis haberetur, transſire cum alio inſuper haud vilimunere agitabat, occupata, ſcilicet, per furtum, traditaque Hiſpanis arce &

pago,

pago, qui Peregis dicitur. Latrunculorum habebat manum ad ea, quae parabat, adjunctam ſibi & fidam. Hos tamquam juſſu Medicaei captos, injectis catenis appetente veſpera ſecum trahens, appellat ex itinere Praefectum arcis, familiarem ſibi hominem, ut deponi apud ſeſe patiatur: & ipſum ea nocte futurum ibi coenaturoſque una. Facile acceptus intro, ſolvit repente captivos: hi Praefectum ligavere reſque geſta pulcherrime erat. Sed poſtero die Medicaeus, comperta fraude exactoris ſui, mittit ad oppugnandam arcem, latrunculoſque una cum proditore capiendos. Capti omnes, atque ad Montem Acutum illico raptati, ſtatutis toto vertice furcis ordine ſuſpenduntur. Martinus, qui primo tormentorum adſpectu ediderat inſuper ea, quae ſibi cum Leva convenſſent, genere alio ſupplicii punitus, ut apud incolas regionis ejus in terribile exemplum abiret. Singulos vivi artus rotae pondere fregere lanii, totoſque dies dilata & continuata carnificina eſt, quo lentius ille moreretur.

Hunc exitum habuere inſidiae, quas Leva in Medicaei caput excogitarat: & ipſe tanto ſuo periculo irritatus in Hiſpanos, odio deinde nominis ejus ac metu, aditum ſibi novum ad foederatos quaeſivit, quod ut ſaluti ſuae conſuleret, aufugerat e caſtris, & Venetae legationi injecerat moram, pecuniaeque nonnihil aucupatus inde ſibi erat. Ita foederatorum ab eo tempore totus fiat, inſtinctor eis & miniſter contra Caeſarianos, donec Leva, ob continua damna verſus in viri admirationem, ſtatuit per beneficia adjungere Caeſari, quem nec tollere dolo, nec aperto Marte ſuperare potuiſſet. Subegere autem Levam, ut beneficiis vincere Medicaeum tentaret, aſſiduae horribiles viri ejus, & calliditate major fortitudo, roburque animi invictum, & belli fortuna conatibus ejus raro inimica: & quod denique appareret, ſi foederati hunc diutius in partibus ſuis hominem haberent, haud magnopere ad rei Mediolanenſis ſecuritatem profutura eſſe Caeſari, vel diſſidia eorum, vel quae inde data laxamenta Metropoli erant. Dum enim diſſident illi cunctanturque, & parum ſincera inter ſe fide rem agunt eam, cujus rei cauſa conjurarant, accepta ab eis pecunia Medicaeus, Rhaetica una conducta legione irrumpere in urbem tentavit, apertam tum forte & opportunam, quia Leva educto ad Melinianum exercitu, nihil fere praeſidii ibi reliquerat. Quo minus ab legione illa, Medicaei ductu urbs caperetur, nulla res alia obſtitit, quam ipſius Levae celeritas, qui comperto diſcrimine obviam ivit, & Rhaetorum contumacia, qui, praelio adventante, ſuperiorem locum tenere noluerunt, in quo ab duce collocati ſternere impune Hiſpanos potuiſſent. Ille, hinc pertinacia ſuorum, hinc hoſtium impetu conjectus in vitae diſcrimen, atque deprehenſus inter loci angultias, & Hiſpanorum tela, concitato quantum poterat equo, trajecit ingenti ſaltu carrum, quo obſepta via erat, intactuque evaſit. Res geſta eſt ad Carratum pagum, qui diſtat ab urbe quatuordecim millia paſſuum Lambro flumini appoſitus, & imminent rupes, unde paratum Hiſpano exitium ſtabat, ſi parere voluiſſet gens obſequii ignara, & tunc irritata ſuſpicione, tamquam ab ipſo Medicaeo trucidanda Hiſpanis rupe in illa objiceretur.

Sed non, quemadmodum Medicaeus, tanto ſcelere infeliciter tentato, evaſerat ex media Hiſpanorum acie, ita Hiſpani ex ipſius evadere manibus potuerunt, cum Muſſenſem arcem admere ei paulo poſt tentaſſent. Hiſpanus erat Villaterellus apud Leucum Praefectus arci, non Medicaeo tantum infenſus ob ea, queis ſunam quotidie Caeſarianorum ille obterebat, ſed nationi quoque ſuae iratus, quod ab novo homine (ſic enim eludentes appellabant) tantopere inſultari ſibi paterentur. Hominem Medicaeo percarum iſte habebat in cuſtodia, Sardum cognomento. Quem ubi tentando varie, callidum audacemque cognovit, traxit paulatim in quemdam hujuſmodi ſermonem: ſi dimitteretur e carcere ſalutemque acciperet, cequid poſſet ipſe excogitare ac moliri, quo remuneraretur id munus? Ad ea Sardus dicere, nihil poſſe amplius ab ſe praeſtari, quam ut Muſſenſem arcem ei traderet, idque pro ea conſuetudine ac familiaritate, quae ſibi cum Medicaeo eſſet, facili negotio effecturum. Res magna viſa Villaterello: ſed tanti promiſſi vadem dari ſibi aliquem poſcebat. Captivus Palamedem Abduam Briantaeorum facile ditiſſimum, vadem fore pronuntiat: nec ille recuſavit. Ita Sardus e carcere dimittitur, avideque deinde Hiſpanus promiſſa exſpectabat. Res inter eos ita convenerat, ut paratis ad invadendam arcem omnibus proditor Leucum uſque excurreret: inde ſublata ſecum in lembum Hiſpanorum cohorte perageret. Sed ille, ſtatim ubi ex tetro carcere magnoque capitis periculo ſalvus in Medicaei venerat amplexum, aperuerat ei cuncta, & ubi tempus viſum, ad illiciendos in retia Hiſpanos, ſimulata quadam ſua profectione Medicaeus abierat palam ex arce nocturnuique redierat. Tunc Sardus ad Villaterellum exit, & lectiſſima Hiſpanorum corpora, in his Villaterelli ipſius fratrem, virtutis eximiae juvenem, ſub titulo gerendae rei ad necem ducit. In ipſo arcis ingreſſu obtruncati omnes, duobus exceptis, qui, eum porta cataracta demitteretur, nondum illato pede conſpicati ſociorum ſtragem aufugere inde maturarunt, & per montium eorum devia, per abrupta, prope exanimes in tutum pervenere. Hi poſtea beneficium coeleſte agnoſcentes, cujus prope miraculo viverent talvique eſſent, ſimul res pertaeſi humanas, contule e ſeſe ad Franciſcanos, & vitae reliquum cinerea in toga ſancte ibi laudabiliterque egerunt. Villaterellus ipſe, poſt tantam cladem, praefectura damnata & contempta illa, fratris praecipue deſiderio moerens, impetrato ad ſepulturam corpore, cum bona Levae pace, & venia, Lucio Briſighello ſucceſſori tuendum arcem reliquit.

Fraus igitur etiam iſta Medicaei, ſive Imperatoriae prudentiae ſucceſſum appellas e quis malit, eum ad pleraque alia nova, & tremenda viri ejus acceſſiſſet, occulte perculerat Levam, ut ex hoſte facere amicum tacitus deſtinaret. Sed cunctantem adhuc, & in anciputi conſilio exſpectantem tempora Hiſpanum, ne id ultra differret, compulere ea, quae mox ad Leucum geſta ſunt. In ulteriore fluminis ripa locus ille eſt, frequenti mercatu, & arcis fama fatis notus: tunc quidem etiam maxima cura, ſimul Hiſpanis, uti tuerentur, ſimul foederatis, ut capere poſſent. Aditur ex Briantaeis, ponte, quod Joannis Vicecomitis antiquum opus & quadrato lapide per decem pilarum intervalla fornicatum, Abduae nomen magnitudine ſua auget. Poſuit eam molem Archiepiſcopus Joannes, cum potentiae Regum aequiparatus, Pontificatum ſimul & arma imperiumque urbis ipſe haberet. Medicaeus, expugnato ponte dijectoque mihtum praeſidio, qui tamquam arcem alteram eum tuebantur, premendo obſidione Leucenſes, cogebat Levam mittere ab urbe eo ſubſidia, quae, nec terreſtri per Briantaeos itinere commeare poterant ob crebra regionis caſtella & arces, &, ſi ab altera parte navibus venirent obſepto catenis lacu arcebantur. Cumque Leva extremo jam fere Leucenſium periculo accenſus, delectas cohortes, atque robur equitatus, Balbiano, & Torello, & Caeſare Neapolitano ducibus miſiſſet: Medicaeus viciſſim, accito Venetorum auxilio, curuhbus inſuper tormentis, & omni alia armatura, ſi quid forte ad juſti praelii diſcrimen deerat, id quoque ſubſidium prohibere conatus obſtando ad omnia loca, circumveniendoque agmen, & pugnando, eruentum id Hiſpano exercitui iter fecit. Quod niſi Venetorum copiae, quas ad anguſtae crepidinis fauces ipſe collocarat, conſpectis Caeſarianis, terga repente dediſſent, fama fuit, totam eam repente manum potuiſſe deleri: quippe, hinc claſſe, hinc ponte, hinc crepidine valido praeſidio armatis, ut ſicuti aditus in Leucenſes, ita fuga retro impediretur. Relinquebatur una per Briantaeos via, qua redire Mediolanum poſſent: ſed redeuntibus illac, praelia parabantur eadem, quae venienteis affixiſſent, tenente regionem Baptiſta, fratre Medicaei, & ipſo cum ſeptingentis, qui poſt Venetorum profectionem reliqui erant, mox inſecuturo. Verum enim vero, corrupit occaſionem nihil aliud quam infida foederis ſo-

cietas, dum partes, nuſquam in commune, ſed ſibi privatim conſulunt, arcemque Leucenſem illam, nec Venneti Medicaeo relinquere habendam, nec Medicaeus ad Sfortiae utilitatem capere admodum curat. Ob id enim, neque datus umquam impetus in eam eſt, impreſſiove facta, & Venetis locum deſeruere, qui retentus haud dubie victoriam dediſſet. Caeterum Leva, quamquam & penetraſſe utique ſubſidium illud videt, & ſpem magnam defendendae arcis habebat, reputans tamen ipſe ſecum ingenium, & artes, fortunamque Medicaei, & pleraque alia volvens animo, promere denique ſtatuit id quod de reconciliando homine ſecreto agitabat. Loca, & arces, tractuſque terrarum, quos illo defectionis tempore occupaſſet, confirmat ei Caeſaris auctoritate: Muſſi Demarchum appellat: attribuit etiam Leucum; copias & arma parata habere jubet, & praeſto eſſe Caeſari ad omnia quae res poſtularet.

Fuerunt Levae conſilium hoc reconciliandi Medicaei, an vero Caeſar ipſe mandaſſet, etiam qui tunc erant homines dubitavere. Pro certo illud habitum eſt: Moronum, qui, poſt captivitatem, deſerta infelici fortuna Sfortiae, ſeſe Caeſari addixerat, & nihil aliud quam gratiam hoc tempore Caeſarianorum ſequebatur, egiſſe de ea reconciliatione cum Leva, multiſque rationibus demonſtraſſe ei, quemadmodum utile Caeſari futurum eſſet, ſi hoſtis rebellive ille mitigaretur. Mitigatus autem ita erat, ut in curas bene merendi de Caeſare ſimul & fortunae ſuae augendae divium animum haberet: augebatque munimenta caſtellis: concilabat ſibi per hoſpitia, & affinitates animos eorum, unde proferendis finibus auxilia aliquod ſperaret; Venetos, ut imperio ſuo finitimos, utque Caeſaris hoſtes aſſidue carpebat. Ad omnia, Caeſaris nomen obtentui erat, & Alba Cruce (inſigne Caeſarianum id fuit) ſibi ſuiſque indita, abdicato rubro geſtaminis ejus colore, foederatorum nomini ſeſe hoſtem aperte profitebatur. Adverſus eos, pro parte, in quam tranſiſſet, fieri cuncta volebat ille potius credi, quam credere homines poterant, ſiquidem cum aliquo judicio intuerentur viri animum, & quantum ei fortuna tribuiſſet, & conditionem temporum, quae erant ejuſmodi, ut quod quiſque tunc occupaſſet, id etiam poſtea eſſe habiturus videretur. Quin etiam, tunc fuere qui ita differerent: Sfortia propediem morituro, & propter Metropolim conflagratura bellis Italia, nuſquam melius poſſe placari Principum animos componique ſtatum rerum, quam ſi Medicaeus, uti jam eſſet in parte dominationis, ita relicta Venetis Cremona, & ſi quid omitti aliud intereſſet pacis, caetera obtineret. Alioqui, neque Caeſarem umquam Gallo, neque Gallum Caeſari eſſe conceſſurum, ut ad priſtina Regna hoc adjecto Principatu tanto potentior fieret: tum uter eorum adipiſceretur, caeteris omnibus formidabilem fore. Venetos praecipue hoc adhibito temperamento denique acturos quietem, cui genti calamitatis loco ſemper habitus fuiſſet adeo potens accola ſub nomine Regnli, Regum opes amplexus. Pauperem Principem fore Medicaeum, qui abſque ulla finitimorum injuria, nomen tamen famamque Ducis impleret: fore apud eum gratiae locum, fore beneficio, & ſubjectos interim, magis cum Principe, quam ſine libertate, moderationem eſſe ſalubrem imperii habituros.

Homines quidem de animo fortunaque Medicaei, & de eo, quod aliquando futurum eſſet, ita differebant. Ipſe vero nihilo humiliora volvens animo, quam quae ſermonibus hominum tractabantur, tam prope a Principe quam olim ab exſule, in Lario lacu claſſem, exercitum in Briantacis, Venetorum Helvetiorumque finibus objectus terras, montium cacumina, vallium receſſus, ſpatiaque camporum, & ubique arces, obſequium apud ſubjectos, apud exteros famam, & haec omnia velut conceſſu Caeſaris habebat, cui nuper hoſtis fuiſſet. Imperii ſedes ei apud Montem Acutum modo, nunc apud Muſſum, quae loca excoluerat, munierat, aderantque bombardae, partim quas conflaverat ipſe ſibi, partim quas ademerat Venetis: & donatus ei ab Leva fuiſſe nonnullas conſtabat. Jam egregie ſubnixa pluri-

A buſque munimentis inſiſtens domus: quatuor fratres, totidem ſorores, & quas in fraternam ſibi curam adoptarat, conſobrinae duae: ipſe laboribus & vigiliis attenuato corpore: ſed florens integraque aetas ſubſidio erat. E fratribus, Baptiſta, & Gabriel, hic adoleſcens, ille jam virili robore, ſocii expeditionum participesque conſiliorum erant. Auguſtus ad ſpem generis, familiaeque ſucceſſionem reſervabatur: Joannem Angelum, qui poſtea Pius IV. fuit, ad ſacros honores ordine enitentem exſpectabat Eccleſia, dum maturam capeſſendo Pontificatui aetatem afferret. E ſororibus, duae Mediolani ſolennibus obligatae votis virginale aevum agebant: duae ad Muſſum una cum duabus conſobrinis conſtituta in Monaſterii formam domo, procul ab militaris aulae ſtrepitu habebantur: provideratque ſeverus ad talia Demarchus, ne miniſterio illic virili opus eſſet, neu quiſquam illuc inferret pedem, excepto decrepito uno capellanique Presbytero, qui ſacrificii cauſa deſcendebat ad clauſtra illa quotidie, & ubi perlitaſſet, abibat. Harum deinde alteram, Claram nomine, Vultheoderico Sittico nuptum dedit, cum Germaniae Procerum clariſſimus Muſſenſi lacu renavigans domum, exceptus ab Demarcho ſplendidiſſime fuiſſet in hoſpitio apud eum, indeque orta inter ipſos amicitia & familiaritate, juvenis, poſtquam domum pervenerat, petit e virginem infantiſſet. Medicaea minor, cui Margarita nomen, paulo poſt data eſt Giberto Borromaeo Comiti Aronae, modeſto juveni & pio, qualem praeparari D. Caroli patrem oportebat. Sed futuram ejus matrimonii gloriam, coeleſtemque fructum caeca ad rem tantam humanae mentis conjectura minime proſpiciens bellator, aviduſque rerum aliarum Medicaeus, quaeſierat potius id nuptialis pacti compendium, ut inita cum Borromaeo neceſſitudine, Aronae arcem ab eo blandiretur, quod tamen, neque conditionibus aſſequi ullis potuit, neque aſtu, cum utraque machina expertus conatuſque eſſet. Haec fortuna Medicaei ab initiis orta illis, quae demonſtrata ſunt, aucta deinde, & adulta variis rerum eventis, & ipſius virtute, ſicuti item demonſtravi, ita ſeſe habebat ad annum uſque vigeſimum ſeptimum ſeculi ejus, videlicet CIↃ IↃ. ut ab eo tempore fluctuare inciperet, rurſuſque conflictata redigeretur in eum ſtatum in quo Medicaeus fuit, cum vitae finis ei accideret.

Caeterum, anno illo, quem notavi, cum Caeſari natus eſſet Philippus, avus Philippi IV. qui nunc regnat, converſa in tot Regnorum heroidem humani generis gratulatione, vel invidia, vel ſi quae ob eam rem aliae regnantium curae commotae erant, etiam Mediolanenſes ad ſpem erexere animos, poſſe per ejus Regi exortus laetitiam a Caeſare impetrari, quae legatione miſſa alia pro miſero urbis ſtatu nequidquam imploraſſent. Namque cum ſub Borbonii diſceſſum iviſſent ad Caeſarem legati, petentes, ut exonerari militum parte urbem juberet, ſpreta ea, & rejecta legatio fuerat in contumaciae poenam, qua crebris aulae ſermonibus tumultuari eſſe adverſus Regios Praefectos, nationemque pulſaſſe Hiſpanam inculabantur. Nunc, ut dixi, ſpe animis ſumta nova, tamquam, ob Regios natales hilaritate & clementia cuncta apud Hiſpanum renideret, mittitur Vallisoletum in Regum ex vetuſta urbis nobilitate Philippus Archintus, qui poſtea Mediolani Archiepiſcopus fuit. Mandatum ei ab Decurionibus Urbis, primum omnium uti diceret: Populum Rempublicamque Mediolanenſem ita laetatam eſſe Philippa Principis ortu, ut veluti natalem ſuum diem eum ſemper conceleratura ſit. Vere enim Metropolim arbitrari ſeſe renatam, propagata per eum Infantem ſucceſſione imperii, cujus deſiderio, fideque erga illud, & pietate armati cives potuerint trucidare Gallos, evertere eorum tribunalia, ferre obſidiones, exire contra, & ad omnia loca pugnare, donec Rex ille captivus nonnulla etiam Mediolanenſium opera fuerit in victricem aulam, attonita omni hoſtium gente, deportatus. Haec de ſe profiteri Mediolanenſes, & ſi quis negare velit, defendere eſſe paratos, & poſſe nationes interrogari, quae rebus adfuiſſent. Quod ſi poſtea, conſtituto apud Infi-

bres

bres Auſtriaco Imperio, & diviſis per omnia urbis tectis militibus, nonnulla minus benevole Mediolanenſes inter & Hiſpanos acciditſe dicantur, illud quoque defendere eſſe paratos, quod nulla ſua mala mente, ſed mutuis irritationibus acciderint, & ſicut in domo nonnumquam eadem inter fratres etiam taedia diuturnae conſuetudinis res aliquando dedere odioſas, ita in militari contubernio potuiſſe contingere nonnulla, quae poſſint defleri magis, quam defendi. Verum enim vero, neque purgandi, neque deplorandi cauſa legationem eam decreviſſe Mediolanenſes: petere a Caeſare confidenter, ut dum caetera terrarum geſtiunt plauduntque regnaturo Infanti, velit ipſorum quoque planctus & geſtientem alacritatem eſſe ſine ſqualore & luctu: velit urbem levare tributu, & onere inſultuque quotidiano militari: ſimul annuat, ut ejectos urbe cives ob tumultus, patriae reddat, auctoritatſque Senatui priſtina reſtituatur. Philippus Archintus Mediolanenſium nomine haec ferme petierat. Reſponſum a Caeſare eſt: diſplicuiſſe ſibi civitatis ejus miſeria, invitumque credidiſſe quod haud immerito ea paterentur. Sed praeterita omnia malle obliviſci: optare in poſterum, ut obedienter manſueteque agerent: & hominibus ibi ſuis mandaturum, ut pro magnitudine, & nobilitate urbis benigne viciſſim clementerque agunt. Caeſaris epiſtola ad Decuriones urbis, in eam ſententiam data Archinto eſt: vidimuſque nos autographum ejus exemplar inter Patriae monumenta, rem ſane dignam publica cuſtodia ob illuſtre Caeſaris ipſius judicium de gloria ſplendoreque urbis. In eadem epiſtola erat: Caeſarem, qua clementia, & magnitudine animi erga Regem Franciſcum, Mediolanenſium ipſorum virtute captivum, uſus fuiſſet, ea ſe Mediolanenſibus ipſis eſſe conſulturum. Inter maximas Imperii curas eſſe hanc, ut civitas ea, populuſque, & Clerus, depulſis praeſentibus miſeriis, rediret in eum ſtatum, quo olim fuiſſe diceretur. Ideo, quae ſtatim tribui poſſent, ſine mora conceſſa eſſe, periturumque diligentiſſime ad Levam, ut praeſidia ex urbe deduceret: ſatis praeſidii in fide Mediolanenſium fore: vel ſi ea abeſſet, ne arma quidem ulla adverſus contumaces eſſe valitura.

Ab ea legatione Archinti Caeſariſque mandato, commodiora omnia Mediolani aliquamdiu erant, exonerata urbe, ductiſque alio in hiberna vel aeſtiva militibus, quae ad eam diem publica, & intoleranda Metropoli calamitas fuerat. Paulo poſt revocantur in ſtationem quoque ſuam recrudeſcente circa urbem bello, quod coeptum ſimul finitumque eſt. Namque dum Caeſarianus exercitus, Borbonii ductu abbi rem gerit, & eodem ſublato Borbonio, coeptis tamen illius inſiſtit, novae Gallorum copiae, Duce Borbonio altero qui Sanpaulanus dictus eſt, apud Valentiam tranſgreſſae fluvium, perpopulatae Mediolanenſem agrum municipiis urbibuſque captis, ad Metropolim obſidendam nomine obſtante tetenderunt. Adeo ſoluta & neglecta reperierant omnia, vel ſecuritate Caeſarianorum, vel viribus in periculo alia diſſipatis. Servavit in eo diſcrimine urbem, eadem quae non ſemel alias ſaluti fuerat, ſive levitas, & inconſtantia Gallorum, ſive fortuna quaedam imitis eorum ſecunda, ad exitum fallax, & tunc maxime adverſa, cum prope victoriam eis in manum dedit. Namque Sanpaulanus animo cauſaque uſus eodem quo caeteri etiam ante ipſum Galli duces a moenibus captae jam fere urbis ultro abſceſſerant, retulit ab Landriano repente caſtra tamquam iturus ad invadendam Genuam, cum ſi pergeret huc ire, capere Mediolanum potuiſſet. Et Antonius Leva cum eo exercitu, quem habebat, urbe egreſſus perſecutuſque abeuntem, turbavit primo ac fudit, deinde etiam cepit: qui ſuperſtiere Galli, cum inſana trepidatione petiere Alpes, & rediere domum, nec res alia magis extulit Levam. Reliquerat hunc Mediolani Borbonius cum ipſe Romam ad exitium dedecuſque ſuum poſt illa, quae memoravi dedecora, proficiſceretur: fuitque Leva inter Hiſpanos duces, qui Caeſaris nomine Mediolani imperitarunt, virtute magis ſua, quam origine par caeteris, Davali prope diſcipulus, Borbonio melior: & pietatis monumenta reliquit. D. Dionyſii Aedem: & cum ea Aede Monaſterium exſtruxere Servitae, erogata per ipſum pecunia, ut militare flagitium expiaretur, quo Monaſterium Aedemque aliam Ordinis ejuſdem demolirii neceſſe habuiſſet. Geſſit bella conſiliis nutuque, & nominis auctoritate potius quam manu, cum ob magnos articulorum dolores involutus ferme faſciis jaceret: ac ſi procedendum utique erat, geſtatoria ſella circumferebatur, ſplendidiſſime armatus, & cristarum amoenitate faſtuque diſſimulans poenas. Tam felici victoria factus etiam elatior, flagransque ira in finitimos Venetos, quorum praecipue ſtimulis, novum illum ex Gallia factum eſſe impetum ſciebat, dum, trajecto Abdua flumine, vaſtitatem eorum terris infert, nuntium accepit, haud equidem crediderim ei animo gratum, de pace, quae diu agitata convenerat, feſtis ob mutua damna Regibus, & anxio Pontifice, ſi tot malorum orbi Chriſtiano cauſa ipſe haberetur. Nuntiata pace, reducto ad urbem exercitu, quies armorum erat, atque erectis exſpectabatur animis, quo denique modo reconciliati inter ſe Reges componerent Orbem terrarum: quae ſumma conditionum fuiſſet habendae etiam in poſterum paci, ſi pax fida umquam eſſe poſſet, ubi bellorum cauſae aſſidue exuſterent, & ſemel exciſae renaſcerentur.

Mox fama accidit, venire petendo diademati Caeſarem in Italiam, ut veterum more coronaretur. Barcinone ſubſiterat quamprimum inde trajecturus. Mediolanenſes illuc Archintum deſtinavere eumdem, qui priore legatione functus fuerat. Legandi iterum ea fuit cauſa, ut, & indicarent Caeſari laetitiam gratulationemque civitatis ex eo, quod Imperatorem omnis memoriae clariſſimum terra Italia acceptura eſſet, & ad gloriam ornamentumque urbis nonnulla peterent, quae priores etiam indulſerant. Caeſar, benigne audita legatione, legatique etiam ipſius prudentia, ſicuti fama eſt, haud parum delectatus, conceſſit Juriſconſultorum praecipue Collegio multa quae manent hodie, nec faſtum modo nobilitati, ſed etiam incitamentum virtutis addunt. Eſt id Mediolani Collegium fundatum antiquitus ſevera lege, ne ſuperba, ne recipiatur ullus, qui ſuos ab origine ultima avos intactos omni natalium & vitae labe exhibere non queat: quae neceſſitas, neſcio, an Principum quoque nonnullis moleſta futura ſit, ſi talia proferre documenta cogantur. Non pecuniae magnitudine, non gratia, claudicans & nova nobilitas aditum eo invenerit: exſtantque exempla praecivitum candidatorum, quos ſuffragia omnia rejecere propter illiberalem majorum ſolertiam, atque mercimonio nonnullo contaminatos penates. Huic tunc Collegio nova decora quae rebantur, deditque ea Barcinone ſedens adhuc Caeſar. Inde ille Bononiam venit, eoque Pontifex Clemens, & Pontificem aſſectati Cardinales, Legati praeterea Principum & Regum, Principeſque multi una adfuere celebraturi coronationem Caeſaris, pompamque viſuri, qua nulla fortaſſe umquam, neque illuſtrior, neque ſpectabilior fuit, coronante Caeſarem Pontifice, inter quos paulo antea hoſtilia cuncta facta erant: adſtante purpuratorum corona, quos nuper una cum Pontifice captivos egerat Caeſaris miles: adulantibus denique caeremoniae huic legatis eorum, qui Hiſpani nomuis inſectatione gratiam inter ſe certatim, & gloriam apud alios quaerebant. In ea tantarum converſione rerum, vel mutatis omnium animis, vel compoſitis certe tamquam mutati eſſent, petitum a Caeſare impetratumque eſt, ut Franciſco Sforziae venia praeteritorum conceſſa priſtinum ſtatum redonare vellet: ſtatimque ille ab Cremona accerſitus, Dux Mediolani iterum fiebat. Ob ejus rei gratulationem Archintus tertium legatus ad Caeſarem it: cui deinde legato gratia apud Hiſpanos, odium apud Sforziam peperit: & rurſus Hiſpani hominem vexavere, poſtquam Archiepiſcopus urbis factus capeſſere Eccleſiam parabat. Numquam enim per eos inire honorem potuit: ac Bergomi prope exſul eſt mortuus. Verum, & quomodo ſuſpicionibus apud regnantem Sforziam ille conflictatus fuerit, & quomodo in Philippi regno Pontificatu prohibitus, poſtea ordine exponam.

Sfortia reſtitutus eſt in Mediolanenſe imperium ea conditione, ut quadringenta millia nummûm aureorum intra anni ſpatium, decennio deinde proximo decem penſionibus quingenta millia Caeſaris fiſco perſolveret. Prior illa ſumma donec perſoluta eſſet, arcem Jovis urbemque Novocomum haberet Caeſar: pernumeratis quadringentis millibus ea quoque reſtituerentur. Haec & alia dum fierent, Antonius Leva cum idoneo exercitu apud Inſubres maneret. Quae ultima conditio, velut fidei pignus, ſtabilimentumque rerum inducta, & rem prope evertit, & labefecit fidem. Semper enim Leva Sfortiae infenſus fuerat, & Sfortia viciſſim oderat Levam, invicemque alter alteri ſtruxiſſe inſidias dicebantur: & fama fuit: jam illectum provinciae dulcedine Levam, ſecretis apud Caeſarem ſermonibus agitaſſe multa, ne rem Mediolanenſem ullo modo alienaret. Poſſe ipſum, retenta Metropoli, totam ſubigere Italiam, & qui Italiae potiretur, ad imperium omnium terrarum parum ei abeſſe. Cujus conſilii ratio, licet ab Caeſare ſpreta & repudiata fuiſſet, recordatiu tamen ejus apud Sfortiae animum inter veterum irarum incitamenta aſſidue volvebatur, ut ſi caetera inter eos amica forent, poſſent hoc ipſo irritari, alter quidem, quod ſibi conſcius eſſet, tam maligni conſilii, quo Caeſaris praeripere beneficium voluerat, alter vero, quod excitatae ſuae fortunae inimicum ac prope everſorem imminentem adhuc ſibi legionibuſque ſuccinctum intra fines eoſdem viderent. Hinc crebra materies offenſionibus mutuis, & veluti ſtante ſupra cervices inimico infeſtior pene vita novo Duci in Principatu, quam ipſo fuerat exſilii tempore, tunc cum Gallicis prius armis, deinde Caeſaris ira Principatu arceretur. Sed exigendo etiam ipſe tributa diſſolvendis penſionibus, effecerat, ut Reipublicae ſtatus nihilo melior eſſet hoc tempore, quam cum Galli vel Hiſpani tributis urbem injuriſque vexarent. Et odio metuque Levae coeperat in ſingulos ſaevire cives, quoſcumque vel deditos ei, vel aliquo ipſius beneficio devinctos eſſe compererat. Mitiſſimus antea Princeps, & ob manſuetudinem civitati ſemper expetitus coeperat nunc eſſe praeceps ad credenda deteriora: praecipitemque credulitatem poenae in ſuſpectos ſequebantur, exſilia nempe & proſcriptiones, & exſilio vel proſcriptione funeſtior diſſimulatio inalios, quos in urbe retineri tutius videretur.

Ea nova calamitas nobilitati Mediolanenſi exorta erat, manebatque donec origo mali tolleretur, placatis caſu quodam inimicitiis, quas Sfortiam inter & Levam magnas, atque capitales fuiſſe demonſtravi. Pacificator autem ille caſus bujuſmodi fuit: Philippus Archintus, quem ter ad Caeſarem Reipublicae Mediolanenſis nomine fuiſſe legatum oſtendimus, quique Archiepiſcopus poſtea futurus erat, egerat ſemper praecipua apud Levam gratia, & honores ante Sfortiae reditum obtinuerat ab eo, quoſcumque ab Regio Praefecto in ſua patria obtinere honeſtus civis poſſet. Ea beneficia & honores Archinto tributos torve intuens Sfortia, deſtinaverat hominem inter capita infida ſibi, & inimici ſui amicum amovere ex urbe decrevit. Dici ei jubet: melius fore ſi diſcedat ultro: dieſque praefinita, intra quam exceſſiſſe finibus deberet. Enim vero, Archintus, repentinam eam vertendi ſoli neceſſitatem aegre admodum ferebat, ſibique & familiae fore ignominioſum rebatur. Tum quia immerito res ea ſibi accideret, etiam impavidus, & irato ſimilior quam ſupplici, Franciſcum Tabernam, juris praefectum intimumque Principi adit. Vixiſſe cum fide ſeſe erga Sfortiam teſtatur, & nullius culpae rerum ejici patria, quae teſtis eſſe poſſet innocentiae ſuae fideique ſuae. Caeterum, non tam diſplicere ſibi, quod ſic immerito ejiciatur, quam quod injuria illa, pulcherrimi operis fructum interceptura eſſet, in quo tunc maxime ipſe fuiſſet occupatus. Videnteni enim ſeſe & reputantem quam damnoſa patriae, quam moleſta Principi eſſent illa, ſive odia, ſive diſſidia, ſive ſuſpiciones & offenſae, quae cum Antonio Leva exercerentur, negotium id ultro habuiſſe ſuſceptum, ut Principum animos pro ea quam habere videretur auctoritate reconciliaret: ac ſperaſſe rem poſſe confici, jamque certiſſima pignora reconciliationis ejus, quod ad Levam attineret, manibus tenentem, atroci denuntiatione eſſe perculſum. Studioſus homo, tum publici otii, tum Principis utilitatum, Taberna ille erat, ac pro eo ſtudio magnopere angebatur, videns infenſum Sfortiae eſſe Hiſpanum, qui, cum arma exercitumque haberet, Caeſariſque praeferret auctoritatem, poſſe videretur in recenti dominatu obeſſe rebus & cuncta everrere, ſicuti Davalus antea obfuiſſet, atque everriſſet collega fraudis eodem. Itaque ſpe pacis injecta illa, ſimul audita defenſione, vel potius querimonia Archintti, demonſtrat Principi hominis innocentiam, eique perſuadet, ut, & ſalutarem, egregiumque civem domi retinere velit, & ad conciliandum ſibi Levam eo interprete utatur. Fuit deinde in urbe Archintus multa apud Sfortiam gratia ob id meritum, quia opus inchoatum abſolvens, rationibus inducere ſuis potuit Hiſpanum, ut offenſione depoſita omni, & abjecto ſi quid boſtile meditabatur conferret ultro ſeſe ad Sfortiam & bona fide cum eo in gratiam rediret.

Maxime dubitatum eſt apud prudentes, quin pernicies aliqua vi ſive dolo conflata Sfortiam maneret, niſi inimicitiae illae ſublatae eſſent. Earum fine quievere civium etiam calamitates, quae, & oriebantur inde, & gliſcente duorum Principum odio creſcebant ſimul. Sfortia, caſu magis quodam, & Archinti illius opera, quam ullo ſuo conſilio depulſis periculis, quae ab inimico, ſicuti demonſtratum eſt, Leva, imminebant, ipſo novi Principatus initio devenerat in pericula alia longe etiam graviora ob irreparabile damnum exiſtimationis, turpemque notam ejus nomini imminentem, ſi Dux Mediolani ipſe, propter quem, inter duos Reges tanta contentione dimicatum eſſet, cujus cauſa, multi Gallorum exercitus, multa Hiſpana agmina, Romanae legiones, auxilia Venetorum, omnia fere Chriſtiani nominis arma in unum convoluta diſcrimen fuerant, nunc ab exſule Medicaeo, non proditione aliqua, vel incurſu tumultuario, doliſve ullis, ſed juſti more belli opprimeretur. Nihil enim propius factum eſt, quam ut accideret iſtud: ac ſi qua debetur venia nimium jam tricarum atque tumultuum aſſumenti nihil, nuſquam ea juſtior, quam in parte hac operis fierit, ubi tradentur res geſtae Jacobi Medicaei, illius ſcilicet, qui D. Caroli avunculus, Pii IV. frater fuit, qui ultimis mandatis expiata ſuperiore vita, & fororis filio dignum ſeſe praebuit, & fratre, quem demum utrerque expiantes addidere ornamenta publicis Eccleſiae rebus, & militari aenea ſtatua poſita in templo maximo quotidianas ei hoſtias decrevere.

Medicaeus, audacia, & virtute ſua, & proſperis rerum eventis in eam, quam demonſtravi, fortunam evectus, ubi reſtitui Sfortiam, eamque reſtitutionem Bononiae agitari magno Principum ſtudio accepit, proficiſcitur ipſe quoque Bononiam, & deprecatore Leva, cui debere ſeſe cuncta profitebatur, petere a Caeſare inſtitit, ut fieret earum rerum auctor, quas ſibi Leva conceſſiſſet, caſtellaque & arces, & loca omnia, ſicuti jam ex pacto haberet, munere conceſſuque Regio poſteri etiam ipſius haberent. Id cum praecipe negaſſet Caeſar, dixiſſetque placere ſibi, ut Sfortiae cuncta reſtituerentur, reverſus ille domum, ad bellum haud dubie imminens ſeſe parabat, Principeſque finitimos, quorum fidei ſeſe antea tradiderat, invocabat, ut ſibi praeſidio eſſent. Sabaudi praeſertim ope nitebatur, qui pollicitus erat ſe ei nullo modo defuturum. Is Epiſcopum Vercellarum ad Sfortiam miſit, petens ab novo Duce, ut honeſta aliqua conditione cum Medicaeo tranſigere vellet: id ſibi gratum, & utilius fore ipſi, quam recuperato nuper patrio imperio bellum ſumpſiſſe novum, quo, ne viciſſequidem expediret ob civium cladem ſine qua non poſſet vincere. Sed ne victoriam quidem eſſe certam ob vim ingeniumque hoſtis, & locorum naturam, quibus ille ſeſe tueretur. Ea cum ab Legato diceretur, minime Sfortia abnuebat veluti cupidus homo otii, rebus acciſis, & anxius praecipue pecuniae ſummae, quam Caeſari ad diem perſolutam eſſe oportebat: feſſiſque inſuper tot praeteritis caſibus animo, partem vitae ſuae extremam cum aliqua exigere pace avebat. Apud Me-

Medicaeum diſpari de cauſa ſtudium otii idem erat, nec leve lucrum ei, ſi abſque armorum diſcrimine retinere poſſet ea, quae armis & dolo invaſiſſet. Inclinatis ita ad quietem animis, Sabaudus legatus conditiones haſce pacis ferebat: Haberet Medicaeus Muſſum, & Leucum, & quidquid in Larii lacus ora jam teneret: cederet omni eis Abduam regione: Montem Acutum relinqueret: deduceret praeſidia ex Brianteis, neu colles eos poſtea attingeret. Populis & terris quae ipſi relinquerentur ita imperitaret quomodo quilibet alius Princeps imperitat ſuis: vitae neciſque arbitrium, arma & milites, & auri, argenti, aeris, flandi feriundi poteſtatem intra ſuos fines haberet, nulla in re ſubjectus obnoxiuſve Duci, nullo in cauſis judiciuſve reſpectu vel cura imperii majoris. Quas lites, cauſas, ipſe magiſtratuſve ejus alicubi judicaſſent, earum litium, cauſarum judicia, conceſſiones item & privilegia, ſi cui ab ipſo, vel a ſuis data eſſent, rata haberentur: neu reſcindi & aboleri quidquam earum rerum ullo modo licitum eſſet. Perſolveret Duci Medicaeus quadraginta millia nummûm aurcorum pecuniae praeſentis: Dux Medicaeo modios aliquot ſalis & tritici in ſingulos annos abſque pretio ullo exportationis daret. Cum haſce pacis conditiones edidiſſet legatus, neque cuiquam eſſet dubium, quin res ita convenire poſſet, turbavit eam ſpem caſus primo unus, deinde ipſius Medicaei mutata repente voluntas, additis inſuper ſtimulis eorum qui bellum illud civili ſimillimum bello, quum patriae otium malebant.

Antonius Dugnanus erat ex Medicaei aſſeclis, carus admodum ei, ob promtum ingenium ad facinora: & quia multos in urbe conſanguineos amicoſque haberet, tanto pluris apud eumdem fiebat. Forte hic, interea dum conditiones agitantur, auſus venire in urbem, & pro exploratore comprehenſus Sforziae juſſu in vincula conjicitur. Medicaeus ob id factum percitus ira, dimiſſis in varia loca cum delecto equite fratribus ſuis, pleroſque viciſſim capit e nobilitate Mediolanenſi, qui nullo tali metu, velut in media pace ruſticatum exierant. Ea nobilium captivorum manu (& erant fere Principis familiares) ducta ad Montem Acutum atque abſtruſa ibi in latumias, ad Bentivolum, qui pro Sforzia ipſo regebat urbem, illico ſcribit: Dugnani captivitate ſe exiſtimare bellum ſibi eſſe indictum, accipereque denuntiationem, & quo animo acciperet, eodem animo iturum eſſe ad arma. Caeterum ita acciperet ſciretque Sforzia: ſi quid gravius ab eo in Dugnanum forte conſuleretur, id ſe etiam in captivis ſuis abſque mora imitari paratum fore. Denuntiatio ea repente Dugnanum ſolvit, ſoſpeſque ille ad Medicaeum eſt dimiſſus, & viciſſim hic aperto ergaſtulo emiſit ſuos. Quae dum fiunt, conticuerat omnis de pace actio, rurſuſque poſt dimiſſos utrimque captivos, reſumitur eadem, deinde deferitur, reſcindente ſcilicet Medicaeo caput illud, quod de quadraginta millibus in praeſentia praeſolvendis inter conditiones erat. Reſciderat autem abnueratque Medicaeus id pactum, obſtrepentibus praeſertim amicis, quorum ille conſilio & opera utebatur. Namque fore, ajebant, ut ſi ea pecuniae ſumma res Sforziae angultas laxaret, nollet ille poſtea ſtare conventis, atque ad ea, quae conceſſiſſet, revocanda, ſubſidio illo armaretur.

Legatus Epiſcopus, ubi difficultates extoriri tantas, invicemque refractarios eſſe Sforziam & Medicaeum vidit, ab utroque poſtulavit, ut ſex menſium induciae eſſent. Sic poſſe mitigari animos, remque componi. Interea Medicaeus ab Sforzia nactus id quietis, ad negotium aliud longe maximum, graviſſimumque mentem adjecit, ſi pellere ex Vallethellina Rhaetos, idque terrarum adjungere ſibi poſſet: quod bellum acceſſio fuit ejus, quod cum Sforzia poſtea geſſit, & dimicatio illa hanc trahebat.

LIBER X.

VALLEMTHELLINAM, cujus tractu & ſinu Medicaeus hoc tempore exigere Rhaetos parabat, incolae ſic dictam putant ex nominis ejus caſtello, quod antiquiſſimum in eo tractu eſt, & antiquitati manet honos, eaque ſemper munimenta inſtaurantur. Clariora tradunt alii Valthellinenſium initia: Vulturenam Urbem in faucibus Larii lacus ſitam fuiſſe: nomen eam dediſſe genti, Vulturenoſque inde appellatos. Excurrit longitudo Vallis ab ipſis faucibus ingreſſuque primo, ad uſque Alpium Rhaeticarum radices: colligit millia paſſuum ſexaginta. Dimenſio latitudinis incerta eſt, quia montium valliumque conterminarum extrema, prout cedunt aut prominent, nunc contrahunt ſpatia, nunc dilatant. Conterminni ſunt, ab Oriente, Tridentes & Solani: a Meridie Bergomates, & Camuni: Peiclavenſes in Septemtrionem, Engadinique & Rhaeti miſcent ſeſe Vulturenis: ipſi viciſſim, ad Occidentem, Larii lacus accolas attingunt. Per mediam Vallem rapido curſu fertur Abdua, cujus fons in ſummo Rhaeticarum Alpium vertice ortus, larga ſcaturigine tanti alvei gurgites implet. Regio vini ferax eſt: proveniunt etiam fata quicumque duci ſulcus potuit: paſcua, & glandiferi colles, id quod in alimenta incolarum deeſt, aegre explent. Incolae, vel alimentis contenti illis patrium ſolum fatigant, glebiſque ſuis miſera dulcedine perpetuo attinentur, vel peregre egreſſi per omneis Italiae urbes, patientiam eamdem ſegnioribus urbanorum humeris commodant ad ſerenda onera, eaque bajulorum Reſpublica eſt. Paucae familiae celebrantur antiquitus nobiles & opulentae: reliqua egentium multitudo.

Caeterum, de terra hac, ut inter valles alias, amoena, & divite, ut inter Italiae Regiones, paupere & infelici, tamquam de provincia nobili & magna, propterea quod extremum Italiae limitem aperit elauditque, ſaepe dimicatum fuerat etiam aevo ſimpliciore, cum nondum opportunitates, & compendia iſta terrarum tam attente intelligerentur. Et poſtquam in Romanum Imperium ceſſere Itali, non minima cura limiti etiam huic tuendo Caeſaribus fuit. Dein rupta Imperii reverentia, duces partium, cum turbarent certaminibus ſuis traherentque cuncta, Vallemthellinam ſimul appetivere tumultuariis illis armis: Guelfique & Gibellini, Vicecomites & Turriani, magnis motibus initia finemve inde ſumſerunt. Victis Turrianis, & exorto Vicecomitum dominatu, pars novi imperii fuit haec Vallisthellina, donec Bernabos, diviſo inter filios imperio, partem Maſtino eam attribuit paulo antequam ab Joanne Galeacio captus exſtingueretur. Tunc paterni caſus terrore, & dominatione patruelis profugus ad Rhaetos Maſtinus Vallemthellinam eis donat. Sed ea donatio quoniam ab exſule facta eſſet, irrita habita, depulſoque patruo Joannes Galeacius cum in avitum imperium ipſe ſucceſſiſſet, ad recuperandam Vallem, & dejiciendos inde Rhaetos animum adjecit: & vario poſtea ſemper circum eas rupes eventu dimicatum obſtinatis barbaris ad ea obtinenda, quae ſemel uſurpaſſent, & ſtimulante Principes noſtros, praeter verecundiam, etiam religione, ſi Calvini, & Lutheri ſoboles impura ſub oculis pene dominaretur. Non Philippus Maria, Joannis Galeacii filius, non poſt ejus mortem finitae domus fortunam Sforzia adeptus deſtitere actionem eam perſequi armis.

Poſt Sforziarum inde finem, dominante Hiſpano, inter alias imperii curas dilata res, ſive infeliciter tentata eſt, nimiumque magno Italici nominis dedecore genus infame Lutheri Metropolitanis finibus immiſcebatur ſimul, & ereptam eam Metropoli partem occupabat. Aetate demum noſtra, cum importunitas, & impudentia ſectae impenſius gliſceret, eſſetque provecta eo, ut Catholicas familias, quae promiſcue incolunt Vallem, ferro atque igni delere conjuraviſſent, id malum eaque conjuratio in capita impiorum vertit, auctore operis Gometio Ficeroa Feriae Duce, Catholicorum exercituum Imperatore, qui, caeſis intra paucos dies Lutheranis, & liberata regione, veterem eam patriam Catholicis tuto ſecureque habitandam aſſignavit. Inde hoſtilium foedera, Gallici incurſus, & ſuffecturae voluminibus aliis fraudes: dum regio horrida ſaxis, incluſa montibus

tibus patria infelicium bajulorum, egeſtatis ſedes, deſinentis Italiae lacuna, ſive rudimentum incipientis, aſperitate cautibuſque ſuis, & ipſo faucium ſqualore, Regum prope populorumque omnium invidiam, arma, ſollicitudines movet, dumque trucidato, vel pulſo Lutheranorum coetu, aſſeritur Catholicae religioni, & devoluta rurſus ad impios, eorum inſuper furore vaſtatur. Tanta cura Principibus circa clauſtra fauceſque illas: &, cum ab Catholica parte interpretatio anceps civilibus ingeniis data eſſe videatur: ſtudiumne tantummodo religionis, an vero cum religione, opportunitatum etiam aliarum amor moverit animos: nullam certe religionem jactare poſſunt, qui captata occaſione ingreſſi illuc, nihil omiſere quod impie nefarieque committi poſſet. Verum quaeſiviſſe iſta & diſereviſſe, ne tunc quidem juvabit, cum narrandi, atque dijudicandi talia erit locus.

Caeterum Vallemthellinam hanc, in quam Medicaeus hoc tempore expeditionem parabat, D. Carolus etiam poſtea multum diverſo conatu, tamquam Metropolitani Imperii partem recuperare contendit: mirumque dictu, Avunculus ille D. Caroli, ductor exſulum, & exſul ipſe, profano tunc ſpiritu, & aviditate terrarum, praelia ciens illa, neſcius futuri, ſimulacra praelii ſanctioris edebat, quod bellum expugnandae impietati D. Carolus Archiepiſcopus urbis in juga receſſuſque eos ſuo tempore illaturus erat. Et profecto, non ſine Numine praeceſſit illuc Medicaeus, ut divinae providentiae miraculum ventura ſecula loquerentur, & aliquis ita diceret: *Interfecit hominem Avunculus per ſaxa rupeſque illas cum exercitu arma & caedem exitiumque ferens inceſſit. Avunculi calcans veſtigia ſororis filius, cruce, paſtoralique alleato armatus, tulit hominibus ſalutem.* Montoſa igitur & praerupta cavaque haec Italiae Germaniaeque confinia nondum tantis nobilitata caſibus, ecu provinciam aliquam inclytam amplexus toto animo Medicaeus, conſilia, & apparatus ad rem aggrediendam hoſce habebat. Videbat primum omnium, ajebatque inter ſuos: ſi Regionis ejus potirentur, non modo inexſuperabiles fore ipſos Sforziae armis, ſed aliis quoque metuendos ceu tenentes clauſtra provinciarum, arbitroſque tranſmittendi belli, vel ex Italia in Germaniam, vel inde in Italorum fines. Et ubi ſemel invaſiſſent tenuiſſentque munimenta illa facta naturae ſponte, ſuffecturos adverſus quamvis numeroſa agmina, cum ſatis frugum in praeſidii alimenta praeberet ager, & imminentes tumuli caſtellorum explerent vicem, ex quibus intacti ipſi propellere ſubeuntes poſſent. Sed fortaſſe etiam quiete ibi regnaturos, magnumque dictu fore, ut & terrori nominibus eſſent ſimul, & cum bona omnium pace Regionem tenerent, neque vi ulla hoſtili laceſſerentur. Infectam eſſe Lutheranismo Rhaetorum gentem, rebellem Apoſtolicae Sedis, nomini Auſtriaco ſemper infidam: & Regem Gallum, cujus praeſidio gens ea nitatur, poſſe conciliari objecta illecebra, ſi iter ei per ſuos fines ad invadendam denuo Inſubriam darent.

Talia quidem ab Medicaeo ſermonibus conſiliisque agitabantur, cum ille expeditionem in Vulturenos ſive in Rhaetos pararet: expeditionis autem apparatus erat hujuſmodi: Mille pedites Italici generis: nationum aliarum fere quingenti: & quotidie plures affluebant jam aſſueti bello, impatienteſque otii, quod Sforzia reſtituto, prius, deinde pactis induciis repente exortum erat: legionem praeterea unam ex Germania Vultheodericus Sitticus adducebat: tormenta complura minoris formae ſubditis aptatiſque rotis, ut in montium etiam cacumina facillime agi poſſent manu: belli Duces egregii: Georgius Capucianus Epirotarum equitum praefectus: Caeſar Neapolitanus diſciplina patris & ingenio ſuo multum laudatus inter bella. Tecanum quoque nobilem Rhaetum & inter primores gentis clarum militia corruperat occulte devinxeratque ſibi, ut Rempublicam ſuam in medio diſcrimine proderet, quod tamen poſtea non ſucceſſit. Aderat etiam ei Caravacca, homo Hiſpanus tanta ſubtilitate ad explorandas hoſtium res, atque tam varias & novas latendi artes perpetua ureditatione & ſolertia animi aſſecutus, ut in alienis caſtris verſaretur ea ſecuritate, qua quis domi ſuae ageret. Inſtructus ita Medicaeus, mittit repente Gabrielem fratrem cum ſeptingentis peditibus in Vulturenos, iſque prima irruptione Morbenium capit, captum validis undique ſepimentis firmat, ut apertus antea pagus ſubito munitae urbis inſtar eſſet. Ea re cognita Rhaeti vario telorum genere armatos ad quatuordecim millia ſtatim pago circumdedere. Sed agreſtis & tumultuarius fere miles erat, atque rudis ad omnem oppugnandi artem multitudo. Stoliditate ingenita ſeſe ultro ad omnia loca objiciebant, ubi promtiſſime vulnerari & cadere poſſent. Cecidere ad quingentos: reliqui diſſipati, valle relicta Albitana Traonam ultra flumen conceſſere. Tecanus in ea oppugnatione plumbeo miſſili ab gregario milite perculſus frontem, occubuit, cum fretus agili corporis robore, grallatoris inſtar utraque manu alte fariſſam tenens, ſeſe intra ſepta ejaculari voluiſſet. Ingemuiſſe eo caſu Gabrielem ferunt, & acceptum intro corpus cum multis lacrymis honeſte ſepeliſſe. Inde orta ſuſpicio proditionis apud Rhaetos tam valida ut nondum exoleſcat, eaque labes Tecani nomen inter barbaros ſecuta eſt.

Parta victoria, captaque in hunc modum Valle, Medicaeus, quacumque imperitabat, ſupplicationes in triduum more Romano decrevit, ipſeque ivit ad templa ſupplicatum, & omnis alius honos Deo immortali ob incruentam eam expeditionem aliquamdiu ad Montem Acutum totoque Brianteorum tractu habebatur. Parochi omneis, & Clerici, & quidquid hominum ſacrorum in Monaſteriis erat, circumminiſſis ab Medicaeo edictis admonebantur, ut in ſuo quique templo populos docerent adorare Numen ob eam rem, quae divino beneficio tam proſpere ſucceſſiſſet. Tanta erat, vel pietas & religio Medicaei in media curarum aliarum inſania, vel confuſio miſeriaque temporum, ut profanus homo Clericis talia imperitaret. Edicta autem ea, ab aliis ob metum cum reverentia obſequioque accipiebantur, apud alios irrita erant: & ille, vel quia non intelligeret adſpernandi cauſas, vel qua nollet intelligere, tamquam in contumaces ſevere animadvertebat. Quoſdam & terruiſſe contentus intactos dimiſit. Referamque id, quod puero mihi contigit, ut narrari audirem ab montium noſtrorum antiquiſſimo homine, qui, ſpectaculo ſe adfuiſſe, ajebat. Spatiabatur ad Montem Acutum tempore matutino Medicaeus in area, quae ibi ſubjecta arci & aedibus tunc fuit: nunc arbuſta & vites occupavere locum. Precantis more roſarium tenens, globulos illos, uti fit, per intervalla tranſmittebat: & fortaſſe preces erant. Interea lictores adducunt, ſiſtuntque ei Presbyteros duos, qui ſpreviſſe edicta, neque ſupplicationes indictas obire voluiſſe dicebantur. Steterant attoniti in conſpectu Principis, cumque ille protinus afferri ſecuricum juſſiſſet, perfuſi necis horrore conabantur utique dicere & excuſare nonnihil. Mox, allata ſecuri, innuit ei, qui attulerat, ut ramum illum quemdam proſpectui officientem amputaret: dixitque Presbyteris: abirent aſſueſcerentque obedire.

Caeterum, tam prope, tamque feliciter capti Vultureni erant, ut miraculi pene loco haberetur, quod in magna hoſtium caede victor, duos tantummodo e militibus ſuis, lixam vero unum amiſiſſet. Conſtiterat deinde exercitus ad Morbenium, & majores quotidie copias ſubmittente Medicaeo, Gabriel idem a fratre antea miſſus pergebat conſtituere Vallis imperium: iſque Traonam, & Clavennam, & Tiranum, intra paucos dies capta habebat eadem felicitate, qua principibus Morbenium ipſum cepiſſet. Tunc Medicaeus, aucto ad fortunae magnitudinem animo, non dubitavit etiam legationibus de re geſta mittendis imitari Principum morem, & ea, quae auſpiciis ſuis, fratris ductu geſta in Vulturenis eſſent, demonſtravit Pontifici Maximo per Auguſtum, e fratribus tertio loco natum, qui Romae agebat: Caeſari per Carraciolum Protonotarium: Senatui Veneto per Leonem Arigonum: Principibus Regibuſve aliis per nuntios alios, perque litteras, quarum exempla vidimus. At apud Sfortiam, interprete Bentivolo,

volo, ſimulabat, communis utilitatis cauſa ſeſe expeditionem eam ſumſiſſe in Vulturenos, & nova illa conquiſitione contentum remiſſurum pleraque de conditionibus, & pacem, quocumque modo vellet ille, conventuram. Viciſſim ab Sfortia ſimulabatur: quod Regione ea Rhaeti depellerentur, gratum ſibi luctumque eſſe: namque fuiſſe Mediolani Ducum olim, nec debere ultra Barbaris relinqui. Talia mvicem finxerant jacturantque mutuo infenſi, interimque Sfortia diligentiſſime Caeſarem monuerat, de ſubita impreſſione Medicaei in Vulturenos, & quid negotii foret, ſi ille ibi figeret pedem. Inde cuncta ſtatum infeſta Medicaeo: ſubducti Hiſpani, quos in exercitu habebat, denuntiatumque Sittico: pro hoſte ipſum fore, niſi dimitteret legionem, quam illius nomine conſcripſiſſet, ipſeque maneret domi. Cum tot repente pericula Medicaeum exterruiſſent: hinc digredientes quotidie Caeſaris juſſit miles: hinc ſubtracta Germanica legio: ſimul inſtans ab tergo Sfortia rupta mducia, & majore numero defluentes e montibus Rhaeti: pretium ei fuit revocare Gabrielem ex Vulturenis, militeſque, qui cum eo erant, ne repente ibi opprimerentur.

Omiſſis ita Vulturenis, bellum deinde aliquamdiu gerebatur inter Sfortiam, & Medicaeum aequo prope Marte, non ſine admiratione hominum & fremitu, quia Dux Mediolani tanti terroris nomen etiam inter magnos antea Principes adverſus exſulem nunc unum habere deleſtus, & emittere cogeretur ab urbe agmina tamquam adverſus irrumpentes novo agmine Gallos: vel certe tamquam juncta rurſus hoſtium etiam aliorum arma Metropoli imminerent. Pugnatum eſt claſſe primum in Lario lacu, eoque praelio ſuperior Medicaeus fuit: Sfortiani ſuperſtites concitatis in fugam navibus ad Gravedonam appulere. Ibi aſſumta Rhaetorum manu, cumſta fere, quae Medicaeus circa lacuſtrem eam oram tenebat, invaſerunt, validoque praeſidio munitere Belaſium, quo nomine collis in promontorii faciem, medio fere ſpatio Leucum inter & Muſſum, imminet lacui, qua flectunt ſeſe undae Novocomum verſus. Geſta navibus haec, praebente lacu aequoris vicem ſpatiaque claſſi, & fluctus, & quidquid etiam in pelago exiſtere ſaevum atque atrox poteſt. At in Briantaeos terreſtri dimicatione, non minus caſuum, & periculorum, & caedis in utraque parte fuit. Summa rerum ad Montem Acutum conſiterat, exiſtimante Sfortia ne quidquam in Larii vel Abduae ora res proſpere geſtas fore, ſi arce ab illa Medicaeus, hinc Orobios, hinc Briantaeos teneret. Itaque miſſo illuc exercitu, obſeſſa, & oppugnata, deinde capta eſt, quomodo pertinaciſſimas olim gentes, poſt omnia, quae pati poteſt humanum corpus, ceſſiſſe demum neceſſitati, litterae veterum prodidere: ibique civium Mediolanenſium, quive ſecum Medicaeum propugnabant arcem, quive ab Sfortia miſſi perrumpere illa rebellium munimenta nitebantur, enituit prope ad miraculum, & cum horrore ſpectata eſt, ſive virtus, ſive quaedam ex virtute rabies. Criminalem quemdam Medicaei Signiferum ferunt, cum ipſius frater ad cuſtodiam defenſionemque propugnaculi unius appoſitus ex vulnere cecidiſſet, eoque caſu perterriti caeteri ſegnius jam repellerent ſcandere nitentem munimenta illa hoſtem, conſpecto diſcrimine profiliſſe illuc, & arrepto mortui fratris cruré, projeciſſe cadaver e muro, ne triſtis ea ſpecies averteret a pugna animos, ut ipſum deinde pugnaſſe vi tanta, truces undique circumferentem oculos, ut Sfortiani plerique adſpectum ferre non poſſent. Idem poſtea captus perductuſque Mediolanum, adeo commoverat animos admiratione virtutis, ut ingentium rerum promiſſa adhiberentur ei, ſi in Sfortiae militare caſtris, & fidus eſſe Principi vellet. Abnuentem dimitti juſſit Sfortia, virtutem etiam in rebelli & transfuga admiratus. Crediderat enim Joanni Baptiſtae Speciano praefecto rerum capitalium, qui ſpectatorem ſe fuiſſe ajebat tunc; cum debilitatis commilitonum animis praefidioque labante ob Centurionis necem, infiliens ille in muros contemptor fraterni ſenſus in praelii diſcrimine, contemptor vitae capitiſque ſui, projiceret in medios hoſtes corpus exſangue fratris, idque ſtrage hoſtium tepefieret, & undique incidentibus in ipſum telis pertinaciſſime tueretur locum, donec eo capto, propugnaculum ſimul locuſque ille caperetur. Ob tantum animi robur, & quia pertinaci in Medicaeum ſuum fide majus conſtantiae ſpecimen dederat, eſt dimiſſus. In Sfortiae exercitu pene par huic Franciſcus Bernardinus Petraſancta celebrabatur. Eum quoque corpore uno multas aequantem hoſtium manus, & exſtiſſe vexilla in muros, & dejeciſſe qui propugnabant, & ſcandere conantes alios manibus allevaſſe ſuis ajebant. Montem Acutum per dies aliquot oppugnatum ita atque obſeſſum, nocturno egreſſu deſeruere incluſi conſpecto pridie ſigno, quod Medicaeus ex objecti montis vertice ſublatarum ſeſe docuerat cum diſcedi inde vellet. Eo nunc edito ſigno, deſperata defenſione Montis Acuti vocaverat ſuos ad caetera tuenda, Muſſum nempe & Leucum, & ſi qua alia ex Lario lacu, vel ex Abdua flumine ſpes maneret. Collatis in eam partem viribus, & reparata claſſe dum ab Muſſo Leucum navigant, obviae circa Mandellum Sfortianorum naves fuere, protinuſque dimicatum. Inea pugna Gabriel Medicaei frater cecidit, quo luctu ad deſperationem ille ferme eſt prolapſus. Juvenis erat annorum XXII. eximia corporis ſpecie, ſed indole animi, omnique bellica arte longe praeſtantior, negligentiaque ſui, male cinctum iſtam, ideoque terribilem adoleſcentiam Caeſaris referebat. Aperto pectore, nudis cruris, capite intecto, vili parvoque cibo contentus, ſed quoties expederat, in Germanorum praecipue conviviis, effuſiſſimus citra noxam deformitatemque potator, & pecuniarum idem ad belli uſum accumulator occultus, quarum latebras moriens ultimis vocibus indicavit. Huic dum ducitur funus, annuere hoſtes, ut induciae eſſent, corpuſque in D. Jacobi Aedem quae ſupra Leucum eſt, militari pompa delatum: atque mortuiem eam caeremoniam quieti Sfortiani ſpectavere e caſtris ſuis, & indoluiſſe multos conſtabat. Adeo grata fama juvenis ejus etiam apud hoſtes foit. Templum poſtea ipſum, in quo ſitus ille fuerat, fratris expiatae Manes, Pius IV. auxit donis, quae ad ſalutem animorum fructumque vitae alterius indulgere maxima & ampliſſima mos eſt Apoſtolicae Sedi.

Medicaeus, ubi fratri dederat inferias, magno inſuper aliquo Sfortianorum damno, ſanguineque hoſtili parentare eidem volens ſimul, & obſidione eximere Leucenſes, nocte, quam ſacer Virgini Martyrique Barbarae dies ſequebatur, aſſumtis e ſuorum numero nonaginta duobus, quorum virtuti maxime confidebat, monitiſque eis, ut alba tegmina ſinguli, pallio ſuperinjecto atro aſſumerent, invocata Martyris ope, cujus pervigilio rem geſturus erat, feliciter hoſtium munimenta tranſgreſſis, alios ſomno demerſos obtruncat: ſemiſopitos attonitoſque alios, & aegre molienteis arma proſternit ipſe interim cum ſua palliata acie intactus. Stricto deinde ferro ſicuti ibat, per media hoſtium caſtra ſibi aperiens viam, pervenit in Tribuni militum tentorium, ibique hominem reperit agentem impudice noctem eam ob amorem agreſtis feminae, quam viro abductam trahebat ſecum, habebatque conjugali licentia. Exterruit tumultuoſo ingreſſu Tribunum ſimul & ſcortum, cumque verbis increpans inſuper adjeciſſet: *Siccum Sfortiae negotium geritur?* injecit vincla Tribuno, captivumque abduxit. Alexander quidam is erat Mantuanus, qui magno poſtea pretio redemtus a ſuis, ob dedecus abiit domum, neque Mediolani amplius fuit. Sic nocte illa Medicaeus parentaverat fratri, ſolveratque prope obſidionem, & pari deinde per dies aliquot fortuna fere potiebatur itcrum lacu.

Gabrielis Cerbelloni virtutem inter eas expeditiones plurimum enituiſſe ferunt, cum pene puer adhuc ille eſſet. Affine genus ei cum Medicaeo, atque propinquus ab materna origine ſanguis erat: & utriuſque fortunae ſocius conſobrino iſte, alumnuſque ejus in re militari, debuit enim eidem ad famam praeconiumque virtutis harum litterarum teſtificatione conjungi. Fugerat una cum eo Gallicas indignitates, miſeraſque urbis, & ipſam de-

deformatam tum captivitate urbem. Una carus acceptusque Principi: rebellis & fugitivus una: calamitatum expeditionumque omnium comes: & simul atque per aetatem potens armorum esse coeperat, nihil sine eo Medicaeus gessit. Secutis postea temporibus, eum regente Urbem Vatthio Medicaeus ob suspiciones exortas in Jovis arce detineretur, penetravit illuc alieno habitu, custodibus elusis, & salutis viam contubernio obtendit. Rursus, postquam, mutata in melius fortuna, blandimenta in Medicaeum omnia ab Hispano regnante conquirebantur: particeps item ejus mutatae fortis fuit: ac vicissim ipse quacumque in parte Hispana arma essent, ceu praesidium aliquod singulare expetitus, praefuit militiae muneribus, quae illa regnantium natio rebus apud Italum hominem posset. Tunctanum quoque Regnum pro Rege administrare jussus, & tota mox ingruente Barbaria circumventus, luit captivitate illa tanquam flagitium inter Hispanos, quia imperitare ausus fuisset. Sed vir tantus, & tanta fortunae varietate conflictatus, in aetatis rudimento hoc tempore erat ea apud consobrinum opinione prudentiae, ut quotiescumque gravius aliquod discrimen aditurus ille esset, relinqueret ei obsignata consilia & mandata, quid geri tentarique oporteret, si casu forte aliquo ipse fuisset interceptus: atque nocte praesertim illa, cum plena hostium castra numero exiguo aggrederetur, docuerat secreto colloquio adolescentem, quam insistere deberet spei salutique viam, si capi, vel perire ipsum contigisset.

Caeterum, post ejus nocturnae irruptionis eventum, post alia etiam prospere a Medicaeo gesta, post amissi fratris cladem, Episcopus ille Vercellensis, quem, a Sabaudiae Duce legatum in urbem de pace venisse, memoravi, prospiciens, hinc labantem Sfortiae vitam, imbellemque animum, & apud eum aptiora cuncta paci quam bello, hinc apud Medicaeum res incertas & in lubrico fortunam, & fractos Gabrielis nece spiritus, funestamque domum, speraverat in ea rerum & animorum inclinatione rem ipsam posse confici cujus causa missus ipse esset: neque spes eum fefellit. Repentaactione, & jactatis iterum conditionibus, pax denique convenit inter Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem, & Jacobum Medicaeum gladiatorem primo, deinde exsulem, postremo hostem, ac prope debellatorem Principis sui, & facta pace, post illius mortem in novo dominatu fidum Regi & carum. Summa conditionum haec fuit, adductis ad aequitatem capitibus, quae Medicaeum antea prope aequando fortunae Principis, ut iniqua & indecora offenderant animos remque turbarant. Nunc erant honestiora omnia, discrimenque agnoscebatur inter eum qui veniam dabat, & eum, cui venia fuerat opus. *Omitteret Medicaeus cuncta quae occupasset, Musium & Leucum, loca alia omnia, terras omneis: instrumenta quoque belli, tormenta, naves, sulphures pulveris copiam, pilas, & quidquid frumenti sive salis haberet. Persolveret Sfortiae Medicaeo quadraginta millia nummum aureorum, mille annuos assignaret: Melinum Demarchum appellaret ipsum, posteriosque ejus: fratribus Medicaeis, & omnibus, qui partes secuti eat fuissent, reditus in patriam daretur, venia oblivioque praeteritorum esset.* Haec ita convenerant.

Sed maluit Medicaeus relicta patria conferre sese ad Sabaudiae Ducem, quam in ejus imperio vivere, cui rebellis fuisset: abiitque cum fratribus suis, datis etiam ab Sfortia militibus, qui ad extremos usque provinciae fines praesidio simul & ornamento essent.

Sfortia deinde ipse moritur, facto testamento, quo Caesari legabat imperium: & missa in Regnum legatione Mediolanenses, sese urbenque ei, & tot omnia illico permisere, petentes simul, ut quanta fide & alacritate ipsi veniret in ditionem imperiumque ejus, tanta clementia, & benignitate Regum maximus civitatem populumque & Ecclesiam Italiae maximam susciperet ac tueri semper vellet. Principes legationis fuere, Maximilianus Stampa, & Philippus Archintus, de quo, postea Archiepiscopo Urbis, alibi dictum est, caeteraque de irrito ejus Pontificatu, postea, sicuti successere, tradentur. Tum gratae, & rebus opportunae suis legationi respondit Caesar omnia, quae renuntiata Mediolanum gratissima esse civibus possent: *Agnoscere se Mediolanenses suorum obsequium & plenam fidei voluntatem: agnoscere quod temporum culpa accidisset quaecumque essent unio data civitati generosae, populoque nobili & gravi. Quoniam ea sua opinio de Metropoli esset, re etiam ipsa effecturum, ut omneis intelligerent, nullam in imperio suo gentem esse, quam in pretio & caritate majore haberet. Ejus suae voluntatis animique pignus id referrent domum, quod omneis magistratus, omnia jura, quae Mediolanenses antequam tenuissent, tenere etiam in posterum juberet, formamque & leges manere civitati, quibus legibus fundata olim per tot saecula florens incolumisque stetisset.*

Haec in commune legatis respondebat Caesar: Archinto deinde separatim dixit, velle se opera ejus uti: proinde ex aula ne discederet. Simul consilarium suum eum erat: muneri tituloque huic convenientem & decorum in aula locum assignat. Fuit deinde apud Caesarem in eo munere Archintus, donec Pauli III. Pontificatu de re maxima & gravissima missus Romam, & Pontifici illi probatus, invitatione hortatuque ejus ad Ecclesiasticam vitam adjecit animum: idque principum ei honorum fuit, unde per gradus ad Patriae Pontificatum perventurus erat, ut in honoris denique ejus adytu prope exsul eum civium dolore exstingueretur. Nunc fausta ei secundaque cuncta erant: flagrans apud Pontificem Maximum cognitae virtuti dexteritatique honos: quodque maximum omnium fuit, in Caesaris aula, inter Hispanos, homini Mediolanensi, nulla interim malevolentia, quae praesenti, vel absenti, palam, sive occulte noceret. Id namque demonstravere Caesaris testimonia de ipso: & invitus ab se hominem dimisit, ne Pontifici negaret, cujus demerendi occasiones omneis tunc ultro conquirerentur.

Peracta Romana ea legatione, cum Archintus reditum ad Caesarem pararet, appellat eum benigne Pontifex Paulus, quod bona Caesaris venia facere queat, ut Romae esse deinceps velit, ac sperare ibi praemia, quae virtuti numquam defuerint apud Apostolicam Sedem: honeste sentire se de eo, nec dubitare quin ipsius opera publicis Ecclesiae rebus utilis esse possit. Ille praetatus pauca de eo quanti tale de se judicium Pontifices faceret, excusata Caesaris Majestate, dimittitur in praesentia quidem, & Caesari impigre navare operam jubetur. Sed paulo post, dum renuntiata legatione, alia deinceps, atque alia Caesaris mandata exsequitur, adfuere Pontificis litterae, quae Apostolicae Sedi hominem concedi eum postulabant, litterisque eis acceptis Caesar hactenus dubitavit, ut Archinti voluntatem super ea re exquireret. Postquam is nihil arbitrii sui esse, nutusque heriles fore sibi pro imperio simul & pro voluntate, ajebat, hortatio Caesaris est insecuta, Romam uti proficisceretur: sic Pontifici Maximo placitum esse: ejus auctoritate se quoque commotum annuisse, ut viro egregio fidoque ministro careret. Ab eo colloquio Archintus Romanae profectioni sese accingebat.

Sed antequam ex aula abiret, retulit ad Caesarem in supremo concilio, sanctioreque Senatu de lite Montisferrati, quae per eos dies magnis agitata contentionibus, & ad bellum prope deducta, Caesaris arbitrio componebatur: isque Archinto mandaverat, ut cognitis causae momentis, rei statum & sententiam suam exponeret, quo promtius aequa, & iniqua discernerentur. Cum enim Bonifacius, Montisferrati Marchio, & Joannes Georgius ejus patruus, ille lapsu & consternatione equi, hic morbo absumtus, uterque sine ulla liberûm stirpe decessissent: treis simul exorti, Sabaudus, & Mantuanus, & Salutiensis, hereditatem adire volebant eam: & sua jura singulis erant, singulos armabat spes & fiducia praesidii alieni, cum instinctu & favore potentiorum unusquisque niteretur. De ea controversia expositi Archintus apud Caesarem & Selectos, quidquid inspecto successionum & gentilitatis jure, originibusque examinatus, ad judicii ejus aequitatem pertinere statuisset. Romam

mam deinde proficiſcitur, & parato ſtatim ad ſacros honores aditu, Protonotarium Apoſtolicum Pontifex Maximus cum creat, non ex centum millibus illis, qui pretio definito parvoque aere nulli denegata vocabula emunt, ſed ex nobilioribus inclytiſque ſeptem, qui jam inde a Clemente Primo, ſcribendis Martyrum caſibus inſtituti, in tantam poſtea dignationem pervenere, ut Epiſcoporum dignitati anteſtarent, donec a Pontifice Pio, modus imponeretur. Manſit tamen honos vetuſtae origini, & ampla emolumenta titulum ſequuntur, ac patrum noſtrorum memoria Pius IV. cum D. Carolum, ſororis filium admovere ſibi & ſummis Eccleſiae rebus vellet, initia tantae ſpei ab rudimento hoc ſumſit, Protonotariumque creavit cum unum e ſeptem. In eumdem nunc ordinem numerumque Archintus ipſo Pontificiae familiaritatis initio adſcitus, per veſtigia illa D. Caroli ad patriae Pontificatum ingrediebatur. Paulo poſtea, Praefectus Urbis ab eodem Pontifice eſt factus: eamque praefecturam ita geſſit, ut ſeveritatis, & innocentiae ejus pleraque exempla magiſtratum eumdem inituri perhorreſcerent, donec, ſicuti caetera mortalium, ex fama praedicationeque communi exolevere.

Sed & come ei inter facetos humanae vitae caſus finiſſe ingenium memorant: atque inter caetera tale quiddam narratur ex Romana illa praefectura litteris mandatum ab iis, quibus cuſtodire iſta curae fuit. Peregrini duo homines in urbe, Hiſpanus quidem alter, alter vero Germanus, cum eidem mulieri aſſuevi ſſent, eaque neutrius fortaſſe ſatu peperiſſet, quod natum erat, ambo vindicabant ſibi, & ejus incertae prolis uterque dici ſeſe parentem volebat. Cum cedere invicem nollent, ad praefectum Urbis in jus iere, ut alterutri partum ille adjudicaret. Archintus, ſcorto interrogato, mentibuſque computatis, nihil tamen ad ejus judicii veritatem aliquamdiu extricabat. Demum circa patriam eorum, qui prolem ſibi eam aſſerere vellent, callide, philoſophatus, rationem init, qua naturam quodammodo ipſam interrogaret. Reluctus ob eam litem in materno tecto infans jam pede certo ſignabat humum, poteratque voces & nutus intelligere quoſdam elementa quotidiani ſermonis. Hunc in conſpectum ſuum produci jubet. Ubi adfuit, mandat dari ſaſſamenta nonnulla puerulo, atque ſic irritata ſiti, pocula duo admoventur, ut tam ex vini, quam ex aquae capedine bibere poſſet. Ille, contracto ad Bacchi liquores vultu, vinumque adſpernatus avide lambebat aquam. Tunc vero Germanus (aderat enim uterque litigator) ſublato incondito clamore negat ultro, ſuam eſſe prolem, atque is controverſiae exitus fuit.

Severiore mox alia ſubtilitate nobilitata eſt praefectura illa Archinti, de qua item, ſicuti accepi, referam. Juvat enim memorare iſta, ut quoniam erepto nobis per hominum injurias interceptoque tali Pontifice, fructus ſimul animi ingeniique ejus periere Urbi Eccleſiaeque huic: quales futuri fuerint ſaltem ex anteacta ipſius vita rebuſque apud alios geſtis, notitia aliqua exſtet. Vir princeps Romae teſtamentum in haec verba fecerat: Ex duobus gentilibus meis, Lucio & Cajo, uter eorum major natu erit, mihi ex aſſe heres eſto. Cum autem eſſent illi Lucius & Cajus eodem die nati, alter quidem Viennae in Germania, alter vero Cordubae in Hiſpania: inde lites, & ut in magna hereditate, tota cautidicorum rabulorumque turba occupata concurſationibus, & jurgiis, & queſtu: Principeſque ipſi urbis, ſtudio & favore in hunc aut illum rabulis & cauſidicis tumultuoſe immiſcebantur: neque contentioni finis erat. Archintus, uti totam Mathematicorum artem jam inde ab adoleſcentia egregie percalluerat, ab ſcientia ſtudioque illo petit argumenta dijudicandae liti, quam nulla Juriſperitorum reſponſa dijudicare potuiſſent. Inſpecta namque poſitione coeli plagarum exortivoque puncto, qua in parte ſol prius oriretur, in ea natum hominem, majorem eſſe natu, demonſtravit, quam qui eodem die in parte altera natus, diei lumen poſterior uſurpaſſet. Subtilis & vera ratio viſa judicibus eſt, atque teſtatoris voluntati ita ſatisfactum.

A Creſcente deinde quotidie magis fama Archinti hujus, Sacerdotiis amplis ornavit eum Pontifex Maximus, & Sancti Sepulchri in Etruria Epiſcopum fecit: nec ideo tamen ex urbe dimittebatur: credo, quia magnis Eccleſiae negotiis fieret, magnaſque neceſſitatibus, ut nota jam prudentia viri magnaeque virtutes honeſtandae ſimul & retinendae in aula eſſent. Ad conſilia negotiaque omnia adhibebatur, & graviſſimi cujuſque conſilii auctor ipſe erat. Is Pontifici ſuaſit, ut Carolum Caeſarem & Regem Franciſcum Nicaeam ad ſpem pacis exciret: cum Pontifice illuc eſt profectus: atque in agitanda ibi pace, tum ab Regibus ad Pontificem, tum a Pontifice ad Reges commeaſſe quotidie Archintum conſtat. B Ut vero ab irrita illa actione Nicaenoque congreſſu reditum eſt Romam, Camerinatenſi expeditione legatus exercitui datus, ſapientia & auctoritate recepit urbem majore gloria quam facie dimicatum foret. Tum Vicarius Pontificis creatur, & pro Eccleſia priore quam obtinuerat, Salutienſem ampliorem adeptus, id quoque quo nihil dare Pontifices auguſtius poſſunt, accepturus erat, niſi Paulum vita repente deſtituiſſet. Ab Julio III. ſucceſſore Pauli, miſſus Venetias Archintus, quomodo ex ea legatione ad Mediolanenſis Eccleſiae Pontificatum arcitus fuerit, poſtea demonſtrabo. Nunc hoſce Archinti progreſſus, interjectis aliis patriae caſibus temporibuſque disjunctos, conjunxi uno narrationis tractu, C ut expeditiora mihi ad narrandum cuncta eſſent, quae Mediolani evenere, poſtquam, Sforzia mortuo, Carolus Caeſar imperium urbis tenuerat.

Namque ad primos de Sforziae obitu nuntios ſimul & rumores, ſicuti Caeſar invadendae urbi erexerat ſua ſponte animum, & accepta dein Mediolanenſium ipſorum legatione, tanto promtius incubuerat in eam rem adieratque poſſeſſionem imperii hujus: ita Regem Franciſcum Galloſque proceres, vetus & toties infelix, & numquam ſatis punita libido lymphaverat ea ſpe, cujus temeritatem, Italiae terris abominata gens, & cladibus ſemper, & ignominiis luiſſet. Itaque ſtimulis nunc acti iidem, aggrediendam eſſe Metropolim fremebant. D Actum tamen cum modeſtia & ratione nonnihil: miſſoque Mediolanum caduceatore, Rex Franciſcus, dedi ſibi urbem poſtulavit, antequam ab domo exercitum moveret. Verum, ubi Senatus populuſque Mediolanenſis, contemta poſtulati ejus levitate, Auſtriaca vexilla Caeſariſque nomen locis omnibus attollebant, & eo imperio lacta civitas, quaſi libertatem adepta geſticbat: rei ejus invidia frementes in Hiſpanum Galli rurſus armantur: bellumque novum inde exortum eſt, quod per viginti quinque annos varia fortuna exercuit Reges: ducenta millia mortalium abſumſit: maria terraſque infecit caedibus, & urbem, de qua dimicabatur, intactam reliquit. Non enim fuerat animus & audacia Gallis, E per veſtigia cruenta majorum ſuorum tendere in Inſubres: ſed omiſſa Metropoli, campiſque circa eam, qui ſepulcra ſemper ſuae gentis fuiſſent, incurſavere Subalpinos, quia Dux ille Caeſaris ſororem in matrimonio haberet, ejuſque praeſidio niteretur, laedi ſic oppugnarique Caeſarem exiſtimantes, & Metropolitano quoque bello viam tutius ita aperiri. Caeſar viciſſim cum infeſto exercitu tranſgreſſus eſt in Galliam: atque ut ad id bellum uteretur terrae ejus milite, quae cauſa belli erat, adſcivit legiones ex agro Mediolanenſi: primoreſque urbis & ex reliqua nobilitate clariſſimum quemque militia, duces eſſe legionibus, ac ſecum ire voluit, ſive ut obſides publicae fidei illos haberet: ſive ut ſpectatam jam ſatis cognitamque fidem ea viciſſim animi ſui ſignificatione complecteretur. In eo Gallico bello Antonius Leva moritur abſumtus moerore ob rem ibi male geſtam: ejuſque corpus, amici, quibus ipſe mandaverat, deportavere Mediolanum, & in D. Dionyſii aede, quam ab eo exſtructam fuiſſe diximus, ſplendide ſepelierunt. Imperium atque poteſtatem, quam ille Mediolani habuerat, dividi melius viſum: diviſaque eſt ita, ut exercitus, & arma, & res tota militaris Alphonſo Davalo, quem Vaſthium dixere, traderetur: urbis & provinciae gubernacula penes Carracciolum Cardinalem eſſent.

Carraciolus hic ille erat, qui ſub Protonotarii nomine fidus Cæſari ſæpe etiam antea in parte rerum & Hiſtoriæ hujus fuit. Nunc Cæſaris commendatione ac beneficio ſacrum latum clavum adeptus, atque ob id beneficium aucta apud dignitatis & fortunæ ſuæ auctorem gratia, idoneus habitus erat, cui novæ provinciæ ſecuritas & magnitudo in tanto rerum diſcrimine interetur. Primum Cæſari coronam ad Aquas Grani impoſuerat: legationes obierat: & a Paulo III. fuerat in Patres, Cæſare, ſicut dixi, producente, cooptatus. Ita de eo perhibet ad dextram templi maximi partem juxta ſacrarium tabula ſubjecta, vel potius inſita monumento, quod potuit Cardinali Joannes Baptiſta frater ex atro marmore, cujus fulgor, atque coagmentatio, naturæ illud, hoc artis opus, detinet elegantia, & majeſtate homines etiam, vel ſpectandi tantum cauſa ingreſſos templum, vel jam operum ibi aliorum admiratione fatiſcos. Non enim tumulus ille res eſt una, quæ alliciat oculos, ſed ſuæ ſpeculi vicem præbent: color inest ater: & prope inædificatum parieti templum aliud cernitur, ut contrariorum quaſi miſtura poſſit eſſe ſpectaculo, ſi nihil aliud in artificii magnitudine ſpectabile admirandumve eſſet. Tum vero intentum operis deſcriptioni artificioque ſpectatorem gloria ſtatuarum avertit. Hinc parens urbis Ambroſius, hinc Hieronymus ſtant juxta defunctum velut argumento litterarum, & ſacræ doctrinæ, quæ Cardinalem deceret: ſuperne Principes Apoſtolorum velut Eccleſiæ propugnatori præſidium vicißim opemque pollicentur: ipſe protenſo ſupra cenotaphium corpore, in abolla & infula cubito levat caput ad inſtar fere dormitantis. Hæc ex candido marmore ſimulacra molem illa nigra & funeſta attollit, quæ intuentes eruditi, cætera parum murantur, & unum illud quærunt: quomodo potuerit pecunia artifices invenire tam præclaros. Sed me prope pudet admiratum eſſe iſta, quaſi putreſcere cum pompa, & faſtu, glorioſum eſſe rem & Hiſtoria dignam putarim.

Carraciolo hoc tenente urbem, Vaſthio rem militarem adminiſtrante, Medicæus una cum fratre ſuo Joanne Baptiſta, Mediolanum redierat, velut in novo imperio, ſpem gratiamque novam ibi ſua in patria libere ſecuturus: & rediens in Hiſpaniam Cæſar, benigne ipſum allocutus eſſe ferebatur. Agitaſſetne adhuc ille turbulenta aliqua conſilia, rebuſque novis impatiens æqui ſtudiuſſet, an vero, quietum jam, experiendoque fatigatum, aliena inquietudo, malitiave, & livor, & falſæ fortaſſe ſuſpiciones in periculum adduxerint, incertum fuit. Vaſthius certe perniciem ei machinabatur, & homine abſque tumultu comprehendendi rationem inierat hanc, ſi deliquerat ille, ſolertem & gravem, ſi immerito circumveniebatur, indignam atque perfidioſam. Natalitia Chriſti aderant, quorum dierum gratulatione mittunt invicem xenia cives, mutuoque invitatu exhilarantur. Vaſthius jam antea communicatis cum Cardinale gubernante ſuſpicionibus de Medicæo ſuis, ita cum eo compoſuit rem, ut ipſo Protomartyris die, ſeque & Medicæos fratres, & alium præterea amicorum manum in Aulam ille invitaret; poſte ita ſub veſperam convivio egredientes, circumfuſa repente Prætoria cohorte comprehendi ducique in arcem: factumque ita eſt, & ſubquinti deinde ſpatio Medicæi in vinculis fuere, donec interrogati & abſoluti, vadibus tamen datis Cæſaris juſſu dimitterentur. Sunt autem dimiſſi multum concurſante Protonotario, qui de fratrum capite ſollicitus, & apud Nicæam Cæſari ſupplex abſtulit ab eo litteras, quæ Vaſthio redditæ, fuere eis ſaluti, cum alio quodam modo dimittere eos hic pararet. Sed & alii plurimum ſolliciti fuerant, ne Medicæis capita detruncarentur: mirumque videri potuit, quod ad eripiendos periculo eos exarſere Principum etiam ſtudia, quorum intererat ſanciri exempla adverſus rebelles: & prope Hiſpanorum inter ipſos pugna erat, de puniendis Medicæis, aut dimittendis.

Alvarus Luna præfectus arcis, Mediolani apud Vaſthium: & Granvelanus in Hiſpania cauſam eorum marifice egerunt. Simul ex Germania, Rex Romanorum, adjuvante Sittico, deprecator fuit. Neque dedignatus eſt Florentiæ Dux Alexander, cum ſuper ea re litteras ad Vaſthium ſcriberet, conſanguineum ſuum appellare Medicæum hunc: & gloriam inde petiiſſe videbatur. Amici quidem & propinqui, periclitante Medicæo, velut ſocii diſcriminis ita laborabant: ipſe vero nihil umquam interea dixit niſi bellatore ſpiritu: nec ulla commendatio cujuſquam, ullumve teſtimonium perinde valuit ad innocentiæ fidem, quam contumacia ſilentiumque ipſius. Rupit quin etiam minaciter fere vocem adverſus Vaſthium ipſum tunc, cum dimiſſus ex ejus conſpectu abiret. Namque monente Vaſthio in digreſſu, ut honeſte deinceps integreque ageret, honoratum ſe virum eſſe reſpondit, & ei qui aliter ſenturet, gladio probaturum. De captivitate Medicæi fratrumque ita acceperatis, non tamen omittenda varietate, quæ memoriam adeo recentem labefecit. Nam Gabrielem Cerbellonum eadem convivali fraude circumventum, & in eadem vincula abductum aliquis tradit: vult alius, eaque ſententia verior eſt: non fuiſſe Gabrielem in arce captivum: ſed, ut antea memoravi, caritate deſiderioque conſobrinorum, deceptis cuſtodiis fugæ artes ad eos introtuliſſe repudiatas ipſis eodem ſpiritu, quo vincula crimenque contemnebant. Volucrant enim, aut mori illic, aut cum gloria famaque exire hac, ut falſi criminis invidia oneraui, & Cæſaris ſententia ipſius abſoluti fuiſſe dicerentur.

Cæterum, cum dimiſſi, vadimonio interpoſito eſſent, jam Cardinalis Carraciolus provinciæ adminiſtrator diem ſuum obierat humili accepto tumulo, dum illa, quæ viſitur hodie quæve dicta eſt, ſepulcri moles in templo maximo exeitatur. Succeſſerat ei Vaſthius idem, qui militare antea imperium tenebat, & cum in eo munere, nullus ei ſucceſſor a Cæſare mitteretur, exercitum ſimul provinciamque habebat, quæ ante Cardinalis obitum diviſa inter duos fuere. Fuit Vaſthius moribus optimis, animo excelſo, prodigus opum ſuarum, ſed minime rapax alieni, neque malam ullam prioris Davali ſimilitudinem in eo reperires, cum familia genuſque idem eſſet. Nec abfuere bella artes quaſcumque ſeniori illi tribuit fama. Studioſus inſuper artium bonarum, & ubi quid perſuadere vellet, veterum ducum facundiæ par habitus. Jam ſimplicitas ei tanta, candorque animi tantus, ut Medicæo ipſo, poſt captivitatem, de qua demonſtravi, familiariſſime uteretur, & rebus deinde adverſis ſollicitudines cum eo ſuas, velut cum amiciſſimo homine communicaret. Oblitum quippe putabat cum præteritæ ſuæ calamitatis & periculi, perinde atque oblitus ipſe erat criminationum, quæ non aliter quam conjectis in vincula reis diſſolvi potuiſſent, eoque neceſſitate & arte fuiſſet uſus. Sed Medicæus alte condiderat animo memoriam ejus facti, ridebatque amarum, tacituſque & infenſus ex collocutionibus arripiebat illis omnia, quæ pro crimine vicißim objicere aliquando ei apud Cæſarem poſſet: ac tanto plura ille quaſi apud amicum quotidie effundebat. His moribus, & hac innocentia magnitudineque animi præditus Vaſthius cum ad provinciæ gubernacula admotus fuiſſet, cunctaque Mediolanenſium ei uni obedirent, res etiam Eccleſiaſtica ſub tali Principe tantum ſpiritus & incrementi recipiebat, quanta erant damna, quantuſve mœror ex diuturno Paſtoris deſiderio, qui per tot jam annos aſſidue abiens tenebat Ambroſiana vectigalia & fundos: operam vicißim Eccleſiæ nullam impendebat. Mox etiam Vaſthium, res adverſæ ac turbulentæ occupavere primo, deinde abduxere: mœrore demum ſenioque confectum eripuere Cæſari ſimul, & nobis, Eccleſiæ pariter & civitati: eademque mala, non tam Vaſthii, quam civitatis & Reipublicæ hujus fuere, pene ut ad priſtina calamitatum humanarum exempla redigerentur.

Initium ortum ab Hiſpanis legionibus, quæ apud Subalpinos oppoſitæ Gallo, pro Cæſare ſimul & Sabaudiæ Duce rem gerebant. Is miles, ob non perſoluta menſium aliquot ſtipendia, palam exſuerat obſequium: & præfectos, manipuli, vel centuriæ quæque ſuos ad-

adipernatae relictis caſtris, aliae ſtatim, aliae exemplum ſecutae, ſimul omneis ceu exercitus aliquis hoſtium, Metropoli circumfunduntur, & vaſtant agris, qui circa urbem ſunt, Urbi ipſi minitabantur. Valthius & promiſſis, & denuntiatione Caeſaris irarum, conatus mitigare vel compeſcere eos, ubi fruſtra eſſe cuncta, glisceresque in ſingula momenta ſeditionem videt, irruptionis metu armat cives: in ſingulas urbis regiones praeſidia ſtationeſque diſponit. Ipſe cum praetoris cohortibus idoneaque alia manu, campum juxta D. Euſtorgii aedem capit, ut ad omneis obire ſubitos motus queat. Ad Sanctae Crucis aedem, ubi tecta tunc Humiliatorum fuere, conterminaque Euſtorgianis regio eſt, ſtationem Cremonenſium habebat. Ibi in vicino, quà Turris Imperatoris dicitur, ſtatio alia Germanorum erat. Connexae ita & armatae cohortes ad nutum intentae ducis exſpectabant quam mox ſignum daretur, vel erumpendi in rebelleis Hiſpanos, vel obviam eundi per urbis vias, ſi irrumpere illi auſi eſſent. Sed cum Hiſpani contenti populatione agrorum, quacumque avocaſſet eos praedae ſpes, vagarentur, neque uſpiam conſiſterent, & otioſa ideo ſtativa miles urbanus haberet, coepere, ut inter otioſos, & truces, & diverſi generis, & vicinos, militaris joci primum, dein jurgia contumeliaeque verborum oriri: demum ad manus quoque deveniebatur. Germani interea, qui ad Turrim Imperatoris poſiti erant, Cremonenſem forte unum longius ab ſuorum globo digreſſum interſecere. Cremonenſes viciſſim ab Sanctae Crucis aede vadunt agmine ad Turrim eam Imperatoris, ibique compotantes nacti Germanos, arripiunt ex temulenta illa ſtatione treis quatuorve, & qua tigillum, arbuſculave forte una invitarat, illic in vicino ſuſpendunt. Praelia inde quotidiana inter ipſos, & ex praeliis licentia in urbem, ut armatae manus ad direptionem uſque ſacrarum rerum proterve graſſarentur. Id malum Valthius ſedavit alio malo, centum millia nummûm aureorum exhauſtae tot injuriis civitati cum imperaſſet. Angebantur cives gravitate tributi: ſed metus ex rebellium incurſu, & damna defenſionis graviora erant. Legiones, acceptа pecunia quieverunt & abiere quo poena ſeditionis eas manebat. Poenae nunc miſeriaeque omneis in populum Mediolanenſem expetebant: & miſſo ad Caeſarem Joanni Baptiſtae Archinto ſuper calamitatibus urbis triſte reſponſum datum. Nolebant aulici vera eſſe quae de legionum Hiſpanarum ſcelere ille attuliſſet. Granvelanus praecipue infeſtus fuiſſe legationi, & Archintum, ut liberius acerbiuſque inveſtum increpuiſſe dicebatur. Deinde, nimis etiam modeſte peroratum eſſe cognoverunt: & in legiones eas Romano more animadverſum, decimi cujuſque ſupplicio ſive expoſitis apud defertas inſulas plurimis, ut illuvie fameque & miſerabili exitu caeteris exemplum praeberent.

Militarisca ſeditio cauſaque Valthio calamitatis initium fuit, ut poſt aliud deinde infortunium, ex magna florentique fortuna, inimicorum quaſi manu ad exitum vitae raperetur. Namque, cum nullum ex ipſius vita crimen arripere poſſent, fortuita eriminantes, alienaque etiam flagitia vitio dantes ei, Caeſaris aures animumque implebant, unde diminuta gratia, & ex eo moeror quem ferre non potuit. Ac Medicaeus inter caeteros torvo ſemper animo revolvens veteris offenſae memoriam, ſeponebat accurate cuncta quae ad inimicum evertendum poſſent uſui eſſe, ac minime Longobarda Mediolanenſique arte fingens amica verba & vultum, inſtinctor & miniſter adverſae factionis ipſe erat: accideratque opportune ei ad exercenda odia in abſentem, ut Gandavenſium rebellionis cauſa tranſgreſſo in Belgium Caeſare illuc evocaretur. Caeſar inde compoſitis Gandavenſium rebus, Genuam proficiſcens, ut inde in Africam trajiceret, ex itinere venit Mediolanum: pertinetque ad Urbis, & Reipublicae gloriam, narrari, qua ille, civium, & Populi totius gratulatione acceptus Metropolim viciſſim exhilaraverit, ac tantae majeſtatis adſpectu ex omnium animis tot praeterita mala delerit. Per Tridentinas Alpes in Veronenſem agrum deſcendebat, tanto ſtatim illue Principum Italorum concurſu, quanta magnitudo nominis ejus, & quam inſueta res Italiae terris Caeſar. Valthius ad Dulcinum uſque progreſſus bis mille & quingentos equites ab Mediolano eduxerat ſecum, omneſque juxta viam, qua intrandum Caeſari erat, diſpoſuerat ordine miſubjectas pratis, ut ſicut excultiad certamen ornatique ſtabunt, ingredienti apparerent. Nobiliſſimi Mediolanenſium erant una cum ſtativis turbis, quae ad provinciae praeſidium perpetuo aluntur: eorumque adſpectu laetus admodum Caeſar dixiſſe ferebatur, & equos, & equites dignos eſſe fama urbis. Dimiſſo inde equitatu alto, qui ipſum ex Belgio ſecutus erat, itemque dimiſſis Principibus & Legatis, qui ad primos Italiae fines occurrerant, cum Octavio Parneſio genero ſuo, & Cardinale Mantuano pergebat venire Mediolanum verſus. Urbs, tum copia artificum, tum civium ingeniis haud umquam fecunda populo gentive ulli, ad Caeſarem accipiendum exculta in hunc modum fuit: Statim ab portae Romanae ingreſſu porta triumphalis attollebatur, adſtructo ad adficenſum ponte, ſtatuis ab utroque latere erectis, quae totidem ſubjectas Metropoli urbes referebant: & diſpoſitae eae ſic fuerunt: Ad dexteram, in parte pontis ima, primoque aditu, Derthona ſtabat ferens bumeris Apenninum, ſcilicet, quia ad montis radices poſita urbs ea ultima Inſubrum eſt. Hanc, ſicuti caeteras, baſis quadrata & lata ſuſtinebat: altitudo ſingulis decem cubitorum fuit: e gypſo erant, ſed auro ſuperinducto ſpargebant late fulgorem. In proxima baſi, diſcreta juſto intervallo urbs Novocomium praegrandi Larium ſuum fundebat urna cum piſcium proventu quos lacus alit. Inde Ticinum urbem inclytam ſtudiis litterarum, & amoenitate ſoli referebat ſtatua jucundi oris onuſta voluminibus. Metropolis ipſa juxta arcum altiore loco, ceu propugnatrix, & Regina caeterarum, induta thoracem, altero calcans pede galeam, altera tenens manu claves urbis, & ſceptrum, & diadema coronando Caeſari, manu monſtrabat altera ſubjectas urbes novo ingredienti Domino tamquam commendaret. Poſita haec ſimulacra ad dexteram fuere in ſpondis, quae per totam pontis longitudinem ab utroque latere praefixae cancellis excurrebant. Ad laevam oppoſitae illis, Alexandria, & Novaria, & Laus Pompeja, & Cremona ſtetere ſingulae ſuo habitu, qui cujuſque divitias, ingeniumve & originem indicaret. Turritum Cremonae caput: Alexandriae tempora & frontem ſpicea corona cingebat: Laus Pompeja redimita Pampineo ſerto tumentia ubera lacte oſtendebat: & Novariam ara pateraeque, & acerrae, & ſacrificalis omnis apparatus decorabat, propterea quod ea Nova Ara antiquitus dicta eſt. Inter harum urbium ſimulacra pons ducebat ad arcum, altitudine, & ornatu, arteque operis parem ſuperbiae, & arti veterum Romanorum, qui adulatione erga Caeſares primi haec inſtituere. Ipſo in arcu, coronides & emblemata, foliaque columnis, flores, cauliculi, volutae, ſuperiores inferioreſque tori, trochili, ſcotiae, moduli, plinthi, ſcamilli, ſupercilia, cymatia, acroteria, tympana, tranſtra, zophori, denticuli, aſtragali, capreoli, ſtriae, teniae, guttae, apophyges, echini, ſcapi, & quidquid aliud in ejuſmodi molibus ad elegantiam ſive majeſtatem priſci aut recentiores excogitavere. Quod inane & vacuum in ſubſtructione illa, ornamenta haec relinquebant, id implebant ſimulacra victoriarum Caeſaris, expreſſa coloribus: ut Mauros, ut Indos ille ſubegiſſet: ut domuiſſet rebelles: ut Regem Franciſcum captivum ſuum dimiſiſſet ab ſe redonatumque Regno. Arcus deinde alius fuit in pontis aditu, quo navigabilis foſſa proximae turri jungitur. Ibi flumina, quae Provinciam rigunt, marinis aſſimilata Tritonibus, quae vera, quaeve fabulоſa de origine & natura ipſorum tradita ſunt, ſicut urbium etiam ſtatuae, praeferebant habitu: atque non ingrata peregrinis hiſtoria illa exhibebatur. In ſummo Romano ſtadio, quod vocant, triumphalem tertiam portam nobiles Romani conſtipabant facti omneis e gypſo & inaurati cum inſignibus paludamentiſque ſuis, prout eorum quiſque Mediolani olim geſſerant rem, ſive

imperitarant. Ad fauces vitae, quae tabernas aurificum hinc inde aperit, quarto in fornice, picta urbis primordia legebantur, & mulierbres ſtatuae coloſſeae magnitudinis aderant monumenta victoriarum. Sed nulla horum operum magnificentia aequavit quadrifoream arcum, qui contra templi maximi valvas quadrato faſtigio equeſtrem Caeſaris ipſius ſtatuam alte erigebat. Victrici reſupinaverat haſta Indum & Maurum, eademque manus nutantem in vicino Turcam appetebat. Auſtriacorum ſimulacra, quorum facta Latinae litterae admirantur, intuentia nepotis ingreſſum ſimul ſpectaculo erant. Cum exculta in hunc modum via eſſet, qua Caeſari incedus parabatur, pompam tamen ornatumque majorem, effuſa & intenta ad ſpectaculum civitas praebebat. Cupidine videndi tot victoriis clarum, tot gentium Regem, ſub quo, poſt diuturni ſervitii miſeria, priſtinae civilis vitae bona fructumque recuperaturi eſſent, velut natali Reipublicae die feſtam agentes lucem, loca omnia conſcendebant, unde proſpectus aliquis pateret. Prae multitudine ſpectantium, occupabantur tectorum etiam culmina, fulcriſque paſſim erectis quaſi nova urbs pendebat. Canonici templi maximi, Cleruſque urbanus univerſus, Senatores ſimul, & Quaeſtores, & Magiſtratus reliqui, ſeparatis agminibus, inſignibuſque diſcreti, ad portam proceſſere qua Caeſar exſpectabatur. Ille ad x. Cal. Septembris anni ejus CIↃ IↃ XLI. paulo ante Solis occaſum intravit urbem, cum in Clarae Vallis Monaſterio quietem eo die cibumque ſumpſiſſet.

Tradunt, in ipſo portae ingreſſu, conſpecta cruce, ſub qua Metropolitani Canonici tetenderant, deſiliſſe illico ad pedes, trophaeaque illa noſtrae ſalutis venerabunde amplectentem atque oſculantem, & ipſum fudiſſe, qua erat pietate, lacrymarum aliquid in novo imperio Metropolique adeunda, & omnes, qui viderant, ita commoviſſe, ut pari animorum teneritudine gaudioque collacrymarentur. Conſcenſo deinde rurſus equo, per ea, quae dixi, ſpectacula, ad templum maximum, inde in Regiam proceſſit. Sed non, ſicuti brevi confinio ac diverticulo conjunguntur inter ſe Regia & templum, & ſicuti breviore etiam prece Principes alios, expleto ibi ultimo illo pompae actu, ſtatim in proxima Regia tecta divertiſſe vidimus, ita flexerat in ſpeciem genua Caeſar abieratque. Multum quin potius ille precatus ad aram, multumque poſtea contemplatus, tum univerſae ſtructuram aedis, tum partes ſingulas, prout ab ſenioribus Canonicis praecipua quaeque monſtrabantur, ſpecimen hoc populo Mediolanenſi dederat animi, qui deponere etiam aliquando imperium, & intra ſacrata clauſtra reliquam vitam agere meditaretur. Poſtero deinde & ſecutis diebus, ad viſenda contemplandaque eadem redibat: ac de ſtatu interim rerum ſacrarum, deque Metropolitana juriſdictione, & de abſente etiam per tot annos Archiepiſcopo pleraque percunctatus eſſe dicebatur. Sic tradidere ſcriptores, quibus tunc curae fuit obſervare eos Caeſaris inceſſus, & excipere quae interim ab eo dicerentur. Iidem retulere pari cura ordinem agminis, quo Caeſar ab portae Romanae ingreſſu, in templum, & Regiam uſque eſt deductus: inſana veſtium & equorum pretia, & certamen opulentiae Mediolanenſium, non inter ipſos modo, ſed cum gentibus populiſve aliis, quacumque ille inceſſiſſet. Et parte nonnihil etiam iſta publicae hilaritatis narratio noſtra recreabitur, quando ſemel contigit, ut poſt ſaeva bella, ſaeviores in pace dolos, in lacta haec atque innoxia digrederemur. Ducebat in primo agmine pompam Alvarus Luna, Praefectus arcis, holoſerico caeruleo indutus. Hunc fiſtulatores Hiſpani ſequebantur in equis ad ducentos, ſtio, & equorum tegmine colorem eumdem imitati. Poſt Alvarum Lunam ejuſque turmas, trecenti nobiles viri familiares Caeſaris equitabant, in quibus erant honorarii ephobi triginta, Principum fere filii, vetere magnorum Regum conſuetudine, ut fiant inſtrumenta ſervitutis etiam Principes. Hunc Regiae ephoeborum cohorti, quaſi gemellam aliam cohortem addiderant Mediolanenſes e proceribus urbis intra tertium decimum aetatis annum: torques eis & criſtae: gladioque ſuccincti diſtinctas argenteis clavis & obductas holoſerico albo haſtas tenebant. Veſtimenta ſingulis ex auro gemmiſque contexta. Par habitus trecentis aliis nobilibus ab decimo octavo ad vigeſimum annum, ut tantam in juvenum cultu opulentiam Hiſpani intuentes magnopere admirarentur, atque inter ſe etiam quaererent, quomodo tot deinceps caſibus injuriiſque civitas, tot res direpta & vaſtata, tantas nuper apud Caeſarem ipſum conqueſta calamitates, ſic repente diteſcere atque luxuriari potuiſſet. Tam ſplendido juvenum agmini ſucceſſere Praetoriani ſpiculatores, ne ipſi quidem abſque luxuria & faſtu, cum ſaga braccaſque, & pileos, ipſaque faciſſas plurimo interlucente argento Vaſthius cunctis ad eumdem formam dediſſet: ac fulgore geſtientes illo non ſine admiratione Germani ſe ipſos intuebantur. Sexaginta erant: qui poſtquam tranſiere bini, tum vero equeſtri nobilitate cives ducenti prodiere. Hi quaterni in ordinem prodibant: poſt ordines ſingulos armigeri ibant cum herili lancea & criſta, quam ex animi ſui libidine, & ingenio unuſquiſque variaverat. Frontalia ephippiaque pretioſa equis, & in ſuperiorum temporum quaſi contumeliam jumenta ipſa veſtita ſerico auroque conſpiciebantur. Senatores, caeterique Magiſtratus urbis in longo Syrmate omnes. Dein Magnus Cancellarius, & Senatus princeps, & praefectus rerum capitalium, & aerarii praefectus ſequebantur. Hic argenteos nummos ad populum jactabat Caeſaris ipſius imagine percuſſos, monſtrantque adhuc ea numiſmata ab poſteris eorum, qui ſtipem ejuſmodi aliquam arripere potuerunt. Extremum agmen fuere proceres Aulae, Granvelanus, & Avila, Salernitanus, & Eſtenſis, & Farneſius, Vaſthuſque, & Sabaudus cum haſtatis Praetorianis aliis centum. Ea Principum cohorte antecedente, Toparchis duodecim interjectis, qui ſervorum a pedibus vicem explerent, ſub umbella Caeſar vehebatur, cingente latus Cardinale Contareno, ſubſequentibus Principum legatis, totam claudente pompam equitatu Praetoriano, nocteque interim ſuperveniente accenſae faces renovaverant diem. Eximia interim erat ſpecies luctantium ignium cum ſplendore auri, perſtringebatque oculos pugna illa duarum naturae rerum, & quaſi certamen inter ipſas, utra ſplendidior eſſet. Et jucundior ſimul oculis animiſque ſpecies erat alia, cum nobiliſſimi civitatis, ob Caeſaris majeſtatem, ſumta pedeſtri equorum perſona, circumpedes irent, eminente inter famulares illos amictus atque inceſſus faſtu, quem die illo depoſuerant, rurſus famulorum greges incederent onerati veſtium ſumtu, quo ne Principes quidem extra pompam abuterentur. Sed in tota ſcena dici noctiſque illius nihil fuit, quod magis in ſe converteret omnium oculos, quam Caeſaris ipſius ſimplicitas, & modeſtia, cultuſque parum ab plebeji hominis cultu abhorrens: mirumque dictu, ille, propter quem cuncta haec fiebant, cernebatur atro palliolo & vulgari pileo caput humeroſque tectus ut niſi frontis honos & umbella monſtrarent virum, quaerere ſpectantes poſſent, ubinam Caeſar ipſe eſſet. Admirationi quoque fuit, comitas, qua per totum iter cum Cardinale Contareno ſermonem hilare confociarat. Hac civium gratulatione Caeſar ingreſſus urbem, moratuſque ibi per aliquot dies, levata oneribus civitate, multorum quoque merita privatis large remuneratus, habito per totam provinciam delectu eorum, quos ſecum in Africam ducturus eſſet, diſceſſit quinto decimo die poſtquam venerat: ac laeti deinde novi imperii manſuetudine, & aequitate Mediolanenſes, viciſſim firmata erga id imperium fide, nomen olim amabile Vicecomitum & Sforziarum, atque adeo ipſa libertatis ſine tempora dedere oblivioni. Tantum Caeſaris adventus, & brevis illa commoratio fiduciam animis ſecuritatemque attulerat.

Anno altero poſtquam ille venerat ſic abieratque, locuſtae ſupervolitavere agros, fortuitum naturae malum; & inter prodigia olim habitum Romanis. Inumbrabant multitudine ſua coelum, & ubi arborum cacumina humumve inſiderant, frondoſa & herbida cuncta depaſcebantur, earumque contactu velut ambuſta tellus,

lus, vim omnem ejus anni frugiferam perdebat. Decuriones urbis ei malo avertendo, simul ab Archiepiscopi Vicario postulavere, uti supplicationes de more haberentur: simul praemia propoluere omnibus, qui plenos earum saccos in publicum referrent. Ad centum millia modiorum relata fuisse, ajunt, pestemque ita sublatam.

Si portendunt illa quidquam aut minantur, pertimuit haud dubie prodigium ad magnum inlequentis anni cladem, quam Galli intulere Hilpanis, & Hilpani mox reddidere Gallo. Namque bellum, quod post Sforiae mortem ab Rege Francisco, invadendae Urbis causa renovatum fuisse memoravi, aliquamdiu intermissum recruduerat nunc apud Subalpinos, ab qua parte orsi illi commodiore aditu sese Provinciam ingredi posse sperarant. Ibi commisso ad Cerelolam praelio, duodecim millia e nostris cecidere: qua victoria elati Galli cum ab ea parte simul, & ab alia majoribus Petri Strotii ductu copiis Metropolim circumvenire voluissent, in ultimo tantae rei conatu ab Vasthio oppressi obscurum antea Stradelae nomen nobilitavere clade sua, & fauces eae sunt hodie nihilo tristiores apud Gallos, quam apud Romanos olim Trasimenus aut Cannae. Vasthius tamen, depulso quamquam hoste, laborabat acceptae cladis infamia: cumque, vel propter animi moerorem, vel ob militiae labores in morbum incidisset, & ab infenso semper Medicaeo per amicitiae simulationem inviseretur, tulit aetas illa fraudum humanarum exemplum, in quo referendo erubescere nos cogit patriae simplicitatis fama. Ac sane, non pudenda solum sed etiam miseranda res fuit, falli sic ab Medicaeo Vasthium, & alios: mihique adhuc ex longinquo rem intuenti ipsius, sicuti inter eos agebatur, turbant animum indignatio simul & misericordia & pudor aliquis ob patriam, si talium rerum aliquando alteri eam fuisse fatendum sit.

Crediderat Vasthius, bona fide Medicaeum redisse secum in gratiam, &, quoniam ab eo inviseretur aegre, tanto magis credebat. Fallacia igitur hac & magnitudine animi sui deceptus, communicabat cum eo cuncta, & libere etiam conquerebatur, incusans modo Proceres aulae, modo Caesarem ipsum, qui susciperet bella, &, sine pecuniis, sine milite, geri ea vellet. Dum non persolvuntur stipendia militibus, extenuatas & inanes fuisse copias: dum plures imperitare volunt, male ab omnibus esse imperatum. Haec, & liberius alia dictitando, rogabat denique Medicaeum, ut, quoniam iturus ad Caesarem propediem ipse esset, vellet sibi apud eum esse patrocinio adversus inimicorum calumnias, quibus opprimeretur absens. Medicaeus, neque ut solaretur aegrum, neque ut in Regia defenderet absentem, sed ut valetudinis adversa rimaretur, ibat visere: laetabaturque malis inimici simul, & querimonias precesque ejus, velut tela in ipsum, implacabili, & exulcerato altc animo arripiebat fallis sermone & vultu quo plura eliceret. Ad Caesarem deinde profectus, depromsit cuncta, & maligne oneravit adeo felix in perfidia, ut Caesar, ob ea, quae audierat, in ordinem redigere Vasthium statuerit, & ille percussus decreto succubuerit moerori: quo morbum aggravante vitavit ignominiam, ejusque viri obitu damnum ingens fecere Mediolanenses. Refovebat enim miti imperio Provinciam, adeoque munificus etiam in sacra fuit, ut absentis Archiepiscopi damna quodammodo relevaret, eaque sub tali Praeside minus sentirentur. Mortuus est Vigievani, unde translato corpore in urbem, velut Reipublicae parenti funus duxere cives, Cleriique universus, & oratio de laudibus ejus in templo maximo (nam ibi sepelichatur) facunde habita publicum moerorem recordatione tantarum virtutum auxit.

Provinciam deinde Ferdinandus Gonzaga regebat, dilectus a Caesare in id munus ob eximia belli pacisque decora, & Vasthii virtutibus parem animum, sicuti rerum etiam exitu pene similis fuit. Gonzagam hunc inter conditores Urbis merito numeravere, quicumque de Patriae rebus post ejus aetatem scripsere aliquid, & publica opera sunt monumento. Cura ei muniendae Urbis prima fuerat, ut quoniam munimenta alia vetustas labefecisset, alia rudibus saeculis instituta damnaret usus recens, cuncta adversus novos oppugnationum impetus atque artes, valide & perite firmarentur. Itaque veteres demolitus muros, novam moenium descriptionem, quibus urbs hodie cingitur, instituit, inclusitque suburbia, ne maxima ea pars populi, quandocumque ingrueret hostis, aperta, & indefensa, sicuti olim, jaceret. Absoluta ea descriptione munimentorum, operisque publice imperatis, Gonzaga rogavit Archiepiscopi Vicarium, ut ponendo primo lapidi, inchoandaeque securitati urbis, Divinis quoque caeremonias auctoritatemque sacram adjungere vellet. Ita statuto die sacrificatum in templo maximo solenni ritu cum ea precatione, ut Metropolitana propugnacula, murique pro salute urbis inchoati prospere attollerentur. Dein pio agmine processum in campos, qui circa D. Dionysii Aedem late excurrunt. Ibi Gonzaga, Clero populoque circumstante primum lapidem in fundamenta conjecit, ac strenue inde urgebatur opus, donec munimenta, quae nunc rursus diffluere pallim lorica, labare incipiunt, toto ambitu urbis stetere. Versatiles ponticulos ad navigabilis fossae labra appositos tolli placuit, eorumque loco fornicati pontes exstructi: Turrim ad portam Vercellensem quae erat, dirui tutius visum: item ad portam Cumanam turres aliae excidio datae, nequando receptacula ea hostium essent, si qua violentia transgressa muros foret. Haec ad firmandam urbem pertinere: quae simul expoliebatur pari cura. Jam enim allatum erat, Principem Philippum, Caesaris filium in Belgas ire ad Patrem, iterque ei per Provinciam fore, & Mediolani aliquamdiu commoraturum. Tanto major sollicitudo, tum Praefidi Urbis Gonzagae, tum Decurionibus civibusque ipsis, ut Metropolim, sicuti ipsius fama dignum esset, magnifice splendideque excultam regnaturo juveni exhiberent. Forum quod Metropolitanae aedi praejacet, vetustissima, & tumosa D. Teclae aedes obscurabat, atque impediebat. Placuit eam complanari aedem, ut & translato in templum maximum, cultu ministerioque ejus, cultus Divae amplior in Metropolitana sede esset, & foro laxitas spatio liberaretur adjiceretur. Tum vias urbis dirigere ad lineam, aedumque frontes perpendiculo exaequare sunt aggressi: eaque instauratio, tota dedit urbe stragem veterum aedificiorum, diruta porticibus, podiis, fornicibus, transversisque tugillis, quae rudia & impolita prospectum impediebant. Cloacas receptacula purgamentorum omnium, quia foedibus, tetroque odore & adspectu foedabant urbem, operuere. Neque contenti removisse illa ab oculis, pleraque urbis loca decoranda picturis locaverunt. Munichatur igitur urbs & ornabatur eodem tempore, non ad praesentis modo utilitatis, & elegantiae fructum, sed ut posteritas quoque omnis tutius honestiusque habitaret, cum de Principis adventu certior jam instantiorque fama coegit cura omnia lentiore apparari celeriter ea, quae ponenda ad tempus & exstruenda erant. Jam enim erat Genuae Princeps, & urbe in illa satis moratus, propediem inde moturus esse dicebatur, ut Mediolanum veniret. Alexandria, vile quondam nacta palearum cognomentum, nunc ob munimenta similior nomini, prima est urbium, per quas ab Genua venienti Provincia Mediolanensis intratur. Eam urbem cum intraret Princeps, pleraque Metropolitana Nobilitas & Cleri primores obvii fuere una cum Joanne Berguaeo, quem a Bruxellis miserant duae illius amitae, Eleonora & Maria: illa Galliae Regina, haec Pannoniae, quae tunc Belgio pro Caesare fratre praesidebat. Miserant autem muliebriter sollicitae de juvene, ad salutandum eum, & ut certa omnia de ipsius incolumitate legatus referret. Ab Alexandria Vogheriam: ex eo loco Ticinum accessit, perque suos fines cuncti jam hinc Principi, non modo subjectorum studia, sed etiam vestigia paternarum rerum occurrebant. Ticini in arce erant aenea tormenta praecipuae magnitudinis, spes olim & robur Saxoniae Duci, nunc monumenta cladis, quae, capto Saxone, Caesar in eam arcem ex Germania miserat. Ea Princeps inspexit, perite differens apud

ſuos, qui proximi ſtabant de longitudine ac diametro ſingulorum, de metalli temperatura & oris hiatu, & quantos quaeque globos paterentur. Inciſas etiam litterarum notas, quia propter aeruginem aut vetuſtatem confuſae, non facile explicabantur, tum ſedulo tergeri juſſit, tum admota cera enotari: ac ferebatur interea de Germanici belli conſiliis & tota illa rebellium conſpiratione arcana quaedam, & ad eam diem occulta patefeciſſe.

Forte tunc in Academia Ticinenſi verſabatur Andreas Alciatus, Mediolanenſis, ſcientia Legum inter primos, aut ſane primus aevi, neque id optimum ejus viri fuit: ſed interiores litteras in barbariem illam invexerat pene ad formam antiquitatis, poteratque loqui de Regum negotiis, & ob vitae auctoritatem alloqui Reges. Et datum eſt negotium ut Reipublicae nomine peroraret apud Principem, quod fecit ille vererum Romanorum lingua, non quotidiani Oratoris ritu: Princepſque celerius multo quam vellet, orationem evolaſſe illam ajebat. Summa haec fuit: *Hilaratam eſſe terram Inſubriam adſpectu juvenis, quem Superum favor, & Patris arma, & ipſius virtus, Regiae magnitudinis exemplum pararent. Urbem, in qua tunc eſſet maximus Patris magna proles, ambire quidem, & ſpecie minimam eſſe potentiae illius partem: obſequio & fide & teneritudine animorum erga Caeſarem, Caeſariſque filium, &, ſi quid illud etiam ad rem attineret, antiquitate ſua, nulli urbium aliarum concedere. Habitaſſe ibi Reges olim, & geſſiſſe bella: nec procul a moenibus eſſe locum, in quo Rex Galliae captus, memoria hominum teſte, terribile Gallicis exercitibus Hiſpanum Auſtriacumque nomen fecerit. In ea urbe, perinde atque in Metropoli ipſa caeteriſque ſubjectis Metropoli terris, quotidie nuncupari vota pro Catholicae Domus incolumitate: & poſtquam ipſe profectus ab domo ſit, nullo non die Inſubres a Superis petiſſe, uti ſoſpes rediret. Petere nunc ab ipſo, ut cum in Regna, tam multa, & tam longinqua deviget curas, etiam meminiſſe fides Longobardorum velit.* Haec ferme ab Alciato perorata.

Princeps inde Mediolanum ibat: cumque ad quintum ab urbe Ticino lapidem, monſtraretur ei ſeptum, intra quod incluſi cum Rege ſuo Galli, potiundae Inſubriae ſpem atque cupidinem captivitate Regis, & exercitus internecione luiſſent: inceſſit animo cupiditas locum eum intrandi. Spectavit agri partem, in qua concurriſſe acies dicebantur: ſilvam ex qua prodierant ad Gallorum perniciem inſidiae: parietinas, qua ſubruti dolabris muri adtum Hiſpanis dediſſent: foſſam denique ipſam, in quam Rex effuſo ſuper ipſum equo prolapſus erat. Ea veſtigia recentis victoriae Princeps inſpexit, commoto ſimul animo ob ſortem humanorum caſuum, cum tanti Regis ignominia & periculum ante oculos obverſaretur. Eadem imago mixtum dolore gaudium aliorum etiam pectoribus intulerat, neque alia ſermonibus materies brevi hinc ad Carthuſienſe templum via. Poſtiere templum illud & ditavere Vicecomites noſtri, tempore, quo rem Mediolanenſem haud procul ab magnitudine Regii nominis obtinebant. Et miretur hodie quilibet Regum, opus quidem etiam ipſum, ſed multo magis attributas Monachis opes, queis domus illa ſufficeret gentium hoſpitio: nec in Principum adventu moveri ibi quidquam attinebit. Princeps, adorato ad templum Numine, Binaſcum: ex eo pago, poſtero die Mediolanum venit. Civitas opulenta, admiratrix Hiſpanorum, unica erga Caeſarem fide, prodiga eadem contemptrixque auri, cedere neſciam alens nobilitatem, foecunda ingeniorum, connixa eſt, ut agnoſceret Princeps Inſubriae Metropolim, auferretque memoriam ſecum duraturam ultra fluxam in Regum animis talium obſequiorum gratiam atque recordationem. Statuerant tota paſſim urbe ſimulacra Caeſaris victoriarum eminentibus figuris, vel pictura, cui artificum nomina pretium forent. Cernebatur fugiens ex Germania Soliman cum illo trecentorum millium equitatu, quem a Caeſare diſſipatum, etiam pinxiſſe arduum videretur. Sexaginta millia Turcarum equitum caeſa cadebant ante oculos: captae de Turcis urbes, Patrae, Corone, Tunetum, Hyppo, Tunetanum Regnum, Imperium Libyae, Mauritania tota reſtituta veteri Regi: dejectus Aenobarbus: viginti millia captivorum reducta in Patriam: purgata latrociniis maria: triremes hoſtium captae aut demerſae, reſtituta Genuenſibus libertas: trajectus Albis: Indiae patefactae, Saxonis immane corpus oneratum ferro: caeteraque rebellium Germanorum capita promiſſis in pectora barbis grandique capillo ſub jugum ibant. Haec omnia, veluti tunc fierent, advenienti Principi Mediolanenſes ad ſpectaculum ſimul, & exemplum propoſuere. Urbem vero ſuam, ſex hoſtium exercitibus fuſis, totues a Caeſare confervatam tanto ſplendidius fecerant, quanto major eſt unicuique genti circa rerum ſuarum memoriam ambitio & cura. Et ea quidem annalium inſtar fuere, ſive potius annales ipſi verſi atque commutati in hominum ora & vultus. Genus erat aliud, quod per vereris Hiſtoriae ſymbola hoſce Caeſaris eventus atque res bello geſtas includebat. Simul admonebant ambages variae Principis juvenis animum, quae poſt Patris finem publica fama & exſpectatio cum maneret. Ea myſteria fuere in arcu, qui ſtetit ad templi maximi valvas aemulus pene aedis ipſius majeſtati. Rutilo crine puer David ſtrato ad pedes Gigante Goliath. Joſue ſiſtens imperio curſum ſolis. Cum Holofernis capite Judith: & paſcens inter jumenta Nabucadnethſar, imagines & ſimulacra reſiduarum expeditionum. Ad introitum Regiae ſedebat in pegmate celſiſſimo coloſſaeus Caeſar, quem Princeps ipſe venerabundus adiret. Effigies eadem, alibi armata erat, alibi pacis cultu. Depictam ita & ornatam urbem inclinato in veſperam die Princeps intravit, antegrediente varii generis equitatu & armatura, quae propria fuerat Regii agminis, quaeve ex provinciali copia extra ordinem acceſſerat. Sclopetarii, cataphracti, velites, ſuis quaeque turmae ordinibus tendebant. Tegmina & ornamenta turmis fuere ad Regiae familiae colorem & formam, ſive ex ducum ipſorum ingenio. Duces ipſi veſtem auream in peregrinum habitum aſſimilaverant, quo magis conſpicui forent. Hos armiger quemque ſuus anteibat. Albae Ducis pueri vicenaria turma ſuccedebat. Senatus inde Mediolanenſis, Magiſtratuſque, & prima Urbis Nobilitas proceſſere. Mox Aulae Principes, Hiſpani, aliique gentium aliarum ſecuti Aulam, & ſummo quiſque ſtudio meditati, ne ſplendor alienus obſcuraret ſuum. Regiae cohortes haſtatae, in Germanicum & Hiſpaniense genus ad viarum latera diſcriminabantur. His proximi vadebant quinque & viginti nobiles ab juventae flore delecti, ab gratia quoque corporum & venuſtate formae. Candida ea cohors mauratagque fariſis & amictu ducebatur ab Mutio Sforcia, cujus pater exciderat Imperii Mediolanenſis jure, propterea quod abſque matrimonii caeremoniis ille procreatus fuiſſet. Poſt juvenes eos inceſſere, Gometius Ficeroa, & cum Demarcho Inarimes Demarchus Aſtorgae, Dux Sinueſſae, Caſtellae Almirarchus, Ferdinandi Gonzagae filius adoleſcens cum aequalibus quatuordecim in conchyliata tunica Principem antecedebat. Dux Albae ſuo loco ſubſequebatur. Vexillum hinc Regium, & legati Regulorum aut civitatum. Princeps ad templi maximi valvas exceptus ab Sacerdotum Collegio atque in templum introductus ab ſolita precatione in Regiam divertit. Ibi per aliquot dies equeſtria certamina ſunt exhibita, quorum arte Mediolanenſes expreſſere confeſſionem Hiſpano: ſi tales in acie forent, eſſe robur militiae penes urbem hanc.

Opportune congruerat, ut Principi adventus incideret in nuptias, queis Fabricio Columnae jungebatur Hippolyta Gonzaga, filia Ferdinandi. Ea res laeta juveni fuit ob ſolitam talium rerum hilaritatem: & nuptias ipſe decorarat, haud dedignatus inviſere ſponſam, feſtis intereſſe daphus, & modico ſaltatu choreas inire, quaeve alia celebrando matrimonio inſtructa erant. Laetitiam auxit adventus Alphonſi Aquilarii, qui miſſus a Caeſare ad Principem proſpera de eo & ſalva omnia nuntiarat, attuleratque mandatum, uti maturaretur iter. Hoc allato nuntio, Cardinalis Tridentinus ad paranda omnia domum praeceſſit, quae per eos fines ituro Principi

Digitized by Google

cipi grata esse possent. Duae sunt ab urbe Mediolano Tridentum viae: per Mantuae fines una, per Cenomanos altera, utque compendii brevioris haec, sic illa per suas terras secutura longius Hispanum erat. Princeps delecta priore via ad VIII. Idus Januarii Melinianum proficiscitur, qui locus abest ab urbe decem millia passuum, & Jacobo Medicaeo, sicut antea demonstravi, attributus domicilio nunc ejus nobilitabatur. Poterat jam ipse stare inter Principes, & hospitium illud, non magnifice modo sed etiam erudite portis & emblemmatis adornatum Hispani advenientes invenere.

Post Principis discessum laetus Gonzaga pergebat addere in perpetuum decora & munimenta Urbi, cum exorta in eum criminatio atrocior quam quae Vasthium absumserat, non quidem absumsit, peremitve ipsum, sed ab ejusmodi operum eleganti cura ad tristem, & necessariam sui defensionem avertit, diuque occupavit. Crimini maxime dederant inimici aemulique ejus, quod natus in familia assueta dominationi, animo elato, & ob magnas propinquitates inquieto, Regii praefecti vocabulum adsperneretur, affectaretque imperium urbis, nec Caesari, sed sibi Metropolim muniret. Favere Venetis, & querere sibi gratiae locum apud eos: remittere Mediolanensibus tributa: cum Ferrariae Duce plus habere necessitudinis conjunctiusque vivere, quam cum alienae factionis homine Caesarianum deceret. Id ipsum, quod interfecto a conjuratis Farnesio, Placentiae possessionem Caesaris nomine adiisset, provinciaeque fines protulisset usque ad Tanarum flumen, ut inutiliter & ambitiose factum criminabantur. Infestissima denique interpretatio erat, quod, mortuo sub idem tempus Pontifice Paulo, Cardinalem Salviatum Florentinum patria, studiis, & propensione animi Gallum contemnens, sive dissimulans mandata, quae habuerat, commendasset Patribus, ut in Pauli locum ille subrogaretur. Haec omnia in suspicionem crimenque vocantes inimici, asperare Caesarem conabantur, irritisque aliquamdiu, & sermonibus, & libellis, animo ejus obrepebant. Jactando deinde saepius eadem augendoque, fecere, ut capitibus adverteret illis, monerique Gonzagam juberet: recte & ex dignitate sua facturum eum, si diluceret objecta & purgaret. Simul, cujusmodi essent ea, demonstrabat. Gonzaga datis ad Caesarem litteris, homineque remisso, quem terum earum causa Mediolanum ille destinarat, defensione hac utebatur: Munendae curam urbis ideo suscepisse, quoniam in ejus rei consultatione post varias utrimque sententias, permisisset sibi Caesar liberam ejus negotii facultatem arbitriumque, & verbo hoc esset usus: quo notiora ei civium ingenia & conditio provinciae totius essent, hoc melius posse statuere quid tutissimum optimumve factu censeret. Mediolanenses praeterea ipsos reputantes superiora sua tempora, & tot hostiles incursus, ultro cogitationem habuisse muniendi: voluisse id facere suo sumptu, & ea de causa vectigal in vini metretas quae importarentur, instituisse. Defectionem populi Mediolanensis timeri debuisse nullam, vel quia numquam antea defecissent, steteritque omnis eorum motus intra levem tumultum, vel quia subjectae urbes semper infensae Metropoli, spem & societatem subsidiaque rebellionis negent. Nullam sibi gratiam privatim apud Venetos quaeri. Curae esse tantum, ut pax, & concordia, quae cum eo Senatu sit instituta, conservetur, neve dissidia, inter accolas solita existant. Ferrariae Ducem consanguineum esse suum, nec posse naturae vincla dissolvi. Cardinalis Salviati nomen, non inter Gallos, sed inter Caesarianos reperire sese in occultis illis litteris, quae ad classem utramque distinguendam inter alia imperii arcana sibi traditae fuerint. Tributa populo Mediolanensi lenia mitiusque quam olim esse imperata, non per ambitionem, artemve malam, sed ut civitati redactae ad extrema consuleretur. In Placentina expeditione, nullas suas, praeterquam obediendi & exsequendi partes, fuisse. Scripserat haec dixeratque Gonzaga sicuti erant, vel certe tanta confidentia, & libertate, ut conscientiae securitas intelligeretur.

Criminatores tamen acrius infestiusque coorti, velut arreptis ex ipsa defensione facibus saeviebant apud Caesarem, moliebanturque omnia, ut ambustum secreti judicii flamma Gonzagam Provinciae administratione dimoverent. Horum scilicet demum instinctu Caesar excivit ad se reum: jussitque, tradita interim Provincia Gometio Ficeroae, ad dicendam causam veniret. Censores duo Mediolanum missi, Bernardus Boleus, & Franciscus Pacecus, qui postea Cardinalis fuit: his mandatum, ut quaestionem haberent de iis rebus, quas Gonzaga dolo malo egisse, tentasse arguereturque. Ea cognitio propter hominis dignitatem famamque & genus occultissime exercebatur: palam vero in Magistratus alios inquirebant: ac notatis, quos probri compererant, innoxium fidumque Caesari Gonzagam pronuntiavere. Quin etiam intuentes publicorum operum utilitatem ornatumque urbis, & cuncta per eum eleganter & splendide renovata, sicuti monstrabantur, tum vero pietatem in sacra, justitiam in omneis, & orba suo Pastore Metropoli velut expletam eam quoque vicem sustentatione pauperum, & defensione sacrorum, cuncta ea, sicuti fuerant, & sicuti fama loquebatur, admirati Censores, in Regiam cum ampla testificatione perscripsere. Unde major gloria Ferdinando huic apud Caesarem, livor aemulis: & tam accusasse, quam credidisse, hos illumque pudebat. Erat deinde Gonzaga Caesari assiduus primusque minister bello, quod inducis & Francisci Regis obitu paulisper intermissum, Rex Henricus etiam infelicior patre, & petendae ex Hispano ultionis pene avidior, instaurabat.

Mediolani per eos dies absente Gonzaga, Ludovicus Birraghus Galliae Regis apud Subalpinos Chiliarcha per dolum invaserat prope ceperatque Arcem, si satis provide compositus ordo insidiarum fuisset, vel potius nisi hoc etiam tempore pro salute urbis stetisset contra Gallos, benignitas & providentia Numinis, quae adversus eam gentem tutata Metropolim semper, ingrata & temeraria interpretatione saepe dicta casus fuit. Notum eum omnibus historiis tanto discrimine annum, ne mulieres quidem & pueri ignorare, ob Georgii proditoris calvam, quae in rotundae turris fastigio praefixa hastae ostentui fuit.

Ejus anni principio Cardinalis Hippolytus Estensis, nonnulla fortasse tactus religione, vel sermones certe hominum in extrema jam aetate metuens, abdicare se Mediolanensis Ecclesiae Pontificatu tandem decrevit potius, quam ut percipiendo sic emolumenta absens in flagitio dedecoreque illo extingueretur. Abdicavit autem ea conditione, ut Joanni Angelo Arcimboldo, Episcopo Novariensi Ecclesia traderetur: si diem suum ille obisset prior, jus omne ad se ipsum rediret. In ea Pontifex Julius auctor factus. Successerat enim hic nominis ejus tertius, tertio item Paulo: nec tertium fere Pontificatus annum excessit, ut trium hebdomadarum Pontifex Marcellus longiore dignus aevo post hunc regnaret. Praefuerat Arcimboldus Ecclesiae Novariensi quatuor & viginti annos. Clemens VII. eum ex Senatore Episcopum crearat, delectatus viri litteris & dexteritate, cum is Sforziae legatum Romae ageret. Ab Estense, qua diximus conditione, productus, & Julio III. probatus, quartum annum Metropolitanae potestatis implere non potuit. Ejus morte tedierat res ad Estensem, qui rursus suo more absens Ecclesiae vectigalibus fruebatur laborum curarumque expers. Cum Arcimboldi hujus obitu mors prope continuata Jacobi Medicaei moerore alio civitatem affecit: & propter viri claritudinem spemque de Cardinale fratre summam sacri etiam ordines indoluere. Mortuus est in aedibus suis ad Braidam, & funere amplissimo elatus ad Melinianum: rursusque inde ossa Mediolanum in Aedem maximam translata fratris Pontificatu. Vir propter exempli magnitudinem nulli aetati silendus, post abrupta sua initia desperatasque expeditiones, & gestum cum Principe bellum, constituta denique fortuna, quinquies Imperator alienorum exercituum fuit: Senarum urbem ab aliis frustra obsessam cepit: aperuit fratri viam ad id, quo nihil amplius mortalitas

talitas capit: parumque fuerat dediſſe Pontifices Maximose ſuo ſanguine, niſi per ſororis nuptias, adſcito in domum Borromaeo, Sanctos etiam dediſſet.

Parabantur urbi Populoque Mediolanenſi decora & ſubſidia haec: atque poſt paucorum adhuc annorum remiſſum ac fluctuans & inutile regimen futurum erat, ut cives duo ſanguine inter ſe conjuncti: alter humani generis Apoſtolicum Principatum adeptus, ſingulari ſtudio Patriae ſalutem amplecteretur: alter ab eo datus Patriae Paſtor, faceret hanc diſciplinae ſanctioris exemplar, illatuſque demum ipſe Coelo, terrarum orbem & coeleſtium choros nominis ſui gloria augeret. Pius IV. & Sanctus Carolus fuere iſti, minime ambigua mortalium fama, quin Avunculum filius ſororis magis multo quam Pontificatus ipſe nobilitaverit, & ille vicilim hunc per fluxos honores opeſque caducas induxerit in tantae ſempiternae gloriae campos. Sed duo haec Mediolanenſis Reipublicae lumina, nondum publicis illata rebus ſtabant adhuc tantummodo in limine earum, ſpemque & votum, nondum ipſius voti fiduciam ac robur exſpectatio publica conceperat.

Interea Cardinalis Hippolytus, poſt Areimboldi mortem ex pacto recepta Metropolt, Vicarium ſubinde aliquem dabat: Eccleſiae ſtatum ipſe obibat nuſquam, & nihil perfecti aut emendati, vel in publicis caeremoniis ritibuſque ſacrorum, vel in eorum vita cernebatur, qui iſta tractarent. Et Ferdinandus Gonzaga, cujus imperium & verecundia nonnihil ad diſciplinam quoque conſtituendam valeret, ob calumnias abſens, quidquid illud auxilii, & diſciplinae fuiſſet, abſtulerat. Gubernante ea Provinciam, uxor ipſius ob pietatem erga Sanctum Franciſcum de Paula, Ordinis ejus hominesCumana via extra urbem benigne collocarat, qua nunc Sanctiſſimae Virginis aedem ſalutifera latices & votivae tabellae nobilitant. Per idem tempus, Franciſcani Minores, qui ſibi ab legum ſuarum Obſervantia nomen indidere, commigrarunt in eum locum, ubi nunc Sancti Angeli Aedes Monaſterio adjuncto pietatem civium & ſanctimoniam Ordinis teſtatur. Non enim alibi quam apud pium ditem populum, talia domicilia Superûm hominumve cultui exſtruerentur, quale templum, & qualia tecta Fratres illic tenent: rurſuſque non niſi ſpectata probitas & innocentia aedificantium dia ex alieno tantas ab ullo populo ſtipes eblandiretur, quantas hodie molibus inſumtas eis iidem illi qui contulere, admirantur. Antea, Ordini ei Monaſterium Aedeſque ſacra non longe inde propius moenia fuerat antiqua & humilior: quae tecta cum in proferendo pomoerio muriſque perducendis, dirui oportuiſſet, Patres tranſlata huc materia, novam ſibi & Divo ſedem inchoavere: Antiſteſque Monaſterii Pater Franciſcus ex nobiliſſima Cuſanorum Domo tunc fuit: cujus familiae caput Marchio Auguſtinus, e Principibus Urbis, egregia propter opes magnanimitatemque fama, deceſſit aliquanto antequam iſta in lucem ederemus. Aedificationem Monaſterii Templique novam Gonzagae liberalitate plurimum eſſe adjutam ferunt, vel quia erat, ut demonſtravi, cupidus excolendae urbis, animoque munifico erga publica omnia opera: vel quia dirutae prioris aedis religione aliqua ſollicitaretur. Sancte integreque ita Mediolani verſatus, &, quibus dixi, criminibus ab obtrectatione & livore oneratus, deinde cum incremento famae purgatus, & defenſus, nova ſibi fortibus militiae factis egregiiſque conſiliis, apud Caeſarem quaerebat praemia: & praemiis jam fruebatur eis, quae vel ad calumniae ſolatium, vel ad innocentiae teſtimonium data erant. Non tamen redditus urbi eſt, cui pietas hominis & praeclarus animus in ea, quae dicta eſt, ſolitudine, Paſtoralis curae loco eſſe potuiſſet, & ſumma cum gratia cum Principe Philippo erat. Jam Caeſar hunc Mediolani Ducem creurat, atque eum perſcribi traditionis ejus auctoritatem jubebat, ita in diplomate erat praefatus: *Tradere ſe* PHILIPPO FILIO, *Provinciam Mediolanum, quae eſſet recepta ſuis armis & defenſa: quam vetuſto Caeſarum jure poſſideret.* Id ſatis viſum ad coercendas linguas, quae ſuper ea re muſſitantes, Procerum Imperii conſenſum requirebant, & ex Gallia praecipue fremitus audiebantur. Diploma confectum eſt in Bruxellarum urbe, cum jam Vallifoleti Philippus ad moderanda Hiſpaniarum Regna conſtitiſſet, iterum in tranſitu adita urbe, caeterum minore apparatu exceptus, quia propere ibat, acciderat que fama, moleſtum fore Principi, ſi officia jam ulla morarentur iter, ac de ea re moniti Mediolanenſes erant.

Equidem haud ſcio ego, quo poſſit ore quiſquam umquam priſcos narrare caſus, quandoquidem in tam recenti memoria variant annales: nec tamen magni momenti res erat: ſed volui ſemel notaſſe calamitatem Hiſtoriae, quae tam brevi aevo corrumpi poſſit & infuſcari haud ulla re magis, quam ſcribentium culpa. Namque Capellonus, homo Gallus, in tradendo Principis reditu, cum Maximiliano patruele ſuo rediiſſe ipſum refert, Mediolanique commoratum alius addit. Alphonſus Ulloa, rerum Caroli ſcriptor, itinera illa ſejungit, Principeſque iviſſe ſeparatim mavult. Regii Chronographi, temporum eorum aequales, & participes rerum, tradunt, Maximilianum evocatum a Patre Ferdinando, diſſimulata majeſtate excurriſſe privato cultu: poſt breve colloquium, pari arte deceptis hominum judiciis remeaſſe, ut Mariam uxorem ex Hiſpania publice deportaret. Rurſus in urbis monumentis memoria exſtat, qua pompa Maximilianum una cum patruele Philippo Mediolanenſes acceperint, cum Principes in Hiſpaniam redirent.

Provincia interim Rectorem acceperat Ferdinandum Toletanum, cui vim poteſtas Mediolani major fuit, quam quanta permittitur aliis, qui a Catholico Rege cum imperio huc mittuntur. Vicarium in Italia Generalem appellabant, quod fere vocabulum & par poteſtas Exarchis fuit, cum Graecia nobis imperitaret. Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quinto Toletanus ille Mediolanum venit: vir ſeveri imperii: ſed a quo propter trucem & bellicis tantummodo rebus intentum animum res Eccleſiaſtica ſolatii nihil ſperaret. Paulo poſtea Caeſar res omneis humanas pio animo pertaeſus, quaeſito ſibi ad ultima meditanda receſſu, tradidit cuncta Filio, qui deinde feliciter regnavit, ejuſque propenſio animi erga Metropolim & multa comiter in provinciam, benigneque collata per totum ejus deinde Regni tempus exſtabunt. Non ſecuritas & ques, non alia populis expetita bona minus umquam defuere urbi, quam ex quo PHILIPPUS hic, accepto a Patre imperio, regnare coepit.

Sub ejus initia tamen etiam periculum Mediolani tumultu quam re majus fuit, conjuratis cum Paulo IV. Gallis, ad Neapolitanum Regnum invadendum, quod Pontifex ille, ad Sedem Apoſtolicam pertinere, ajebat: & quia Regno illi ſemper ſocia periculis urbs noſtra fuiſſet, etiam itineris occaſione ipſius, exercitum, qui in eam expeditionem ex Gallia proficiſceretur, Mediolani tentaturum eſſe aliquid, inceſſerat metus. Ea ſuſpicione Rex Philippus Toletanum quidem ad Neapolitani Regni tutelam tranſire juſſit: urbis vero, & Provinciae gubernacula diviſit inter Davalum juniorem, & Chriſtophorum Madrutium, Cardinalem Tridentinum, cui viro commendatione Caeſaris purpura data erat, fiduſque habebatur. Sed rem militarem Davalus adjutore Joanne Baptiſta Caſtaldo adminiſtrare juſſus: Cardinali civilium rerum concredita ſeparatim cura eſt. Quae partium & imperiorum diviſio, ab initio prudenter inſtituta, rerum exitu damnoſa inutiliſque reperta eſt: & infauſto Triumviratui poſtea nomen fuit. Hi, cum triginta millia armatorum jam in Subalpinos deſcendiſſe, atque Neapolim verſus iter habere cognoviſſent, omiſſa diſcordia, quae mutuis inter ſe odiis infenſos habebat, properi ac feſtinantes coeperunt agere ac parare omnia, ne ſubito ipſi incurſu opprimerentur. Suſpicabantur enim, ne Galli, tumultu quidem & fama Neapolim irent, re autem ipſa, animiſque & ſecreta deſtinatione peterent urbem Mediolanum, idque ab domo conſilium attuliſſent. Erat hoc tempore Mediolani ſumma rerum omnium difficultas, quae res pertinerent ad gerendum bellum. Afflicta tot ſuperioribus bellis & exhauſta provincia, feſſa

feſſa urbs collatione pecuniarum: & plerique civitatis Principes, aut poſt arma reſpexerant otium, aut penerant in armis: nec minima calamitas, inconmodumve rebus, inteſtina, licet ad praeſens diſſimulata, diſſenſio, quae Cardinalem inter & Davalum, conſilii quodcumque alter attuliſſet, inimicos faciebat. Attamen, externo metu urgente quaſi certaminum ſuorum, uti dictum eſt, obliviſcerentur, nonnulla, quae in praeſenti periculo providenda erant, expedivere communi conſilio, quod civitas etiam ipſa alias experta diſcordes, admiraretur. Explevere ſubitariis operibus ſi quid abſolutioni moenium deerat: Primores urbis ad portarum cuſtodiam; cataphractos equites in provinciae finibus ſummа cura diſpoſuere: munivere rapum urbes, Ticinum, Alexandriam, Cremonam: ad Valentiam, quae Pado flumini appoſita eſt, treis cohortes Italorum, treis Hiſpani generis, totidem Rhaetos juſſere praeſidio eſſe, & caſtellum ibi exercavere cum eorum lacrymis, quorum aedes, fabrica illa dejiciebat. Armavere Mediolanenſium viginti quinque millia, quae copiae, aut dimiſſae fuerant, aut, ob non perſoluta ſtipendia ultro abierant a ſignis. Hiſpanum item Germanumque peditatum flagitioſe diminutum explevere conſcriptenſis inter ſe conſilia, quos raro antea congredientes videres, aut ſi congredierentur, ſalutatio triſtis, & breve alloquium erat. Ab Triumviris quidem ea parabantur.

Galli vero, trajecto Dora flumine, pars circa Padum ſubſtitere, pars tendere ad Caſalem, quam in Monteferrato urbem habebant, atque per regionis ejus pagos diviſi, nocturno tempore aggreſſi pontem, quem Hiſpani in Stura amne fecerant, poſt gravem pugnam cum Emmanuele Luna, qui ibi in praeſidio erat, diſſipavere pontem, & quatuor armatis navibus tranſmiſere flumen. Iter deinde habebant ad Vercellarum urbem: quod ubi Cardinalis Tridentinus accepit, mittitur ab eo Joannes Ghevarrus cum ſiſtulatorum ala, properum urbi ſubſidium, priuſquam hoſtium exercitus ad illa moenia circumduceretur. Sed cum Galli, mutato conſilio, repente inde avertiſſent iter, viderenturque Alexandriam eſſe petituri, Ghevarrus etiam flexit, ut anteveniret Alexandriam, monente Lopezio Acuna, ne faceret: nam poſſe rurſus Gallos flectere ad Vercellas, & ab Caſale deinde prohibere ſubſidium. Ghevarrus tamen cum ſua ala (quadringenti & quinquaginta equites erant) Alexandriam intravit. Galli, neque Alexandriam, neque Vercellas, ſed ad Valentiam ivere, cumque Pontificis nomine ab oppidanis exercitui commeatum petiſſent, quia non dabatur, quatere tormentis oppidum inſtituerunt, idque deditur quinto die poſtquam oppugnari coeptum erat. Ibi ſubſtitere per aliquot dies Principes Gallorum, vel ob neceſſariam quietem, ut reficerentur ex itineris labore, vel ob conſilia, quae in terra hoſtium jam ſubjecta oculis, capienda erant. Conſilia autem haec fuere: Briſicchius, ut in Taurinos ad duplicanda praeſidia cuſtodiaſque intendendas rediret, ne averſis ipſis ad majorum rerum conatus, Triumviri Mediolanenſes impetum eo aliquem darent: poſtea veniens ipſe ad exercitum, Tarmenſem ibi Dynaſtam relinqueret: is non deſineret obſervare tempora & occaſiones carpendi Mediolanenſem Provinciam, & omnia quaecumque poſſet damna inferendi. In id ipſum, ab Santiaco Biragus, ab Caſale, Bironus immmerent. Haec ad Valentiam conſilia Galli inierant. Roganti Cardinali Tridentino, per legatum, quid ita, locum eum occupaſſent, atque repetenti Philippi Regis nomine, monentique ut abirent, reſponderunt, Pontificiae ditionis eſſe locum, & liberos illac apertoſque aditus ab ſe praeſtari oportere. Pergit inde Ghiſa dux exercitus ire in Placentinos, Neapolitanumque capeſſit iter, liberata ingenti metu provincia urbeque Mediolano, quam, ſi tunc invaſiſſet, minime dubitant, quin aliquanto felicior potuerit eſſe repentina haec & fortuita expeditio, quam altera illa, quae gentem armarat. Adeo ſcilicet infirma fuere omnia, cum regentium inter ſe diſcordiis, tum provinciae ipſius conditione, ob ſuperiora bella, quae ſobolem militarem privatorumque fortunas afflixerant. Enim vero ſuo raptus impetu & feſtinatione Gallus tranſit pacato agmine per Provinciae fines, admirantibus interea ſecuritatem ſuam, qui cohorruerant praeſentis terrore belli: variaque iunt fama, cur omiſſa, quae in manibus erat occaſione, Galli ſic abiiſſent. Diſtuliſſe, non omiſiſſe negotium dicebantur: foederis lege praevertendam illis eſſe Neapolim: poſtea Mediolanum ſturos. Vere ſunt celeritas inſita genti: & ubi longinqua penitus occupavere animos, praeſentia negliguntur. Cardinalis autem cum aemulatore ſuo collega, poſtquam id quod ſibi exſpectarant, alio tranſire diſcrimen viderunt, terrorem ultro ſtatuunt inferre hoſti, quo celerius abiret, idque ipſum tentavere prave atque inconſtanter, ſicuti diſcordes oportebat. Nam Cardinalis cum exercitu collectitio ac tyrone Binaſcum uſque progreſſus, tumultuaria illa manu paſſim a ſignis abeunte, retro vertit iter: & collega Davalus, miſſo ad inſequendum Caeſare fratre cum Italico equitatu, mandavit ei, ut ne Padum tranſiret. Atque eum debuiſſent in primis cavere, ne quid alendo hoſti relinqueretur in agris, rerum omnium copia quaſi de induſtria relicta in aperto eſt.

Ita Galli, neque laceſſiti, neque laceſſentes iere per hoſtium terram cum partis utriuque dedecore, niſi Gallus ad majoris ſpei certamina properus raperetur. Fama ſunt etiam, Davalum, contemnentem Inſubriae arma, & iniquo ferentem animo, quod ſui nominis fortuna penderet extam exiguis viribus, egiſſe ob eam rem pleraque velut indignabundum, & velut invidentem eorum gloriae, qui defenſuri Regnum erant. Ibi arma & gloriam, ibi Catholici Regis vires eſſe ajebat. Ita Hiſpanis inter exercitumque Gallorum, dum jurgantur diſſidentve illi, dum per Provinciae fines hic tranſit, haud levi periculo defuncta civitas erat: ac tantus ab repentino barbarico itinere metus fuit, ut poſtquam abierant Galli jurgiique Praefidentium conticuerant, inſidente animis triſti ſpecie tempeſtatis ejus, habito novo per totam urbem delectu, viginti quinque millia civium armarentur, quod ſtativum praeſidium Metropoli eſſet. Et militiae factum nomen ex Parente Urbis Ambroſio, *Cohorteſque Ambroſianae* appellatae, nimirum, quia in campo circa Baſilicam, ad Cardinalem Tridentinum dabant nomina omnes, qui ferre arma poſſent: & militarem etiam egreſſi aetatem plerique adſcribi in eum numerum petebant. Tantum Gallorum odium erat apud univerſos, ut memoria periculi recentis intenſi etiam ſeniores degere ultro in armis vellent. Urbanae eae cohortes conſcriptae ſunt anno altero poſtquam Carolus Caeſar, tradita Filio rerum ſumma, in Hieronymianum Monaſterium ſeſe abdiderat. Atque hic demum annus fuit, quo Cardinalis Hippolytus circa vitae finem acrius oblatrante conſcientia omittere Metropolim agitavit, nonſpe jam ulla, ſicut olim reſpiciens ea quae omitteret, neque pacto aliquo interpoſito recepturus, ſed conſtanter & ſerio, tamquam ſuae & Mediolanenſium ſaluti tantae rei jacturam daret. Volebat tamen ita abdicare ſe Metropolitano jure, ut quae Sacerdotia, octo menſibus, diviſo ſic inter Sedem Apoſtolicam & Archiepiſcopum anno, vacua eſſe contingeret, ea ſuae diſpenſationis manerent: idque a Pontifice Paulo indultum ei & conceſſum Rex Philippus poſtea abnuit, nimirum, quia domus illa Eſtenſium pronior ſemper in Gallum fuiſſet.

Caeterum, permiſſo ei, ut viros idoneos nominaret, quatuor ipſe commendavit, e quibus Archintus Pontifici ſtatim abſque exceptione ulla probabatur. Is Venetiis hoc tempore Legatum Apoſtolicum agebat, ſub tribus jam antea Pontificibus Maximis eo munere perfunctus, & nuper accepto ſucceſſore ob negotia, quibus apud Senatum cum agendis nova mandata certumque hominem mitti oportuerat. Ibi novus Archiepiſcopus accepto nuntio de nominatione facta per Cardinalem, ac de judicio auctoritateque Pontificis ſcripſit ad Regem Philippum, & petit, ut ſibi ad capeſſendam Metropolim benigne annueret. Non potuiſſe honorem alteri demandari, qui, majore, vel obſequio & fide

erga Regem ſuum, vel erga patriam ſtudio & cura munus illud Paſtorale obiret. In eamdem ſententiam ſcripſere Decuriones Urbis, congrueratque forte, ut ab Senatu Sforzia Moronus ad Regem eodem tempore legaretur. Ei data eſt epiſtola, ſcripta patrio ſermone tondem verbis: CATHOLICE REX. *Philippus Archintus illuſtri apud nos loco ortus, ad annum hunc aetatis ſuae ſexageſimum innocenter & modeſte vitam egit, atque in graviſſimis Reipublicae muneribus cum magna laude verſatus, Majeſtatis etiam Veſtrae Parentem Caeſarem Auguſtum commoverat opinione prudentiae, ut Conſiliarum ſuum eſſe juberet atque haberet inter fideles intimoſque ſervos. Nunc a Pontifice Maximo Archiepiſcopus huc datur Urbs noſtrae, quae per annos jam fere quinquaginta deſtituta Paſtore ſuo inter ſuperiorum temporum damna cladem etiam hanc lugebat. Petimus a Majeſtate Veſtra ſupplices, ut quoniam feliciſſimo Regni ejus exortu caetera acquiſimus mala, quibus urgebamur, etiam ab Eccleſia depellere ſolicitudinem ipſa antevente poſſimus, eaque datum Archinto Pontificatum ratum eſſe velit. Sunt litterae viro aptae regimini populorum: eſt animus imbutus Eccleſiaſtica diſciplina & ſacrarum rerum uſu: vita, quae aliis uſtar eſſe diſciplinae poſſit: talisque Pontifice, ſi Majeſtas Veſtra annuat, Populus, & Clerus, & Reſpublica Mediolanenſis, facem recipient eam, quae aliquando fuit, & quae Metropolim deceſ. Optimo & Maximo Regi precamur imperii & vitae ſpatia, quae Catholicae fidei propugnator meretur.* Hanc Decurionum epiſtolam pertulit Bruxellas ad Regem ea legatio, quae de rebus forte aliis mittebatur.

Sed cum occupato ibi diverſis curis Rege ob bella, & ambiguam Provinciarum fidem, Mediolanenſium litteris poſtulatiſque tardius adverteretur: poſt quintum ab ea legatione menſem litterae aliae petentes idipſum mittuntur: eis quoque irritis, tertia mittitur epiſtola ſcripta in hunc modum: CATHOLICE REX. *Cum ſuperioribus diebus Sforziam Moronum civem noſtrum ad Majeſtatem Veſtram Civitatis nomine ſupplicem mitteremus, mandatae cum primis ei preces fuerant ſuper Philippo Archinto, quem datum nobis a Pontifice Maximo Paſtorem, ut Majeſtas Veſtra probaret admitteretque petebamus. Et huic noſtro poſtulato, quia reſponſi nihil dabatur, aliae noſtrae miſſae litterae, de negotio reque ea fruſtra ſupplicaverunt. Nunc novas mittendi preces, tertiumque ſupplicandi, neceſſitatem nobis fiduciamque prachent, hinc, Majeſtatis V. benignitas, hinc corruptior in dies diſciplina Cleri, atque ſacrarum rerum quotidie remiſſior apud nos cura, quia caput deeſt. Petunt a Majeſtate Veſtra fideliſſimi ſemper Mediolanenſes, ne cunctetur huic malo remedium afferre veſtrisque ſua dextra, ſcribendo, placere ſibi, ut Archintus Metropolim capeſſat. Id & propter poſtulatis acquitatem, & propter M.V. Religionem poſſe impetrari, magnopere ſperamus: ac velut jam impetrato, vicissim eamdem dexteram gratis erga tantae res munus animis veneramur.* Haec ipſa Decuriones Urbis ad Regem ſcripſere: Cardinaliſque Tridentinus, de moribus, & gravitate fideque Archinti congruentia teſtificabatur.

Diſtinebant adhuc Regem eaedem curae, quae cognitionem & reſponſa diſtulerant: & in eodem aliquamdiu ſilentio res erat, admodum interim ſollicito Senatu Decurionibuſque Urbis, propterea quod ad eam diem, neque audita legatio eſſet, neque ad trinas jam ſcriptas publice litteras quidquam ex Regia referiberetur. Adfuere deinde tondem epiſtolae Regis: ad Gubernatorem Urbis una, ad Decuriones alta, tertia ad Archintum ipſum, quem, & Reverendum Patrem, & Archiepiſcopum, & amicum, inſcriptione prima Rex appellabat: atque in omni deinceps parte litterarum, quamquam Regia brevitate ſcriptae illae eſſent, honorifica & prolixa cuncta legebantur. Exemplum earum hujuſmodi fuit: *Reverende in Chriſto Pater, Archiepiſcope, dilecte nobis. Acceperamus litteras tuas, quibus, & ſignificabas nobis, quemadmodum Archiepiſcopus Eccleſiae Mediolanenſis a Pontifice Maximo factus eſſes, & petebas, ut tibi ad honorem ineundum auctoritate noſtra ſuffragaremur. Sed tum occupati bello, tum volentes prius inquirere nonnulla, quae cognoſci ad Dei cultum, & res noſtras interest, diſtulimus in hunc diem id quod ad poſſeſſionem Eccleſiae tibi decernendam arbitris noſtri ſunt. Nunc ſcribimus ad Gubernatorem iſtius Provinciae noſtrum, ut abſque cunctatione ulla agat tum, teque noſtra nomine in jura omnia Pontificatus Ambroſiani admittat, quemadmodum quidem ex ipſo cognoſces. Caeterum, ſicuti nos fides ac virtutes tuae libenter cuncta credidimus, ita tuum erit cuncta providere vigilantia & ſollicitudine omni, ut ſacra pure ac ſanctae adminiſtrentur, & populus iſte quotidie melior fiat.* Et Archiepiſcopo quidem ita ſcripſerat Rex: ad Decuriones vero minime diſſimilis forma litterarum fuit: *Magnifici, fideles amici noſtri. Redditae nobis fuerunt litterae veſtrae datae ad III. Cal. Septembris, per quas exponebatis ſtudium ejus rei veſtrum, ut Philippus Archintus, quem Cardinalis Ferrariae Archiepiſcopum ſuo loco renunciaviſſet, collocaretur in poſſeſſione Pontificatus, & nos ut ſuper ea re mandata opportuna daremus, cum magna teſtificatione virtutum ipſius Archintis orabatis. Itaque, & precibus veſtris, & hominis virtute commoti, & in primis, quia diutius carere Paſtore civitatem Eccleſiamque veſtram minime decebat: mandavimus Gubernatori iſtic noſtro, ut ei rei finem imponat, idque quomodo fieri velimus, ex ipſo cognoſcetis.* Gubernator jam Provinciae urbiſque erat Joannes Ficerea, quem, diſſoluto Triumviratu, Cardinaleque revocato, paulo antea miſerat Rex. Ad eum epiſtola fuit hoc exemplo: *Cum ſuperioribus menſibus a nobis petitum eſſet, ut Philippum Archintum, novum Archiepiſcopum, in poſſeſſionem Eccleſiae Mediolanenſis induci mandaremus: eam rem differri neceſſe fuit, ut certiora cognoſceremus, tum de vita, & conditione Archinti ipſius, tum de rebus iis, quas Cardinalis Eſtenſis eo abdicato Pontificatu ſibi reſervabat. Ac caetera quidem, & Mediolanenſium ipſorum teſtimonio, & affirmatione Cardinalis Tridentini, reperimus qualia vellemus eſſe: Archintumque probamus, ut fidum nobis, & muneri ſuffecturum. Illud vero non placet: ultro menſium Sacerdotia Eſtenſi eidem diſpenſanda relinqui. Quamobrem, ita admittes collocabiſque in ſua Sede Archintum, ut Cardinalis Archiepiſcopusque prior diſpenſatione illa Sacerdotiorum excludatur: atque totum hoc ut ex animi noſtri ſententia adminiſtretur, curae tibi erit.*

Tempore, quo Mediolanum hae litterae perferebantur, non erat Ficerea Gubernator ad Urbem: ſed accepto in Subalpinis Regio mandato, Senatui ſcripſit, ut rem eam ordine exſequereritur. Simul acceptis ab Archinto litteris humaniſſime reſpondit: "Non potuiſſe "honorem eum ulli demandari, quem ipſe faceret plu"ris cariorémque haberet. Optare, ut laetus incoluniſ"que diu gerere Pontificatum poſſit glorioſum ipſi, "civibus, & patriae ſalutiferum. Aegre ferre, quod in "ejuſmodi tempus incideriit res, ut fructus ſibi optatiſ"ſimus eripiatur, quo, ſpectator, & particeps, & mi"niſter eſſe publicae laetitiae ſolenniumque initiorum, "ac novo Pontifici auſpicanti Paſtorale munus coram in"ſervire voluiſſet. Mandaſſe Senatui, ut vice ſua omni"bus funganiur officiis, quo ſint expeditiora cuncta ei "ad Eccleſiae regimen, ſalutemque populorum incho"andum. Quanto majorem Eccleſiae ſqualorem videat "ex diuturno Paſtoris deſiderio, tanto magis id eſſe ac"celerandum."

Hoc accepto reſponſo Archintus, ſumma omnium voluntate & gratulatione Civitatis ſolemna parabat inundo Pontificatui, cum Regii Oeconomi exorta repente actio implevit ſuſpicionibus animos, cunctaque turbavit, & Archiepiſcopum optimum ex Metropolitana ſede in exſilii miſerias haud ſine publico luctu conjecit. Oeconomus Mediolani, jam inde ab Catholicae dominationis initio vocatur inter alios Regios Magiſtratus e ſacrorum ordine unus, qui Regis nomine fit auctor, quotieſcumque, vel a Pontifice Maximo, vel ab Archiepiſcopo, Sacerdotium impetratum adire quis velit: idque nomen, & ea poteſtas, exortis ſaepe controverſiis, majori aliquando fuit, aut minori jure, quam hodie habetur. Fungebatur munere tunc eo Calaber Sacerdos, de quo homine ſuuſtra fuit in urbe fama, tamquam, praeter aſperitatem ingenii vitia quaedam alia Graecanica ſecum attuliſſet. Minimam ejus vitae labem eſſe

aje-

ajebant, quod ſub Regiae praefecturae obtentu intercipere Eccleſiae vectigalia, & ſibi, non Regi uſurparet. Poſtquam is ſenſit Archintum jam inibi eſſe, ut jubente Rege, annuente Gubernatore Urbis, deducente Senatu, in Metropolitano ſolio collocaretur, dolore amens, per ſpeciem ſuae fungendae vicis adit Senatum, & multa, quae commentus erat, profert, ut doceat, minui nujuſ atem atque perichtari, ſi ſummum urbis Sacerdotium Archinto ei relinquatur. Scripta quin etiam edidit capita accuſationis ſuae: quae comperta ſibi, quae ſuſpecta, quid inſuper accidere poſſet, quid natura urbis, quid ingenia populi, quid conditio Pontificatus afferre damnoſum Regi, ſive anceps, cuncta ordine exponendo, commoverat Patres, non quidem ut aſſentirentur, ſed certe ut Archintum ipſum de rebus ejuſmodi commonefactum vellent. Et ille quidem audita criminatione, ad unumquodque caput ita reſpondit, ſatis ut Patribus appareret, neque in animo, neque in fortuna ejus & familia, neque in ſuperiore vita quidquam eſſe cotum, quae ab calumniatore Calabro jactata erant. Itaque Regia mandata exſequenda, Pontificemque accipiendum conſenſa decernebant. Mox Calaber, ſicuti pedum doloribus inhibebatur, ſella geſtatoria delatus in Curiam, tam truci ſpiritu, tam importuno ore cauſam egit, ut onerati Senatores & fatigati querimoniis atque denuntiationibus deſcenderent ad exceptionem denique eam: poſſe Archintum ita admoveri regimini ſacrorum, ut praeter divina myſteria & aras, animarumque ſalutem, nihil aliud ille attingeret: caetera relinquerentur in ſuſpenſo, donec Ficeroa Gubernator in urbem rediiſſet. Videbat Archintus infringi Eccleſiae auctoritatem, ſi ſaeer honor, & alimenta honoris, quae jure antiquiſſimo, & quotidianae conſuetudinis humanorumque uſuum neceſſitate conjuncta inter ſe eſſent, tali ex diviſione ſepararentur. Deſtitutum ſe opibus, queis Archiepiſcopi nomen & perſona niteretur, etiam ad ſaera cum dignitate obeunda invalidum fore: conſtanterque ideo abnuebat. Satius eſſe, abnuentem ſacri honoris contumelias, in ea gloria exſtingui, quam ex Infubriae Metropolita Pontificeque Ambroſiano Semiepiſcopum factum praebere ſic ad ludibrium os, neque habentem ipſum adjumenta ſplendoris ſui, neque aliis alimenta ſuppeditantem.

De ea ratione conſilii ſui, deque Oeconomi interceſſione, & injecto per eum impedimento cum ad Ficeroam ſcripſiſſet, ejuſmodi reſponſum accepit, ut ipſum quoque rationibus Oeconomi nonnihil eſſe commotum appareret. Referipſit enim, nihil erraturum fuiſſe Reverendum Patrem, ſi poſſeſſionem ſacrorum quocumque modo adiiſſet, ut fidem faceret, non emolumenti alicujus cura, ſed Paſtorali ſtudio ſollicitudineque animarum id munus expetiſſe. Nunc etiam hortari, ut ſicuti cenſeat Senatus, divina complectatur, caetera non defutura ei cum primum ipſe rediiſſet: & rediturum brevi. Hoc reſponſo accepto, maluit adhuc Archintus exſpectare Gubernatorem, quam truncum, & mutilum, deformemque Pontificatum ſuſcepiſſe. Poſtquam is rediit, tanto turſus fremitu, tantaque contentione Calaber Oeconomus exaggerabat damna ſimul & pericula Regiarum rerum ex Archinti Pontificatu, ut amplius deliberandum, conſulendumque denuo Regem omneis cenſerent. Datis igitur ad Regem litteris, dum reſponſa exſpectantur, Pontifex Paulus, cognita interim Oeconomi interceſſione, Regiorumque motu, Pallium Archinto tranſmiſit. Eſt inſigne id Metropolitanae poteſtatis, inter ſollennia geſtamen collo ſumma pectoris humeroſque cingens: ac munere utique tali poſſeſſio Eccleſiae Mediolanenſis, jus in Provinciales Epiſcopos, & cuncta alia iterum Archinto affirmabantur: quae tunc eſſent data cum Archiepiſcopus ille crearetur. Simul Apoſtolicae litterae miſſae una cum eo inſigni, queis Paulus Gubernatorem monebat, injuriam, quae Archinto fieret, communem eſſe ei cum Apoſtolica Sede: damnoſam Urbi, quae tali interim Paſtore privaretur: ingratam Regi, qui probatum jam ſibi, & acceptum, calumniis improbari alienis videret.

Has litteras Pontificis juſſu offerre Gubernatori Archintus debebat: ſciebatque Gubernator ipſe eſſe allatas: ſed quaenam eſſet ſententia, vaticinando angebatur. Crediderat, anathematis eſſe denuntiationem, & diras intentarini pareret. Itaque, & ſermonibus jecerat haud obſcuris, melius fore, ſi litterae eae ſibi non traderentur, & quoties crediderat adeſſe qui redderet, varie tergiverſatus erat. Denum redditae ſunt arte & via, quam Archintus leniſſime fallacem excogitavit: apertaeque & lectae minus offenderunt, quia mitem tantummodo objurgationem, & paterna monita afferebant. Archintum tamen, quo minus nec auctoritate Apoſtolica ſublevaretur, nec ei dies ipſi, qua cuncta mitigantur, nec leve alioqui Gubernatoris ingenium prodeſſet, multa aſſidue ſimul urgebant: Calaber furioſe importunus ſemper, & elatior nunc ob ſucceſſum. alienata Curia, atque audiendo ſaepius eadem ſuſpenſi jam etiam qui calumniatorem antea conſtantiſſime repulſiſſent: perculſa civitas, & objecto rebellionis crimine nutanteis etiam propinqui: Clerus ipſe laetus praeſenti licentia, & exorienti diſciplinae ſeveritatique infenſus. Neque quidquam horum tam adverſarium Archiepiſcopo erat, quam homo unus e Clero, qui miſſus olim ab Eſtenſe Vicarius perſeverabat adhuc in eo munere, & magnae cladis loco ducebat, ſi tranſlatis rebus, ac mutato ſummo Eccleſiae regimine abeundum hinc foret. Inſtigabat iſte Oeconomum, & ab Oeconomo viciſſim inſtigabatur: uterque vero ſimul, nunc Senatui, nunc Gubernatori ſuggerebant iras cauſaſve irarum: gnaruſque Vicarius occultarum Eccleſiae rerum, prodebat Regiis arcana Pontificatus, docendo, quae jura quaſve litteras adverſus Majeſtatem depromere aliquando Archiepiſcopus poſſet. Per eas artes & furta miniſter improbus, non praeſentem tantummodo invidiam ejectionemque Archiepiſcopo, ſed gratiam ſibi in poſterum apud Hiſpanos, eorumque commendatione aditum ad munera honoreſve alios quaerebat. Et materiem locumque creſcendi praebuerat huic Archintus ipſe actione una, quae prima ei & noviſſima Pontificalium fuit. Cum enim accepto Pallio promulgaſſet edictum, quo monebat ſcribas hominesque ſuos, ut conficerent rite documenta publica, formulaſque cuſtodirent Eccleſiaſticae juriſdictioni convenientes: conteſtim Vicarius eam rem ad Oeconomum defert. Oeconomus Gubernatori aperit: ac demonſtrat, haud alio pertinere factum, quam ut conſenſus auctoritaſque Regia tollatur ex omni jure ſacrorum, ac invito Rege maximam eam urbis & provinciae partem teneat quiſquis ab Romano electus urbem provinciamque turbare poſſit. Dum conſulitur Rex, dum reſponſa ejus exſpectantur, irruiſſe in poſſeſſionem Eccleſiae Archintum, & Regi ſic Regiiſque illuſiſſe. Si promulgare edicta actionibuſve aliis uſurpare poteſtatem pergat, haud leviorem fore indulgentiae culpam erga contumacem, quam contumaciae ipſius adverſus Regem.

Non dici plura attinebat. Per Franciſcum Craſſum, qui poſtea Cardinalis fuit, monetur illico Archintus: quoniam Regis mandata ſuper ejus Pontificatu exſpectentur, interim ei manendum eſſe extra provinciae fines: Excellentiſſimo Gubernatori ſic viſum: & ad dignitatem ipſius otiumque publicum id enimvero pertinere. Tradunt, Archiepiſcopum eam denuntiationem excepiſſe tranquillo animo manſuetoque vultu, ac ne verbo quidem commutato uno, vertiſſe patrium ſolum: patriam univerſam, exceptis impiis, ita indoluiſſe, quaſi capite in illo ſalus publica exſulatum iret. Bergomum abiit, opportunitatem credo Urbis, & Eccleſiae illius ſecutus, quod, & urbs eſſet Venetae ditionis, & Eccleſia numeraretur inter Provinciales alias, praeſideque ac paſtore tunc careret. Ibi, nec Regi Regiſve ſuſpectum, in aliena terra, nec in otio civitate delidem fore. Progreſſus igitur quam placidiſſime in eam partem, ad extrema Mediolanenſis agri, trajecto flumine quod interluit Bergomenſes, eos populos, ceu Metropolim alteram excolebat, haud magnopere jam memor Eccleſiae qua arcebatur. Pontifex Paulus, re cognita ſicuti geſta

eſſet, ferire Apoſtolico fulmine Regios parabat: eſtque ab eo inhibitus collata in Oeconomi ſuſpiciones culpa: & Regiae litterae propediem adfuturae ducebantur, quae exſulem honorifice revocarent. Is, tertio menſe poſtquam urbe exceſſerat, Bergomi moritur: atque allatis in ipſo fere obitu litteris, quae exſpectabantur, Mediolanenſes, velut ereptum tertio jam ſibi Archiepiſcopum luxere. Innoxios Archinti mores, & acceptam Coelo virtutem declaravere ea, quae mortem inſecuta ſunt, & obitu in ipſo protervia Daemonum manifeſte tumultuata eſt. Namque inter caetera ſtudia proximis adjuvandis, & procurandae multorum ſaluti, fuerat hic etiam ſpiritus & confidentia Archinto, obſidentes mortalium praecordia Daemonas evocare & pellere exorciſmis: multaeque nobiles palmae celebrabantur, quas profligato ſic hoſte retuliſſet. Bergomenſi negotiatori diviti & honeſto filia fuere quinque Daemoniis obſeſſi totidem, & unuſquiſque eorum ab Daemone ſuo ita agitabatur, ut foeditatis & vecordiae certamen inter ipſos eſſe Daemonas videretur. Lymphatorum certe aliorum nullum umquam vidiſſe ajebant urbis ejus homines, quem amentia & furore cum fratribus hiſce compararent. Poſt irritas multas Exorciſtarum artes & fallacia promiſſa, aggreſſus Archintus infelicem eam miſerrimi parentis proſlem: grandiores quidem quatuor exemit Faunorum ludibriis, minimus vero natu qui erat, pertinacius adhuc obſidebatur, & actus a Daemone in fugam, ex patria domo propripuerat ſeſe, Mediolanumque pervenerat paulo antequam Archiepiſcopus moreretur. Secutus abeuntis veſtigia filii pater, non equi velocitate, non ſollicitudine ſua potuit aequare furialem illius gradum, Mediolanique demum aſſecutus infelicem percunctatur quid ita conciverit fugam. Reſpondit ex puerili ore Daemon: factum id eſſe importunitate Exorciſtae, cujus violenta carmina ſtomacharetur. Neque enim, ſicut ignobiliores alios ſpiritus ille pepuliſſet, ita vim eamdem in ſe eſſe valituram. Dixerat haec, & paulo poſtea, compellato patre puer, momento, inquit, illo Archintus exſpiravit. Ei ſcilicet praeſagio congruens deinde reperta eſt hora, qua Bergomi deceſſerat Archiepiſcopus exſul. Celebre per ea tempora negotium fuit, auxeratque rei admirationem reddita puero etiam huic ſalus, poſtquam pater eum tumulo Pontificis admovit. Anno clɔ Iɔ LVIII. ad XV. Cal. Sextiles obiit Archintus, precatus ultimis tabulis, ut ſepulturae ſibi locus Mediolani in Metropolitana aede concederetur. Si id impetrare non poſſet, locum eumdem in Baſilica Thebaei Martyris Alexandri a Bergomenſibus petebat. Inſcriptionem quoque ſepulcro compoſuit ipſe manſuetudine eadem: ſcilicet, ut neque per ambitionem honores ultimos contemſiſſe videretur, neque propinqui vel amici, caritate in mortuum, vel adulatione in vivos ad inania delaberentur. Inſcriptio fuit in hunc modum: "Hic. eſt. titulus. monumenti. Philippi. Archinti. Archiepiſcopi. Mediolanenſis." Sive in patria, quod magis optarat, ſive Bergomi tumularetur, retineri ſepulcralem eum titulum volebat. Cumque penſiles tumuli fierent tunc illuſtribus fere viris, deſpectans ſeſe inſra caeteros, mandavit intra terrae viſcera cadaver abſtrudi pauperum ritu.

Non idem populorum ſenſus erga id quod vile adeo ipſi & projectum: certaminaque & lites ob cadaver exſtitere. Bergomenſes, quia, & vivo Archiepiſcopo terra illa ad exſulandum placuiſſet, & ibi eſſet mortuus, vindicabant ſibi Pontificis reliquias. Civitas noſtra & natalium, & teſtamenti jure eaſdem repetebat. Pontifex Max. ex Alexandro Archinto, fratre mortui cognita cauſa, precibus dedit hujus, ut Mediolanum arca deportaretur: quae deportata & aperta, corpus illud, ſicuti compoſitum in ea fuerat, nulla corruptum tabe oſtendit: annuſque jam alter ab exceſſu exibat. Conſiderantes hujus Archinti inſtituta & mores animumque nonnulli, qui deinde D. Caroli Pontificatum, & Sancti Pontificis vitam, ab initio ad finem uſque, praeſentes & aſſidui Divo ſpectavere, crediderunt, ſi vixiſſet ille diutius, neque prolubitus Pontificatu fuiſſet, formam Eccleſiae, quam ſub Borromaeo inſtaurari poſterior aetas vidit, ſub Archinto prius jam tunc fuiſſe renovandam, & Archiepiſcopos duos, qui temporum ſucceſſione conjungebantur, rerum exitu diſſimiles, ſimilitudine inter ſe animorum aptiſſime potuiſſe comparari. Ac ſine mihi etiam intuenti Pontificalia rudimenta, quae poſuerat Archintus, cum Sancti Sepulcri prius, deinde Salinarum Epiſcopus fuiſſet, multum Paſtoralis vigilantiae, multumque ſollicitudinis ex ea minorum Eccleſiarum adminiſtratione occurrit. Quos ille ſpiritus, ſi ad hujus, & Urbis & Provinciae magnitudinem adjungere potuiſſet, credere licet, vel excolendis Eccleſiae rebus, occupatarum eum fuiſſe gloriae partem, quae tota in Borromaeum ceſſit, vel exculta jam Eccleſia, purgataque per ipſum urbe, majorem aliarum rerum campum divinis Borromaei artibus ita potuiſſe aperiri. Non quidem adierat ille traditos ſibi populos, Etruſcum illum priorem & Gallicanum alterum, Romanis nempe negotiis impeditus ſemper, & eodem retinente Pontifice, qui Eccleſiam utramque mandarat. Caeterum, etiam abſens omne Paſtorale munus implevit: & qua Salinarum praecipue urbi haereticae contagionis periculum ex finitima Galliarum pelle aderat, conſcripto ad homines eos Catechiſmo, ita firmavit erudivitque gentem adverſus imminens malum, ut inſtitutio ea praeferat elementa diſciplinae, qua Sanctus Carolus poſtea conſtituit Metropolim hanc labantem. Infenſus Eccleſiae corruptelis erat, nec ea morum parte Borromaeo ipſi diſpar. Tradunt, obvio forte Purpuratorum uni, ſubmiſiſſe contemptim oculos, quia ille ſui Ordinis inſignia non praeferret. Et ſub Pauli III. obitum cum novo Pontifici creando comitia haberentur, Collegio toti litteras obtulit ſcriptum habentes, quae vitia poſſent in re pere comitiis, & quomodo negotium id ſanctiſſime adminiſtraretur. Amavit unice patriam, & civium ornandorum valde cupidus fuit, ſi quidem indolem aliquam virtutis praeferrent. Eo ſtudio Franciſcum Sfondratum Pontifici commendavit, quem amiſſa uxore aptum Eccleſiae rebus cenſebat: adeoque non eſt in ea exiſtimatione deceptus, ut Cardinalis hic fieret, & illata ſemel in domum Purpura multiplicaret honorem, faſtigiumque etiam inferret illud unde is honos datur. Namque Nicolaus Franciſci filius item Cardinalis, ac deinde Pontifex Maximus fuit. Tantum nobiliſſima Domus Archinto debet. Sed Angelum quoque Medicaeum, qui paulo poſtea ſub Pio IV. nomine regnatus in Eccleſia erat, produxit, plurimumque adjuvit auctoritate teſtimonii, & conſiliorum prudentia ac fide, quo certiorem ad ſummam viam calcaret. Quae ipſa retuli, ut intelligeretur: habuiſſe Archintum illud etiam e Sancti Caroli moribus, ut ad ſummos Eccleſiae honores ipſo potiſſimum duce atque adjutore clariſſimi, & optimi civium pervenirent. Dabantque Archinto in id auctoritatem honores geſti, vita acta conſtanter, & cum dignitate, apud Caeſarem, apud Pontifices Max: gratia, conſilia ſaepe pacis ac belli penes eum: & ampliſſimorum munerum emolumenta repudiarat. Talis viri morte, Caeſarem ipſum, accepto nuntio, commotum fuiſſe, ajebant, & Oeconomo ſuccenſuiſſe, cujus calumnia, & infectatione ille vexatus fuiſſet.

Tertio poſt menſe moritur etiam Caeſar, anno quinquageſimo octavo poſtquam natus erat. Ejus memoriam manſuram in hominum animis & ore famae, quamdiu litterae & homines manebunt, non recoluiſſe hoc loco, injuria noſtrae Urbis fuerit, quae ipſius armis exempta Barbarico jugo, exculta ſaluberrimis inſtitutis, muneribus privilegiiſque aucta, &, quod maximum omnium fuit, in Catholici Imperii corpus aſſumta celebravit tanto luctu exſequias ſummi mortalium, quanta olim gratulatione adventum ejus celebrarat. Mediocre corpus ei, grata Regio honore facies obtigerat. Bellator animus puero, nataque tot victoriis indoles, otii ſtudia non perinde admavit. Sed litterae, & Philoſophi ſub alio muſquam Rege pulcrius ſtetere, incuſabatque ipſe poſtea, quod non didiciſſet. Locutus eſt linguis omnium fere gentium, quibus imperavit, & naturae dono facundus

dus erat. Multae fecundae res ei, ſed nec adverſa deſue-
re per omnem vitam: orbemque terrarum ad utraſque
vices quodammodo diviſerat ei fortuna, ut in diverſa
parte contrarios eventus aſſignaret. Fuere dimicanti
Caeſari proſperarum rerum ſedes, Italia, Germania-
que, & Hiſpaniae Regna quoties rebellionem coepta-
vere. America ſimul, & qua novus orbis ſemiferis mor-
talibus habitatur, obnoxia vincenti Carolo ſemper fue-
re. Ambigui bellorum exitus per Graeciam, & Afri-
cam, Galliamque & Flandriam eadem quaſi ſortis diſ-
penſatione contigerunt. Minus ad felicitatem fida pax
ei ſemper fuit: ſemperque magnae rerum iniquitates,
& magna diſcrimina laceſſivere Caroli Caeſaris gloriam,
quoties quieſcere voluerat. Pacem tamen ipſam ſancte
integreque adminiſtravit, & arbitrium egit omnium fe-
re Europae rerum, propoſiti tenax ad cuncta quae de-
ſtinaviſſet, Catholicae Religionis defenſor, qualem Ec-
cleſia ipſa admirata eſt. Veluti proprium ejus fuit, appe-
ti conjuratorum inſidiis & punire ſeu debellare conjura-
tos. Sic magni & occulti rebellium conatus, quos In-
dia, Hiſpaniave, & Belgium & Neapolis dedere, ſan-
xerunt exemplo ſuo per terras illas aeternam fidem: &
exempla in omne aevum ibunt. Aperto Marte vicit
Franciſcum I. Galliae Regem, captivumque habuit do-
mi & dimiſit, quod glorioſius habitum eſt quam etiam
viciſſe. Saxonem & Lantgravium, capita Germaniae
furentis, ſub jugum miſſos, & coactos accipere leges,
vivere juſſit, atque priſtinam fortunam habere. Turca-
rum Imperatorem Solimanum nihil habentem ex Barba-
ro praeter nomen & ſectam, cum univerſa prope Bar-
baria coortum & armatum in ſpes ultimas afflixit clade,
quam res Othomanae ſemper ſentient. Ad aviti Imperii
fines adjecit: Americam, & Mexici Regna, & Re-
gna Peruana, mortalitatemque illam, & alterum plane
Mundum expertem ſalutis & caligini damnatum coſtu-
ſtravit Euangelii luce: Provinciam praeterea Mediola-
num & Provincias alias, quas deinde tergendo aliis con-
ſtituit domos, quae nunc opulentia & majeſtate Regum
agunt. Unico matrimonio contentus fuit, & ſpreta ad
extremum gloria, quam tantis rebus meruerat, depo-
ſito imperio quieſcere voluit in piorum coetu, atque ibi
mortalitatem explevit, nondum ille quidem in termino
brevis aevi mortalium, ſi juſtum exigere curſum plenis
annorum ſpatiis liceret: ſed maturaverant ſenectam la-
bores, & curae, delicata corporis conſtitutio laboribus
impar, animi vigor aſſidue curas accerſens: unde nunc
ingruerant morbi, & ſuper caetera, non ferre erat inſa-
nos articulorum dolores.

Annus, quo Caeſar deceſſit, ſyderalis ſcientiae vani-
tate canebatur fatalis Principum Regumque funeribus,
civitatum excidio, converſioni rerum omnium huma-
narum, addebanturque minae aliae coeleſtes, fulgura,
terrae motus, & procellae cum multiplici ſtrage hom-
num, & quidquid aliud pavet. Ei tam infauſtae vatici-
nationi fidem adſtruxerat Caeſaris obitus, & credide-
rant provinciae ſubjectae Catholico imperio defunctas ſe
eſſe ſuis malis hoc ipſo, quod mors propera Caeſarem abſ-
tuliſſet. Parentavere Mediolanenſes ita, ut ob laetitiam
triumphumve ullum miſquam alias antea permde ſpecta-
culo fuerit omnibus Inſubriae populis civitas, quam tunc
ob moerorem fuit: & ſpectantium animos ab ipſa con-
templatione moeroris avertebant funebrium operum
ſumptus, queis in luxuriae faciem teſtati ſuum luctum
Metropolitani erant. Orationem habuit Franciſcus Craſ-
ſus, tunc Senator, poſtea Cardinalis, eloquentiae &
dignitate vitae par muneri.

Digitized by Google